2745
Ph. 8. 2 p. 677

Tricassin (Charles Joseph)

2745
Mb·E·2 f. 677.

Cucassin (Charles Joseph)

331004

331104

DE PRÆDESTINATIONE HOMINVM AD GLORIAM DISPUTATIO THEOLOGICA

IN QVA CLARE DEMONSTRATVR, Prædeſtinationem illam factam eſſe poſt præviſa merita ∴ idque potiſſimum ex Doctrina D. Auguſtini, & Angelici Doctoris.

VBI MVLTA ETIAM HABENTVR DE GRATIA, ratione Prædeſtinationis illius non leviter explicata.

OPVS OMNIBVS VERBI DEI PRÆCONIBVS peræque ac Scholaſticis uſui futurum.

Authore P. F. CAROLO JOSEPH TRICASSINO Concionatore Capucino.

EX BIBLIOTH PUB COLLEG LUGDUN
BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE DE LYON

PARISIIS,
Apud EDMVNDVM COVTEROT, viâ Iacobeâ, ſub ſigno boni Paſtoris.

M. DC. LXIX.

Cum Privilegio, & Approbatione.

DEO OPTIMO MAXIMO
ANIMARVM DILECTORI: *Sic vocatur. Sap. 11.*
NVLLIVS EARVM PRÆJVDICATORI:
SED BONARVM PRÆDESTINATORI:
MALARVM AVTEM REPROBATORI:
OMNIVM RETRIBVTORI:
AC SINCERO REDEMPTORI:

HAS QVATVLASCVMQVE SVAS PRIMITIAS, ſub fœliciſſimis D. Auguſtini auſpiciis, dicat, conſecratque, ac refert acceptas.

F. CAROLVS JOSEPH Tricaſſinus,
Capucinus indignus.

BENEVOLO LECTORI
MONITIO NECESSARIA.

TRIA me, benevole Lector, ad hoc opus ſuſcipiendum impulere: ſcilicet veritas, charitas & pietas. Veritas quidem, quia hæc opinio quæ tenet prædeſtinationem hominum ad gloriam factam eſſe poſt præviſa merita, veriſſima ſemper mihi viſa eſt & oppoſita prorſus non vera, unde non potui non reddere teſtimonium debitum huic ſolemni veritati.

Id probabitur in toto decurſu diſputationis.

Charitas autem: quia hæc una eſt è difficultatibus Chriſtianæ Religionis quæ piorum magis torquet animos dum non obſtantibus ſuis virtutibus & operibus bonis, neſciunt aut dubitant an tandem ſalvandi ſint, an vero damnandi: an electi ſint ad gloriam, an non electi, formidantes hæc fieri impræviſis eorum meritis & operibus: Quibus ego confidenter prædico, & è tripode Auguſtiniano pronuntio quòd bono animo ſint & conceſſa ſibi à Deo miſericorditer fide bene utantur; quia ea mediante omnino ſalvandi ſunt, ſi voluerint, independenter à quovis prædeſtinationis decreto quod præceſſerit præviſionem ſuorum operum, cùm fides data ſit eis ut per eam impetrent & mereantur, ſi velint omnes gratias efficaces ad exercenda bona opera, ad implenda mandata & ad ipſam perſeverantiam actualem conſequendam neceſſarias: ipſa eſt enim fides, inquit Auguſtinus lib. de ſpir. & litt. *Cap. 32.* qua impetratur largitas ſpiritus de quo dicitur: Nos enim ſpiritu ex fide ſpem juſtitiæ expectamus. Et lib. de nat. & gr. *Cap. 16.* Hæc eſt fides, inquit, ad quam præcepta compel-

lunt ut lex imperet & fides impetret. Et lib. de gr. & lib. arb. Cap. 14.
Fides, inquit, non petita conceditur, ut ei petenti alia concedantur; Quomodo enim invocabunt, inquit, in quem non crediderunt? Ergo ſpiritus gratiæ facit ut habeamus fidem, ut per fidem impetremus orando ut poſſimus facere quod
jubemur. Et infra eodem libro: Ipſa eſt, inquit, fides quæ *Cap. 16.*
orando impetrat quod lex imperat. Et in enchiridio: ipſa *Cap. 117.*
eſt, inquit, fides Chriſti quam commendat Apoſtolus quæ per dilectionem operatur, & quod in dilectione nondum habet, petit ut accipiat, quærit ut inveniat, pulſat ut aperiatur &c. fides namque impetrat quod lex imperat. Et epiſtola 106. Si quis autem dixerit quod gratiam bene operandi fides mereatur negare non poſſumus, imo vero gratiſſime confitemur: hanc enim fidem volumus habeant qua impetrent charitatem, quæ ſola vere bene operatur: Qui ergo habent fidem qua impetrent juſtificationem per Dei gratiam, pervenerunt ad legem juſtitiæ, unde dicitur: Tempore acceptabili exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te. Et Homil. 17. Quid dicimus de ijs qui nondum crediderunt qualis erat Saulus qui nondum crediderat, accepit autem ut crederet, poſteaquam credidit Chriſto, tunc cœpit invocare Chriſtum: ab illo accepit ut crederet, & credendo invocaret, invocando, cætera acciperet. *Ex his manifeſtum eſt Auguſtinũ loqui etiam de fide non formata per charitatem.*
Et lib. de præd. *Cap. 7.*
Sanct. Ipſa (fides) prima datur ex qua impetrentur cætera
quæ proprie opera nuncupantur in quibus juſte vivitur. Et *Cap. 106.*
rurſus in enchir. ait. Per ſolã Dei gratiam quæ in fide Chriſti poſita eſt, liberatur (arbitrium) ut voluntas ipſa, ſicut ſcriptum eſt, à Domino præparetur, qua cætera Dei munera capiantur, per quæ veniatur ad munus æternum. Et cætera ejuſmodi: per quæ datur intelligi, fidem nobis eſſe collatam, ut per eam impetremus omnes alias gratias quaſcumque potentiſſimas & efficaciſſimas, ut per eam tam libere operemur noſtram ſalutem in ſtatu naturæ lapſæ, quàm libere ſuam poterat operari Adamus in ſtatu naturæ integræ: hæc eſt enim gratia ſanans liberatrix & medicinalis Chriſti ſecundum Auguſtinum qua tandem ſanati ſumus: hæc eſt quæ reſtituit nos in priſtinum Adæ ſtatum cum nobis eadem præſtet impetrando quæ præſtabat Adamo ſua gratia exe- *Auguſtinus lib. de nat. & gr. c. 44. & in enchir. c. 106. & in*

pſalm. 31. conf. 3. Fulg. lib. de Incarn. & gr. c. 17. initio: & Proſper in epiſt. quæ eſt ante lib. de Prædeſt. ſanct. uſurpat. velle ſanari pro velle credere.

quendo : unde conſequens neceſſariò eſt ut ſicut in opinione quorumdam prædeſtinatio Adami ad gloriam facta eſt poſt prævisa merita illius, ob inſignem illius gratiam qua poterat ſalvari ſi vellet vel non ſalvari ſi vellet, ita & prædeſtinatio noſtra facta ſit poſt præuiſa merita ob inſignem iſtam gratiam vel fidem qua ſalvari poſſumus, ſi volumus; vel non ſalvari, ſi nolumus : impetrando ſcilicet gratias efficaces ad ſalutem ſi ſalvari velimus, vel non impetrando eas ſi ſalvari nolimus : cum enim per fidem in eumdem ſtatum regreſſi ſimus in quo conſtitutus erat Adamus per

Ianſenius libro 9. de gr Salu. cap. 15. tenet Adamũ fuiſſe Prædeſtinatum poſt prævisa merita, ob gratiam indifferentem ſuam.

ſuam gratiam ſingularem, eadem ſequi debent ex iſta fide, quæ ex Adami gratia, cum hac tamen limitatione & moderatione quod cum tota vis & efficacia fidei noſtræ, ſeu gratiæ, conſiſtat in oratione humili, in obſecratione & impetratione divinæ miſericordiæ, non gloriemur in meritis noſtris tanquam noſtris, ſed tanquam in meritis à Deo datis, in meritis à Deo miſericorditer impetratis: non enim, ut ait Auguſtinus, coronat Deus merita tua tanquam tua, ſed tanquam dona ſua. Et paulo infra : non ex operibus

Lib. de gratia & lib. arb. cap. 7. & 8.

tanquam tuis ex te ipſo exiſtentibus, ſed tanquam his in quibus te finxit & formavit Deus; ut qui gloriatur in domino glorietur, & non in ſeipſo. Quam limitationem & moderationem toties commendavit & inculcavit Auguſtinus contra Celeſtium & Pelagium gloriantes in arbitrio ſuo, ut nihil frequentius reperiri poſſit in illius contra illos lucubrationibus quam hæc pia & humilis agnitio quod nihil poſſumus ex nobis tanquam ex nobis, ſed omnia ex Deo

1. Cor. 15

qui dat nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ; per quem aut per cujus fidem accepimus omnia quæ nobis donata ſunt; quia nempe illa vis & efficacia noſtræ fidei ſupra memoratæ, non conſiſtit in aliquo quod ſit in nobis tanquam ex nobis, ſed in ſola Dei miſericordia, qui ſic voluit favere fidei noſtræ, qui ſic voluit propitius eſſe fidelium orationibus eiſque liberaliter & miſericorditer repromittere exauditionem impenſiſſimam juxta illud Iacobi primo : Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo qui dat omnibus affluenter & non improperat & dabitur ei : Et illud ipſiuſmet Ieſu Chriſti Do-

mini noſtri. Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. *Ioan. 16.* Quæ promiſſio Chriſti explicatur ab Auguſtino præcipue de ijs quæ ſpectant ad ſalutem; in qua ſane promiſſione maxime ſpes & fiducia Chriſtiana ſita eſt: *Tract. 73. 81 & 110 in Ioann.* fiducia autem non ſuperba ut Pelagiana & Celeſtiana tota fidens in ſeipſa; ſed humilis & demiſſa, tota fidens in domino & diffidens de ſeipſa, cum tota ſita ſit in oratione humili, obſecratione, impetratione & bono uſu gratiæ, non in ſuperbientibus, & contra Deum ſe extollentibus humani arbitrij viribus, in quibus præpoſtere confidebant Pelagius, Celeſtius, Iulianus, & alij præpoſteri laudatores humani arbitrij.

Bono ergo animo ſint omnes Fideles ſeu Chriſtiani, & bene utantur ſua fide id eſt bene utantur gratijs ſuæ fidei promiſſis, in orationibus; in obſecrationibus, in jeiunijs, in eleemoſynis, & alijs pijs operibus, ſcientes quod propter hæc omnia præviſa, ſeu ex his omnibus præviſis, ſibi regnum æternum à Deo præparatum & prædeſtinatum eſt, & non ob aliquam voluntatem Dei improvidam & indiſcretivam noſtrorum operum, ut volunt adverſarij: quapropter rectè volebat Auguſtinus ut prædicatores Evangelici dum prædicant Fidelibus prædeſtinationis myſterium, ſemper jungerent perſeverantiam cum prædeſtinatione ad fidem ut quidpiam arcte cum ea conjunctum. Si Eccleſiæ Dei, inquit, loquimur, congruentiùs poſſumus dicere: *Lib. de dono perſeu. c. 12.* ita ſe habet de prædeſtinatione definita ſententia voluntatis Dei, ut ex infidelitate veneritis ad fidem accepta voluntate obediendi, *& accepta perſeverantia maneatis in fide.* *Ibi fidem ſuo more ſumit Auguſtinus pro ea qua per dilectionem operatur unde cum perſeverat ſalvat.* Qui modus loquendi ita conjungit prædeſtinationem ad fidem cum perſeverantia, ut ab illa vix divelli poſſe videatur: ut per hoc innuat ita perſeverantiam ipſam & vitam æternam eſſe in omnium Fidelium arbitrio & poteſtate ut obtineant illam, ſi velint, & non obtineant ſi nolint ratione nempe ſuæ fidei quæ poteſt omnia quæcumque vult obtinere & cuncta minantia, cuncta invitantia, & cuncta cruciantia ſuperare, ita ut quilibet Fidelis poſſit cum Paulo dicere: *De corrept. & gr. c. 12.* Omnia poſſum in eo qui me confortat, *ad Philip. 4.* & certus ſum quia neque mors, neque vita, ne- *ad Rom. 8.*

que angeli, neque principatus, neque poteſtates, neque inſtantia neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Prima gratia Auguſtino eſt fides. Maſſa perditionis, ſeu damnata dicitur ab Auguſtino peccatum originale: in enchir. cap. 99. epiſt. 105. ad ſixtum circa initium: lib de nat. & gr. c. 5. & in opere imperf. contra Iul. l. 1. n. 126. 127. 135. 140. & id admittit Ianſenius lib. 10 de gr. Sal. cap 3. aliquando etiam ſumitur ab Auguſtino pro peccato actuali ut cum loquitur de non perſeverantibus, nam qui poſt baptiſmum peccant, reincidunt in illam maſſam, à qua non amplius diſcernuntur, niſi reſurgant: & toties diſcernuntur quoties reſurgunt. Quod ſi reſurgunt temporaliter, tantum diſcernuntur per gratiam ſanctificantem: ſi finaliter, diſcernuntur per donum perſeverantiæ. Pro quo vide librum de dono perſeu. cap. 9. his verbis, Vera ſunt hæc, ſecundum hæc omnia ex nobis erant. Veruntamen ſecundum aliam quamdam diſcretionem, &c. ubi duplex illa diſcretio clare diſtinguitur & explicatur.

Et hæc eſt conſolatio quam volui procurare fratribus meis in Chriſto regeneratis, & per hoc ad primam iſtam gratiam prædeſtinatis, & à maſſa perditione ereptis, quia nempe charitas Chriſti urget nos & poſtulat ut quam piam & ſalutarem cognitionem impertivit nobis Deus eamdem illis, & pro eorum conſolatione, & pro noſtra in eos charitate communicemus.

Tandem pietas ipſa me impulit & zelus divini honoris, videns multos Chriſtianos opinionis contrariæ authoritate ſuffultos liberius ſuis vitijs & abominationibus deſervire, in contemptum ſane divinæ majeſtatis, quæ ut honoratur noſtris virtutibus & operibus bonis, ita & inhonoratur vitijs & contemnitur peccatis & abominationibus noſtris:. id autem vix ſeparabile eſt ab opinione, contraria ei quam defendimus: nam cum hominum genus ita comparatum ſit, ut ſolùm quærant quæ ſua ſunt, ſicut dicit Apoſtolus & cætera negligant: hinc eſt quod cum ex illa opinione diſcant homines cultum Dei nihil ad ſuam ſalutem pertinere, quando quidem ſive eum colant, ſive non colant, ante iſtorum præviſionem determinatum jam eſt, an ſalvandi an damnandi ſint; nihil curant de iſto cultu nec de mandatorum obſervatione nec de amore vel honore Deo debito ut potè ſibi tunc inutili, & aliunde ſibi ſatis ingrato, quandoquidem ſecum advehit multas & graves difficultates ſeu mortificationes continuas, & ardua valde opera, quæ proinde relinquunt procuranda ei; qui ſic homines prædeſtinavit ante præviſa

ad Philip. 2.

eorum

eorum opera & qui omnia facienda ſuſcepit pro electis & Chriſtis ſuis, cæteris omnibus alijs hominibus neglectis & contemptis. Quod quam funeſtum & exitioſum veræ pietati ſit, nemo eſt qui non videat, cum nihil aliud quærant homines quam excuſatiunculas ejuſmodi & obtentus varios ad peccandum liberius & voluptatibus ſuis indulgendum, poſthabito timore divino & contemptis conſcientiæ ſuæ ſtimulis quibus poſſent à peccatis & ab impietatibus ſuis revocari.

Hæc ergo fuerunt motiva quæ me impulerunt ad hoc opus ſuſcipiendum non ſane levia & contemptibilia ut videre eſt; ſed gravia & conſiderabilia, & talia certe ob quæ nullus labor, & nulla omnino pœna refugienda ſit.

Verum cum hoc argumentum magnificum & arduum in primis ſit; quæret fortaſſe aliquis, cur tam magnifica & ardua auſa eſt aggredi tenuitas mea? Sincera mente profiteor me non meo conſilio id aggreſſum, ſed tantum aliorum hortatu & impulſu quorum conſilijs acquieſcere mihi perhonorificum: reluctari autem erat inhoneſtum & omnino damnabile: quapropter non timui virorum iſtorum animatus conſilijs tantæ molis opus inchoare, promovere & perficere: Quamvis ut fatear non ſine magno labore, & ſollicitudine id tandem peregerim: nihil enim ſubterfugi quominùs hanc veritatem educerem & evolverem à fundamentis & omnino extraherem ex innumeris adverſariorum tricis & fucis quibus eius claritatem obſcuraverant, imo fere obruerant. Adij enim ipſos Authores de hac materia tractantes, locos ex his depromptos legi in proprijs fontibus; imò aliquando libros totos perlegi ut ſenſum unius teſtimonij contra nos adducti melius expiſcarer, eaque omnia (teſtis mihi eſt Deus) præſtiti cum animi ſumma libertate & ingenuitate, remota omni præventione animi, paratus ſemper opinionem meam deſerere ſi falſa eſſet, alienam aſſumere ſi verior appareret, obnixe Deum deprecans ut quod illi magis eſſet placitum aperiret, animumque roboraret ad æternæ illius veritatis radios ſuſcipiendos, & alijs communicandos ut neceſſe eſſet, ad laudem & gloriam nominis ſui: unde tanto fre-

tus auxilio nihil omiſi aut diſſimulavi quod vel huic veritati ſuffragari poſſet aut officere, quin pro mea tenuitate à ſummo Deo adjuta explicarem funditus aut abundantius ſolverem, ita ut nemo me inſimulare jure poſſit quod infidelis fuerim in adducendis aliorum objectionibus, aut negligens in ſolvendis.

Quod ſi quis me interroget cur huic unicæ diſputationi quæ eſt de prædeſtinatione hominum ad gloriam poſt præviſa merita, operam dederim, & non potius vel toti tractatui de prædeſtinatione & reprobatione, vel etiam toti curſui Theologico, cum valde rarum ſit ut unica, & ut ita dicam truncata diſputatio ſic edatur. Huic quæſito reſpondeo quod non amo aliorum dicta repetere & jam ſatis elucidata iterum iterumque tractare: utinam id ſaperent viri docti, & certis ejuſmodi quæſtionibus in Theologia diſputatis, & pietati Chriſtianæ apprime utilibus, diligenter & ſedulo incumberent, eaſque penitùs & à fundamentis evoluerent, diſcuterent, elucidarent, relictis alijs ſatis claris & parum utilibus; certe pretioſus eorum labor melius in his collocaretur quam in tot tricis & nugis quæ non habent ædificationem. Hæc pridem in animo (ut verum fatear) inſedit ſententia: & quamquam in eruditorum numerum non ſim accenſendus, hac tamen ratione ductus pro tenuitate mea & divinæ viribus confiſus gratiæ, putavi non inverecundum mihi fore ſi viam iſtam doctis aperirem & exemplo meo illos provocarem, ut ejuſmodi ſingularibus quæſtionibus & Chriſtianæ pietati apprime utilibus inſudarent, in aliiſque ſatis jam claris, & non ita utilibus fruſtra tempus non tererent; cum certum ſit quod unica ejuſmodi veritas bene ventilata longe potior ſit pluribus alijs quæ nec ita difficiles, nec ita proficuæ ſunt pietati & charitati Chriſtianæ Faxit Deus ut quod recta & ſincera intentione ſuſcepi, fœlici labore perfecerim.

Spero autem, quod ſi quis ad hujus diſputationis lectionem acceſſerit, & æquo animo & non prævento, ſed ſolius veritatis amico rationes noſtras perpenderit, ſolutiones objectionum penitus inſpexerit, nec margines negle-

xerit, fore ut quam veritatem hîc propugnare contendo, non ſolùm lubens & libens, ſed etiam gratus admittat.

Porro ſi cuipiam videatur noſtra iſta diſputatio prolixior eſſe quam par ſit, cogitet ipſe quam difficile ſit aliquam veritatem ſolide firmiterque ſtabilire, niſi plurimis jactis fundamentis in Scriptura, in Patribus, in Concilijs, in ratione, & in alijs, & niſi diſcuſſis etiam objectionibus omnibus, in contrarium adductis, quæ proinde neceſſariam faciunt etiam invitis prolixitatem. Verum cum hæc noſtra prolixitas non conſiſtat in verbis aut in explicationibus inutilibus, ſed in multitudine argumentationum & copia ſolutionum, facile cuivis fuerit hac arte eam breviare, ſi voluerit: pauca ſcilicet aſſumendo argumenta ex qualibet claſſe quæ ſibi magis arridebunt, & ex ſolutionibus vel primam, vel ſecundam, vel tertiam quæ ſibi magis placuerit, & negligendo cæteras, ut pote ſibi jam inutiles, cum ex præcedentibus jam ſibi ſatisfactum fuerit. Certe cum diverſorum diverſi ſint guſtus & appetitus qui vix diſcerni poſſunt, ideo ut omnibus quantum fieri poteſt, ſatisfieret, pluribus fuit agendum, ut quod uni non placeret, id placeret alteri; & quod quiſpiam in uno loco deſideraret, reperiret in altero. Quod ſi feliciter præſtitimus tribue Dei gratiæ; ſi non præſtitimus, infirmitati noſtræ.

Abſit ut multiloquiũ deputem, quando neceſſaria dicuntur quãtalibet ſermonum multitudine, ac prolixitate dicantur. Auguſt. in prologo retractationum ſuarum.

CONCESSIONES SVPERIORVM.

VENERANDO ADMODUM PATRI,

F. CAROLOJOSEPH TRECENSI ORDINIS FF. MINORUM CAPUCINORUM, Concionatori.

F. MARCVS A CARPINEDVLO, ejuſdem Ordinis Miniſter Generalis.

CVM Paternitas veſtra quamdam diſputationem Theologicam de Prædeſtinatione poſt præviſa merita, compoſuerit poſtuletque licentiam ut ipſam typis mandare valeat: præſentium virtute ipſi facultatem elargimur, quatenùs præfatam diſputationem à duobus Ordinis noſtri Theologis reuiſam & approbatam, ſervatis aliàs de iure ſervandis, prælo committere valeat. In quorum fidem præſentes dedimus Pariſiis in Conventu noſtro Aſſumptionis, die *6.* Novembris anno *1664*.

F. MARCUS ANTONIUS Miniſter Generalis.

EGO infra ſcriptus Miniſter Provincialis FF. Minorum Sancti Franciſci Capucinorum Provinciæ Pariſ. licet immeritus. Viſa Licentia R. Adm. P. Generalis, qua permittitur V. Adm. P. CAROLO IOSEPHO TRICASSINO ejuſdem Ordinis Concionatori Typis committere quandam diſputationem *de Prædeſtinatione hominum ad gloriam poſt præviſa merita.* Permitto quantum in me eſt, ut prædicta Diſputatio à duobus Theologis approbata typis mandetur. DATUM Pariſijs, die *29.* Januarij anno *1667*.

F. HIERONYMUS qui ſupra.

APPROBATIO THEOLOGORUM.

NOS infra ſcripti Theologi Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum, legimus & diligenti examine revolvimus Librum cui titulus eſt, *De Prædeſtinatione hominum ad gloriam poſt præviſa merita : ad mentem S. Auguſtini & D. Thomæ. Auctore* V. A. P. CAROLO JOSEPH TRICASSINO *ejuſdem Ordinis Concionatore* : Opus magnæ eruditionis, ab omni quod ſanæ fidei, & probis moribus adverſatur, immune; ſtyli facilitate, necnon rationum validitate conſpicuum : in quo abſtruſioris & ſacratioris Theologiæ Myſteria tùm fortiter, tùm ſuaviter exponuntur; SS. Patrum & præſertim S. Auguſtini ſenſus reconditiores patefiunt : huiuſque Doctrina à quibuſdam aliis pravè contorta & quaſi in vinculis detenta, in priſtinam ingenuitatem aſſeritur : diviniora quoque ipſius Æternitatis arcana, docto ſimul ac pio calamo reſerantur; vnde non exiguas Sacra Schola, omneſque veritatis ſinceri vindices, poterunt utilitates percipere : Quibus maturè perpenſis & oculatè præviſis, illud publico juri, mediante prælo, quantum in nobis eſt, prædeſtinamus. Ita ſentimus, ita dicimus, & debitum hoc illi teſtimonium, libenti animo, ſyngraphis noſtris communimus, in maiori noſtro Conventu Pariſienſi, hac die viceſima quinta Octobris, anno Domini 1667.

F. IVO Pariſinus, Concionator & Exdefinitor.

F. JOSEPH Druydenſis, Concionator & Magiſter Novitiorum.

IN hoc libro nihil reperies quod ſanam doctrinam aut bonos mores tantiſper lædat, imò omnia exquiſitiorem ſapiunt doctrinam. Mentem Divi Auguſtini ſubtiliori inquiſitione exploratam habebis; Itaut non iam ab aliis trita; ſed nova & diligenter quæſita & fœliciter inventa tibi præbeat. Quod ſanè probat dignum eſſe librum prodire in lucem. Ita ſentio. Datum Pariſiis in Conventu Aſſumptionis, die 5. Febr. an. 1669.

F. LUDOVICUS DE JULLY Cap. ind. Guardianus Medonenſis, & in Sacra Theologia Lector.

SVMMA PRIVILEGII.

LVDOVICI XIV. Regis Chriſtianiſſimi diplomate cautum eſt, ne quis librum, *De prædeſtinatione hominum ad gloriam poſt præviſa merita* A. P. F. CAROLO-IOSEPH Tricaſſino, Concionatore Capucino compoſitum, intra ſeptennium vel typis mandet, vel mandari curet, aut venalem habeat, niſi ex conſenſu prædicti P. F. CAROLI-IOSEPH Tricaſſini, Capucini ejuſdem libri Authoris: idque ſub mulcta trium millium librarum, ſubque aliis interminationibus in ſerie diplomatis fuſius expreſſis. Datum Lutetiæ Pariſiorum, prima die Martij 1668.

Signatum, PATV.

Ius autem illud ſuum, idem P. F. CAROLVS-IOSEPH Tricaſſinus *ceſſit & conceſſit* EDMVNDO COVTEROT, Bibliopolæ Pariſienſi, *vt patet ex illius Chirographo Diplomati appoſito.*

Enregiſtré ſur le Livre de la Communauté des Marchands Libraires & Imprimeurs de cette Ville de Paris, le 15. Octobre 1668.

Signé, SOVBRON, Syndic.

SERIES EORVM QVÆ IN PRIMA PARTE CONTINENTVR

PRIMA PARS.

COMPLECTENS CONCLVSIONEM cum probationibus ſuis.

BIBLIOTHECA DE LA S.J. LYON 1935

SECTIO I. *TOTIVS operis aſſertio, ejuſque explicatio.* pag. 1.

SECTIO II. *Oſtenditur, quod hæc aſſertio nihil habet commune cum opinione Pelagianorum de gratia.* p. 4.

SECTIO III. *Oſtenditur, quod hæc aſſertio nihil etiam habet commune cum opinione Semipelagianorum de gratia.* p. 6.

SECTIO IV *Probatur hæc concluſio ex Sanctis patribus, & præcipuè ex Auguſtino, ejuſque Diſcipulis.* p. 9.

PARAG. I. *Teſtimonia Patrum Auguſtino antiquiorum, & ab ipſo commendatorum tanquam integerrimæ doctrinæ.* p. 10.

Parag. II. *Teſtimonia ipſiuſmet Auguſtini.* p. 12.

Punctum I. *Proponuntur tria prima argumenta ex Auguſtino.* p. 12.

Punctum II. *Proponitur, & ſolvitur Objectio Eſtij, contra iſta argumenta diſputantis.* p. 15.

Punctum III. *Proponitur, & ſoluitur oppoſitio Ianſenii contra eadem argumenta diſputantis.* p. 19.

Punctum IV. *Proponitur, & ſoluitur prima inſtantia Ianſenii.* p. 24.

Punctum V. *Proponitur & ſolvitur ſecunda inſtantia Ianſenii, & uni difficultati reſpondetur.* p. 29

Punctum VI. *Proponitur quartum argumentum ex Auguſtino, & uni etiam difficultati reſpondetur.* p. 33.

Punctum VII. *Proponuntur tria alia argumenta ex Auguſtino, ſcilicet quintum, ſextum, & ſeptimum.* p. 36.

Punct. VIII. *Proponitur octavum argumentum ex Auguſtino.* p. 38.
Punctum IX. *Proponitur nonum argumentum ex Auguſtino.* p. 43.
Punctum X. *Proponitur decimum argumentum ex Auguſtino.* p. 47.
Punctum XI. *Proponuntur tria argumenta ex Auguſtino, ſcilicet undecimum, duodecimum, & decimum tertium.* p. 50.
Punctum XII. *Proponitur argumentum 14. ex Auguſtino: & quibuſdam reſpondetur objectionibus.* p. 51.
Punct. XIII. *In quo quædam ſolvitur oppoſitio Ianſenii.* p. 54.
Punct. XIV. *Proponuntur tria ſequentia argumenta ex Auguſtino, ſcilicet 15. 16. & 17.* p. 58.
Punctum XV. *Tria alia argumenta ex Auguſtino, ſcilicet 18. 19. & 20.* p. 61.
Punct. XVI. *Proponuntur quatuor ſequentia argumenta ex Auguſtino, ſcilicet 21. 22. 23. & 24.* p. 63.
Punct. XVII. *Duo alia proponuntur argumenta ex Auguſtino, ſcilicet 25. & 26.* p. 65.
Punct. XVIII. *Poſtrema quatuor proponuntur argumenta ex Auguſtino, ſcilicet 27. 28. 29. & 30.* p. 68.
PARAG. III. *Referuntur teſtimonia Diſcipulorum Auguſtini, & quarumdam ſectatorum eius.* 71
Punctum I. *Teſtimonia Diſcipulorum Auguſtini.* p. 71.
Punctum II. *Teſtimonia quorumdam Sectatorum Auguſtini.* p. 74.
SECTIO V. *Probatur concluſio ex Theologis.* 75.
Parag. I. *Referuntur authoritates Alexandri de Hales, Alberti Magni, & D. Bonaventuræ, ſatisfitque oppoſitioni cujuſdam eius Commentatoris.* p. 75.
Parag. II. *Referuntur teſtimonia D. Thomæ, ſeu Angelici Doctoris.* p. 78.
Punct. unic. *Reſpondetur objectionibus ex D. Thoma depromptis.* p. 82.
Parag. III. *Refertur ſententia Scoti, noſtram ſententiam tanquam probabilem admittentis.* p. 85.

Parag.

Parag. IV. *Referuntur cætera aliorum Theologorum teſtimonia pro noſtra ſententia.* p. 87.

SECT. VI. *Probationes ex claris Sanctæ Scripturæ locis.* p. 89.

Parag. I. *Primum argumentum proponitur.* p. 89.

Punctum I. *Vis argumenti aperitur.* p. 89.

Punctum II. *Refellitur evaſio ſumpta ex duplici decreto, ſcilicet intentionis, & executionis, & primò ex novitate & inutilitate illius.* p. 91.

Punctum III. *Refellitur eadem evaſio ſecundùm duplicem modum intelligendi illa decreta: & primo ſecundùm primum.* p. 92.

Punctum IV. *Referuntur & Refelluntur quædam inſtantiæ pro prædicto primo modo explicandi duo decreta allatæ.* p. 93.

Punctum V. *Additur pro corollario nova ratio, qua reijcitur primus ille modus explicandi prædicta duo decreta.* p. 97.

Punctum VI. *Refellitur ſecundus modus explicandi duo decreta, ex eo quod habeat quidpiam inutile, & dedecens Majeſtatem divinam.* p. 98.

Punctum VII. *Refellitur idem ſecundus modus explicandi duo decreta, ex eo quod non concordet cum littera, & cum recta textus intelligentia.* p. 100.

Punct. VIII. *Referuntur & refelluntur quædam inſtantiæ pro ſecundo modo explicandi duo decreta allatæ.* p. 102.

Punctum IX. *Refelluntur quædam aliæ inſtantiæ pro prædicto ſecundo modo allatæ.* p. 106.

Punctum X. *Excluditur tertio eadem evaſio duorum decretorum ex debito explicandi modo Scripturarum Sanctarum.* p. 108.

Punctum XI. *Confirmatur totum argumentum ex prædicto textu ſumptum, per alium illi adjunctum, qui eſt de reprobatione.* p. 111.

Parag. II. *Argumentum II. Proponitur & confirmatur.* p. 116.

Parag. III. *Argumentum III. Proponitur & confirma-*

tur. p. 118.
Parag. IV. *Argumentum quartum proponitur.* p. 121.
Punctum I. *Vis argumenti aperitur.* p. 121.
Punctum II. *Alicui objectioni multipliciter reſpondetur.* p. 123.
Punctum III. *Præcedenti objectioni aliter reſpondetur.* p. 126.
Punctum IV. *Alicui difficultati ex Auguſtino factæ occurritur.* p. 128.
Parag. V. *Argumentum quintum proponitur.* p. 130.
Punctum I. *Vis argumenti aperitur, & uni objectioni reſpondetur.* p. 130.
Punctum II. *Alicui objectioni occurritur, & aliquis locus Scripturæ allatus ſingulariter exponitur.* p. 132.
Parag. VI. *Argumentum ſextum proponitur. Et alicui objectioni occurritur.* p. 134.
Paragr. VII. *Argumentum VII. Proponitur & confirmatur.* p. 135.
Parag. VIII. *Argumentum VIII. Proponitur & confirmatur.* p. 138.
Parag. IX. *Argumentum IX. Proponitur & confirmatur.* p. 140.
Parag. X. *Argumentum decimum proponitur.* p. 141.
Punctum I. *Vis argumenti aperitur, & uni falſæ interpretationi reſpondetur.* p. 142.
Punctum II. *Referuntur quædam falſæ interpretationes Eſtii, & prima hic reſpondetur.* p. 144.
Punctum III. *Duabus aliis falſis Eſtij interpretationibus ſatisfit.* p. 147.
SECTIO VII. *Probationes ex rationibus è Sacra Scriptura depromptis,* p. 149.
Parag. I. *Prima ratio proponitur.* p. 140.
Punctum I. *Vis rationis aperitur, & confirmatur.* p. 140.
Punctum II. *Quibuſdam oppoſitionibus ſatisfit.* p. 151.
Parag. II. *Secunda ratio proponitur.* p. 154.
Punctum I. *Vis rationis aperitur, & cuidam oppoſitioni Ianſeny ſatisfit.* p. 154.
Punctum II. *Eadem ratio authoritate D. Auguſtini & D. Thomæ communitur & primò hic autoritate D. Auguſtini defenditur.* 157.

Punctum III. *Cuidam Ianſenianæ oppoſitioni reſpondetur.* p. 163.
Punctum IV. *Quo ſenſu dixerit Auguſtinus Deum nolle multos paruulos ſalvari.* p. 166.
Punctum V. *Quo ſenſu dixerit Auguſtinus non omnes Deum velle ſalvos fieri.* p. 171.
Punctum VI. *Eadem ratio authoritate D. Thomæ defenditur.* p. 177.
Punctum VII. *Locus Apoſtoli, ubi dicitur quod Deus vult omnes ſalvos fieri, contra calumnias adverſariorum de novo aſſeritur.* p. 181
Punctum VIII. *Locus Apoſtoli ubi dicitur, quod Chriſtus eſt Salvator omnium, contra calumnias adverſariorum, pro noſtra ſecunda ratione aſſeritur.* p. 184.
Punctum IX. *Locus Apoſtoli ubi dicitur, quod Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, contra calumnias adverſariorum pro noſtra ſecunda ratione aſſeritur.* p. 186.
Punctum X. *Diverſa Ianſenij contra prædictam rationem præjudicia refelluntur.* p. 189.
Punctum XI. *Ex dictis elicitur prædeſtinatio ad gloriam poſt præviſa merita, & quibuſdam oppoſitionibus reſpondetur.* p. 190.
Punctum XII. *Quibuſdam alijs in contrarium oppoſitionibus occurritur & oſtenditur per illas negari gratias vere ſufficientes pro reprobis.* p. 192.
Parag. III. *Ratio tertia proponitur, & firmatur.* p. 196.
Parag. IV. *Tres aliæ rationes proponuntur, ſcilicet 4. 5. & 6.* p. 200.
Parag. V. *Ratio ſeptima proponitur, & confirmatur.* p. 201.
Parag. VI. *Ratio octava proponitur, & confirmatur.* p. 204.
Parag. VII. *Ratio nona proponitur, & confirmatur.* p. 206.
Parag. VIII. *Ratio decima proponitur, & confirmatur.* p. 208.
Parag. IX. *Proponitur undecima Ratio ſumpta ab inconvenientijs quæ ſequuntur ex oppoſita ſententia.* p. 210.
Punctum I. *Tria priora inconvenientia proponuntur, & probantur.* p. 210.
Punctum II. *Poſteriora duo inconvenientia proponuntur, & probantur.* p. 213.

SECTIO. VIII. *Probatio ultima ex ſenſu Eccleſiæ in Conciliis, vel aliter nobis apparente.* p. 218.
Parag. I. *Senſus Eccleſiæ pro noſtra ſententia, petitus ex Concilijs proponitur, & confirmatur.* p. 218.
Parag. II. *Senſus Eccleſiæ pro noſtra ſententia, petitus ex alijs indicijs, proponitur, & confirmatur.* p. 222.

SECVNDA PARS

COMPLECTENS OBIECTIONES contra præcedentem doctrinam cum Solutionibus ſuis.

SECTIO I. *OBIECTIONES ex Scripturis Sacris.* pag. 225.
PARAG. I. *Objectio prima proponitur.* p. 225.
Punctum I. *Prima Reſponſio profertur, & confirmatur.* p. 225.
Punctum II. *Reſponſio ſecunda profertur, & alicui alteri textui reſpondetur.* p. 227.
Parag. II. *Objectio ſecunda proponitur.* p. 229.
Punctum I. *Tres Reſponſiones proponuntur.* p. 229.
Punctum II. *Vera textus expoſitio proponitur, & defenditur ex D. Auguſtino & D. Thoma.* p. 230.
Punctum III. *Eadem expoſitio confirmatur rationibus.* p. 231.
Parag. III. *Objectio tertia proponitur, & confutatur.* p. 233.
Parag. IV. *Objectio quarta proponitur, & confutatur.* p. 234.
Parag. V. *Objectio quinta proponitur.* p. 236.
Punctum I. *Eidem obiectioni reſpondetur.* p. 236.
Punctum II. *Alicui inſtantiæ Eſtij ſatisfit.* p. 238.
Punctum III. *Alteri inſtantiæ Eſtii ſatisfit.* p. 240.
Punctum IV. *Similis præcedentibus locus explicatur.* p. 242.
Punctum V. *Alicui difficultati quæ fieri poſſet ex Auguſtino, occurritur.* p. 244.
Punctum VI. *Alia generalis ſolutio præcedentibus textibus adhibetur.* p. 245.

Parag. VI. *Obiectio ſexta proponitur.* p. 247.
Punctum I. *Eidem obiectioni reſpondetur.* p. 247.
Punctum II. *Quibuſdam inſtantiis ſatisfit.* p. 248.
Punctum III. *Alteri inſtantiæ ſatisfit, & textui obiecto alia reſponſio adhibetur.* 250.
Parag. VII. *Obiectio ſeptima proponitur, & multipliciter ei reſpondetur.* p. 251.
Parag. VIII. *Obiectio octava proponitur.* p. 254.
Punctum I. *Reſponſio prima proponitur, & exponitur.* p. 254.
Punctum II. *Eadem reſponſio multiplici ratione probatur.* p 255.
Punctum III. *Quædam objectio Eſtij ſolvitur.* p. 257.
Punctum IV. *Quædam inſtantia Eſtii diſſolvitur, & tertia ratio additur.* p. 258.
Punctum V. *Quædam oppoſitio Eſtij contra prædictam primam reſponſionem noſtram diſſolvitur, & aliquæ aliæ reſponſiones afferuntur.* p. 260.
Punctum VI. *Quædam evaſio Eſtii præcluditur.* p. 261.
Punctum VII. *Additur pro corollario generalis totius textus explicatio contra prædeſtinationem ad gloriam ante præviſa merita.* p. 265.
Parag. IX. *Objectio nona proponitur.* p. 267.
Punctum I. *Duæ priores reſponſiones proferuntur, & explicantur.* p. 268.
Punctum II. *Cuidam incidenti objectioni occurritur, & tertia reſponſio profertur.* p. 271.
Punctum III. *Vltima reſponſio profertur, & late explicatur.* p. 272.
Parag. X. *Tres ſequentes objectiones proponuntur, & multipliciter ſolvuntur.* p. 275.
Paragr. XI. *Objectio decima tertia proponitur.* p. 279.
Punctum I. *Eidem objectioni reſponſio adhibetur, contrariuſque nobis Eſtius confutatur.* p. 279.
Punctum II. *Eadem reſponſio multipliciter firmatur, & alij quidam loci Scripturæ ſimiliter explicantur de cognitione mere ſpeculatiua.* p. 281.
Paragr. XII. *Obiectio decima quarta proponitur, & confutatur.* p. 283.

Parag. XIII. *Duæ ſequentes obiectiones proponuntur, & ſolvuntur.* p. 285.

Parag. XIV. *Objectio decimaſeptima proponitur, & ſolvitur,* p. 288.

Parag. XV. *Obiectio decima octava proponitur.* p. 289.

Punctum I. *Duæ priores reſponſiones adhibentur, & confirmantur.* p. 290.

Punctum II. *Tres aliæ reſponſiones proferuntur, & explicantur.* p 292.

Parag. XVI. *Proponitur objectio decimanona, quæ eſt de prædeſtinatione, & de prædeſtinatis.* p. 294.

Punctum I. *Oſtenditur quod qui prædeſtinatus eſt ad ſolam gratiam, vere prædeſtinatus dici poteſt contra Ianſenium.* p. 294.

Punctum II. *Oſtenditur quod loci Scripturæ in præcedentibus objectionibus allati meliùs intelliguntur de prædeſtinatis & prædeſtinatione ad gratiam, quàm ad gloriam.* p. 299.

Punctum III. *Oſtenditur contra Ianſenium duplicem prædeſtinationem agnoviſſe Auguſtinum; unam ad gratiam, alteram ad gloriam; & primo ex definitionibus prædeſtinationis ab Auguſtino traditis.* p. 302.

Punctum IV *Idem probatur diverſis aliis modis & rationibus.* p. 306.

SECTIO II. *Obiectiones ex Patribus; ſed precipuè ex Auguſtino, & Diſcipulis eius.* p. 311.

Parag. I. *Obiectio prima proponitur.* p. 311.

Punctum I. *Reſpondetur obiectioni, primò in genere.* p. 312.

Punctum II. *Reſpondetur obiectioni ſecundò in ſpecie, explicando priores partes textus obiecti.* p. 312.

Punctum III. *Explicantur poſteriores partes textus obiecti, & adhuc in genere eidem obiectioni reſpondetur.* p. 316.

Punctum IV. *Cuidam inſtantiæ Ianſenii ſatisfit, & oſtenditur, Semipelagianos nullam habuiſſe difficultatem circa numerum definitum electorum ad gloriam, ut ſic; ſed tantum electorum ad gra-*

tiam, ut ſic, ſeu formaliter ut ad gratiam electorum, & non aliter. p. 318.

Paragr. II. *Obiectio ſecunda proponitur.* p. 323.

Punctum I. *Duæ reſponſiones proferuntur, & confirmantur.*

Punctum II. p. 324.

Punctum II. *Secunda reſponſio amplius confirmatur.* p. 326.

Punctum III. *Tertia reſponſio profertur, & confirmatur.* p. 329.

Parag. III. *Obiectio tertia proponitur.* p. 332.

Punctum I. *Duæ priores reſponſiones proferuntur, & explicantur.* p. 333.

Punctum II. *Reſponſio tertia profertur & explicatur, contrariuſque Ianſenius confutatur.* p. 336.

Punctum III. *Quædam inſtantia Ianſenii ſolvitur: quartaque reſponſio profertur, & explicatur.* p. 340.

Parag. IV. *Objectio quarta proponitur, & ſolvitur.* p. 344.

Parag. V. *Obiectio quinta proponitur, & ſolvitur.* p. 347.

Parag. VI. *Obiectio ſexta proponitur.* p. 350.

Punctum I. *Reſponſio prima proponitur, & explicatur.* p. 351.

Punctum II. *Reſponſio ſecunda profertur, & exponitur.* p. 353.

Punctum III. *Tres ultimæ reſponſiones proponuntur, & explicantur.* p. 357.

Parag. VII. *Tres ſequentes proponuntur, & ſolvuntur objectiones, ſcilicet ſeptima, octava & nona.* p. 360.

Parag. VIII. *Decima proponitur, & ſolvitur Obiectio.* p. 364.

Parag. IX. *Vndecima proponitur Obiectio.* p. 368.

Punctum I. *Prima pars Obiectionis ſolvitur.* p. 368.

Punctum II. *Secunda pars Obiectionis ſolvitur.* p. 370.

Parag. X. *Duodecima proponitur obiectio.* p. 374.

Punctum I. *Propoſita Objectionis Solutio profertur.* p. 374.

Punctum II. *Præcedentis Obiectionis confirmationi occurritur.* p. 378.

Parag. XI. *Decimatertia proponitur Obiectio.* p. 384.

Punctum I. *Primò reſpondetur in genere.* p. 384.

Punctum II. *Secundò reſpondetur in ſpecie; & primò de fide & baptiſmo: quod non ſunt ex prædeſtinatione ad gloriam.* p. 385.

Punctum III. *Reſpondetur ſecundò de medicina Paſſionis Do-*

mini, & de correptione ſalutari, quod non ſunt ex prædeſtinatione ad gloriam. p. 388.
Punctum IV. *Reſpondetur tertiò de perſeverantia, quod non eſt ex prædeſtinatione ad gloriam.* p. 391.
Punctum V. *Aliter oſtenditur perſeverantiam electorum non eſſe ex prædeſtinatione ad gloriam.* p. 394.
Punctum VI. *Vniverſali cuidam ſupradictorum probationi reſpondetur, & quidam neglectus locus exponitur.* p. 398.
Parag. XII. *Decimaquarta proponitur Obiectio.* p. 401.
Punctum I. *Huic Obiectioni reſpondetur in genere.* p. 402.
Punctum II. *Eidem Obiectioni reſpondetur in ſpecie: & primò quod negatio prædeſtinationis ad gloriam non eſt cauſa negationis perſeverantiæ in reprobis.* p. 403.
Punctum III. *Reſpondetur ſecundò quod negatio prædeſtinationis ad gloriam, non eſt cauſa negationis pænitentiæ, vel fidei in reprobis.* p. 406.
Punctum IV. *Quibuſdam generalibus ſupradictorum probationibus reſpondetur.* p. 409.
Punctum V. *Quibuſdam aliis generalibus ſupradictorum probationibus reſpondetur.* p. 413.
Parag. XIII. 15. *Proponitur obiectio, ſumpta ex vocatione ſecundum propoſitum.* p. 416.
Punctum I. *Quædam præmittuntur ad veram ſolutionem.* p. 417.
Punctum II. *Vera ſolutio profertur, & explicatur.* p. 419.
Parag. XIV. *Decima ſexta proponitur obiect. ſumpta ex querelis Maſſilienſium, quaſi facta fuiſſent contra prædeſtinationem ad gloriam ante præviſa merita, quod probatur eſſe falſum.* p. 423.
Punctum I. *Vera ſolutio profertur, & explicatur: Et oſtenditur Semipelagianos nunquam paſſos eſſe difficultatem circa prædeſtinationem ad gloriam, ut ſic; ſed tantum circa prædeſtinationem ad gratiam.* p. 424.
Punctum II. *Duplicem difficultatem paſſi ſunt Semipelagiani circa doctrinam Auguſtini de prædeſtinatione & gra-*

& gratia, unam imaginariam, alteram autem veram. p. 427.

Punctum III. *Explicatur fundamentum veræ difficultatis Semipelagianorum circa doctrinam Auguſtini, de prædeſtinatione & gratia: & tandem concluditur tota Solutio.* p. 431.

Punctum IV. *Ex dictis ad præcedentes objectiones infertur difficillimum eſſe, ſecùs quam plerique putant oſtendere ex Auguſtino, prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante prævisa merita.* p. 434.

Paragr. XV. *Decimaſeptima proponitur & ſolvitur Objectio, multas in ſe complectens breves Objectiones quæ breviter ſolvuntur.* p. 436.

Punctum I. *Reſpondetur argumentis, ex libro de prædeſtinatione Sanctorum ſumptis, in prædicta Epitome.* p. 436.

Punctum II. *Reſpondetur aliis ex eodem libro ſumptis argumentis, & aliis miſcellaneis; oſtenditurque eſſe falſum quod Auguſt. diſputarit in illo libro de prædeſtinatione ad gloriam, ratione gratiæ, ut ex illâ prædeſtinatione oriundæ.* p. 447.

Punctum III. *Reſpondetur reliquis ex eodem libro ſumptis argumentis, oſtenditurque eſſe falſum quod Auguſtinus cenſuerit prædeſtinationem ad gloriam factam eſſe ante præviſum Adæ peccatum.* p. 452.

Parag. XVI. *Decima octava proponitur & ſolvitur Objectio: multas alias continens diſparatas Objectiones, ex quarum Solutione magis ac magis apparebit puriſſima Auguſtini doctrina de prædeſtinatione & gratia.* p. 460.

Punctum I. *Oſtenditur poſitive contra Petavium, nunquam diſputaſſe formaliter Auguſtinum de prædeſtinatione ad gloriam; ſed tantum de prædeſtinatione ad gratiam.* p. 461.

Punctum II. *Oſtenditur adhuc poſitive contra Petavium; nunquam diſputationem formalem fuiſſe inter Auguſtinum & Pelagium de prædeſtinatione ad*

gloriam , ſed tantum de prædeſtinatione ad gratiam. *p* 463

Punctum III. *Explicatur quidam locus Auguſtini , qui Petavio viſus eſt doctrinæ proxime traditæ contrarius: ſimulque* 1. *illius Argum. quod à loco iſto ſumptum eſt, diſſolvitur.* *p.* 468.

Punctum IV. *Cuidam confirmationi prædicti textus à Petavio propoſitæ occurritur, & alius Auguſtini locus exponitur.* *p.* 474.

Punctum V. *Cuidam Petavii quæſito ſatisfit, & de quâ tandem gratiâ cum Pelagio diſputarit Auguſtinus, explicatur.* *p* 478.

Punctum VI. *Duo ſequentia Petavii argumenta , ſcilicet* 2. *&* 3. *proponuntur & ſolvuntur.* *p.* 482.

Punctum VII. *Argumentum quartum Petavii ſolvitur , oſtenditurque quid ſit illa diſcretio de qua ordinariè loquitur Auguſtinus.* *p.* 486.

Punct. VIII. *Duo ſequentia Petavii proponuntur & ſolvuntur argumenta, ſcilicet quintum & ſextum.* *p.* 489.

Punctum IX. *Septimum Petavii proponitur & ſolvitur argumentum de vocatione ſecundum propoſitum.* *p.* 492.

Punctum X. *Octavum Petavii proponitur & ſolvitur argumentum , & explicatur quid ſit Deum nolle aliquos ſalvos fieri , ſecundùm Auguſtinum.* *p.* 494.

Punctum XI. *Nonum proponitur Petavii , & ſolvitur argumentum de duobus fratribus , Iacob & Eſaü.* *p.* 499.

Punctum XII. *Duo ſequentia Petavii proponuntur & ſolvuntur argumenta , ſcilicet* 10. *&* 11. *p.* 503

Punct. XIII. 12. *Proponitur & ſolvitur argumentum , & oſtenditur contra Petavium, falsò imponi Auguſtino quod cenſuerit reprobationem, tam poſitivam quam negativam , factam fuiſſe ante præviſa peccata actualia.* *p* 504.

Punct. XIV. *Quibuſdam inſtantiis contra præcedentem doctrinam à Petavio allatis , ſatisfit : & primò*

prima quæ eſt de duobus fratribus Iacob ſcilicet & Eſaü, in exemplum prædictæ reprobationis adductis. p. 509.

Punctum XV. *Cæteris ſatisfit Petavii inſtantiis, quæ ſunt de nomine pœnæ & ſupplicii: & de relictione in maſſa damnationis. Vbi & alia generalis omnium præcedentium ſolutio profertur.* p. 513.

Punct. XVI. *Poſtremum Petavii ſolvitur argumentum petitum ex prædeſtinatione & reprobatione parvulorum, ſecundùm Auguſtinum.* p. 515.

Punct. XVII. *Defenditur contra Petavium aliquis locus Auguſtini pro prædeſtinatione ad gloriam poſt præviſa merita, ex libro primo ad Simplicianum ſumptus.* p. 516.

Punct. XVIII. *Defenditur contra Petavium locus Auguſtini ex Sermone 7. de verbis Domini ſumptus, pro prædeſtinatione ad gloriam poſt præviſa merita.* p. 521.

Punct. XIX. *Defenditur contra Petavium quoddam Argum. ex dictis Auguſtini ſumptum, pro prædeſtinat. ad gloriam poſt præviſa merita, & oſtenditur illud eſſe rectum & legitimum.* p. 524.

Parag. XVII. *Decimanona proponitur & ſolvitur Object. petita ex authoritate D. Fulgentii Auguſtini Diſcipuli.* p. 527.

Punctum I. *Primus textus exponitur.* p. 527.

Punctum II. *Secundus ejuſdem Fulgentij D. Auguſtini Diſcipuli textus exponitur.* p. 529

Parag. XVIII. *Proponitur & ſolvitur Object. vigeſima, ex authoritate S. Proſperi alterius D. Auguſtini Diſcipuli petita.* p. 531

Parag. XIX. *Duæ ſequentes proponuntur & ſolvuntur Objectiones, ſcilicet 21. ex authoritate D. Bernardi petita, & 22. ex D. Leone.* p. 535.

Parag. VLT. *Vigeſima tertia proponitur & ſolvitur Objectio, ſumpta ex D. Gregorio Magno.* p. 537.

SECT. III. *Objectiones ex ratione.* p. 540.

õ y

Parag. I. *Duæ primæ Objectiones proponuntur & ſolvuntur.* p. 540.

Punctum I. *Prior Objectio proponitur, ſumpta ex ratione finis, & ei quadrupliciter reſpondetur.* p. 540.

Punctum II. *Explicantur quædam D. Auguſtini & D. Thomæ teſtimonia, in confirmationem prædictæ objectionis allata.* p. 542.

Punctum III. *Poſterior duarum objectio ſumpta ex ratione effectuum proponitur & ſolvitur.* p. 545.

Parag. II. *Tertia Object. proponitur ſumpta ex ratione mediorum.* p. 546.

Punctum I. *Propoſitæ Objectioni dupliciter reſpondetur.* p. 547.

Punctum II. *Secunda reſponſio explicatur, & œconomia dandarum gratiarum aperitur.* p. 548.

Punctum III. *Eadem œconomia dandarum gratiarum amplius declaratur.* p. 549.

Punctum IV. *Prædicta dandarum gratiarum œconomia ab omnibus inconvenientiis defenditur, & omnibus Chriſtianæ Religionis fundamentis convenientiſſima demonſtratur* p. 551.

Punctum V. *Quædam incidens de abſtractivis Dei actibus difficultas exolvitur.* p. 553.

Punctum VI. *Quædam contra prædictam doctrinam inſtantiæ proponuntur, & ſolvuntur.* p. 555.

Punctum VII. *Occaſione cujuſdam inſtantiæ, clare oſtenditur ſuprædictam gratiarum œconomiam, & inſtantium ordinationem, non ſine gravi ratione eſſe prolatam.* p. 558.

Punct. VIII. *Ex mox dictis quidam Scripturæ locus obiter exponitur; Tum prædicta omnia concluduntur, & extremo tandem cuidam ſcrupulo occurritur.* p. 561.

Parag. III. *Objectio quarta proponitur & ſolvitur: & modus quo Deus dat, aut negat primam gratiam, ſingulariter exponitur.* p. 563.

Parag. IV. *Objectio quinta proponitur.* p. 568.

Punctum I. *Propoſitæ ſatisfit Objectioni, & oſtenditur non noſipſos ſolos, ſed Deum ipſum nos diſcernere in ordine ad gloriam, in eâ prædeſtinatione quæ eſt ex præviſis meritis.* p. 568.

Punctum II. *Quædam refellitur Ianſenij doctrina ſupradictis contraria, & oſtenditur contra eum, non minus Deum prædeſtinaſſe meritum Angelorum, quam lapſorum hominum in ſenſu Auguſtini.* p. 572.

Punctum III. *Inſtantia quædam quæ fieri poſſet pro Ianſenio, refellitur; & oſtenditur contra eum, quod Deus non ſolùm dedit Angelis habitus bonos; ſed etiam actus bonos, & ipſam perſeverantiam.* p. 577.

Punctum IV. *Oſtenditur falſum eſſe quod plus requiratur ad eſſe prædeſtinatum, quam eſſe prædeſtinatum ex præviſis meritis: Et proinde verum eſſe quod Angeli non minus dicendi ſunt prædeſtinati, quam homines lapſi.* p. 580.

Punctum V. *Reijcitur quædam falſa ratio Ianſenij, cur Dæmones non dicũtur abſolute prædeſtinati. Et præterea oſtenditur quod Angeli boni non minus rectè dici poſſunt prædeſtinati, quam præſciti: & homines lapſi, non minus præſciti quam prædeſtinati.* p. 583.

Parag. V. *Objectio ſexta proponitur.* p. 586.

Punctum I. *Objectioni propoſitæ duæ priores ſolutiones adhibentur, & obiter oſtenditur Deum habere rationem quarumdam circunſtantiarum in diſtribuendis ſuis gratiis efficacibus.* p. 586.

Punctum II. *Multifariè multiſque modis oſtenditur Deum dare ſuam gratiam efficacem bonæ indolis hominibus potius quam aliis, ſine præiudicio gratiæ.* p. 589.

Punctum III. *Quibuſdam inſtantijs contra præcedentem doctrinam allatis ſatisfit.* p. 592.

Punctum IV. *Tres poſteriores ſolutiones adhibentur, ſimulque confirmantur.* p. 595.

Parag. VI. *Obiectio ſeptima proponitur & ſolvitur cum ſuis inſtantiis.* p. 598.

Parag. VII. *Objectio octava proponitur & ſolvitur.* p. 599.

Parag. VIII. *Duæ ſequentes Obiectiones, ſcilicet 9. & 10. proponuntur & ſolvuntur:* p. 605.

Parag. IX. *Duæ ſequentes Obiectiones, ſcilicet 11. & 12. proponuntur & ſolvuntur.* p. 608.

Parag. X. *Decimatertia proponitur Objectio, quæ eſt de naturâ medicinalis gratiæ Chriſti.* p. 613.

Punctum I. *Prædictæ ſatisfit Objectioni, & cuidam etiam eius confirmationi.* p. 614.

Punctum II. *Quibuſdam Auguſtini teſtimoniis probatur indifferentia noſtræ voluntatis ſub gratia, contra Object. prædictam.* p. 617.

Punctum III. *Quæ ſit illa indifferentia hominis ſub gratia, & quomodo differat ab indifferentia Adæ ſub ſua.* p. 627.

Punctum IV. *Quibuſdam inſtantiis Ianſenij contra prædictam lapſi hominis ſub gratia indifferentiam factis, ſatisfit.* p. 633.

Punctum V. *Aliquibus aliis ſatisfit inſtantiis eiuſdem Ianſenij, & oſtenditur contra eum verum & proprie dictum meritum eſſe in homine lapſo, ſicut fuit in Adamo.* p. 637.

Punctum VI. *In quo formaliter conſiſtat majoritas gratiæ lapſi hominis ſupra gratiam Adami, ſecundùm Auguſtinum.* p. 641.

Punctum VII. *Eiuſdem materiæ proſecutio.* p. 647.

Punctum VIII. *Quibuſdam inſtantiis contra præcedentem doctrinam factis reſpondetur, & tota hæc materia concluditur.* p. 652.

Punctum IX. *Aliquibus aliis difficultatibus ſatisfit contra gratiam indifferentem factis.* p. 656.

Punctum X. *Oſtenditur contra Ianſenium gratiam poſſibilitatis Pelagianorum longe aliam eſſe quam ipſe cenſuit, & eſſe ſolùm gratiam intellectus.* p. 659.

Parag. XI. *Oſtenditur contra Ianſenium, quod poſſibilitas*

Pelagij non erat gratia indifferens in voluntate hominis; ſed ipſamet ejus voluntas, ſeu ipſummet ejus arbitrium. p. 663.

Punctum XII. *Eadem veritas aliis rationibus probatur* p. 667.

Punct. XIII. *Eadem veritas alijs adhuc rationibus probatur.* p. 672.

PunctumXIV. *Supradicta firmantur unico, eoque efficaciſſimo Auguſtini teſtimonio, & obiter explicatur quid ſit arbitrium ſibi ſubijcere gratiam, & eam pediſſequam facere ſecundum Auguſtinum.* p. 678.

Punctum XV. *Cuidam inſtantiæ occurritur, & multis teſtimonijs oſtenditur Auguſtinum non ſemper dediſſe actum ſuæ gratiæ; ſed ſæpe ſimplicem potentiam, ſeu nudam poſſibilitatem.* p. 681.

PunctumXVI. *Rationibus probatur, Auguſtinum noluiſſe actum eſſe intrinſecum ſuæ gratiæ, ſed ſolam potentiam.* p. 684.

Punct. XVII. *Quibuſdam Ianſenii inſtantiis contra præcedentem doctrinam factis reſpondetur; & indicatur duplex gratia, quarum una datur omnibus, altera vero non, ſecundum Auguſtinum.* p. 690.

Punct. XVIII. *Aliis Ianſenianis reſpondetur inſtantiis.* p. 697.

Punct. XIX. *Aliquæ aliæ Ianſenii inſtantiæ ſolvuntur, & quædam etiam phraſes Auguſtinianæ exponuntur, ſecundum verum earum ſenſum, contra eumdem Ianſenium.* p. 704.

Punctum XX. *Ejuſdem materiæ proſecutio.* p. 708.

Punct XXI. *Multæ aliæ phraſes Auguſtinianæ exponuntur ſub nomine proprietatum gratiæ à Ianſenio nobis objectæ.* p. 714.

Punct. XXII. *Proſecutio explicationis Auguſtinianarum phraſium ſub nomine proprietatum gratiæ propoſitarum.* p. 718.

Punct. XXIII. *Aliqua alia Ianſenij argumenta pro gratia determinante arbitrium rejiciuntur & confutantur.* p. 724.

Punct. XXIV. *Reliquæ Ianſenii inſtantiæ ſolvuntur, & obiter aliqua Eccleſiæ oratio exponitur, quæ videtur aliquibus inferre gratiam determinantem.* p. 729.

Paragr. XI. *Duæ Poſtremæ objectiones proponuntur & ſolvuntur, totumque opus concluditur.* p. 737.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1896

DE

DE PRÆDESTINATIONE HOMINVM AD GLORIAM, DISPVTATIO THEOLOGICA.

In qua clarè demonſtratur Prædeſtinationem illam factam eſſe poſt præviſa merita, idque potiſſimùm ex doctrina D. Auguſtini, & Angelici Doctoris.

PRIMA PARS,

COMPLECTENS CONCLVSIONEM, cum probationibus ſuis.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1858

SECTIO PRIMA.

Totius operis aſſertio, ejuſque explicatio.

ANTEQVAM univerſalem totius hujus diſputationis proponam aſſertionem : duo tantum annotabo, quæ huic diſputationi ſunt apprime neceſſaria : unum eſt, prædeſtinationem hominum de qua hîc, nihil aliud eſſe quam deſtinationem hominum in aliquem finem ſupernaturalem antequam ipſi exiſtant, vel ſint in rerum natura ; particula enim, *præ*, quæ ibi ponitur ante deſtinationem, non ſignificat, ut etiam notant hîc omnes Theologi, anteceſſionem meritorum aut aliorum quorumcumque ; ſed tantum anteceſſionem decreti deſtinantis, reſpectu illius qui *Quomodo prædeſtinatorus, niſi*

quando non eras, quid Deo dediſti; quando qui aliquid dares non eras? Quid ergo fecit Deus quando prædeſtinavit qui nō erat? Aug. ſer. 16. de verbis Apoſtoli.

deſtinatus eſt in aliquem finem, ita quod prædeſtinatio nihil aliud ſit, quam deſtinatio hominum in aliquem finem ſupernaturalem, antequam ipſi exiſtant: & ſi finis ille ſit gratia, erit prædeſtinatio ad gratiam; ſi vero ſit gloria, erit prædeſtinatio ad gloriam.

Alterum quod hîc annotari velim, eſt, prædeſtinationem tripliciter hîc ſumi poſſe. 1° pro prædeſtinatione ad gratiam ſimpliciter, ſeu ad gratiam nude, & ſolitarie ſumptam. 2° pro prædeſtinatione ad gloriam etiam ſimpliciter, ſeu nude & ſolitarie ſumptam. 3° pro prædeſtinatione ad gratiam ſimul & ad gloriam: nam cum ibi ſint diverſi termini, ita & diverſæ debent eſſe definitiones & eſſentiæ: nam aliud eſt prædeſtinare ad gratiam, aliud prædeſtinare ad gloriam, & aliud prædeſtinare ad utramque: & per conſequens aliud eſt prædeſtinatio ad gratiam, aliud prædeſtinatio ad gloriam, & aliud prædeſtinatio ad utramque, quod valde notandum eſt, & omnino memoriæ commendandum, ne in toto decurſu diſputationis laboretur in æquivoco, & uni prædeſtinationi tribuatur, quod ſoli convenit alteri, aut uni perperam denegetur, quod merito ſoli denegatur alteri, ſed unicuique tribuatur quod illi conveniens eſt, & etiam denegetur quod illi diſconveniens eſt, & ita in hac noſtra diſputatione, perſpicua, & clara, & vera ſint omnia.

infra patebit ex D. Thom. diſtinctionē iſtam eſſe neceſſariā.

Concluſio.

His igitur poſitis & prælibatis, ſit unica concluſio. Veriſſima illa ſententia eſt quæ tenet, noſtram prædeſtinationem ad gloriam nude, & ſolitarie ſumptam, & prout condiſtinctam à prædeſtinatione ad gratiam, factam eſſe poſt præviſa merita noſtra omnia ſupernaturalia, ſeu à gratia voluntatem præveniente, & præexcitante adæquate profecta, quàm concluſionem ut evidentior & verior appareat per partes explicabimus.

Dixi prædeſtinationem ad gloriam nude, & ſolitarie ſumptam, & prout con-diſtinctam à prædeſtinatione ad gratiam: nam ſi prædeſtinatio conſideratur, ut ad gratiam ſimul & ad gloriam, cum in illa conglobata prædeſtinatione contineatur prædeſtinatio ad gratiam, quæ ſine ulla dubitatione, eſt ante præviſa merita, ideo non eſt univerſaliter verum quod prædeſtinatio illa ſit poſt præviſa merita, cum in ea contineatur illa, quæ eſt ante præviſa merita: & ideo loquimur tantum de prædeſtinatione ad gloriam nude, & ſolitarie ſumptam & prout condiſtinctam à prædeſtinatione ad gratiam.

Mihi vero valde veriſimile videtur eſſe, quod antiqui omnes qui tenuerunt prædeſtinationem eſſe ante præviſa merita, locuti ſunt de illa conglobata prædeſtinatione prout gratiam ſimul complectitur & gloriam, cum vix eorum ulli bene diſtinguant inter prædeſtinationem ad gratiam & prædeſtinationem ad gloriam, ſed de utraque promiſcue, & ut ita dicā conglobate diſputent. Unde D. Thomas in c. 8. ad Rom. lect. 6. circa medium: loquens obiter de prædeſtinatione ad gloriam nude, & ſolitarie ſumptam, & prout condiſtinctam à prædeſtinatione ad gratiam ait: Circa ordinem autem præſcientiæ, & prædeſtinationis, dicunt qui-

Opinio D. Thom. circa noſtrā quæſt. ut eam proponimus.

dam quod præſcientia meritorum bonorum, & malorum, eſt ratio prædeſtinationis, & reprobationis, ut ſcilicet intelligatur, quod Deus prædeſtinet aliquos, quia præſcit eos bene operaturos, & in Chriſtum credituros, & ſecundum hoc littera ſic legitur: Quos præſcivit conformes fieri imaginis filii ejus, hos prædeſtinavit, & hoc quidem rationabiliter diceretur (nota valde) ſi prædeſtinatio reſpiceret tantum vitam æternam, quæ datur meritis. Hæc ibi D. Thomas ex quo facile colligere eſt, quod D. Thomas, & alii Antiqui facile admittebant noſtram prædeſtinationem ad gloriam eſſe poſt præviſa merita, ſi ſumeretur nude, & ſolitarie, & prout condiſtincta eſt à prædeſtinatione ad gratiam. Sed quia nolebant ſic ſumi prædeſtinationem, ſed volebant in ea includi gratiam, & gloriam, ideo dicebant conglobatam illam prædeſtinationem eſſe ante præviſa merita, ratione ſcilicet prædeſtinationis ad gratiam quæ fit ante merita. Unde & proſequitur D. Thomas ibidem, dicens: Sed ſub prædeſtinatione cadit omne beneficium ſalutare, quod eſt homini ab æterno præparatum: unde ponere quod aliquod meritum ex parte noſtra præſupponatur, cujus præſcientia ſit ratio prædeſtinationis, nihil eſt aliud quam ponere gratiam dari ex meritis noſtris. Ubi nota valde D. Dhomæ rationem quæ tota ſumitur ex parte gratiæ, & vult eodem modo rem prædeſtinari ac dari. Sic ergo ſumebant Antiqui prædeſtinationem prout includit gratiam, & gloriam, & ideo nolebant eam eſſe ex præviſis meritis, quia gratia, quæ in ea includitur, non datur, nec proinde prædeſtinatur ob merita.

Nota hic magnam differētiam quam ponit D. Thomas inter prædeſtin. ad gloriam nude, & ſolitarie ſumptam, & prædeſtin. ad gratiam ſimul & gloriam: cū de 1. afferat rationabiliter dici poſſe, quod eſt poſt præviſa merita, de 2. vero aſſerat illā eſſe ante præviſa merita.

Neoterici vero voluerunt eam aliter ſumere, & quærere an prædeſtinatio, prout condiſtinguitur à prædeſtinatione ad gratiam, & ſolam includit gloriam, ſit ante, vel poſt præviſa merita: ſeu ſit ſine vel ex præviſis meritis, & ſic cum illis ſolis diſceptatio nobis eſt, & non cum Antiquis, qui ut plurimum ſupponebant ut certum, prædeſtinationem ſi ſumeretur ut ſimpliciter ad gloriam, eſſe ex præviſis meritis, cum gloria daretur ex meritis; ſic ergo eam hîc ſumimus ſcilicet prout eſt prædeſtinatio ad gloriam nudè, & ſolitariè ſumptam.

Trigoſius qui ſcribebat anno 1592. ait in D. Bon. qu. 18. A 6. dubit. 2. hunc quæſt. ſub his terminis à paucis Theologis ſe legiſſe diſputatam. & primum eorum vult fuiſſe Scotū.

Dixi ſecundò: Poſt præviſa merita noſtra omnia ſupernaturalia, ſeu à gratia Chriſti voluntatem præveniente, & præexcitante adæquatè profecta, quia Pelagiani, & Semipelagiani, tenebant illam factam eſſe ex præviſis meritis noſtris naturalibus, ſeu quorum ſaltem initium eſſet à natura & libero arbitrio, non autem quod facta eſſet neceſſario, & univerſaliter ex meritis noſtris omnibus ſupernaturalibus, & à gratia Chriſti voluntatem præveniente & præexcitante adæquatè profectis, unde non poterant dicere quod prædeſtinatio ad gloriam facta eſſet ex præviſis meritis à gratia Chriſti voluntatem præveniente & præexcitante adæquatè profectis, cum ſaltem tenerent initium fidei eſſe à nobis ſolis, & non à prædicta Dei gratia adjutis: quod bene notavit Alvares in Summa lib. 1. cap. 1. num. 7. Illi enim Pelagiani de vano humanæ & Paganicæ Philoſophiæ vento inflati non poterant co-

Idem habet in diſp. 1. de auxiliis divina gratia.

gitatione aſſequi, poſſe ullo modo conſiſtere liberum hominis arbitrium, & proinde meritum, ſi tam ad incipiendum, quam ad perficiendum quodcumque opus bonum, gratia Dei neceſſario indigeret: unde & dicebant apud Hieron. epiſtola ad Cteſiphontem, paulo ante medium. Fruſtra dedit (Deus) arbitrii poteſtatem quam implere non poſſum, niſi ipſe me ſemper adjuverit: & paulo infra. Si alterius ope indigeo, libertas arbitrii in me deſtruetur. Et apud Auguſtinum libro de geſtis Pelagii ſub finem, aiunt Pelagiani, quod non ſit liberum arbitrium, ſi indigeat auxilio Dei, quoniam propriam voluntatem habeat unuſquiſque, aut facere aliquid, aut non facere: & illa erat ratio cur numquam gratiam Dei ad totum opus bonum neceſſariam eſſe admitterent, ſed ſaltem ejus initium ſibi, & ſuis viribus reſervarent ut liberum arbitrium defenderent. Sed quia id perfecte ſcire magni momenti eſt ideo illud demonſtrandum eſt in ſequenti ſectione.

Nota hic veram & genuinam rationem cur Pelagiani rejiciebant gratiã ab Auguſtino iis prædicatã: quia nempe non putabant arbitrium eſſe liberũ ſi indigeret aliqua gratia in voluntate qualiſcumque illa eſſet ſi neceſſaria eſſet ad agẽdum: cũ putarent tunc tãtum voluntatem eſſe liberam cum ex ſe, & in ſe haberet omnia ad agendum requiſita ſine ope alterius.

SECTIO II.

Oſtenditur quod hæc concluſio nihil habet commune cum opinione Pelagianorum de gratia.

PELAGIANI maxime veram Chriſti gratiam horruerunt: quapropter primo negarunt omnem gratiam ad quodlibet opus bonum concurrere. 2. cum viderent ſe propter hoc magnam incurriſſe invidiam apud populum Chriſtianum, admiſerunt aliquam, quam ponebant in natura, ſeu libero naturali arbitrio, & in lege atque doctrina quæ eſt gratia intellectus quam rejicit Auguſtinus ut inſufficientem toto libro de gratia Chriſti. 3. admiſerunt aliquam gratiam in voluntate, ſed non ad ſimpliciter; ſed tantum ad facilius agendum, quam etiam rejicit Auguſtinus in eodem libro cap. 27. & 29. & illa damnatur in Concil. Milevit. 2. cap. 5. his verbis: Quicumque dixerit ideo nobis gratiam juſtificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, *facilius* poſſimus implere per gratiam, tanquam etiamſi gratia non daretur, non quidem facile, ſed tamen poſſimus, etiam ſine illa implere divina mandata, anathema ſit. Tandem admiſerunt aliquam gratiam in voluntate etiam neceſſariam, ſed tantum ad perficiendum opus bonum, non autem ad illud inchoandum, ad quod putabant voluntates noſtras per ſe ſufficere orando, pulſando, quærendo, cui poſtea conatui pure humano, gratia Dei ſubjungeretur: unde & condemnati ſunt in Concil. Arauſicano canone 3. his verbis: Si quis ad *invocationem humanam*

Vide D. Auguſtinum l. 2. ad Bonif. c. 8.

gratiæ Dei dicit conferri : non autem ipſam gratiam facere, ut invocetur à nobis, contradicit Iſaiæ Prophetæ, vel Apoſtolo idem dicenti : Inventus ſum à non quærentibus me, palam apparui his qui me non quærebanr: Item & canone 6. his verbis: Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri, non autem divinitus ut credamus, velimus, vel hæc omnia ſicut oporret agere valeamus, per infuſionem & inſpirationem Spiritus ſancti in nobis fieri confiterur, aut humanitati, aut obedientiæ humanæ, ſubjungit gratiæ adjutorium: non autem ut obediens ; aut humillimus ipſius gratiæ donum eſſe conſentit ; reſiſtit Apoſtolo dicenti : Quid habes quod non accepiſti, & gratia Dei ſum id quod ſum.

Hos ſtatus explicui potius ſecundũ ſenſum aliorũ quã meum : exiſtimo enim duos omnino fuiſſe ſtatus Pelagianiſmi, & non amplius. Vnus fuit ſub Pelagio & Celeſtio, nullam prorſus admittentibus gratiam in voluntate neceſſariam ad bene agendum, ſive ad perficiendum, ſive ad incipiendum opus bonum : alter fuit ſub Iuliano, qui quidem admiſit gratiam in voluntate neceſſariam ad perficiendum, non autem ad incipiendum opus bonum: ut habes Auguſt. lib 2. ad Bonif cap 8. reliqua omnia quæ dixerunt, non fuerunt diverſi ſtatus hujus erroris, ſed diverſa ſubterfugia quæ adinvenerunt hujus erroris Authores ad eludenda Catholicorum contra illos argumenta, & ad declinandam invidiam negatæ gratiæ neceſſariæ pro qua male audiebant apud populum Chriſtianum. Quid ; uid ſit, ſi fuerunt quatuor ſtatus iſtius hæreſis, hunc habent ordinem quem aſſignavimus ; quandoquidem tertium de quo aliquod dubium eſſe potuiſſet, ponit Auguſtinus lib. & cap ſup. citat. ad Boniſacium immediatè ante quartum.

Er hic fuit ultimus Pelagianiſmi ſtatus, ur bene notavit Alvares ubi ſupra, ad quod etiam probandum profert duos locos Auguſtini : & tandem ſic air num. 8. Hinc S. Thomas ubicumque referr errorem Pelagii, non aliter eum explicar quàm dicendo, ipſum ſenſiſſe, quod inirium bene operandi eſt ex nobis ſed conſummatio & perfectio eſt à Deo ut videre licet 1. par. quæſt. 23. A. 5. & 2. 2. qu. 6. A. 1. & 3. contra Gentes cap. 149. & quodl. 1. A. 7. Hæc Aluares ibi, & confirmatur, 1. quia hic fuit ſtatus illius hæreſeos ſub Juliano poſteriorum Pelagianorum Principe & Protectore, ut videre eſt, in libris quos ſcripſit D. Auguſtinus contra eum, præcipue libro 4. cap. 8. ubi ſic alloquitur eum Auguſtinus. Sed ponis Apoſtolicum teſtimonium, & ab eo dicis pulſantibus aperiri, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire : ut ſcilicet intelligamus docentibus vobis, ideo non omnes ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire : quia ipſi nolunt petere, cum Deus velit dare : nolunt quærere, cum Deus velit oſtendere : nolunr pulſare, cum Deus velit aperire : ubi manifeſte Julianus ponebat initium boni operis eſſe à nobis petentibus, pulſantibus, quærentibus ; non vero à Deo, vel à gratia ejus, quod poſtea late refutar Auguſtinus.

Pulſantibus intellige per purum liberum arbitrium.

2. Confirmatur ex eo quod ſic explicat iſtam hæreſim Auguſtinus longe poſt illius condemnationem, & in ultimis libris quos edidit contra ejus reliquias ſcilicet Semipelagianos ; indicans in illis libris iſtam hæreſim ſub his verbis : Scilicet quod volebant Pelagiani, gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari : quod idem eſt ac ſi diceret,

Lib de prædeſtin. Sanctorum c. 2. & 14. & li. de don. perſever c. 2. 13. & 16.

quod volebant gratiam Dei, dari petentibus, pulſantibus, & quærentibus nobis, in quo uno ponebant ſupradicta merita boni operis initiativa, Pelagiani.

3. Denique confirmatur ex eo quod huic ſtatui illius hæreſeos, immediate ſucceſſit Semipelagianiſmus ab ea ortus, qui corrigens hanc nimiam generalitatem poſtremi dogmatis Pelagianorum, quod ponebat omne initium boni operis eſſe à nobis, ille ponebat illud ſolùm in fide ſeu credulitate, ita quod fateretur alterius cujuſcumque boni operis initium, eſſe à Deo, præter initium fidei & credulitatis, quod volebat eſſe à nobis. Unde initium habuit Semipelagianiſmus ab iſto fine dogmatis Pelagiani, quod ponebat omne initium boni operis eſſe à nobis, & non à gratia Dei: Semipelagianiſmus autem ponebat aliquod tantum initium boni operis, ſcilicet fidei, & perſeverantiam eſſe à nobis, & non à Deo; cætera autem eſſe à Deo, & non à nobis.

Ex quo manifeſtum eſt Pelagianos, numquam generaliter & adæquatè admiſiſſe gratiam Dei prævenientem, excitantem & moventem voluntatem noſtram ad bonum, ut neceſſariam ad bonos actus, ſalutem noſtram ſpectantes cum vel abſolute negarint omnem gratiam, ut in 1. ſtatu; vel ſolum admiſerint eam in intellectu, ut in 2. vel tantum in voluntate ad facilius agendum, & non ad ſimpliciter ut in 3. vel ſolum voluerint eſſe requiſitam ad perfectionem operis, & non ad inchoationem ejus ut in 4. & ultimo, prout refert Aluares ubi ſupra; & ſic numquam veram Chriſti gratiam quæ ad totum bonum opus neceſſaria eſt, & ad initium, & ad perfectionem ejus, admiſerunt. Unde etiam manifeſtum eſt quod non potuerunt dicere, quòd prædeſtinatio ad gloriam facta eſſet ex præviſis meritis omnibus ſupernaturalibus, & à gratia Chriſti voluntatem præveniente & præexcitante adæquatè profectis, cum ab initio uſque ad finem perſtiterint in hoc errore, quod putarent vel totum bonum opus, & meritum hominis eſſe ab homine, & à puro ejus arbitrio, vel ſaltem initium ejus quod longe eſt à propoſitione noſtra quæ dicit totum bonum opus, & meritum hominis eſſe à Deo, & non ſolum perfectionem ejus, ſed & initium & progreſſum, & omnia quæ ſunt in eo.

Vide uberius explicatam & probatam hanc opinionem Pelagianorum de gratia, in object. 13. ex ratione qua tota eſt de medicinali gratia.

S E C T I O III.

Oſtenditur quod hac concluſio nihil habet etiam commune cum opinione Semipelagianorum de gratia.

SED nec Semipelagiani illud idem potuerunt dicere ſcilicet quod prædeſtinatio noſtra ad gloriam, eſſet univerſaliter, & adæquatè ex præviſis meritis gratiæ, cum ſaltem ipſi vellent initium fidei, ſeu

primum credulitatis affectum eſſe à nobis , & non à Deo , nec ab ejus gratia excitante & adjuvante : & licet aliqui eorum contrarium dicere viſi ſint , in aliquibus ſcriptorum ſuorum locis, dicentes, aliquando converſionem peccatoris eſſe à Deo & à gratia ejus prævenientе ; in aliis tamen locis contrarium aſſeruerunt , dicentes initium fidei , & converſionem hominis eſſe ab homine, & à puro ejus arbitrio: unde numquam conſtanter admiſerunt, aut faſſi ſunt prædictam gratiam prævenientem eſſe neceſſariam ad initium fidei , ſeu converſionem peccatoris, ſed aliquando id tribuerunt gratiæ, aliquando libero hominis arbitrio: quod vigilanter advertendum eſt contra Ianſenium , qui tomo 1. ſui Auguſtini , libro præcipue 8. cap. 7. vult Semipelagianos admiſiſſe gratiam actualem & internam in voluntate ad omnes actus bonos etiam ad initium fidei, non advertens, aut certe diſſimulans quod Semipelagiani ut erant hæretici, ita & fallaces, & ſubdoli, unum in uno loco admittebant, & negabant in altero ut laterent. Cujus evidens exemplum nobis profert D. Proſper in Caſſiano Semipelagiano imo ipſorum Semipelagianorum primipilo , lib. 4. Reſponſionum cap. 2. ubi cum tergiverſationes ejus, quibus nunc dicebat converſionem peccatoris eſſe à Deo , nunc vero ab homine , prolixe explicuiſſet, tandem ſic exclamat ad illum : Doctor Catholice , cur profeſſionem tuam deſeris, (id eſt cur non conſtanter dicis noſtras voluntates præveniri à Deo) cur ad famoſam falſitatis caliginem relicta fereniſſimæ veritatis luce devolueris , quod in petentibus , quærentibus , pulſantibuſque miraris ; cur non eidem gratiæ quæ deſiderabatur aſcribis , vides bonos conatus , pia ſtudia , & dubitas eſſe Dei dona. Et infra cap. 3. initio ait , ſed nec cum hæreticis (ſcilicet Pelagianis) tibi nec cum Catholicis plena concordia eſt , illi in omnibus juſtis hominibus liberæ voluntatis tuentur exordia , nos bonarum cogitationum ex Deo ſemper credimus prodire principia : *Tu informe neſcio quod tertium* , & utrique parti inconveniens reperiſti , quo nec inimicorum conſenſum acquireres , nec in noſtrorum intelligentia permaneres : hucuſque D. Proſper de Caſſiano.

Intellige de prima converſione ſeu de initio fidei.

Licet iſte admitteret aliquando noſtras voluntates præveniri à Deo in converſione peccatoris , non tamen deſinebat eſſe hæreticus , tum quia non ſufficit ad admittere pro aliquando, ſed debet admitti pro ſemper : tum quia admittens etiam noſtras voluntates aliquando prævenire gratiam, per hoc oſtendebat illam non eſſe neceſſariam ad converſionem peccatoris , cum ſine illa, converſio eſſe poſſet , in quo erat hæreticus : debet enim ibi admitti gratia ut neceſſaria , & non ut accidentaria unde iſte error damnatur in Concil. Arauſic. 2. cap. 8. per hæc verba: Si quis alios miſericordia , alios vero per liberum arbitrium...... ad gratiam Baptiſmi poſſe venire contendit, à recta fide probatur alienus : is enim non omnium arbitrium per peccatum primi hominis aſſerit infirmatum, aut certe ita læſum putat , ut tamen quidam valeant , &c.

In hoc ergo erravit Janſenius quod textus illos Semipelagianorum qui erant aliqualiter pro gratia præveniente, protulerit ; alios autem qui erant contra illam, tacuerit , & dixerit Semipelagianos non fuiſſe hæreticos , in eo quod gratiam prædictam prævenientem negarent, cum illam admitterent (in textibus ſcilicet ab eo allegatis) ſed quia volebant illā gratiam eſſe talem cui poſſet humana voluntas reſiſtere , vel obtemperare ; ſed in hoc ipſe deceptus eſt, vel voluit nos decipere Ianſenius, quod ali-

quos eorum textus quodammodo orthodoxos attulerit (qui nempe viderentur admittere prævenientem gratiam orthodoxam) quaſi doctrina eorum eſſet conſtans & perpetua , cum tamen à parte rei non ita eſſet , ut teſtis eſt D. Proſper indubius ; ſed tergiverſarentur ipſi , ut & alii hæretici : tantum vero abeſt ut vocarentur hæretici , ob hoc quod talem gratiam aliquando admitterent, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare , quin potius propter hoc quod Caſſianus aliquando talem gratiam admitteret ad initium fidei D. Proſper vocat eum Doctorem Catholicum , ut clare patet in ſupra allato teſtimonio , in quo diſerte laudat eum quod aliquando putet nos à gratia (de qua ipſe Caſſianus loquebatur) præveniri , ſed cum hanc eamdem gratiam , alio in loco denegaret , ut tranſiret ad partes Pelagianorum : tunc vocatur fidei deſertor Catholicæ , quærens veritatis caliginem , relicta ſereniſſimæ illius veritatis luce , & rectitudine. Quapropter certum eſt neque Pelagianos , neque Semipelagianos unquam conſtanter admiſiſſe ſupradictam gratiam prævenientem neceſſariam ad ſingulos actus , & ad initium fidei ; ſed vel ſemper iſtud negaſſe , vel in hoc varios fuiſſe : quod etiam maxime cōfirmari poteſt ex eo quod nuperrime ſancta Sedes Apoſtolica condemnaverit iſtam propoſitionem Ianſenii, in ordine quartam, ſcilicet: Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus , etiam ad initium fidei, per quam condemnationem, fit evidentiſſimum , neque Pelagianos, neque Semipelagianos unquam conſtanter admiſiſſe gratiam prævenientem neceſſariam ad ſingulos actus , ſed vel iſtud negaſſe , vel in hoc varios fuiſſe aliquando eam admittentes , aliquando eam negantes : ut ſaltem aliquorum meritorum principium ponerent in natura , & libero arbitrio , & ſic dicerent gloriam dari propter merita , quorum aliqua erant ſupernaturalia , ſeu à gratia profecta, & aliqua naturalia , ſeu à gratia non procedentia. In quorum primo , ut ait Proſper conſentiebant cum Catholicis , in poſtremo cum hæreticis : nos autem dicimus prædeſtinationem ad gloriam factam eſſe ex meritis omnibus ſupernaturalibus , & à gratia Dei voluntatem præveniente , & præexcitante neceſſario profectis , & non à naturalibus aliquibus , ſeu a gratia Dei præveniente quoquo modo vacuis. Quæ ſententia eo magis, nobis certa , & in fide Catholica integra ſemper viſa eſt , quod nulli unquam placuerit hæretico veritatiſque inimico : contraria vero quæ tenet prædeſtinationem ad gloriam , factam eſſe ante præviſa merita ſupernaturalia , ſumme multis placuerit hæreticis , veritatiſque inimicis : quales fuerunt prædeſtinati, ſeu prædeſtinatiani , ut videre eſt apud Baronium ad annum Chriſti 490. quales Vicleſiſtæ , Huſſitæ , Lutherani , Calviniſtæ , & alii ſimiles hæretici qui hanc opinionem ſemper defenderunt tanquam ſuis pernicioſiſſimis contra veram libertatem dogmatibus valde congruentem & conſonam : Nolo tamen dicere quod in hoc fuerint hæretici ; fateor enim hanc opinionem non eſſe damnatam ab Eccleſia Catholica,

Gratia indifferens laudata à D. Proſpero obiter.

Bellarminus l.2. de Grat. & lib. arbit. cap 15. init. & Suarez de auxiliis c. 16 n 8. licet ambo valde contrarii noſtræ opinioni ; fatentur tamen illam non eſſe affinem ullo modo , aut ulla ex parte accedere ad opinionem Pelagianorum, aut Semipelagianorum.

ſed

ſed dico magnum eſſe contra illam ſententiam præjudicium falſitatis, quod tam avide arripuerint eam heretici, veritatiſque inimici; contra vero magnum eſſe veritatis prejudicium pro noſtra ſententia: quod nulli placuerit hæretico, veritatiſque inimico. Hoc itaque preſuppoſito probatur nunc vera noſtra ſententia: nempe predeſtinationem noſtram ad gloriam, factam eſſe poſt previſa merita noſtra omnia ſupernaturalia, ſeu factam eſſe ex preuiſis meritis noſtris omnibus ſupernaturalibus, & à ſupradicta gratia voluntatem preveniente & preexcitante profectis.

In hac autem concluſione probanda ſic procedam: 1. Probabo illam ex Patribus.

2. Ex antiquioribus Theologis qui noſtram ſententiam amplexi ſunt, enumeratis etiam recentioribus qui eidem adheſerunt.

3. Ex formalibus & expreſſis ſacræ Scipturæ teſtimoniis.

4. Ex rationibus è Sacra Scriptura depromptis.

5. Denique ex ſenſu Eccleſie in Conciliis, vel aliter expreſſo: Ex enim fere ſunt probationes que haberi poſſunt de queſtionibus facti, qualis eſt iſta de qua nunc, an ſcilicet de facto predeſtinatio noſtra ad gloriam facta ſit ante vel poſt previſa merita.

Nota valde quod queſtio noſtra eſt de facto, & non de poſſibili.

SECTIO IV.

Probatur hæc concluſio ex Sanctis Patribus, & precipuè ex Auguſtino, ejuſque Diſcipulis.

POSSEM equidem plurima Sanctorum Patrum teſtimonia proferre pro ſententia noſtra, ſecundum diverſas temporum differentias, in quibus ipſi vel ſcripſerunt vel vixerunt; ſed quia adverſarii ſemper provocant ad Auguſtinum quem longè preferunt ceteris Patribus in materia predeſtinationis & gratie: Imo vero ceteros Patres in hac materia parvipendunt, & quia etiam ſtatui ſpecialiter probare noſtram aſſertionem ex mente Auguſtini, ideo proferam tantum illorum Patrum teſtimonia, quorum doctrinam ipſe Auguſtinus maxime probaverit, atque laudaverit, etiam in iis libris quos contra inimicos gratiæ, & veræ predeſtinationis conſcripſit; dein proferam teſtimonia ipſius Auguſtini, & tandem Diſcipulorum ejus, ut iſta prima noſtra probatio tota Auguſtiniana ſit, id eſt, doctrina ipſius ſit, vel ab ipſo approbata, vel etiam commendata.

Paragraphus Primus.

Teſtimonia Patrum Auguſtino antiquiorum, & ab ipſo commendatorum tanquam integerrimæ doctrinæ.

Hujus Patris doctrina commendatur etiam à Concil. Valentino tertio infra referendo, ad terminandas gratiæ, & prædeſtinationis quæſtiones operoſiſſimas conflicte: Vnde quilibet Pater qui laudatur in illo Concilio debet eſſe valde rectus & Orthodoxus indubitanter expoſitoribus na pietate viribus qua

D. Hilarius quem laudat Auguſtinus, libro 1. contra Iulianum Pelagianum cap. 3. ut acerrimum adverſus hæreticos Eccleſiæ Catholicæ defenſorem, & toto orbe Chriſtiano ob inſignem doctrinam clariſſimum: Sic ait, in illud Pſalmi 64. Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti ut inhabitet in tabernaculis tuis: Electi ſunt, inquit, *nuptiali veſte conſpicui, puro, & integro novæ nativitatis corpore ſplendidi*: Itaque *non res indiſcreti* judicii electio eſt, beatus ergo *quem elegit* Dominus, beatus *ob id quia electione ſit dignus*: Scire autem nos convenit, hic beatus in quam rem electus fuerit, ſcilicet ad id quod ſequitur: Inhabitabit in tabernaculis tuis. Omnis perfectio bonorum inhabitationis cœleſtis eſt requiei, multæ manſiones Domini in cœlis. Et infra: Plures enim inhabitationes *dignitati habitantium præparantur, ſed licet diverſa ſit dignitas*: Differt enim ſtella ſtellæ in gloria; tamen quotquot habitationibus (variis licet) *digni habebuntur*, fidei fructum & honorem cœleſtis gloriæ poſſidebunt. Ubi nota electionem & præparationem gloriæ quod non pertinet ad executionem item & meriti delectum & dignitatem electorum.

circa materiam prædeſt. & gratiæ. Textus autem illius Concilij eſt ejuſmodi circa initium: Doctoribus pie & recte tractantibus Verbum veritatis, ipſiſque S. Scripturæ lucidiſſimis id eſt, Cypriano. Hilario, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, cæteriſque in Chriſtiana quieſcentibus reverenter auditum, & obtemperanter intellectum ſubmittimus, & pro ad ſalutem noſtram ſcripſerunt, amplectimur. Hæc Concilium.

Quidam perperã tribuunt huic Patri errorem Semipelagianorum, ſed immerito, ut plane demonſtrat Petavius in Theologicis dogmatibus Tom. 1. lib. 9. cap. 3.

D. Chryſoſtomus laudatus ab Auguſtino, lib. 1. contra Iulianum cap. 6. tanquam homo in fide Catholica eruditus & erudiens ait Homil. 80. in Matth. in illud, venite benedicti Patris mei: O quantæ gloriæ, quantæ beatitudinis hæc verba ſunt, nec dicit accipite, ſed hereditate quaſi propria, quaſi paterna, quaſi veſtra *quæ vobis à principio debebantur*, nam antequam *nati ſitis, quia ſciebam vos hujuſmodi futuros, hæc vobis à me præparata fuere*. Et ſermone 1. in Epiſt. ad Epheſ. cum locutus eſſet de predicto textu Math. ſcilicet: Venite benedicti, ait eligi vero, & divinæ benignitatis *judicium* eſt, & *virtutis* eorum qui eliguntur, omnino ſiquidem *probatos eligit*. Et Homil. 16. in Epiſt. ad Rom. cap. 9. in hæc verba, quæ preparauit in gloriam: ait non Dei rem totam eſſe, quandoquidem ſi hoc eſſet, nihil eſſet quod omnes ſaluos fieri prohiberet: Sed rurſus illius *præſcientiam* declarat: per quæ ſatis oſtendit Chryſoſtomus, quod Deus non ex mera ſua voluntate preparavit gloriam electis; quandoquidem ſecundum illum, ſi ex mera ſua voluntate elegiſſet, omnes omnino ſalvaſſet propter infinitam ſuam

bonitatem: Sed quia elegit & prædeſtinavit ad ſalutem tantum poſt prævisa opera, ideo non omnes ſalvat, quia nón vidit omnes gloriam meriruros in præſcientia ſua: Vbi notent adverſarii, quam male ſentiant ipſi de bonitate Dei, cui tam paucos attribuunt ſalvos in comparatione multitudinis infinitæ damnatorum, licet velint Deum ex ſua mera voluntate illos ſalvaſſe, nec quidquam aliud ſpectaſſe quam bonitatem ſuam: Vult autem Chryſoſtomus, quod ſi Deus in prædeſtinatione hominum ſolùm reſpexiſſet ad voluntatem & bonitatem ſuam, omnes omnino ſalvaſſet.

D. Epiphanius laudatus ab Auguſtino in libro ad Quod-vult-Deum, ait in libro ſuo adverſus hæreſes, quem librum teſtatur ſe vidiſſe multoties Auguſtinus: Ait, inquam, in illo libro, hæreſi 69.n. 58. in illud Matth. Non eſt meum dare vobis. Hîc ſenſus eſt, non eſt meum dare; *ſed ſi laboraveritis paratum* vobis erit à Patre meo. Ecce quomodo ſupponit laborem, ſeu merita ante electionem, quæ ſignificatur per præparationem.

D. Ambroſius, cujus laus apud Auguſt. lib. 1. contra Iulianum cap. 3. ſed audi, inquit Auguſtinus, alium excellentem Dei diſpenſatorem, quem veneror ut Patrem, beatum loquor Ambroſium, cujus pro Catholica fide gratiam, conſtantiam & ipſe ſum expertus, & mecum non dubitat orbis prædicare Romanus. Hic ergo in Epiſt. ad Rom. cap. 8. ſuper illud, Nam quos præſcivit & prædeſtinavit: ait, quos præſcivit futuros ſibi devotos, ipſos elegit ad promiſſa capeſſenda. Et cap. 9. ſuper illud, Miſerebor cujus miſertus ero. Ait, hoc eſt, ejus miſerebor, cujus præſcius eram, quod miſericordiam daturùs eſſem, ſciens converſurum illum, & manſurum apud me. Sed quia hic liber non tribuitur ab omnibus Ambroſio, ideo afferamus & librum indubitatum, & textum clariſſimum, qui præcedentibus authoritatem præſtet: Divus ergo Ambroſius lib. 5. de fide cap. 3. paulo ante finem, in hæc verba Chriſti, Sedere autem ad dextram, ait: Denique ad Patrem referens addidit, quibus paratum eſt, ut oſtenderet Patrem quoque non petitionibus deferre ſolere, ſed *meritis*, quia Deus perſonarum acceptor non eſt, unde Apoſtolus ait: Quos præſcivit & prædeſtinavit: non enim ante prædeſtinavit quam præſciret, ſed *quorum merita præſcivit, eorum præmia prædeſtinavit.* Quo nihil clarius & validius pro noſtra opinione dici aut excogitari poteſt.

Hujus etiā Patris doctrina commendatur in prædicto Concilio.

D. Hieronymus, quem laudat Auguſtinus libro ſupra citato cap. 7. his verbis: Cujus nobis eloquium ab Oriente uſque ad Occidentem ad inſtar lampadis reſplenduit. Ipſe itaque Tomo 3. Epiſtola 150. ad Hedib. quæſt. 10. loquens de reprobis & de prædeſtinatis ad gloriam, ait: vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam, quæ vocavit, hoc eſt, nos qui non ſolum ex Iudæis ſumus, ſed etiam ex Gentibus, non ſalvat irrationabiliter & abſque judicii veritate, ſed cauſis præcedentibus (id eſt meritis) quia alii ſuſceperunt Filium Dei, alii autem recipere ſua ſponte

Hujus etiā Patris doctrina commendatur in prædicto Concilio.

noluerunt: Ex quo oſtenditur, non gentes *eligi*, ſed hominum voluntates: hæc Hieronymus ibi: ex quibus clare apparet illum loqui de electione, & non de executione ſola; item loqui de electione ad gloriam, & non ad gratiam, cum ubique ſupponat fidem, & receptionem Filii Dei in iis de quibus loquitur. Præterea libro 2. adverſus Iovinianum cap. 15. ait, non eſt Filii dare, quomodo eſt Patris præparare: *Parata*, inquit, ſunt in cœlo diverſæ & plurimæ manſiones, plurimis, diverſiſque *virtutibus*, quas non perſonæ accipiunt, ſed *opera*: fruſtra ergo à me petitis quod in vobis ſolum eſt, quod Pater meus *illis paravit, qui dignis virtutibus* ad tantam aſcenſuri ſunt dignitatem. Vbi nota, paravit quod eſt prædeſtinauit, & iis qui dignis virtutibus ſunt aſcenſuri ad gloriam, item & paratas manſiones virtutibus: quæ omnia ſonant ipſam electionem ad gloriam, & non ſolam executionem. Hæc itaque Hieronymus: cujus teſtimonium tanto magis æſtimandum eſt, quanto certius eſt ipſum non minus fuiſſe propugnatorem fidei orthodoxæ contra Pelagianos, quam ipſum Auguſtinum: cum ſcripſerit contra eos tres Dialogorum libros.

Paragraphus Secundus.

Teſtimonia ipſiuſmet Auguſtini.

SED veniamus ad ipſummet Auguſtinum, quem omnino volunt adverſarii nobis eſſe contrarium: ſed præterquàm quod certiſſimum eſt (quod etiam fatetur Ianſenius tomo 3. lib. 9. cap. 17.) D. Auguſtinum numquam ex profeſſo noſtram tractaſſe quæſtionem, quia ſemper ex profeſſo locutus eſt de prædeſtinatione ad gratiam, quam Pelagiani, & Semipelagiani (contra quos ipſe agebat) volebant eſſe ex meritis mere humanis & naturalibus, ipſe autem contendebat eſſe ex nullis: tamen quando obiter locutus eſt de electione ad ſolam gloriam, ſemper & ubique ad illam præſuppoſuit præſcientiam meritorum & operum. Quod ut melius, certiuſque capiatur, producenda mox nobis ſunt argumenta ex ejus ſcriptis excerpta.

Punctum I.

Proponuntur tria prima argumenta ex Auguſtino.

PRIMUM eſt: quia cum loquitur de ordine prædeſtinationis, tunc præponit præſcientiam cæteris omnibus quæ pertinent ad prædeſtinationem, & ad ipſammet prædeſtinationem. Sic enim loquitur tract. 45. in Ioannem, nobis præſcitis, prædeſtinatis, juſtificatis, glorificatis, de quibus ſequitur, quis accuſabit adverſus electos Dei. Et ſerm. 6. de verbis Apoſtoli cap. 8: Miſit, inquit, Filium ſuum propter præſcitos, &

Poſt medium.

prædeſtinatos, vocandos, juſtificandos, glorificandos. Et lib. de nat. & grat. cap. 5. loquens de peccatoribus, quos Chriſtus venit ſalvos facere, ait, quos præſcivit, prædeſtinavit, vocauit, juſtificauit, glorificavit: & lib. de corrept. & grat. cap. 9. ſæpe ſæpius hunc ordinem obſervat. Qui vere ſunt, inquit, filii Dei, præſciti, & prædeſtinati ſunt. Et infra: illa, inquit, omnia jam facta ſunt, præſcivit, prædeſtinavit, vocavit, juſtificavit. Et infra: quoniam omnes jam præſciti, & prædeſtinati ſunt: Et adhuc infra eodem capite: quicumque ergo in Dei providentiſſima diſpoſitione præſciti, prædeſtinati, vocati, juſtificati, glorificati ſunt. Qui ſane ordo, cum tam frequenter & regulariter obſervetur ab Auguſtino, non videtur ex accidenti, ſed ex profeſſo & voluntarie obſervatus: Unde cum in illo ordine ſemper præponatur præſcientia prædeſtinationi, ſicut vocatio, juſtificatioque glorificationi: Sequitur quod vti certum eſt, quod vocatio, juſtificatioque præcedunt glorificationem, ſic & certum eſt quod præſcientia præcedit prædeſtinationem in ſententia Auguſtini.

Secundum argumentum eſt, quod in prædeſtinationis definitione in qua accurata debent eſſe omnia, ponit Auguſtinus præſcientiam in recto & ante prædeſtinationem, his verbis: Hæc prædeſtinatio Sanctorum nihil aliud eſt quam *præſcientia*, & præparatio beneficiorum, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur. Ergo conſequens eſt, quod præſcientia ſit intrinſeca prædeſtinationi; cum in ejus definitione ponatur in recto, & quod ſit ante ipſam prædeſtinationem, cum ibi ponatur ante prædeſtinationem.

De dono perſeve. cap. 14.

Tertium argumentum eſt, quod ita miſcet Auguſtinus præſcientiam cum prædeſtinatione, ut aliquando & non raro præſcientiam ipſam pro prædeſtinatione ſumat: nam lib. de dono perſev. cap. 7. ſub finem ait: Hæc (ſcilicet fidem & perſeverantiam) Deus facturum ſe eſſe præſcivit: ipſa eſt prædeſtinatio Sanctorum. Et cap. 17. in fine, ſic ait: Hæc Dei dona, ſi nulla eſt prædeſtinatio quam defendimus, non præſciuntur à Deo; præſciuntur autem, hæc eſt igitur prædeſtinatio quam defendimus. Et cap. 18. initio, ait: Unde aliquando eadem prædeſtinatio ſignificatur etiam nomine præſcientiæ, ſicut ait Apoſtolus. Non repulit Deus plebem ſuam quam præſcivit, hoc quod ait præſciuit, non recte intelligitur niſi prædeſtinavit. Et in fine capitis ait, ſine dubio enim præſcivit, ſi prædeſtinavit; ſed prædeſtinaſſe eſt hoc preſciſſe quod fuerat ipſe facturus. Vbi vides quod D. Auguſtinus tam arcte coniunctam eſſe cenſuit præſcientiam cum prædeſtinatione, ut etiam illam pro prædeſtinatione ſumat: Et cap. 10. de prædeſtinatione Sanctorum ait prædeſtinationem iſtam non poſſe eſſe ſine preſcientia. Ex quibus omnibus ſic arguo. Vel in his loquitur Auguſtinus de prædeſtinatione ad gratiam, vel de prædeſtinatione ad gloriam: Si de prędeſtinatione ad gloriam, habemus intentum, ſcilicet quod poſtulet Auguſtinus prеſcientiam operum ante prædeſtinationem ad gloriam: Si de prædeſtinatione ad

Libro de anima & ejus orig. c. 8. vocat preſcientia Dei prædeſtinatos in vitam æternam.

Illatio ex tribus præcedentibus argumentis.

gratiam, certe non debet minus præſupponere ſcientiam ante prædeſtinationem ad gloriam, quam ante prædeſtinationem ad gratiam: Nam ſi præſupponat præſcientiam, ante prædeſtinationem ad gratiam, certe ob id quod gratia non eſt effectum habitura, niſi dependenter à noſtro conſenſu libero, qui proinde non debet decerni, priuſquam præuideatur, quod ſub hac aut illa conditione futurus ſit; ſed glorificatio noſtra, ſeu adeptio gloriæ, non eſt futura, niſi dependenter à noſtris actibus liberis, & proinde non debet illa decerni, priuſquam prævideatur quod ſub hac aut illa conditione meritorum futura ſit; ergo ſicut præſcientiam prerequirit Auguſtinus ante prædeſtinationem ad gratiam, ita etiam requiret eam ante prædeſtinationem ad gloriam nude & ſolitarie ſumptam.

Porro quod Auguſtinus non potuerit propter aliam rationem, prærequirere preſcientiam ante predeſtinationem ad gratiam, niſi ob id quod gratia non eſt effectum habitura, niſi dependenter à noſtro conſenſu libero, patet; quia in hoc negotio prædeſtinationis ad gratiam nihil omnino eſt quod prerequirat preſcientiam, niſi ſola libertas noſtri conſenſus futuri: Nam ſi reſpiciamus ſolùm ad decretum Dei predeſtinantis ad gratiam, cum ſit mere gratuitum & voluntarium, non requirit ut actus ejus prævideatur, ad hoc vt prudenter decernatur: quandoquidem nos ipſi cognoſcimus, quod in actibus noſtris mere gratuitis, & voluntariis, & à nobis ſimpliciter, & abſolute dependentibus, nullam prævisionem futuri præmittimus, nec præmittere debere cenſemus. Cum ergo Auguſtinus prerequirat præſcientiam, ante prædeſtinationem ad gratiam, ſeu ante decretum prædeſtinans hominem ad gratiam, non poſtulat illam ratione illius decreti mere gratuiti, & voluntarii Dei; ſed ratione alicujus extrinſeci, ratione cujus voluit, ſeu æquum judicavit Deus præuidere futurum ſub conditione antequam illud abſolute decerneret: quod quidem extrinſecum nihil aliud videtur eſſe quam libertas noſtra, aut liberum arbitrium, ut cuivis perſpicuum eſt. Ergo à ſimili dicendum eſt quod in prædeſtinatione ad gloriam, debuit Auguſtinus præſupponere præſcientiam meritorum, ante ipſam prædeſtinationem ad gloriam, cum merita noſtra per quæ acquirimus iſtam gloriam, non minus ſint libera quam conſenſus ipſi gratiæ præſtitus in operibus gratiæ, ad quem abſolute decernendum prerequirit præſcientiam.

Et certe ſatis clare apparet, quod in illis tractatibus (quos edidit Auguſtinus contra Semipelagianos) ex quibus ſupradictos locos eruimus, non ob aliam rationem prærequirit præſcientiam ante prædeſtinationem ad gratiam, quam vt oſtenderet contra eos prædeſtinationem illam non tollere (ut putabant) liberum arbitrium, ſed ſartum tectum ſervare: Quod non aliter probat contra illos, quam dicendo, quod preſcientia non tollit libertatem circa actiones præſcitas, ergo nec predeſtinatio, cum ſupponat præſcientiam: unde diſputans contra illos in prædictis tractatibus, numquam ferè loquitur de prædeſtinatione, quin

etiam loquatur de præſcientia velut prævia, vel ut ſtricte ſibi conjuncta, innuens prædeſtinationem ipſam vel eſſe præſcientiam, ut ſæpe videtur dicere, vel præſupponere præſcientiam: ergo à pari debuit Auguſtinus illam preſcientiam preſupponere ante prædeſtinationem ad gloriam, propter merita libera, & à nobis pendentia, cum in illa prędeſtinatione militet eadem ratio libertatis conſervandæ, quam in prędeſtinatione ad gloriam. gratiæ. *Lib. de dono perſever. c. 18. 19. & ſequentibus.*

Pvnctvm II.

Proponitur, & ſolvitur Objectio Eſtii, contra iſta argumenta diſputantis.

Verum contrà inſtant adverſarii, & ſupponentes quod in prædictis locis loquitur Auguſtinus de prędeſtinatione ad gloriam: negant ipſum huic prædeſtinationi pręponere præſcientiam; ſed potius è contra prædeſtinationem iſtam præponere pręſcientiæ, & facere pręſcientiam iſta prædeſtinatione poſteriorem. Quod probat Eſtius in 1. ſent. diſt. 41. §. 11. ex lib. de dono perſever. cap. 17. ubi Auguſtinus loquens de bonis operibus, & de perſeverantia in illis, ait, ea eſſe à Deo præcognita & per hoc prędeſtinata: ex quo infert Eſtius, quod pręſcientia illa eſt poſterior prędeſtinatione, cum ex illa inferatur prędeſtinatio. Putat enim Eſtius cum Ianſenio, D. Auguſtinum in locis à nobis ſupra citatis, & in omnibus aliis ad prædeſtinationem pertinentibus, loqui de præſcientia conſequente prædeſtinationem, quæ eſt ſcientia viſionis: non autem de præſcientia antecedente quæ eſt ſcientia conditionata, vel ſimplicis intelligentiæ. Quod quam falſum ſit infra commodius demonſtrabimus, cum lucta nobis erit cum Ianſenio, iſtam inſtantiam uberius & efficacius perſequente: Nunc ſolum reſpondeo ad locum Auguſtini ab Eſtio allatum, & dico, dupliciter intelligi poſſe ſine præjudicio ſupradictorum. 1. quidem intelligi poſſe de ſcientia conſequente, & viſionis, & tamen non impedire, quin in aliis locis à nobis ſupra citatis, loquatur Auguſtinus de ſcientia antecedente, & conditionata: Nam cum certum ſit quod actus noſtri ſubſint duplici ſcientiæ Dei, uni ſcilicet antecedenti, & alteri conſequenti (quia nempe Deus prius videt actus noſtros poſſibiliter, vel ſub conditione futuros, quam videat eos ut abſolute futuros, in quo eſt duplex ſcientia, vna antecedens conditionata, & altera ſubſequens quæ eſt abſoluta) non ſequitur quod ſi Auguſtinus locutus eſt in uno loco de actibus noſtris, ut ſubſunt uni ſcientiæ Dei, debeat ſemper loqui de illis, ut ſubſunt eidem ſcientiæ & non alteri: poteſt enim loqui de illis in uno loco, prout ſubſunt ſcientiæ conſequenti: ſic ergo in hac via dicendum eſt, quod in loco præallegato ab Eſtio loquitur Auguſtinus de ſcientia conſequente & viſionis; in locis autem à nobis ſupra allatis, & plurimis aliis, loquitur de ſcientia

Sex breves probationes. quod etiamſi locus Auguſtini citatus ab Eſtio intelligeretur de præſcientia conſequente: ij quos adduximus non poſſunt intelligi niſi de præſcientia antecedente.

antecedente, cum omnino intelligi non poſſint, niſi de ſcientia antecedente, & nullomodo de conſequente: Et ſic probo, 1. ex eo quod frequenter, & ſtudioſe ponit præſcientiam ante prædeſtinationem, ut ſupra probatum eſt per multos locos in noſtro primo argumento, quod non poteſt fieri ex accidenti, ſed ex determinatione ipſius. 2. Ex eo quod in definitione prædeſtinationis, in qua accurata ſunt omnia, ponit præſcientiam ante prædeſtinationem, eamque in recto, ut quid intrinſece pertinens ad prædeſtinationem, & per conſequens, ut quid prævium, & nullomodo conſequens ipſam prædeſtinationem, quandoquidem ſi præſcientia eſſet quid conſequens ipſam prædeſtinationem, eſſet ei extrinſeca, & per conſequens impertinens ad ejus definitionem.

1. & 2 probatio.

Neque his duabus rationibus bene reſpondet Eſtius ubi ſupra: dicens ideo præſcientiam poni in definitione prædeſtinationis & alibi, ante præparationem donorum, non quia illa prior ſit, ſed vel ut per hoc innuatur quanta ſit certitudo decretorum Dei, quæ habent præſcientiam conjunctam, præ decretis hominum, quæ non habent illam conjunctam; vel quia præſcientia latius patet quam prædeſtinatio, cum ſecundum Auguſtinum præſcientia ſine prædeſtinatione eſſe poſſit, non vero prædeſtinatio ſine præſcientia. Ad quod ego reſpondeo, & quidem ad primum, quod ſi præſcientia non præſupponatur ante decretum, ſed conſequatur ad illud, nullam ei conferet certitudinem. Iam enim conſtituta eſſent omnia antequam adveniret, quid ergo poſſet præſtare præſcientia ſuperveniens, niſi detegere veritatem, vel falſitatem, ſi qua ſit in ipſo, non ergo facit decretum certum, ſed facit ut cognoſcatur certum ſi certum ſit, incertum ſi incertum ſit, quomodo lumen non facit objectum album, vel nigrum; ſed tantum efficit ut cognoſcatur, an album ſit, vel nigrum: nihil ergo facit iſta præſcientia ad certitudinem decreti, niſi ipſa prævia ſit, & præſupponatur ipſi decreto, quod contendimus. Ad ſecundum reſpondeo præſcientiam quidem latius patere quam prædeſtinationem, ſed forte in ratione generis, quomodo animal latius patet rationali: unde præponitur rationali in definitione hominis, & dicitur: homo eſt animal rationale; quomodo dicitur hîc: prædeſtinatio eſt præſcientia & præparatio beneficiorum, ubi per præſcientiam prædeſtinatio convenit cum reprobatione quaſi generice, per præparationem autem beneficiorum differt ſpecifice ab illa. Vel forte latius patere in ratione alicujus præſuppoſiti ad plura, ut voluntatem reſpectu liberi & neceſſarii; omne enim liberum eſt voluntarium non è contra: Sed utrolibet ſumatur modo præſcientia, ſemper eſt ante ipſam præparationem, vel ut genus ad ſpecies, vel ut quid prærequiſitum, non autem poteſt eſſe proprietas illius; quandoquidem omnibus omnino decretis Dei commune eſt; quod ſaltem poſtquam ſunt, præſciantur à Deo ea quæ futura ſunt in virtute illorum; & ſic non eſt proprietas, cum proprium & commune opponantur. Quapropter non

non poteſt eſſe quid conſequens ad eſſentiam prædeſtinationis, cum nequidem poſſit ejus eſſe proprietas; debet ergo eſſe vel antecedens ad prædeſtinationem, vel impertinens ad illam: poſterius nemo tribuet Auguſtino: ergo concedendum prius quod intendimus: Et ſic nihil efficit reſponſio Eſtii contra prædictas probationes, quibus contendebamus ſupra allatos à nobis locos Auguſtini, & multos alios non poſſe intelligi, niſi de præſcientia antecedente, & non de conſequente, ut volebat ipſe Eſtius.

Quapropter perſequor intentum, & illud idem probo tertio, ex eo quod in aliquo loco infert Auguſtinus præſcientiam ex prædeſtinatione, ut cum dicit libro de dono Perſeverantiæ cap.18. ſine dubio præſcivit, ſi prædeſtinavit: Ergo ſecundùm argumentationem Eſtii, facit ibi præſcientiam priorem prædeſtinatione, cum ex ea inferat præſcientiam. Quod & confirmari poſſet ex eo quod dicat Auguſtinus lib. de prædeſtinatione *Sanct.* cap. 10. præſcientiam poſſe eſſe ſine prædeſtinatione, non vero prædeſtinationem ſine præſcientia: Quod neceſſariò arguit præſcientiam eſſe priorem prędeſtinatione ſaltem in ſubſiſtendi conſequentia, & ut genus ante ſpeciem. *3.probatio.* *Argumentũ ad hominẽ.*

Probo 4. ex eo quod aliquo loco loquitur Auguſtinus de præſcientia ut præjacente ad prædeſtinationem faciendàm: ut libro de dono Perſever. cap. 17. cum ait: Iſta igitur ſua dona quibuſcumque Deus donat, procul dubio donaturum ſe eſſe præſcivit, & *in ſua præſcientia præparavit:* Et paulo poſt *in ſua* quæ falli, mutarique non poteſt *præſcientia*, opera ſua futura diſponere; id omnino nec aliud quicquam eſt prædeſtinare. Eodem modo loquitur in Pſalm. 150. ſub finem, ubi ait: Prædeſtinatio noſtra non in nobis facta eſt, ſed in occulto apud ipſum in præſcientia. Ubi manifeſte ſupponit Auguſtinus præſcientiam, ut præjacentem in qua Deus præparat, & diſponit, id eſt, prædeſtinat dona ſua, vel opera ſua futura. *4.probatio.*

Hoc eodem modo loquendi uſus eſt, cum erràs putabat fidem præcedere electionem ad bona opera: lib.1.retract. cap.23. his verbis: Fidem elegit in præſcientia: ut quem ſibi eſſe crediturum præſciret, ipſum eligeret, cui, &c.

Probo 5. ex eo quod Auguſtinus in aliquo loco vocet rem præſcitam cauſam prædeſtinationis, ut lib.2. ad Simplicianum quæſt.2. ubi ait Auguſtinus: Nemo enim eligitur, niſi jam diſtans ab illo qui rejicitur: Unde quod dictum eſt, quia elegit eos Deus ante mundi conſtitutionem, non video quomodo dictum ſit niſi præſcientia: Quæ verba Ianſenius alioqui nobis contrarius, exponens cap. 26. 1. lib.9. de gratia ſalvat. recognoſcit ibi præſcientiam eſſe cauſam prædeſtinationis: quia, inquit, decreverat (Deus) eos eligere ad gloriam, quos habituros opera, & operibus diſcrepaturos eſſe præſciebat: Et ſane non poterat aliter exponi locus ille, quia eligendi illi de quibus ibi loquitur Auguſt. non poterant eſſe diſtantes à rejiciendis, niſi in præſcientia, ante eorum electionem. Ergo præſuppoſuit ibi Auguſtinus præſcientiam ante prædeſtinationem. *5.probatio.* *Infra refutabimusque dicunt adverſarii cõtra doctrinã libri iſtius, qua approbata fuit ab ipſomet Auguſt. in ultimis libris quos ſcripſit cõtra Pelag. & Semipel.*

Probo 6. & ultimo, ex eo quod Auguſtinus pluribus contendit in lib. *6.probatio.*

Quæ infra uberius & efficacius demonſtrabitur, ſcilicet in argumento 4. principali ex Auguſtino.

de dono Perſeverantiæ cap. 17. 19. & 22. non majorem eſſe difficultatem in ſua prædeſtinatione quam in ſimplici præſcientia: At nemo eſt qui non judicet longe majorem fore difficultatem in prædeſtinatione, quàm in ſimplici præſcientia, ſi in prædeſtinatione non includatur præſcientia, ut prævia, in qua ſuaviter & benigne diſponat Deus dona ſua: Ergo neceſſario concedendum eſt quod Auguſtinus admiſit aliquam præſcientiam ante prædeſtinationem, & per conſequens non eſt valde curandum quod alicubi aſtruat aliam præſcientiam, ſcilicet conſequentem: Nam cum conſequens iſta præſcientia non opponatur huic noſtræ antecedenti, ſed vere ſint compoſſibiles in Deo, ut ſupra notatum eſt: hinc ſequitur quod etiamſi in loco Auguſtini ab Eſtio citato, loquatur Auguſtinus de aliqua præſcientia conſequente, non tamen hoc impedit quin in locis à nobis citatis, & plurimis etiam aliis agnoſcat Auguſtinus aliquam aliam præſcientiam, quæ præcedat prædeſtinationem, quod ſolûm hîc contendimus, & quod etiam ſufficit ad demonſtrandam hanc veritatem, quod prædeſtinatio hominum ad gloriam eſt poſt prævisa merita. Et hæc eſt prima ſolutio ad locum Auguſtini ab Eſtio nobis objectum: Secunda ſolutio eſt: quod etiam dici poteſt, ibi loqui Auguſtinum de præſcientia antecedente, & inferre prædeſtinationem ex illa, non quia prædeſtinatio ſit prior præſcientia, ſed quia cum illa tam arcte conjuncta eſt, ut indiſcriminatim una bene inferatur ex alia, eo modo quo lux Solis ex die, & dies ex luce Solis: bene enim dicitur: Sol lucet ergo dies eſt, & reciproce; dies eſt ergo Sol lucet: propter intrinſecam ſcilicet connexionem: Ita bene dicitur, huic Deus prævidit ſe daturum perſeverantiam in bono, ergo prædeſtinavit eum. Et reciproce; hunc Deus prædeſtinavit, ergo prævidit perſeverantem in bono: Quæ quidem vera ſunt ratione arctiſſimæ connexionis, quæ eſt inter præſcientiam, & prædeſtinationem Auguſtinianam; non autem neceſſariò, ratione cujuſdam prioritatis, quæ ſit in prædeſtinatione reſpectu præſcientiæ, de qua communiter loquitur Auguſtinus: Vnde ipſemet Auguſtinus mox infert prædeſtinationem ex præſcientia, ut in ſupra citato loco Eſtii ex lib. de dono Perſever. cap. 17. dicens: Aliqua eſſe præcognita, & per hoc prædeſtinata. Et vice verſa infert præſcientiam ex prædeſtinatione, ut cum dicit eodem lib. cap. 18. Præſcivit, ſi prædeſtinavit: propter ſcilicet arctiſſimam ſupradictam connexionem.

Porro quod ſit arctiſſima connexio inter prædeſtinationem, & præſcientiam de qua communiter loquitur Auguſtinus: ſatis patet ex iis quæ diximus in 3. Argum. ex Auguſtino, ut non neceſſe ſit hîc repetere.

Et hæc de objectione Eſtii. Nunc videndum quid habeat Ianſenius quo probet præſcientiam de qua agimus, non eſſe antecedentem, & conditionatam, ſed eſſe conſequentem, & viſionis.

PUNCTUM III.

Proponitur, & ſolvitur oppoſitio Ianſenii contra eadem argumenta diſputantis.

LIBRO ergo 9. de gr. Salv. cap. 7. multis Auguſtini teſtimoniis contendit Ianſenius oſtendere quod illa præſcientia de qua communiter loquitur Auguſtinus, non eſt prævia, ſed ſubſequens ipſam prædeſtinationem: Et ratio ejus eſt, quia Auguſtinus dat iſti ſcientiæ objectum abſolute futurum, & non conditionatum: dicit enim quod Deus per illam ſcientiam, præſcivit quid facturus erat, quid daturus erat, quid largiturus erat; & non quid facturus eſſet ſi hoc vel illud accidiſſet, quod manifeſte arguit ſcientiam abſolutam, & conditionatam. Reſpondeo id quidem arguere quod Auguſtinus ibi loquitur de ſcientia aliqua rerum aliquando futurarum, non tamen arguere quod iſta ſcientia ſit abſoluta; ſed tantum arguere quod ſit aliqua ſcientia particularis conditionata, quæ reſpiciat ſolùm futura; pro quo ſciendum eſt quod licet ſcientia conditionata ſit unica ſecundum ſe; ratione tamen objectorum dividi poteſt in duas: una eſt illorum objectorum quæ aliquando ſunt futura, altera eſt eorum objectorum quæ nunquam futura ſunt. Vt verbi gratia Deus præviderat per ſcientiam conditionatam, Saulum ſi ita vocaretur, dum iret in Damaſcum, vere converſum iri ad fidem Catholicam: hæc ſcientia conditionata, eſt vere futurorum, quia ita vocatus Saulus, vere converſus eſt. Alia autem eſt non futurorum, ut patet in Tyriis & Sidoniis, qui credidiſſent, ſi eis Chriſtus prædicatus fuiſſet; & miracula vidiſſent; ſed quia Chriſtus non eſt eis annuntiatus, nec miracula viderũt, illi non converſi ſunt: & hæc eſt ſcientia conditionata non futurorũ, quia converſio iſta quam reſpicit, nunquã vere futura fuit. Cum ergo vidiſſet Auguſtinus quod Semipelagiani abutebantur iſta præſcientia non futurorum, contra veritatem prædeſtinationis quam defendebat, dicentes: Ideo quoſdam parvulos ſuſcipere baptiſmum ante mortem, quia præviderat Deus, quod ſi diutius vixiſſent, bene vixiſſent, & alios è contra non ſuſcipere Baptiſmum ante mortem, quia præviderat Deus eos male victuros, ſi diutius vixiſſent. Quod erat dicere gratiam illam, ſcilicet Baptiſmum, ſecundum merita noſtra dari, hoc eſt ob merita nunquam futura, ſub illa præviſione conſiderata: Ideo in deteſtationem iſtius erroris, ſemper locutus eſt Auguſtinus de præſcientia conditionata futurorum, vere futurorum, dicens: Quod Deus præſcivit quid facturus eſt, quid daturus, quid largiturus: ut diſtingueret eam à præſcientia conditionata ſemipelagiana nunquam futurorum quam eo uſque deteſtatus eſt, ut eam negaret eſſe in Deo, ut infra videbimus: Et propterea late objurgat iſtos errantes in libris de prædeſtinatione

Hæc objectio coincidit cum ea quæ eſt Eſtii ubi ſupra. ſic Præſcientia, de qua loquitur Auguſt. habet idem objectum quod prædeſtinatio, ſed prædeſtinatio, habet objectum, ut abſolute futurum: Ergo & præſcientia illa: Reſpondeo diſting. majorem. Habet idem objectum materiale. Conc. non formale; nam reſpicit objectum quod eſt futurum abſolute, non autem ut futurum abſolute, & ſic nego conſequentiam: Unde non eſt illa præſcientia abſoluta, cum non reſpiciat objectum ut abſolute futurum formaliter, ſed tantũ materialiter, ro

Sanct.& de dono perſever. eo quod iſtam ſcientiam conditionatam non futurorum uſurparent contra ſanam prædeſtinationis doctrinam: Sic enim affatur eos, lib. de prædeſtinatione Sanct. cap.12. Quis enim, inquit, audiat, quod dicuntur parvuli pro ſuis futuris meritis in ipſa infantili ætate baptiſati, exire de hac vita: & ideo alii non baptiſati in eadem ætate mori, quia & eorum præſcita ſunt merita futura, ſed mala: non eorum vitam bonam, vel malam Deo remunerante, vel damnante. Et paulo infra. Sed unde hoc talibus viris in mentem venerit neſcio, ut futura quæ non ſunt futura, puniantur, aut honorentur merita parvulorum. Et adhuc infra, eodem capite: Iudicari autem quemquam non ſecundum merita quæ habuit in corpore, ſed ſecundum merita quæ fuerat habiturus, ſi diutius fuiſſet in corpore: unde opinari potuerint homines quorum ingenia non eſſe contemptibilia, veſtræ indicant litteræ, mirans & ſtupens reperire non poſſum. Et cap.13. initio, ait: Quod ſi forſitan dicunt pœnitentibus peccata dimitti: & ideo iſtos non baptiſari in parvula ætate morientes, quia præſciti ſunt pœnitentiam ſi viverent, non acturi: Eos autem qui baptiſantur, & parvuli de corporibus exeunt, Deum præſciſſe acturos pœnitentiam fuiſſe ſi viverent: Attendant & videant, ſi ita eſt, non jam in parvulis ſine baptiſmate morientibus peccata originalia vindicari; ſed ſua cujuſque futura ſi viverent, itemque baptiſatis non originalia dilui, ſed ſua futura ſi viverent, quoniam non poſſent niſi in majore ætate peccare; ſed alios acturos pœnitentiam, alios non acturos fuiſſe præviſos: Ideo alios baptiſatos, alios ſine baptiſmo exiſſe de hac vita: Hoc ſi auderent Pelagiani non jam laborarent negando originale peccatum quærere parvulis extra regnum Dei, neſcio cujus ſuæ fœlicitatis locum. Et infra eodem cap. Sed quia hominum futura, quæ non ſunt futura, proculdubio nulla ſunt merita, & hoc videre facillimum eſt: Ideo nec Pelagiani hoc dicere potuerunt, & multo magis nec iſti dicere debuerunt: *Dici enim non poteſt quam moleſte feram*; quod viderunt Pelagiani eſſe falſiſſimum & abſurdiſſimum, hoc non vidiſſe iſtos (Semipelagianos) qui nobiſcum errorem illorum hæreticorum Catholica authoritate condemnant: Et cap. 14. Hæc eſt tota cauſa; cur dictum eſt à quocumque ſit dictum, raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus; dictum eſt enim ſecundum pericula vitæ hujus, non ſecundum præſcientiam Dei, qui hoc præſcivit quod futurum erat, non quod futurum non erat, id eſt, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus ut tentationum ſubtraheretur incerto: Non quod peccaturus eſſet, qui manſurus in tentatione non eſſet. Et circa finem capitis: Si judicarentur homines pro meritis ſuæ vitæ, quæ non habuerunt morte præventi, ſed habituri eſſent, ſi viverent: Nihil prodeſſet ei qui raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, nihil prodeſſet eis, qui lapſi moriuntur, ſi ante morerentur, quod nullus dicere Chriſtianus audebit: Quocirca non debent fratres noſtri (Semi-

enim tãtum conſtituuntur ab objectis formalibus, & non à materialibus.

Principalis ratio Auguſtini contra Pelagianos & Semipelagianos ſumpta erat ex Baptiſmo parvulorum in quibus nullum meritum apparebat: unde ægerrime ferebat iſtam evaſionem Semipelagianorum, qua dicebãt baptiſmum dari, aut negari ſecundum opera quæ feciſſent ſi diutius vixiſſent.

Hic Auguſt. negat præſcientiam non futurorum: ſcilicet ut impertinentem ad prædeſtinationem in ſenſu Semipelagianorum.

pelagiani) qui nobiſcum pro Catholica fide perniciem Pelagiani erroris impugnant, huic Pelagianæ in tantum favere opinioni qua opinantur, gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari: ut quod illi audere non poſſunt........ deſtruere moliantur, & aſtruere quod non dico crediturum, ſed ſomniaturum neminem putaremus: ſecundum ea ſcilicet judicari quemquam mortuorum quæ geſturus fuerat ſi tempore prolixiore vixiſſet. Et lib. de dono perſeverantiæ cap. 9. tandem pertæſus de eorum abſurditate, ait: An eò redituri ſumus, ut adhuc diſputemus quanta abſurditate dicatur, judicari homines mortuos etiam de his peccatis quæ præſcivit eos Deus perpetraturos fuiſſe ſi viverent: Quod ita abhorret à ſenſibus Chriſtianis aut prorſus humanis, ut id etiam refellere pudeat. Cur enim non dicatur & ipſum Euangelium cum tanto labore, paſſionibuſque Sanctorum fruſtra eſſe prædicatum, vel adhuc prædicari; ſi judicari poterant homines, etiam non audito Euangelio ſecundum contumaciam, vel obedientiam quam præſcivit eos habituros eſſe ſi audiſſent. Et infra. Porro ſi etiam ſecundum facta quæ facturi eſſent, ſi viverent, mortui judicantur: profectò quia fideles futuri eſsẽt iſti (Tyrii & Sidonii) ſi eis cum tantis miraculis fuiſſet Euangeliũ prædicatum, non ſunt utique puniendi; punientur autem: Falſum eſt igitur & ſecundum ea mortuos judicari quæ facturi eſſent, ſi ad eos viventes Euangelium perveniret; & ſi hoc falſum eſt, non eſt cur dicatur de infantibus, qui pereunt ſine baptiſmate morientes, hoc in eis eo merito fieri, quia præſcivit eos Deus, ſi viverent, prædicatumque illis fuiſſet Euangelium, infideliter audituros.

Hæc late recenſui, ut videat Lector quam ſolida & firma ſit iſta ſolutio, quando, teſtimoniis Auguſtini à Ianſenio adductis (quibus dicit Auguſtinus, quod Deus præſcivit quid facturus erat, quid largiturus) non intelligendo ea de præſcientia abſoluta, ut interpretatur illa Ianſenius, ſed de præſcientia conditionata; nôn quacumque: ſed de illa peculiari, quæ reſpicit ſolum futura, non vero etiam non futura: Nam cum vellet Auguſtinus diſcernere ſuam præſcientiam conditionatam futurorum, à præſcientia conditionata non futurorum Semipelagiana, quam tantopere abhorrebat & execrabatur, ut ſupra declaratum eſt, non poterat id aliter efficere quam dando, ſuæ præſcientiæ, objectum futurum: quia nempe objectum illius erat futurum; non vero non futurum, ut objectum præſcientiæ Semipelagianæ. Quod ſi non addidit conditionem, ut poſtulabat Ianſenius, ideo eſt quia etiam ea quæ numquam futura ſunt, ſunt tamen, aut poſſunt dici, ſub aliqua conditione futura, ut patet de Tyriis & Sidoniis qui credituri erant ſi Chriſtus eis prædicatus fuiſſet, & tamen non crediderunt: Vnde non debuit addere conditionem, ne confunderet ſuam præſcientiam intrinſecam prædeſtinationi cum præſcientia Semipelagiana, contraria prædeſtinationi; & ſic daret illis novam occaſionem errandi; ſed debuit ponere objectum nude & ſimpliciter futurum ad demonſtrandum quod præſcientia de qua loque-

In hac viâ ſei ſus horũ verborum (præſcivit quod fuerat ipſe facturus) is eſt, præſcivit ſub conditione quod facturus fuerat abſolute.

batur,erat tantum futurorum, & non etiam non futurorum;ſicut præſcientia Semipelagiana.

Aliud eſt reſpicere objectum, ut abſolute futurum: & aliud eſt reſpicere objectum, quod eſt abſolute futurum. 1. conſtituit ſcientiam abſolutam non, 2. de quo ſolùm locutus eſt Auguſtinus.

Quod ut facilius admittas nota quod nullam addit ibi Auguſtinus particulam reduplicativam futuri, quà determinet objectum futurum ad abſolute futurum, ſed tantum dicit objectum eſſe futurum nude & ſimpliciter, quod nemo negare poteſt de ſcientia conditionata de qua loquitur, quæ eſt ſolùm futurorum, & non etiam non futurorum, ſicut præſcientia Semipelagiana. Et ut oſtendatur adhuc quod hic modus loquendi ſumptus eſt, ex odio doctrinæ Semipelagianæ illi contrariæ, vix reperies apud Auguſtinum hunc modum loquendi de præſcientia Dei (quod ſcilicet præſcierit Deus quid facturus erat, quid daturus, quid largiturus erat) extra hos libros, & quos ſcripſit poſt exortum Semipelagianum errorem qui tribuebat baptiſmum, ſeu primam iſtam gratiam parvulorum, meritis hominum ſub conditione futuris, etſi vere non futuris, id eſt meritis quæ habuiſſent, ſi diutius vixiſſent, quamvis diu non vixerint: quæ merita vocat Auguſtinus per deriſionem, futura non futura.

Quapropter concludendum eſt in illis locis à Ianſenio citatis non loqui Auguſtinum de præſcientia abſoluta, ſed de ea conditionata peculiari quam ſatis explicuimus. Quod ſi tamen quis pertinaciter velit ibi loqui Auguſtinum de præſcientia abſoluta, & conſequente, & non de prædicta conditionata & antecedente: Non valde nos gravabit, dicemus enim ei quod etſi in iis locis Auguſtinus loquatur de illa ſcientia abſoluta & conſequente, tamen in aliis locis, quos ſupra explicuimus in ſex noſtris probationibus, loquitur neceſſario de præſcientia conditionata, & antecedente, quod nobis abunde ſufficit, ut ibi demonſtratum eſt. Nec enim negamus Auguſtinum agnoviſſe præſcientiam abſolutam & conſequentem: Sed aſſerimus etiam cognoviſſe antecedentem; quod ſolum nobis neceſſarium eſt. Verumtamen profiteor me plene convictum eſſe ex more agendi Auguſtini qui ſemper quantum poterat, recedebat non ſolum à ſenſibus hæreticorum, ſed etiam à verbis, illum ibi loqui de ea ſcientia conditionata quæ ſolùm reſpicit futura, ut recederet ab illa ſcientia conditionata Semipelagiana quæ reſpicit non futura quam tantopere execrabatur, ut ſupra declaratum eſt.

Sed & hæc poſſet addi ſolutio, dicendo ſcilicet quod in iis locis à Ianſenio citatis, ſumit Auguſtinus nomen præſcientiæ pro ipſamet prædeſtinatione, & non pro ſimplici præſcientia, de qua nobis quæſtio eſt, & in qua ſola ſignificatione ſumitur à nobis nomen præſcientiæ, in argumentis & probationibus ex Auguſtino: Et ſic in iſta via, hæc objectio Ianſenii nequidem ad propoſitum, cum ſit de prædeſtinatione & nos agimus de præſcientia prout diſtinguitur à prædeſtinatione. Quod autem in illis locis Ianſenii Auguſtinus ſumat nomen præſcientiæ pro prædeſtinatione, poſſet probari ex certo quodam loco Auguſtini, ubi profitetur Auguſtinus præſcientiam recte ſumi pro prædeſtinatione, quod

explicans, & exemplicans ibidem, utitur eodem modo loquendi, quo utitur in locis à Ianſenio citatis: Is autem locus talis eſt ex lib. de dono perſeverantiæ cap. 18. Aliquàndo, inquit, eadem prædeſtinatio ſignificatur etiam nomine præſcientiæ, ſicut ait Apoſtolus, non repulit Deus plebem ſuam quam præſcivit, hoc quod ait præſcivit, non recte intelligitur, niſi prædeſtinavit: Et infra: Nullus igitur qui hæc intelligit, negare, vel dubitare permittitur, ubi ait Apoſtolus: Non repulit Deus plebem ſuam quam præſcivit, prædeſtinationem ſignificare voluiſſe: Præſcivit enim reliquias, quas ſecundum electionem gratiæ fuerat ipſe facturus (ecce facturus, qui terminus eſt præcipuus in locis nobis objectis) hoc eſt ergo prædeſtinavit (ecce quomodo explicat ipſe Auguſtinus quod hæc verba, præſcivit quod fuerat ipſe facturus, nihil ſignificant aliud, niſi prædeſtinavit: Sed clariora ſunt quæ ſequuntur) ſed prædeſtinaſſe, inquit, eſt hoc præſciſſe quod fuerat ipſe facturus. Quid clarius dici poteſt pro iſta ſolutione: ſed & adhuc id confirmat initio capitis ſequentis dicens: Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores, legimus Dei præſcientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædeſtinationem intelligere: Magis autem fortaſſe voluerunt hoc verbo in ea re uti, quod, & facilius intelligitur, & non repugnat, imo & congruit veritati, quæ de prædeſtinatione gratiæ prædicatur. Ecce ergo quomodo vult Auguſtinus aliquando ſumi præſcientiam pro ipſa prædeſtinatione: quod ſi aliquando ſumi debeat præſcientia pro prædeſtinatione: certe in illis locis ſumi debet quos allegat Ianſenius ex ipſomet Auguſtino: tum quia illi loci ſunt omnino ſimiles huic loco, quem mox adduximus ex Auguſtino in exemplum iſtius ſignificationis, ſcilicet præſcivit reliquias quas ſecundum electionem gratiæ fuerat ipſe facturus, hoc eſt ergo prædeſtinavit: &: prædeſtinaſſe eſt hoc præſciſſe quod fuerat ipſe facturus. Tum etiam quia verbum, præſcivit, in locis allegatis poſitum, tam proprie, & connaturaliter ſignificat prædeſtinavit, ut ſi pro illo, ponas prædeſtinavit, optimum ſenſum habeat: Quapropter non video quid impediat quominus illud verbum ſic exponamus in illis locis, & dicamus quod in locis à Ianſenio citatis verbum illud, præſcivit, ſumitur pro prædeſtinavit: quia iſta ſignificatio ſupra approbata ab Auguſtino, bene illis locis convenit; unde non eſt mirum quod ibi objectum ſit futurum abſolute, cum omne objectum prædeſtinationis debeat eſſe futurum, ſed hoc non pertinet ad nos, qui loquimur de præſcientia ipſa ſecundum ſe ſumpta, & non de præſcientia pro prædeſtinatione ſumpta, quæ alia poſtulat quam præſcientia ipſa ſecundum ſe ſumpta, & per ſe ſignificata: Quamobrem recte dici poſſet in hac via, quod non bene probat Ianſenius, præſcientiam illam (de qua loquitur Auguſtinus in locis à nobis allegatis) non eſſe antecedentem, & conditionatam, ex eo quod illa præſcientia, de qua loquitur idem Auguſtinus in locis ab ipſo Ianſenio allatis, non eſt antecedens, ſed conſequens, nec conditionata,

In hac via, ſēſus horum verborum (præſcivit quod fuerat ipſe facturus) id eſt, prædeſtinavit præmiſſa præſcientia requiſita, quod fuerat aliquando facturus.

ſed abſoluta, & viſionis: Et ratio eſt quia præſcientia in locis à Ianſenio allatis, aliter ſumitur quam in noſtris, unde ab uno non bene infertur ad aliud: Præſcientia enim in locis à Ianſenio allatis ſumitur pro prædeſtinatione; in iis autem quos adduximus, ſumitur pro nuda & ſimplici præſcientia, & proinde non ſuſcipiunt eadem prædicata & accidentia.

PVNCTVM IV.

Proponitur, & ſolvitur prima inſtantia Ianſenii.

SEd inſtat Ianſenius, & ait, libro & capite iam citatis §. adverſus quam. Quod adverſus illam ſcientiam (conditionatam) capitale eſt, quod non dicat Auguſtinus, Deum per iſtam preſcientiam, prenoſcere quid homo, hac vel illa ſerie data facturus ſit, (quomodo, inquit, ſi illam conditionatam ſcientiam intelligeret, debuiſſet loqui) ſed per eam præſcire opus ſuum, præſcire quid ipſe facturus ſit. Sed priuſquam huic inſtantię reſpondeatur, advertendum eſt Ianſenium non negare, quod Auguſtinus ſcientiam conditionatam admiſerit: imo vero tam expreſſe id fatetur ut capite ſupracitato, §. imo certiſſime. Dicat, id non eſſe difficile oſtendere. Sed quod negat hîc, eſt quod in locis ab eo allegatis loquatur Auguſtinus de præſcientia conditionata, ſed vult eum ibi loqui de abſoluta præſcientia: Quod probat ex eo quod ſi loqueretur de præſcientia conditionata, potius debuiſſet dicere quid homo hac, vel illa ſerie data facturus eſſet, quam quid facturus eſſet ipſe Deus, quo non obſtante.

Reſpondeo, manendo in prima ſolutione mea ſupra allata (cæteras enim duas ſumet qui volet, nec enim contra illas procedit inſtantia Ianſenii) quod Auguſtinus ibi loquitur de præſcientia conditionata, & quod loquendo de ea, non debuit loqui de actione creaturæ, ſeu dicere, quid homo hac vel illa ſerie data facturus ſit: Sed quod debuit loqui de actione Dei, ſeu dicere quid Deus hac vel illa ſerie data facturus ſit: Quia cum individua ſit Dei & creaturæ actio, melius explicabat rationem prædictæ præſcientiæ & prædeſtinationis divinæ, contra errorem Semipelagianorum contra quos ipſe agebat, dicendo: Quid Deus facturus eſt, quam quid homo facturus ſit: cum per hoc oſtendat Deum concurrere ad actionem creaturæ, & non ſolam ipſam creaturam, prout volebant Semipelagiani circa initium fidei & perſeverantiam: Pro quo valde advertendum eſt quod Semipelagiani iſti valde errabant in materia præſcientiæ & prædeſtinationis divinę quoad ſupradictum initium fidei & perſeverantiam, putantes Deum ſolummodo præſcire illud initium & perſeverantiam, & non etiam illa facere, nec proinde prędeſtinare: de quo, illos graviter reprehendit Auguſtinus toto libro de prędeſtinatione Sanct. Sed prçcipue, cap. 17. ubi verſans illud Apoſtoli ad

Lib. 9. de gr. ſalu. cap. 7. Auguſtinus ſ. 8. de verb. Apoſt. init. illum quem Apoſt. vocat Sermonem humanum, dicit fuiſſe humanum & divinum, ob certam tamen rationē melius dictū eſſe humanum. Et lib. de gr. & libero arbit. cap. 9. ubi Apoſt. vocat vitam æternam gratiā, dicit potuiſſe vocare ſtipēdium, ſed ob certam rationē melius vocaſſe gratiam: ita & hic eſt dicendum poterat dicere quod Deus præſciebat quid homo eſſet facturus; ſed melius dixit Deum præſcire quid fuerat ipſe facturus ob certam rationem infra referendam.

ad Epheſ. 10. Sicut elegit nos in ipſo, ante conſtitutionem mundi; ait quod profectò, ſi propterea dictum eſt, quia præſcivit Deus credituros, non quia *factur*us fuerat ipſe credentes, contra iſtam præſcientiam (qua dicit Deum ſolum preſcire & non facere) loquitur Filius dicens: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Cum hoc potius præſcierit Deus, quod ipſi eum fuerant electuri (ſine Deo, ſine gratia) ut ab illo mererentur eligi. Electi ſunt itaque (verba Auguſtini) ante mundi conſtitutionem ea prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura *facta* præſcivit. Ecce cur potius Auguſtinus ponit facta Dei objectum præſcientiæ, & prædeſtinationis divinæ, quam facta hominum: ad demonſtrandum ſcilicet quod Deus etiam efficeret illud initium fidei, & non ſolus homo ſine illo, ut volebant Semipelagiani. Vnde & proſequitur eamdem Dei operationem probare, ſic dicens: Electi autem ſunt de mundo ea vocatione, qua Deus, id quod prædeſtinavit, *implevit*: Et infra, elegit ergo fideles Deus, ſed ut ſint non quia iam erant (ſcilicet per ſeipſos) & infra: Rogo quis audiat Dominum dicentem: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos; & audeat dicere, credere homines (ſine Deo) ut eligantur, cum potius eligantur, ut credant: ne contra ſententiam veritatis, priores (id eſt per ſeipſos ſolos) inveniantur elegiſſe Chriſtum. Et infra cap. 18. ait: Non ergo quia futuri eramus, ſed ut eſſemus: Nempe certum eſt, nempe manifeſtum eſt: Ideo quippe tale eramus futuri, quia elegit ipſe, prædeſtinans, ut tales *per gratiam* eius eſſemus. Et cap. 19. initio: Pergit eos increpare dicens: Sed hi noſtri (ſcilicet Semipelagiani) de quibus, vel pro quibus nunc agimus, forſitan dicũt, Pelagianos (ſolos) hoc Apoſtolico teſtimonio refutari: ubi dicit (Apoſtolus) Ideo nos in Chriſto electos & prædeſtinatos ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus Sancti, & immaculati in conſpectu eius, in charitate: Ipſi enim (Pelagiani) putant acceptis præceptis, iam per noſipſos fieri liberæ voluntatis arbitrio ſanctos, & immaculatos in conſpectu eius in charitate, quod futurum Deus quoniam præſcivit, (& non fecit) inquiunt, (Pelagiani) Ideo nos ante mundi conſtitutionem elegit, & prædeſtinavit in Chriſto: Cum dicat Apoſtolus: Non quia futuros nos eſſe præſcivit (& non fecit: ſic enim ibi ſumitur præſcivit) ſed ut eſſemus tales per ipſam electionem gratiæ ſuæ qua nos gratificavit in dilecto Filio ſuo. Cum ergo nos prædeſtinavit, *opus ſuum* præſcivit quo nos Sanctos & immaculatos facit, unde rectè hoc teſtimonio Pelagianus error arguitur (id eſt hoc teſtimonio redarguuntur ſolùm Pelagiani, qui volebant Deum omnia omnino opera noſtra bona ſolùm preſcire, & non facere, nec proinde prædeſtinare) nos autem (ſcilicet Semipelagiani) dicimus, inquiunt: Noſtrum Deum non præſciſſe, niſi fidem (id eſt præſciſſe ſolùm fidem, & non feciſſe) quia credere incipimus (ſcilicet per nos, & ſine Deo) & ideo nos elegiſſe, ante mundi conſtitutionem, ac prędeſtinaſſe, ut etiam ſancti & immaculati gratia & opere eius eſſemus (id eſt, & ratione iſtius fidei quæ à nobis ſolis eſt, Deum prædeſtinaſſe nos ad reliqua opera bona, ut im-

Semipelag. putabant Deũ, ſolùm præſcire credituros, & non facere ut crederẽt: negantes operationem Dei in illo initio fidei, & totum tribuentes creaturæ.

Evaſio Semipelagian. qui dicunt hunc textũ eſſe contra ſolos Pelagianos.

Pelag. ſibi ſolis tribuebãt initium omnium bonorũ operũ, & non Deo.

Semipelag. ſibi ſolis tribuebãt initium fidei, ſed nõ aliorũ operum.

poſterum per ſuam gratiam Sancti eſſemus : Qui error ſic arguitur ab Auguſtino)ſed audiant & ipſi (ſcilicet Semipelagiani) in hoc teſtimonio, ubi dicit (ſcilicet Apoſtolus) ſortem conſecuti ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum, qui univerſa *operatur* : Ipſe ergo(verba Auguſtini) ut credere incipiamus *operatur*, qui univerſa *operatur*..... Nec fides ipſa præcedit(ſcilicet operationem Dei) non enim quia credidimus(ſine Deo) ſed *ut credamus* elegit nos, ne priores eum elegiſſe dicamur; falſumque ſit, quod abſit: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos; nec quia credidimus, ſed ut credamus vocamur, atque illa vocatione quæ ſine pœnitentia eſt, id prorſus *agitur, & peragitur, ut credamus.* Ecce quantis probat operationem Dei in initio fidei contra illos errantes, qui negabant illam: Et tandem ex gratiarum actione quam reddit Apoſtolus Deo ad Epheſ. 1. pro fide fidelium, convincit iſtos errantes,quod non ſolum Deus præſcit(ut ſolùm volebant illi)ſed etiam quod ipſe facit, & operatur fidem in cordibus fidelium. Nova, inquit Auguſtinus, & recens erat eorum(ſcilicet Fidelium Epheſiorum)fides,prædicato ſibi Euangelio, qua fide audita, gratias Deo pro eis agit Apoſtolus, (ſupra quod ſic arguit Auguſtinus) ſi homini gratias ageret pro eo quod illum vel putaret non præſtitiſſe, vel noſſet, adulatio, vel irriſio verius quam gratiarum actio diceretur: (ergo) Nolite errare, Deus non irridetur: *Donum enim ejus eſt etiam incipiens fides*, ne Apoſtoli falſa, vel fallax gratiarum actio merito iudicetur. Quid illud; nonne initium fidei apparet Theſſalonicenſium, de quo tamen idem Apoſtolus gratias Deo agit, dicens: Propterea & nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione, quoniam cum percepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, excepiſtis non ut verbum hominum, ſed ſicut eſt vere verbum Dei, quod *operatur* in vobis, cui crediſtis. Quid eſt (inquit Auguſtinus) quod hinc Deo gratiâs agit (Apoſtolus) nempe vanum eſt atque inane, ſi, cui gratias agit de hoc quod ipſe non fecit: Vt cum percepiſſent ab Apoſtolo verbum auditus Dei, exciperent illud, non ut verbum hominum, ſed ſicut eſt vere verbum Dei: Deus igitur *operatur* in cordibus hominum,vocatione illa ſecundum propoſitum ſuum, de qua multum locuti ſumus, ut non inaniter audiant Euangelium, ſed eo audito,convertantur, & credant. Quod & late deinde proſequitur in ſequentibus capitibus. Sed iſta, ut opinor, ſufficiunt, ut videat Lector quam prudenter Auguſtinus licet in locis allegatis loqueretur de preſcientia antecedente,& conditionata, loquatur tamen potius de actione Dei, quam de actione creaturæ, & dicat potius quid Deus facturus erat, quam quid creatura; quia nempe neceſſe erat oſtendere operationem Dei, & quia periculum erat, ne ſi loqueretur de actione creaturę, & non Dei, iſti qui totum & totaliter tribuebant homini, & non Deo, perverterent ſanam ſuam doctrinam in ſenſum hęreticum, & dicerent, Auguſtinum attribuere rem præſcitam, v. gr. initium fidei ſoli creaturæ, & non Deo,cum ipſe eodem modo, ac illi, de illa præſcientia, & de re præſcita loqueretur:

Illi heretici tam procliues erant ad tribuendũ ſoli creatura, id quod

Non enim illi aliter exprimebant errorem ſuum quam dicendo quod Deus præſcierat actionem hominis, & præviderat quid homo hac aut illa ſerie poſita facturus erat, ut videre eſt in Epiſtolis Proſperi & Hilarii: Sic enim loquuntur in Epiſtola Proſperi paulo poſt initium: Qui autem crediturí ſunt (ecce actionem creaturæ, & quid ipſa factura ſit) quive in ea fide quæ deinceps per Dei gratiam ſit iuvanda, manſuri ſunt, *præſciſſe* ante mundi conſtitutionem Deum, & eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum quos gratia vocatos dignos futuros electione,& de hac vita bono fine exceſſuros eſſe *previderit*: Et infra poſt medium Epiſtolę, loquens de infidelibus quorum aliquando non miſertus eſt (Deus) nunc autem miſereatur, dicunt pręviſos eſſe à Domino credituros. Et in Epiſtola Hilarii paulo poſt initium, hæc de iiſdem habentur. Cum autem dicitur eis (ſcilicet Semipelagianis) quare aliis, vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur, vel nōneprædicetur, quod aliquando pene omnibus, ſicut nunc aliquibus gentibus non prædicatum ſit, dicunt id pręſcientiæ eſſe divinæ ut eo tempore, & ibi & illis veritas annuntiaretur,vel annuntietur quando & ubi *pranoſcebatur credenda.* Et paulo infra, ſic ait de iiſdem. Cæterum præſcientiam, & prædeſtinationem, vel propoſitum, ad id valere contendunt, ut eos *præſcierit*,vel prædeſtinaverit, vel propoſuerit eligere qui fuerant *credituri.* Ubi nihil vides aliud in modo loquendi iſtorum errantium, quam quod ponunt pro obiecto pręſcientiæ & prædeſtinationis divinæ actionem creaturæ, ſcilicet crediturae, & non Dei credulitatem iſtam effecturi, & dicunt quod Deus præſcierit, qui fuerant homines hac vel illa ſerie poſita credituri. Si ergo Auguſtinus loquendo de ſua præſcientia conditionata, poſuiſſet pro obiecto illius actionem creaturæ,& dixiſſet quid factura fuerat hac vel illa ſerie poſita, & non quid Deus facturus eſſet, quid daturus, quid largiturus; facile Semipelagiani pervertiſſent eius doctrinam, & dixiſſent, quod Auguſtinus ſentiebat cum illis, quandoquidem loquebatur cum illis, & eius doctrinam exprimebat iiſdem omnino verbis: Quamobrem concludendum eſt contra Ianſenium, quod Auguſtinus loquens de præſcientia ſua antecedente, & conditionata, non debebat ei dare pro obiecto actionem creaturæ, & dicere quid homo hac vel illa ſerie data facturus eſſet; ſed debuit dicere quid Deus hac vel illa ſerie facturus erat, daturus erat, largiturus erat, ut optime Auguſtinus.

aliquo modo dabatur creatura, ut Fulgentius li. 2. ad Monicum c. 26. loquens de quodā loco Apoſtoli. ubi vocat prædeſtinatos ad gloriam vaſa miſericordia: ſic ait: Potuiſſet Apoſtolus quos dixit vaſa miſericordia, potius vaſa iuſtitia nuncupare; ſed ſi vaſa iuſtitia vocarentur, forſitan ex ſeipſis habere iuſtitiā putarentur: qui locus valde notabilis eſt ad recte explicandā mentem Aug. & diſcipulorum eius, cū tribuat ſoli Deo, id quod commune eſt Deo & creatura. Satis oſtendit Auguſt. hominem eſſe facturū atque ac Deum cum libro de libero arbitrio c. 15. dicit: Et ne putetur nihil ibi facere ipſos homines per liberum arbitrium; ideo, &c. Et infra: Quare dat (Deus) ſi homo facturus eſt?

Sed quæres cum obiectum illius præſcientiæ ſit actio Dei ſimul & creaturæ; cur non poſuit utramque Auguſtinus,& meminit ſolius actionis Dei? Reſpondeo eam fuiſſe mentem Auguſtini, ut ſupra dictum eſt, quod quantum poſſet longiſſime recederet, non ſolum ab erroribus hæreticorum, ſed etiam ab omni ſpecie & communione doctrinæ illorum: Vnde cum illi errantes contra quos agebat, totum initium operis, &

D. Godeau in Hiſt ſua Eccleſ. to. 1. ad ann. 263. n. 21. loquēs de quodam

totaliter tribuerent homini, ipſe è contra voluit quaſi totum illud, & totaliter tribuere Deo: Non quod re vera ita ſentiret, ut ſatis declarat in aliis locis, & Deo dante aliquando declarabimus: ſed quod ita vellet recedere ab eis, ut nihil cum illis commune haberet, quantum fieri poſſet: Unde cum illi * totum homini tribuerent, ipſe totum Deo tribuebat, utraque propoſitio bonum habere ſenſum poterat; ſed ea quæ eſt Semipelagianorum, habebat pravum ſenſum quia totum & totaliter homini, bonum initium fidei tribuebant; ea autem quæ eſt Auguſtini bonum ſenſum habebat, quia totum quidem illud initium excitanti & adiuvanti Deo tribuebat, ſed non totaliter, quia etiam cooperationem ſuam creaturæ reſervabat. Quod hoc brevi exemplo demonſtro ex lib. de prædeſt. Sanct. cap. 10. ubi loquens Auguſtinus de fide quam promiſerat Deus filiis Abrahæ, ſic ait: Promiſit enim (Deus) quod ipſe facturus fuerat, non quod homines (Ibi videtur dare totum Deo, & nihil creaturæ; ſed audi ſequentia, quia etſi *faciunt* homines bona (ecce cooperationem creaturæ liberam, expeditam, omnino indifferentem, & non prędeterminatam à Deo; ſic enim explicuit ipſam actionem Dei per verbum *facturus*: Et infra adhuc explicabit per idem verbum *facere*) & ſi (ergo) *faciunt* homines bona, quę pertinent ad Deum colendum, ipſe facit (id eſt primus facit excitando, inuitando, ſuadendo per gratiam ſuam prævenientem) ut illi *faciant* (id eſt cooperentur, & conſentiant gratiæ divinæ excitanti & prævenienti) quod præcepit: Non illi faciunt (id eſt non illi incipiunt per primum credulitatis affectum, ut volebant Semipelagiani) ut ipſe faciat, quod promiſit: (id eſt det ipſam fidem) Alioquin ut Dei promiſſa compleantur, non in Dei, ſed in hominum eſt poteſtate (cum ad eos pertineret incipere, & Deus deberet expectare: Quod abſurdum ſic oſtendit in fine capitis iſtius dicens) Niſi enim homo faciat (id eſt incipiat) quod Deo non donante (id eſt excitante) ad hominem pertinet, non faciet ipſe quod donet: hoc eſt niſi habeat homo fidem ex ſeipſo (id eſt ſine Deo excitante & præveniente) non implet Deus quod promiſit, ut opera juſtitiæ dentur ex Deo. Ac per hoc ut promiſſa ſua Deus poſſit implere, non eſt in Dei, ſed in hominis poteſtate: Quod ſi veritas & pietas nos credere vetat, credamus cum Abraham, quoniam quæ promiſit, potens eſt & facere: Hæc Auguſtinus quæ ſatis clare demonſtrant, quod quando Auguſtinus dicit Deum aliquid facere: per hoc non negat cooperationem & coefficientiam hominis liberam, & indeterminatam; ſed tantum negat hominem iſtam actionem incipere, & ſolummodo Deum perficere, ut volebant Semipelagiani quoad initium fidei; ſed recte vult & determinat: ut ipſe Deus incipiat, adjuvet, & perficiat; ipſa autem creatura ſolummodo cooperetur, & coefficiat, quod nemo vere Catholicus unquam inficiabitur.

Dionyſio Alexandrino ait: Id accidiſſe ferè omnibus Patribus, ut impugnantes quandam hæreſim, ita irent in contrarium, ut viderentur excedere.

Vide 13. obiectionem ex ratione, ubi late agitur de gratia indifferenti ſecundum Auguſtinū.

** Nota quod non dico hic, totaliter.*

Sed hæc aliquo modo ſunt, quanquam non omnino, extra propoſitum. Redeundo itaque ad inſtantiam Ianſenii, ſatis, ut opinor, demon-

ſtravi quod etiamſi loquatur Auguſtinus in locis ab illo allegatis, de præſcientia ſua antecedente, & conditionata, non debebat tamen loqui de actione creaturæ, & dicere quid homo hac vel illa ſerie data, facturus erat, ut vult Ianſenius; ſed debebat loqui de actione Dei, & dicere quid Deus hac vel illa ſerie data facturus erat, propter ſcilicet errorem Semipelagianorum contra quos ipſe agebat: Quia nempe ſi locutus fuiſſet de actione creaturę, & dixiſſet quod homo hac vel illa ſerie data facturus eſſet: illi qui ſecundum ſuum errorem peculiarem, totum & totaliter homini, ſic loquendo, tribuebant initium fidei, facile confirmati fuiſſent in ſuo iſto errore, & dixiſſent Auguſtinum omnino ſentire cum eis, videntes eum ita loqui de iſto initio fidei, ac ipſi errando loquebantur; quod omnino debuit & voluit evitare Auguſtinus.

Quod ſi cuipiam iſta noſtra ſolutio, quę mihi omnino genuina videtur eſſe, non probatur, ſumant & hanc aliam [redacted] ſcilicet, quod etſi in illis locis quos allegat Ianſenius, Auguſtinus non loquatur de præſcientia antecedente, & conditionata; ſed de conſequente, & viſionis propter rationem in inſtantia allatam: Dicimus quod hoc non prejudicat iis locis quos adduximus, quia licet in locis à Ianſenio adductis, Auguſtinus loquatur de præſcientia ſua conſequente & viſionis, non bene tamen ſequitur quod de alia non loquatur in aliis locis: Porro quod in locis à nobis allegatis neceſſario loquatur Auguſtinus de præſcientia antecedente, ſeu conditionata, & non de conſequente & viſionis, ſatis ſupra demonſtratum eſt, in ſex noſtris probationibus quandoquidem ibi demonſtratum eſt. Auguſtinum ibi loqui de aliqua præſcientia præjacente, & influente aliquid in ipſam prędeſtinationem.

Hac ſolutio datur ad duritiã cordis: Nam indubitatum omnino eſt, & hos locos intelligi de praſcientia antecedẽte; ut patet ex uno ex illis, ſcilicet hoc Deus facturum ſe eſſe praſcivit:

Ipſa eſt pradeſtinatio Sanctorum. Ubi praſcientia illa tam intrinſeca, ſignificatur pradeſtinationi, ut ipſamet pradeſtinatio, nuncupetur, quod non poteſt convenire praſcientia conſequenti: qua ut poſterior eſt pradeſtinatione, ita & illi extrinſeca eſt, & ſupra oſtenſum eſt, quod nequidem eſt ipſius proprietas; ergo illa praſcientia eſt antecedens, & non conſequens.

PUNCTUM V.

Proponitur & ſolvitur ſecunda inſtantia Ianſenii, & uni difficultati reſpondetur.

NUNC tranſeamus ad alteram Ianſenii inſtantiam, qua dicit ſupra citato lib. 9. de gr. Salv. cap. 7. §. Imo exertiſſimeq, quod iſta præſcientia antecedens, ſeu conditionata non potuit in prędeſtinationis definitione ſignificari ab Auguſtino propter gratiam liberatricem & Chriſtianam, quę talis eſt, inquit in voluntatem efficacię, tantaque poteſtate libero arbitrio dominatur, ut nihil hoſtilius ei quam iſta præſcientia conditionata eſſe poſſit: Cui ego reſpondeo, hanc præſcientiam conditionatam nullo modo eſſe contrariam gratię Chriſtianę, ſed ſo-

Auguſtinus non dixit gratiam liberatricem dominari arbitrio: Sed concupiſcentia, & impedimentis ... ſolus libertatis

ut ab iis arbitrium liberetur, & ſit expeditū ad agendum, & dominetur ipſi concupiſcentiæ ſibi obſiſtenti. Vnde ipſam voluntatem vocat Reginam & Dominantem lib. de Nupt. & concupiſc. cap. 23. & 24. dominantem ſcilicet motibus concupiſcentiæ, per gratiam, liberatam.

lũm Ianſenianæ, quę neceſſitat arbitrium : maxime autem eſſe conformem Auguſtinianę, quę eadem cum Chriſtiana eſt : quia per eam maxime liberum hominis ſervatur arbitrium, (quod ſemper voluit Auguſtinus conſervatum) & tamen Deo ſervatur etiam omnino libera & expedita effectus diſpoſitio pro libito : quia licet ille effectus, non niſi per gratiam habituram effectum dependenter ab hominis arbitrio futurus ſit; tamen per hoc, nullum jus acquirit homo, nec humanum arbitrium ad habendam illam gratiam pro libito, potius quàm aliam; ſed ſemper eſt in libero Dei nutu & arbitrio illam dare, aut non dare, prout vult, & per hoc facere, aut non facere effectum, ſi voluerit : Unde ſemper in hac via, vera ſunt illa Apoſtoli verba : Deus cujus vult miſeretur, & quem vult indurat: Quis te diſcernit, & ſimilia : Quia effectus non eſt aliter futurus quam ſecundum Dei voluntatem qui poteſt dare, aut negare pro arbitrio, gratiam illam quam pręvidit effectum habituram, & dare aliam quam pręvidit effectum non habituram : Et ſic plene & libere poſſe diſponere de quacumque hominis voluntate & actione : Vnde manifeſtum eſt quod pręſciēntia iſta conditionata nullomodo contraria eſt gratię Chriſtianæ, & Auguſtinianę, ut volebat Ianſenius.

Sed quia multoties hîc fecimus mentionem de iſta pręſcientia conditionata, notandum eſt quod etſi admittamus illam ad prędeſtinationem Auguſtinianam explicandam; non tamen ita adhæremus illi, ut non ſufficeret nobis ſcientia ſimplicis intelligentiæ, prout illam explicant aliqui, quę non ſolum videt res omnes poſſibiles, ſed etiam omnes modos quibus illæ ſunt poſſibiles : Nam cum illa ſcientia per illos modos eadem præſtet ac conditionata per conditiones ſuas; illa, inquam, nobis ſufficeret ad explicandam naturam prędeſtinationis & gratiæ Auguſtinianæ : ſed quia video D. Auguſtinum hanc ſcientiam conditionatam admittere (nunquam enim reprehendit eam in Semipelagianis ut conditionatam, ſed ob alias circumſtantias quas ſupra indicavimus) & de Auguſtini ſenſu quæſtionem eſſe : Ideo propter hoc, & etiam quia nolo à tanti Doctoris ſenſu ullatenus diſcedere, illam libenter admitto, & dico illam eſſe quàm Auguſtinus intellexit, cum popoſcit ſcientiam pręviam & antecedentem ad ſuam prædeſtinationem.

Subdola quædam Ianſenij reſponſio refellitur.

Sed antequam Ianſenium omnino dimittamus, expendenda nobis eſt aliqua illius ratiocinatio qua prędicto libro & capite, §. Cur ergo, inquies. Reſpondet huic rationi, ſcilicet quod ſi Auguſtinus nullam aliam ſcientiam admiſiſſet ad ſuam prędeſtinationem, quam ſcientiam conſequentem, & viſionis (ut ipſe vult) non eſſet ratio cur tam ſollicite & frequenter mentionem faceret iſtius præſcientię ſubſequentis, & omnino inutiliter eam poneret in definitione ſuæ prædeſtinationis, cum ad naturam illius nihil faceret, cum ſupponat decretum Dei, & prædeſtinationem jam factam. Sic autem reſpondet Ianſenius huic rationi, & dicit cauſam hujus rei eſſe, quia cum Semipelagianis ei diſceptatio erat,

qui volebant fidem & perſeverantiam, de quibus proprie in illis duobus libris(ſcilicet de prędeſtinationeSanctorum & de dono perſeverantiæ) agitur, ita pertinere ad pręſcientiam Dei,ut à Deo quidem præſcirentur, non tamen donarentur: Hoc eſt, inquit, iſta duo divinæ præſcientiæ, non prędeſtinationi ſubmittebant: ita ut eorum judicio non eſſent beneficia Dei, quibus liberemur, ſed humanæ voluntatis officia: Adverſus illum errorem nimis pernicioſum, inſtantiſſime docet fidem, ac perſeverantiam, ad Dei quidem pertinere pręſcientiam, ſed ſic tamen, inquit, ut ſimul eſſent ad illius prędeſtinationem referenda: eò quòd ea præſciat ex illa ipſa prædeſtinatione, vi cujus fiat, ut id quod ipſemet facturus eſt ea dona largiendo, ignorare non poſſit.

Mira verborum contextio ad tegendam falſitatem.

Reſpondeo & dico quod iſta ratiocinatio nullomodo ſatisfacit cum nequidem tangat difficultatem: Nam non erat difficultas inter Auguſtinum & Semipelagianos; an fides, aut perſeverantia pertineret ad aliquam Dei præſcientiam cum nullomodo poſſent Auguſtinus vel Semipelagiani, dubitare, quod fides & perſeverantia, poſtquam futuræ ſunt, à Deo ipſo, ut futurę pręviderentur: Sed hæc duo ſolùm controvertebantur inter eos, ut fuſe ſupra demonſtravimus. Primò an pręſcientia initii fidei pure humani eſſet cauſa curDeus prædeſtinaret ad fidem: Semipelagiani enim contendebant pręſcientiam initii fidei pure humani, & ut ab homine & non à Deo, eſſe cauſam cur Deus daret fidem. Quibus reſpondet Auguſtinus quod eſt falſum: Et quod pręſcientia requiſita ad prædeſtinationem (de qua ſola loquebantur) non erat ſolius actus humani; ſed etiam actus Dei: actus,inquam, Dei excitantis & prævenientis, & per hoc facientis cum homine illud initium fidei de quo præcipue controverſia erat, unde toties dicit Deum præſciſſe quid fuerat ipſe facturus, quid daturus, quid largiturus: Quia in hoc errabant Semipelagiani,quod volebant illud initium præſcitum fidei eſſe ſolùm ab homine, & non etiam à Deo liberum hominis arbitrium excitante & præveniente; unde de eo ſolo debebat illos inſtruere, & re vera inſtruebat. Secundò controvertebatur inter eos an præſcientia actuum nunquam futurorum, v. gr. actuum quos pueri decedentes in ætate parvula, feciſſent ſi diutius vixiſſent, eſſet cauſa ſuſcipiendi baptiſmum, aut non ſuſcipiendi? Affirmabant Semipelagiani, & negabat Auguſtinus, dicens iſtam præſcientiam eſſe fatuam & indignam quæ ab homine rationali proponeretur, cum poneret judicari homines de iis quæ non feciſſent; & ſic tota controverſia erat, ut per ſe manifeſtum eſt de præſcientia antecedente, & non de conſequente: Cum tota eſſet de tali præſcientia, quæ proponeret Deo merita purę humana, vel

Difficultas inter Auguſtinum & Semipelag. non erat de præſcientia conſequente, ſed de antecedente: an nempe eſſet verè ſpeculativa reſpectu Dei quoad initium fidei: an vero etiã practica, id eſt an ita res ſe haberet in præſcientia Dei, ut ſi prædicetur tali homini Evãgelium, tali tempore, ille volet credere: Et hæc erat præſcientia antecedens Semipelagiana mere ſpeculativa, reſpectu Dei, quoad initium fidei, quia ad illud initium Deus non concurrebat: An vero ſe res ita haberet in præſcientia Dei, ſi prædicetur Evangelium huic homini, tali tempore, & dem ei talem gratiam excitantem volet, credere. Et hæc erat præſcientia antecedens Auguſtiniana practica reſpectu Dei, quoad initium fidei: quia ad illud concurrebat per gratiam excitantem & adjuvantem, & hoc erat 1. punctum de quo iſtos errantes inſtruebat: altera autem erat de præſcientia conditionata futurorum, nunquam futurorum, quam rejiciebat ut prædeſtinationi prorſus inutilem.

Non inſtruebat Auguſtinus Semipelag. de præſcientia in illis libris, cum de ea in illis nõ ageret principaliter, ſed occaſionaliter tantum, & per accidens.

nunquam futura, quorum intuitu Semipelagiani aſſerebant Deum dare fidem, & perſeverantiam, & negabat Auguſtinus. Unde cum de ſola iſta præſcientia antecedente controverſia eſſet, non erat quod Auguſtinus eos inſtrueret de alia, & diceret res prædeſtinatas pertinere ad præſcientiam conſequentem, cum non eſſet quæſtio de illa, ſed de antecedente ſola: Et per conſequens manifeſtũ eſt quod conficta eſt iſta reſponſio Ianſenii. Quod adhuc probari poteſt ex eo quod in prædictis libris de prædeſtinatione Sanctorum, & de dono perſeverantiæ, non agit principaliter Auguſtinus de præſcientia, ſed tantum de per accidens, in quantum ſcilicet illa proponebat illis actiones pure humanas quas volebant Semipelagiani eſſe cauſas prædeſtinationis ad gratiam, & Auguſtinus negabat: unde Auguſtinus agens contra illos non facit vim in præſcientia, ſed tantum in actionibus præſcitis quas negat debere eſſe à ſolo homine, ut ipſi volebant, ſed vult eſſe ab ipſo Deo excitante & præveniente noſtrum arbitrium: Quod clare patet in iis locis, quos adduximus initio reſponſionis noſtræ ad primam inſtantiam Ianſenii: Vbi premit Auguſtinus Semipelagianos de objecto præſcientiæ & non de præſcientia ipſa, dicens ex Apoſtolo: Quod Deus nos elegit non quia eramus, ſed ut eſſemus fideles; item homines non credere ut eligantur, ſed potius eligi ut credant. Item ipſum operari ut credamus qui univerſa operatur: Item nec fides ipſa præcedit, non enim quia credidimus, ſed ut credamus, vocamur, atque vocatione illa quæ ſine pœnitentia eſt, id prorſus agitur, & peragitur, ut credamus: Item donum Dei eſt incipiens fides: Item Deus igitur operatur in cordibus hominum vocatione illa ſecundum propoſitum ſuum de qua multum locuti ſumus, ut non inaniter audiant Euangelium; ſed eo audito, convertantur ut credant. In quibus omnibus premit tantum principaliter Auguſtinus objectum præſcientiæ, & non præſcientiam ipſam, quia nempe non peccabant Semipelagiani in præſcientia ſua illa antecedente de qua loquebantur, cum eam etiam admitteret Auguſtinus, ſed tantum peccabant in objecto præſcientiæ, in quantum volebant illud eſſe pure humanum, & aliquando tale, quod non eſſet futurum; Auguſtinus autem volebat eſſe aliquo modo divinum, cùm neceſſario eſſet à Deo, & etiam ſemper futurum. Ex quo manifeſtum eſt iſtam ratiocinationem Ianſenii eſſe meram evaſionem ad fugiendam vim argumenti quo vehementer premebatur ad admittendum quod Auguſtinus loquebatur in locis à nobis adductis de præſcientia antecedente & conditionata, & non de conſequente & viſionis, ut ipſe conabatur evincere. Quapropter his confutatis, tranſeundum nobis eſt ad alia argumenta ex Auguſtino.

Punctum VI.

Proponitur quartum argumentum ex Auguſtino, & uni etiam difficultati reſpondetur.

Quartum principale argumentum ex Auguſtino quod aliqualiter ſupra delibavimus, nunc autem validius & explicatius proſecuturi ſumus, in hoc fundatur, quod contendat Auguſtinus, non majorem eſſe difficultatem in ſua prædeſtinatione quoad libertatem arbitrii, quam in mera præſcientia: ex quo conſequens neceſſario eſt, quod præſcientiam præſupponat, ante prædeſtinationem: Nam ſi prædeſtinatio in ſententia Auguſtini, non ſupponit præſcientiam; quis non videat majorem difficultatem continere quoad libertatem creaturæ, quam præſcientiam: cum omnia ex ſe decernat, nullo reſpectu habito, ſive ad inclinationem, ſive ad determinationem creaturæ; at vero præſcientia nihil decernit ante creaturam, nihil per ſe ponit in ipſa re, nihil facit quo aliquid ſit futurum, aut non futurum: ſed tantum videt ſi futurum eſt; ſi non futurum eſt, non videt, & in omnibus ſequitur determinationem & conſenſum arbitrii. Quapropter in præſcientia nulla fere difficultas eſt, & re vera nullam in ea ipſi Semipelagiani patiebantur difficultatem: In prædeſtinatione vero ſi non ſupponit præſcientiam, magna difficultas eſt, cum ex ſe determinet omnia pro libito, & nulla habita ratione determinationis creaturæ: Et re vera in ipſa ſic ſumpta maximam, imo intolerabilem patiebantur Semipelagiani difficultatem: nec poterant concipere quod tale decretum omnino abſolutum, & nihil ante ſupponens (quod falſo attribuebant Auguſtino, cum ipſe præſcientiam præſupponeret) non læderet libertatem, funditusque indifferentiam requiſitam peſſundaret: Quapropter Auguſtinus ut hanc eliderer difficultatem, fere ſemper conjungit præſcientiam cum prædeſtinatione, imo pene confundit: ut ſcilicet oſtenderet eis quod ſua prædeſtinatio, cum involveret, aut ſupponeret præſcientiam, non magis læderet libertatem, ſive quoad initium fidei, ſive quoad perſeverantiam, ſive quoad conſecutionem gloriæ, quàm ipſamet præſcientia quam ipſi admittebant, & ſciebant non tollere libertatem. Quod autem id contenderet Auguſtinus, ſcilicet oſtendere quod prædeſtinatio ſua non haberet majorem difficultatem quàm ipſa præſcientia, facile probari poteſt ex multis ejus textibus ex lib. de dono Perſever. depromptis: ſic enim ait, cap. 17. circa initium: Sicut autem ille, quem caſtum futurum eſſe præſcivit (ſcilicet Deus) quamvis id incertum habeat, agit ut caſtus ſit: Ita ille quem caſtum futurum eſſe prædeſtinavit, quamvis id incertum habeat, non ideo non agit ut caſtus ſit, quoniam Dei dono ſe audit futurum eſſe quod quærit. Id eſt, ſeu, ſenſus eſt, ſicut præſcientia Dei non impedit, quin quis libere tendat ad caſtitatem, ſic *In ſex probationibus.*

nec ipſa prædeſtinatio: Et cap. 19. initio, ait: Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores, legimus Dei præſcientiam, & agitur de vocatione electorum, eamdem prædeſtinationem intelligere? Magis autem fortaſſe voluerunt hoc verbo in ea re uti quod & facilius intelligitur, & non repugnat, imo & congruit veritati quæ de prædeſtinatione gratiæ prædicatur. In quo ponit prædeſtinationem optime ſignificari nomine præſcientiæ, & multos Patres pro nomine prædeſtinationis, uſurpaſſe nomen præſcientiæ, quod hoc facilius conciperetur quam prædeſtinationis nomen, licet à parte rei æque faciles eſſent ambæ, & libertati creaturæ conſentaneæ: Et cap. 22. in fine, ſic ait: Hæc autem omnia, initium ſcilicet fidei, & cætera uſque in finem dona ſua Deus largiturum ſe vocatis ſuis præſcivit: Nimiæ igitur contentionis eſt prædeſtinationi contradicere, vel de prædeſtinatione dubitare. Quaſi diceret: iſta omnia ſcilicet initium fidei, & cætera dona quæ dixi Deum prædeſtinare, idem eſt, ac ſi dicerem præſcire, in quo nullam difficultatem pateremini: & per conſequens nimiæ contentionis eſt, prædeſtinationi meæ amplius contradicere. Et cap. 22. initio, ipſam prædeſtinationem eodem modo populis prædicari, ac ſimplicem vult præſcientiam. Quæ tamen, inquit (ſupple prædeſtinatio) non ita populis prædicanda eſt, ut apud imperitam multitudinem redargui quodammodo ipſa ſua prædicatione videatur; ſicut redargui videtur & præſcientia Dei, quam certe negare non poſſunt, ſi dicatur hominibus: Sive curratis, ſive dormiatis, quod vos præſcivit, qui falli non poteſt, hoc eritis: doloſi autem vel imperiti medici eſt, etiam utile medicamentum ſic alligare, ut aut non proſit, aut obſit: ſed dicendum eſt; Sic currite, ut comprehendatis, atque ut ipſo curſu veſtro ita vos eſſe præcognitos noveritis, ut legitime curreretis: Et ſi quo alio modo Dei præſcientia prædicari poteſt, ut hominis ſegnitia repellatur: Ubi prorſus æquiparat modum prædicandi prædeſtinationem cum modo prædicandi præſcientiam, ob facilitatem ſcilicet quæ eadem eſt in prædeſtinatione ac in præſcientia: Et adhuc infra eodem capite eamdem comparationem inſtituit: Nam cum illi objicerent Semipelagiani, ex ejus prædeſtinatione ad perſeverantiam ſine meritis humanis, ſequi quod hoc poſſet prædicari populis: Si qui eſtis qui obeditis, ſi prædeſtinati eſtis rejiciendi, ſubtrahentur obediendi vires, ut obedire ceſſetis: Huic objectioni reſpondet Auguſtinus his verbis: Illo autem modo quo id dicendum putant, eadem ſententia, iiſdem pene verbis etiam de præſcientia, quam certe negare non poſſunt, pronuntiari poteſt, ut dicatur: Si qui obeditis, ſi præſciti eſtis rejiciendi, obedire ceſſabitis: & ita in omnibus æquiparat prædeſtinationem præſcientiæ, & eaſdem difficultates, quas aliqui reperiunt in prædeſtinatione, eaſdem omnes, ſi quæ ſint, oſtendit eſſe in præſcientia: Quapropter dicendum eſt quod præſuppoſuit Auguſtinus præſcientiam ante prædeſtinationem, cum ubique comparet, & æquiparet eam præſcientiæ, & non majorem in ea difficultatem

eſſe contendat, quam in præſcientia: Nam ſi non præpoſuiſſet præſcientiam ante prædeſtinationem, nemo eſt qui non vidiſſet falſitatem iſtius æquiparationis & argumentationis, cum ſine ulla dubitatione longe major ſit difficultas quoad libertatem arbitrii: In decreto aliquo abſoluto quod prævenit voluntatem, qualis eſſet prædeſtinatio, ſi eſſet ante præſcientiam, quam in mera aliqua præſcientia ſpeculativa, quæ verſatur tantum circa id quod voluntas aliquando ex ſuo mero conſenſu, & nutu, cum adjutorio Dei libero & indifferenti effectura eſt: Et per conſequens manifeſtum eſt, quod prædeſtinatio ſecundum Auguſtinum non eſt ante præſcientiam, vel conſensûs voluntatis, ſi ſit ad gratiam: vel futurorum meritorum, ſi ſit ad gloriam, quod eſt totum quod intendimus.

Sed antequam omnino deſeramus iſtam materiam de præſcientia divina, de qua toties loquitur Auguſtinus, refellenda eſt aliqua interpretatio, qua dicunt aliqui, per iſtam præſcientiam non intelligere Auguſtinum ſcientiam conditionatam, aut viſionis, quæ ſunt mere ſpeculativæ, ſed intelligere ſcientiam approbationis, quæ eſt practica, & bene convenit definitioni prædeſtinationis. Sed reſpondeo quod non eſt illa præſcientia, de qua loquitur Auguſt. in locis à nobis allegatis: 1o quia præſcientia de qua loquitur Auguſtinus, eſt antecedens, ut patet ex accurato ordine, quem obſervat ponens ſemper præſcientiam ante prædeſtinationem, & ex eo quod in definitione ſua accurata ponit præſcientiam illam ante prædeſtinationem, & etiam ex eo quod conſiderabat illam ut præjacentem, ut patet in ſex noſtris probationibus brevibus: At ſcientia approbationis non eſt ante prædeſtinationem, ſeu decretum voluntatis divinæ; ſed vel poſt ipſam, vel ſimul cum ipſa, ut ait D. Thomas, 1. p. q. 14. A. 2. ubi ait ſcientiam illam approbationis habere conjunctam voluntatem, ergo præſcientia de qua quæſtio eſt, non eſt ſcientia approbationis. 2o ex eo quod dicit Auguſtinus facilius eſſe concipere prædeſtinationem ſub nomine præſcientiæ, de qua loquebatur, quàm ſub nomine prædeſtinationis, ut patet ex illo loco de dono perſeverantiæ cap. 19. initio, ubi ait: Quid ergo nos prohibet quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus præſcientiam, & agitur de vocatione electorum, eamdem prædeſtinationem intelligere, Magis autem fortaſſe voluerunt hoc verbo in ea re uti quod & *facilius* intelligitur, & non repugnat, imo & congruit veritati, quæ de prædeſtinatione gratiæ prædicatur: At ſi præſcientia illa eſſet ſcientia approbationis quæ eſt practica, eamdem omnino haberet difficultatem ac prædeſtinatio, ut per ſe manifeſtũ eſt, cum ſit abſoluta, & efficax; ergo non eſt præſcientia illa de qua loquitur Auguſt. in locis à nobis allegatis: Tertio denique quia aliquando conſiderat eam Auguſt. ut cauſam prædeſtinationis prout notavimus in 5. probatione brevi; at ſcientia approbationis non eſt cauſa prædeſtinationis, ſed potius effectus illius, vel ſaltem concomitans illam, ut ſupra diximus ex D. Thoma, & per conſe-

Supra locuti ſumus de præſcientia quadam cõditionata, ſeu antecedente practica: ſed ibi practicum ſumitur aliter quam ordinarie, ſcilicet pro eo quod debet fieri à præſciẽte, ſi fiat, & nõ ſolùm ab alio: unde diximus illam eſſe practicam non ſimpliciter, ſed reſpectu Dei, quia illa præſcientia eſt eorum quæ Deus ipſe facturus eſt, & non alii ſoli.

quens manifeſtum eſt, quod præſcientia de qua loquitur Auguſtinus non eſt ſcientia approbationis: cum ergo non ſit approbationis, nec viſionis, nec conſequens, ſequitur quod ſit, vel ſimplicis intelligentiæ modo ſupra explicato, vel conditionata & antecedens, quod intendimus.

PVNCTVM VII.

Proponuntur tria alia argumenta ex Auguſtino, ſcilicet quintum, ſextum, & ſeptimum.

QUINTUM argumentum ſumitur, ex eo quod conſtanter credidit Auguſtinus, eodem modo rem prædeſtinari ac dari: Quod nemini dubium eſſe poteſt, qui legerit libros de prædeſtinatione Sanctorum, & de dono perſeverantiæ: ubi non aliter probat initium fidei, & perſeverantiam gratis prædeſtinari, quam quia probat illa gratis dari: Quod unico teſtimonio, ut brevis ſim in re tam aperta, demonſtro ex libro de dono perſeverantiæ cap. 10. ubi poſtquam multis argumentatus eſſet, ut evinceret initium fidei, & perſeverantiam prædeſtinari gratis, ſic concludit: Conficitur itaque gratiam Dei, non ſecundum merita accipientium *dari*, ſed ſecundum placitum voluntatis ejus, in laudem & gloriam ipſius gratiæ ejus, ut qui gloriatur, nullomodo in ſeipſo, ſed in Domino glorietur, qui hominibus *dat* quibus vult, quoniam miſericors eſt; quod etſi non det, juſtus eſt: & non dat, quibus non vult, ut notas faciat divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ: *dando* enim quibuſdam quod non merentur, profecto gratuitam, & per hoc veram ſuam gratiam eſſe voluit. Vbi vides eum concludere de ſola collatione, & non de prædeſtinatione, quia nempe eodem modo ſciebat, rem dari ac prædeſtinari à Deo: Quod etiam fatetur Ianſenius lib. 9. de gratia Salvat. cap. 6. dicens: Docet (ſcilicet Auguſtinus) omnia iſta (id eſt virtutem & vitam æternam) præter initium fidei, ex meritis dari, & conſequenter homines ex aliquibus meritis eligi: Vbi vides dari & eligi eodem modo ſe habere in doctrina Auguſtini ſecundùm confeſſionem ipſius Ianſenii. Supra quod ſic arguo: Cenſuit Auguſtinus rem eodem modo prædeſtinari ac dari, ſed negare non potuit gloriam dari ex meritis, cum dicere contrarium dogma ſit hæreticum; ergo neceſſario fatendum eſt, quod Auguſtinus cenſuit, gloriam prædeſtinari ex meritis, cum negare non potuerit ipſam dari ex meritis.

Idem fatetur cap. 13. ejuſdem lib. 9. Ex his ergo.

Sextum argumentum eſt, quod licet Auguſtinus teneat numerum Electorum eſſe definitum quoad ſe, non tamen tenet eum eſſe definitum quoad perſonas quæ pertinent ad illum numerum, & per conſequens non tenet prædeſtinationem ad gloriam factam eſſe ante præviſa merita; ſed tantum poſt præviſa merita: Conſequentia patet,

quia ſi numerus ille non eſt definitus & determinatus quoad perſonas, ſequitur neceſſario quod hoc pendet ab aliquo extrinſeco, quod expectatur, aut quaſi expectatur, ut determinet Deum de ſe indifferentem ad eligendos hos, vel illos ad vitam æternam: Atqui illud extrinſecum non poteſt eſſe niſi merita, cum de his ſolis fiat mentio in Scripturis; ergo prædeſtinatio hominum ad gloriam pendet ab eorum meritis, ſecundum Auguſtinum. Antecedens vero probatur ex libro de corrept. & gratiæ cap. 13. ubi Auguſtinus expendens hunc locum Apocalypſis 3. Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam, ſic ait: Si enim alius non eſt accepturus, niſi iſte perdiderit, certus eſt numerus (ſcilicet prædeſtinatorum ad gloriam de quibus ibi loquitur) ergo ſecundùm Auguſtinum, ſi iſte perdiderit, alius eſt accepturus; ſi non perdiderit, alius non eſt accepturus: Ergo iſta pendent ab extrinſeco, & ſic non à mera voluntate Dei, ſed à meritis hominum: Nam iſta duo verba *niſi perdiderit*, videntur maxime ſignificare quòd Deus expectet, vel quaſi expectet, quinam ſint qui merebuntur, & qui non merebuntur ex hominibus extituris in qualibet temporis differentia; ut ſi aliquis non mereatur, ex proprio ſcilicet defectu (quod maxime ſignificat verbum *perdiderit*, hoc enim verbum maxime denotat propriam culpam, & non excluſionem voluntariam etiam negativam) alium bene meriturum ſufficiat, & introducat in locum ejus, & ſic impleatur numerus Electorum in ſuperna fœlicitate locandus ex electis propter merita, & non ſine meritis: Quod ego confirmo duobus textibus Auguſtini, quos ego deſumpſi ex ipſo Ianſenio lib. 9. de gr. Salv. cap. 26. Quorum primus eſt ex libro de bono viduitatis cap. 23. ubi Auguſtinus reſpondens huic quæſtioni, quomodo ſubſiſtet genus humanum, ſi omnes fuerint continentes, ait: Quaſi propter aliud retardetur hoc ſæculum, niſi ut impleatur prædeſtinatus numerus ille Sanctorum, quo citius impleto, profecto nec terminus ſæculi differretur. Alter textus eſt ex libro de bono Conjugali cap. 10. ubi ait: Vtinam omnes hoc vellent (ſcilicet continentes eſſe) duntaxat in charitate de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, multo citius Dei Civitas compleretur, & accelerarētur terminus ſæculi. In quibus textibus evidens eſt Deum expectare merita hominum, ſeu potius homines qui digni ſunt replere Cæleſtem Hieruſalem numero per eum definito: ad hoc ut finiatur duratio ſæculi quæ non aliam obtationem retardatur, niſi quia nondum completus eſt Electorum numerus in ſuperna fœlicitate locandus, & per conſequens manifeſtum eſt prædeſtinationem eorum factam eſſe ob præviſa eorum merita.

Septimum argumentum eſt, quia libro primo ad Simplicianum qu. 2. circa finem, vult Auguſtinus aliter fieri prædeſtinationem ad gratiam, ſeu ad juſtificationem, & aliter prædeſtinationem ad gloriam: atqui prædeſtinatio ad gratiam ſecundum Auguſtinum, & ſecundum rei veritatem quam ibimet probat Auguſtinus, eſt ſine præviſis meritis: Ergo *Paulò infra reſpondebitur his quæ objiciunt adverſarii contra hanc*

librum, ſcilicet in argumento 14 ex Auguſtino.

Hanc diverſitatem prædeſtinationis ad gratiam, & prædeſtinationis ad gloriam inſinuat etiam Auguſt. lib. de dono perſeverantiæ c. 8. quam vide infra explicatam, in explicatione quarti loci ex ſcrip. ſub finem.

prædeſtinatio ad gloriam debet eſſe ex prævifis meritis: Major in qua tota difficultas eſt, patet ex verbis ipſius Auguſtini: ubi poſtquam adduxit hæc verba Apoſtoli. Neque currentis, neque volentis, ſed miſerentis eſt Dei, quibus probat gratuitam electionem ad gratiam, ſic ait: Quod ſi electio hic fuit aliqua, ut ſic intelligamus quod dictum eſt, reliquiæ per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt, *Non ut juſtificatorum electio fiat ad vitam æternam* (quæ eſt electio ad gloriam) ſed ut eligantur qui juſtificentur (quæ eſt electio ad gratiam) certe ita occulta eſt iſta electio (id eſt ratio iſtius electionis ad gratiam) ut in eadem conſperſione nobis prorſus apparere non poſſit; aut ſi apparet quibuſdam, ego in hac re infirmitatem meam fateor. Vbi vides exceptionem quam facit Auguſtinus, modi eligendi ad gloriam, à modo eligendi ad gratiam, per hæc verba: Non ut juſtificatorum electio fiat ad vitam æternam, ſed ut eligantur qui juſtificentur: Cum ergo prædeſtinatio ad gratiam ſecundum Auguſtinum, & ſecundum rei veritatem, fiat ante præviſa merita, ſequitur quod prædeſtinatio ad gloriam quam ipſe excipit ab hac regula, non fiat ante præviſa merita, ſed poſt præviſa merita: cujus rei rationem ibidem reddit ipſemet Auguſtinus, ſcilicet quia ante prædeſtinationem ad gratiam ſumus in eadem conſperſione peccati originalis, & ſic nihil eſt in nobis quod eligatur, at vero poſt prædeſtinationem ad gratiam ſunt diverſa opera gratiæ, ſeu ſupernaturalia quæ eligantur ad gloriam, & ſic iſta electio, ſeu prædeſtinatio fit poſt præviſa merita.

PUNCTUM VIII.

Proponitur octavum argumentum ex Auguſtino.

Hoc argumentum eſt contra quãcumque reprobationem quæ fit ante præviſa peccata actualia. Et ratio eſt, quia talis reprobatio quæcumque illa ſit, non poteſt executioni mandari, niſi illo modo qui hic damnatur & rejicitur: unde cum reprobatio negativa ſecundum adverſarios

OCTAVUM argumentum eſt, quia D. Auguſtinus rejicit reprobationem negativam ratione ſuę executionis quam cenſet omnino damnandam & reprobandam. Ergo etiam rejicit prædeſtinationem ad gloriam ante præviſa merita. Conſequentia patet, quia reprobatio negativa inſeparabilis eſt à prædeſtinatione ante præviſa merita, ut fatentur adverſarii: Et ratio clara eſt, quia eo ipſo quo Deus elegit illos quos ſolos voluit ſalvare, eo ipſo noluit alios ſalvare ut nec eligere: & id patet in effectu, cum nullus omnino eorum qui non eſt electus, unquam ſalutem conſecutus ſit, nec unquam conſequetur: Et per conſequens ex electione ante præviſa merita ſequitur inſeparabiliter reprobatio negativa, ſeu reprobatio virtualis non electorum: Vnde non poteſt iſta reprobatio rejici, quin etiam rejiciatur, & prædeſtinatio ante præviſa merita. Iam probatur antecedens ſcilicet quod Auguſtinus rejicit reprobationem negativam tanquam falſam & erroneam, ratione ſuæ executionis: probatur autem ex lib. de dono perſever. cap. 22. ubi damnat propoſitionem iſtam non ſolum ut falſam, & erroneam,

enim eam correxerit, ut infra videbimus, ſed etiam ut abominabilem, & Chriſtianis auribus intolerabilem. Scilicet & ſi qui obeditis, ſi prædeſtinati eſtis rejiciendi, ſubtrahentur obediendi vires, ut obedire ceſſetis. In qua propoſitione nihil aliud continetur, quam executio reprobationis negativæ; nam quid aliud dicit iſta propoſitio, niſi quia poſtquam Deus elegit illos quos ſolos voluit ſalvare ante omnia prævisa merita, reliquis qui ex vi iſtius ſecretionis, non debent ſalvari, ſed damnari, ſubtrahat in tempore congruo, id eſt verſus finem vitæ gratias efficaces, quæ ſunt vires obediendi actualiter, ut actu non perſeverent, ſeu ut habetur in textu, ut ceſſent obedire, & ſic damnentur: certe nihil video aliud in iſta propoſitione contineri, quam hanc executionem reprobationis negativæ, in iis ſcilicet qui obediverunt, id eſt in iis qui crediderunt in Chriſtum, & aliquandiu pii fuerunt; & tamen quia prædeſtinati non ſunt, non debent finaliter obedire, ſed debent peccare, & in peccato finali decedere: & ideo id debet procurari ab ipſo Deo per ſubſtractionem gratiarum efficacium in tempore opportuno, ne res aliter quam prædeſtinata fuit, eveniat: Qui eſt ſenſus iſtius propoſitionis ab Auguſtino reprobatæ, per quam rejicit reprobationē negativam ratione executionis illius omnino damnādę & reprobandæ, & per hoc prædeſtinationem ad gloriam ante prævisa merita, ut ſupra dictū eſt.

Sed dices: Auguſtinus non damnat ſenſum iſtius propoſitionis, ſed tantum modum quo enuntiatur ejus veritas: Nam poſtquam illam ſecundo protulit, in loco ſupracitato, ſtatim hæc addit, explicans illam. Quid enim ſententiæ deperit, ſi ita dicatur? Si qui autem obediunt, ſed in regnum ejus, & gloriam prædeſtinati non ſunt, temporales ſunt, nec uſque in finem in eadem obedientia permanebunt; ſi ergo nil deperit iſtius ſententiæ, non eſt mutata aut correcta in ſenſu ſuo: Reſpondeo hanc explicationem Auguſtini non excuſare prædictam propoſitionem quin falſa ſit; ſed potius eam accuſare, & damnare eam, cum non ſolùm mutet ejus modum loquendi, ſcilicet enuntiando in tertia perſona, quod erat in ſecunda; ſed etiam ſenſum illius: Nam quis non non videat diverſitatem eſſentialem & formalem harum propoſitionum, ſcilicet, ſi qui obediunt, ſed in regnum ejus prædeſtinati non ſunt, temporales ſunt, nec uſque in finem in eadem obedientia permanebunt. Et: Si qui obeditis, ſi prædeſtinati eſtis rejiciendi,

ſit ante prævisa peccata actualia. ſequitur quod hic damnatur ab Auguſt. ut falſa, & impoſſibilis.

Hæc verba, Si præſciti eſtis rejiciendi, *denotant cauſam finalem ſubſtractionis: eo modo quo ſi dicerem: Si aliquando ſtatuo ſubvertere iſtam columnam, ſubtraham fundamentum illius: Nemo eſt qui dubitet quod iſta ſubtractio habeat pro cauſa finali ſubverſionē columnæ, & quod per hoc intendam formaliter ſubverſionē illius.*

Forſitan illi errantes qui protulerunt hanc propoſitionem non bene diſtinguebant inter reprobationem negativam & poſitivam: verumtamen quia reſponſio Auguſtini contra utramque militat, in quantum damnat hanc executionem, quæ eſt vera & germana executio reprobationis negativæ, ideo utramque reprobationem, ſeu quamlibet reprobationem quæ fit ante prævisa merita, hic damnat & rejicit, quia non poteſt aliter executioni mandari, quam prædicto modo damnabili: Quod tamen Auguſtinus intellexerit iſtam propoſitionem de reprobatione negativa, patet ex hoc quod eos qui in illa propoſitione vocantur prædeſtinati rejiciendi, vocet in propoſitione correcta non prædeſtinatos; quod ſignificat reprobationem negativam, nec enim dici poteſt id pertinere ad correctionem propoſitionis illius, ſi propoſitio illa ut volunt, eſt de reprobatione poſitiva, cum ipſemet Auguſtinus vocet tales reprobos prædeſtinatos ad mortem, & ad interitum, ut infra videre eſt, & ita ſolet eos vocare.

ſubtrahentur obediendi vires, ut obedire ceſſetis: Quis, inquam, non videat diverſitatem eſſentialem & formalem harum propoſitionum, cum una ſit mere ſpeculativa reſpectu Deï dicens ſolùm, quid futurum eſt ab homine? Altera quodammodo practica, dicens quod Deus procurabit ut id eveniat; cùm una dicat tantum quid creatura faciet, ſcilicet quod peccabit finaliter, altera autem quid Deus faciet, ſcilicet ut creatura ceſſet obedire, & proinde, ut ipſa peccet, & non perſeveret in bono. Seu quod Deus procurabit ceſſationem obedientiæ per ſubſtractionem gratiarũ efficacium, in hunc finẽ ut homo non amplius obediat, ut non perſeveret in bono, ut peccet, & peccet finaliter: Quo nihil dici poteſt abominabilius, & piis auribus intolerabilius; & tamen inſeparabile eſt à reprobatione negativa: propter quod eam hic rejicit Auguſt.

Sed dices: ſecunda propoſitio correcta, dicitur ab Auguſtino tantum verior altera, ergo altera eſt vera; Nonne, inquit, & *verius* eadem res & congruentius dicitur?

Reſpondeo quod in hoc quod ſecunda, ſeu correcta propoſitio Auguſtini, dicitur verior altera, demonſtratur quod mutatio facta non eſt tantum in modo enuntiandi; ſed etiam in ſenſu; cum aliter verior eſſe non poſſet, cum veritas in ſenſu ſit, & non in ſono verborum. Porro quod per hoc quod ſecunda, aut correcta propoſitio, dicitur ab Auguſtino verior, altera, non ſequatur quod altera ſit vera, patet exemplo congruitatis, de qua ibidem loquitur. Nam dicit Auguſtinus, quod ſecunda ſeu correcta, eſt congruentior altera. Nonne, inquit, & verius eadem res, & *congruentius* dicitur: & tamen tantum abeſt ut Auguſtinus dicat alteram eſſe congruam, quin potius vocet eam abominabilem, intolerabilem, & incongruentiſſimam. Miror, inquit, ſi ullo modo poteſt in populo Chriſtiano, quiſquam infirmus patienter audire, cum dicitur eis. Et ſi qui obeditis, ſi prædeſtinati eſtis rejiciendi, ſubtrahentur obediendi vires, ut obedire ceſſetis: Hoc enim dicere, quid videtur aliud eſſe quam maledicere, aut mala quodammodo prophetare. Ecce qualis congruitas: Et infra: Res enim non optabilis, ſed abominabilis dicitur, & duriſſime, atque odioſiſſime, quaſi in audientium frontem compellendo colliditur, cum dicitur, &c. Et adhuc infra. Similem propoſitionem factam de præſcientia; quamvis longe moderatior, & mitior ſit, ſcilicet: Et ſi qui obeditis, ſi præſciti eſtis rejiciendi, obedire ceſſabitis, vocat tamen eam improbiſſimam, importuniſſimam, incongruentiſſimam, quanto magis ergo alteram vocaret improbiſſimam, importuniſſimam, incongruentiſſimam, cùm non ſolùm peccet in modo enuntiandi, ut mox allata: ſed etiam in ſenſu, & dicat; Deum procurare peccatum finale in homine non prædeſtinato, ut iſte non prædeſtinatus pereat & damnetur: Sicut ergo non bene ſequitur: Auguſtinus vocat propoſitionem ſecundam ſeu correctam, congruentiorem altera: ergo altera eſt congruens ſeu congrua, ſic nec bene ſequitur: Auguſtinus vocat ſecundam propoſitionem veriorem

Nihil deperit ſententia cum tãtum corrigitur illius malitia.

D. Proſper infra referendus verſus finem hujus argumenti eandem hanc propoſitionem damnat, ut Deo injurioſum & blaſphemam.

Si hæc propoſitio eſſet vera, non dubitaſſet Auguſtinus veram dicere: ut facit in hac ſimili, Si qui obeditis, ſi præſciti eſtis rejiciendi, obedire ceſſabitis: Nã citò poſt, dicit eam eſſe veriſſimam etſi incongruentiſſimam, non tamen falſo eloquio, ſed non ſalubriter valetudini humanæ infirmitatis appoſito. Cum ergo id non dicat de alia, ſignum eſt non leve quod non ſit vera, ſed falſa: Non

veriorem altera, ergo altera vera eſt: Nam ut prima non eſt congrüa licet ſecunda vocetur congruentior; ſic nec eſt vera, licet ſecunda vocetur verior. Cùm ergo non ſit vera, ſed falſa, ſequitur quod non tantum damnet Auguſtinus modum enuntiandi illam; ſed etiam ſenſum illius, & per conſequens quod damnet reprobationem negativam, cujus ſolã executionem ſignificat.

ob hoc quod illi reprobi vocantur prædeſtinati ad rejectionem, & expulſionem à gloria, quaſi illud male ſonaret, quod reprobi illi dicerentur prædeſtinati ad illam excluſionem; nam ipſemet Auguſtinus vocat reprobos prædeſtinatos ad mortem æternam, prædeſtinatos ad interitum æternum, in ignem æternum, ut videri poteſt apud Ianſenium lib. 9. de grat. Salvatoris cap. 3. Quod ſane non minus durum eſt quàm illud primum: Ergo non ratione primæ partis, falſa eſt, & reprehenditur iſta propoſitio: ſed ratione ſecundæ, quæ nihil aliud continet, quàm executionem reprobationis negativæ, ſeu talem executionem, ſine qua etiam reprobatio negativa eſſe non poteſt. Vnde cum executio rejiciatur, conſequenter rejicitur reprobatio negativa: & per hoc etiam prædeſtinatio ad gloriam ante præviſa merita.

Quod ut magis ac magis confirmetur: notanda duo ſunt, unum ſpectat hunc locum peculiarem, alterum ſpectat doctrinam generalem Auguſtini circa hanc materiam. Primum eſt, quod Auguſtinus enumerando hîc, ea quæ ſunt emendanda in prædicta propoſitione, ſic ait: *Sed & ſi de iis qui non perſeverant, placet aliquid dicere, vel neceſſe eſt, cur non potius ita ſaltem dicitur, ut paulo à me ante dictum eſt: Primum*, ut non de ipſis qui in populo audiunt, hoc dicatur, ſed de aliis ad ipſos: id eſt, ut non dicatur: Si qui obeditis, prædeſtinati eſtis rejiciendi; ſed: Si qui obediunt, & cætera per verbi perſonam tertiam, non per ſecundam; & hæc eſt prima correctio, quam vult Auguſtinus adhiberi illi propoſitioni, quæ prima correctio deſignatur per illud: Primum ut non de ipſis, &c. quæ quidem prima correctio, conſiſtit ſolùm in modo enuntiandi propoſitionem illam, ſcilicet dicendo in tertia perſona, quæ dicebantur in ſecunda: ſed ſecundam correctionem non invenio niſi aliam propoſitionem quæ omnino differt in ſenſu à prædicta corrigenda, ſcilicet: Si qui autem obediunt, ſed in regnum ejus & gloriam prædeſtinati non ſunt, temporales ſunt, nec uſque in finem in eadem obedientiã permanebunt: Ubi manifeſte ſiletur ſubtractio gratiarum, facta in hunc finem, ut homo non perſeveret; ubi iſta non-perſeverantiæ hominis cauſa & ratio prius allata, in prædicta propoſitione corrigenda, non dicitur: Ergo in hoc facta eſt correctio præcedentis propoſitionis: Ergo confitendum eſt, quod non ſolùm correxit Auguſtinus modum enuntiandi propoſitionis iſtius, ſed etiam ſenſum ejus: Quæ ſecunda correctio, cum conſiſtat in hoc, quod tollatur iſta ratio non-perſeverantiæ, ſcilicet ſubtractio gratiarum facta à Deo ad hunc finem, ut homo non perſeveret, ſed ceſſet obedire, & peccet finaliter: ſequitur, quod hoc damnet Auguſtinus ut falſum & abominabile, & per conſequens quod damnet reprobationem negativam, ut falſam & abominabilem, cum illius ſolam executionem verba iſta ſignificent.

Primum, in numerãdo, dicit ordinem ad ſecundum: cum ergo primum corrigendum in illa propoſitione, dicat Auguſtinus eſſe in modo enuntiandi, ſecundum debet eſſe in ſenſu: quod non aliter demonſtrat quam loco prædictæ propoſitionis ſubſtituendo aliam alterius ſenſus & ſignificationis.

D. Proſper ad excerpta G. nuenſium dubio 9. loquens de illa propoſitione correcta, ait: Quã corr gens & mundans atque emendans (ſcilicet Auguſtinus) tolerabiliorem audientibus facit. quæ vera

ſunt temperans, quæ falſa *ſunt* reſecans. *Hæc ibi D. Proſper: Ergo ibi ſunt aliqua falſa ſcilicet ea quæ diximus de reprobatione negativa. Quæres fortaſſe obiter: cur non clare & aperte dixit Auguſtinus illam propoſitionem eſſe falſam, ſed tantum per circumlocutionem. Reſpondeo, quia ſolùm peccabat in exceſſu verſus gratiam, nimium tribuens gratiæ: hunc autem exceſſum nunquam aperte correxit Auguſtinus in adverſariis gratiæ, ne hac occaſione, in oppoſitum ſuum exceſſum, quo tollebant omnia à gratia, relaberentur: ut patet in hac propoſitione ibidem poſita, ſcilicet: cæteri vero qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum ſurrexiſtis, quia necdum vos adjutorium gratiæ miſerantis erexit: quæ propoſitio eſt falſiſſima, cum attribuat defectui gratiæ, & non hominis fidelis (de quo ibi loquuntur qui ſemper habet gratias paratas in oratione fidei) quod non ipſe reſurgat, & convertatur à peccato ſuo: Et tamen non dicit ibi clare & aperte illam eſſe falſam, ſed tantum corrigit illam, ſubſtituendo aliam veram pro iſta falſa, ut ibi videre eſt. Ergo non eſt mirandum quod non aliter correxerit, & iſtam de qua nobis quæſtio eſt.*

Lib 4. cõtra Julian. c. 8. de prædeſtin. Sanct. c. 6. de dono perſever. c. 12. Epiſt. 106. circa med. & alibi paſſim.

Alterum notandum, ſpectat generalem doctrinam Auguſtini, qui tantum abeſt, ut putarit ſubtrahi gratiam à Deo, ad hoc ut peccetur finaliter; ſeu quod idem eſt, ut obedire ceſſetur, & ſic homo damnetur, prout in prædicta propoſitione corrigenda dicitur: quin è contra ſemper, & continuo dicit ſubtrahi gratiam efficacem finalem, quia peccatum eſt, quia peccatum commiſſum puniendum eſt, quia juſtus Deus eſt, & infert hanc privationem propter demeritum, ſeu peccatum commiſſum: quod ſane incompoſſibile eſt cum intentione procurandi finale peccatum, per eamdem ſubtractionem; cum ex eo quod punit peccatum, eo ipſo non vult exiſtentiam, ſed deſtructionem illius, & per conſequens quam longiſſime abeſt à procuratione illius. Hinc eſt quod cum loquitur Auguſtinus de eo, reſpectu malarum voluntatum, negat Deum eſſe factorem & datorem illarum, ſed tantum permiſſorem, & non procuratorem: ut lib. 5. de Civitate Dei cap. 9. ubi ait: Sicut enim omnium naturarum creator eſt, ita omnium poteſtatum dator *Non voluntatum: malæ quippe voluntates ab illo non ſunt*: quoniam contra naturam ſunt, quæ ab illo eſt. Et lib. 14. cap. 26. ait: Verumtamen Deo ſummo, ac ſummo bono, creatori omnium naturarum, voluntatum autem bonarum adjutori, ac remuneratori, *malarum autem relictori* ac damnatori. Et ejuſdem libri cap. 27. Quis enim audeat dicere, & credere ut neque Angelus, neque homo caderet, in poteſtate Dei non fuiſſe; ſed hoc eorum poteſtati maluit *non auferre*: Et libro de Spir. & Litt. cap. 31. ait: Nuſquam autem legimus in ſanctis Scripturis, Non eſt voluntas niſi à Deo, & recte non ſcriptum eſt, quia *verum* non eſt, alioquin etiam peccatorum, quod abſit, author eſt Deus, ſi non eſt voluntas niſi ab illo. Et lib. 12. Confeſſ. cap. 11. ait: Item, mihi dixiſti voce forti in aurem interiorem, quod omnes naturas atque ſubſtantias, quæ non ſunt quod tu es, & tamen ſunt, tu feciſti: *Et hoc ſolum à te non eſt, quod non eſt, motuſque voluntatis à te, qui es*, ad id quod minus eſt, quia talis motus delictum atque peccatum eſt: Et loquens ſpecialiter de prædeſtinatis & reprobis lib. de ovibus cap. 10. initio, ait: Deum eſſe prædeſtinantem reſpectu Electorum, ſeu ovium, & ſolùm preſcientem reſpectu reproborum, ſeu hircorum; ut per hoc oſtenderet, Deum ſe habere mere ſpeculative, ad eorum peccata &

Reprobatio negativa repugnat communi doctrinæ Auguſtini, & diſcipulorum eius, ut videbis in teſtimoniis D. Proſperi.

D. Proſper in reſponſione ad 15 object. Gallorum n. 3. ſic ait: Qui dicit, quod non prædeſtinati ad vitã, etiam ſi fuerint in Chriſto

damnationem, non autem executive aut procurative. Unde lib. 11. de Geneſi ad litter. cap. 7. loquens de reprobis ſolis, vocat eos præſcitos: Non quia, inquit, *præſciti* ſunt, ideo creari minime debuerunt; habent enim & ipſi locum ſuum quem in rebus impleant. Per hoc clare oſtendens Deum nihil concurrere ad eorum peccata & finalem miſeriam, ad hunc ſcilicet finem ut peccent & damnentur, ſed tantum ſinere, & permittere, & prævidere eorum caſum finalem; non ſtudioſe ſeligens pro eis gratias non effecturas, ad hoc ut delinquant, & pereant, ut peſſime habet prædicta propoſitio, ſed juſte privans eos gratiis efficacibus, quia nimis deliquerunt, & perire meruerunt: Hæc eſt vera mens, & doctrina Auguſtini: cui cum repugnet prædicta propoſitio, non eſt mirum quod correcta ſit, non ſolum in modo enunciandi ſenſum ſuum, ſed etiam in ſenſu illius: Cum ergo damnet Auguſtinus iſtam propoſitionem quæ nihil aliud continet quam executionem reprobationis negativæ, ſequitur quod damnat illam reprobationem, & per hoc prædeſtinationem ad gloriam ante præviſa merita, quę cum illa reprobatione negativa inſeparabiliter conjuncta eſt: Quo poſito, nemini dubium eſſe poteſt quin approbet Auguſtinus, prædeſtinationem ad gloriam eſſe poſt præviſa merita.

baptiſmate regenerati, & pie, juſteque vixerint, nihil eis proſit, ſed tantum reſerventur, donec ruãt: nec antè eos ex hac vita, quam hoc eis contingat, auferri: tanquam ad conſtitutionem Dei, talium hominum ruina referenda ſit, non eſt Catholicus. Et n. 7. qui dicit quod Deus quibuſdam filiis ſuis quos regeneravit in Chriſto, quibus fidem, ſpem, dilectionem dedit, ob hoc perſeverantiam non dederit, quia à maſſa perditionis, *præſcientia Dei, & prædeſtinatione non ſunt diſcreti: Si hoc vult firmare,* Quod Deus hujuſmodi homines in bonis quæ donaverat noluerit permanere, *& ipſe eis cauſa averſionis extiterit contra juſtitiam Dei ſentit. Et n. 12. qui dicit, quod quibuſdam vocatis, & pie,* juſteque viventibus, obedientia ſubtrahatur, ut obedire deſiſtant, *male opinatur de bonitate Dei atque juſtitia, ut videatur ad impietatem pios cogere, & innocentiam bonis adimere, cum ipſe ſit pietatis, atque innocentiæ & largitor & cuſtos.*

Pvnctvm IX.

Proponitur nonum argumentum ex Auguſtino.

Nonum argumentum eſt quod ſæpiſſime fatetur Auguſtinus ſe neſcire; cur hic parvulus baptiſetur antequam moriatur, ille non: cur hic adultus perſeveret, ille vero non, ut patet ex lib. 4. contra Iulian. cap. 8. ex libro de corrept. & grat. cap. 8. ex lib. de dono Perſever. cap. 9. 11. 13. & alibi paſſim. Ergo non credidit prædeſtinationem ad gloriam factam eſſe ante præviſa merita: probatur conſequentia qui credit prædeſtinationem factam eſſe ante præviſa merita, conſequenter & neceſſario ſcit prædeſtinationem illam eſſe cauſam meritorum, & perſeverantiæ, ſeu cur hic baptiſetur, & perſeveret: & ille non baptiſetur, & non perſeveret: ſed Auguſtinus fatetur ſe prorſus neſcire cauſam meritorum & perſeverantię, ſeu cur hic baptiſetur, & perſeveret, & ille non. Ergo non credidit prædeſtinationem ad gloriam factam eſſe ante præviſa merita. Major patet ex communi ſententia

tenentium prædeſtinationem ad gloriam factam eſſe ante præviſa merita, qui omnes fatentur unanimiter illam prædeſtinationem eſſe cauſam meritorum, & perſeverantiæ: Minor vero patet ex ſupradictis, Ergo, &c. Aliter propono idem argumentum ſic: Qui clare & aperte fatetur ſe neſcire; cur hic baptizetur, ille non: cur hic perſeveret ille non, non credidit prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam iſtorum, baptiſmi ſcilicet & perſeverantiæ, quia cum ii qui credunt, hanc prædeſtinationem eſſe ſic factam, credant etiam illam eſſe cauſam meritorum, & perſeverantiæ: certe non poſſet ignorare iſtam cauſam, ſed diceret quod ille baptiſatur, & perſeverat, quia prædeſtinatus eſt ad gloriam, unde aſſumit Deus media efficacia, ut perducat illum ad gloriam. Ille vero non baptiſatur, nec perſeverat, quia non eſt prædeſtinatus ad gloriam, & ideo non aſſumit Deus media, quæ efficaciter perducant illum ad gloriam. Sed Auguſtinus clare & aperte profitetur ſe neſcire, cur hic baptiſetur, ille non; cur hic perſeveret, ille non, ut ſupra declaratum eſt. Ergo non credidit prędeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam iſtorum ſcilicet baptiſmi, & perſeverantiæ, ergo nec credidit prædeſtinationem ad gloriam factam eſſe ante præviſa merita: Quia nempe omnis qui tenet prædeſtinationem ad gloriam, factam eſſe ante præviſa merita, conſequenter & neceſſario ſcit etiam illam prædeſtinationem eſſe cauſam iſtorum, non remotam aut mediatam, aut generalem; ſed proximam, immediatam & particularem; cum prædeſtinatio ad gloriam ſit cauſa proxima immediata & particularis horum omnium effectuum in illa ſententia, eo modo quo quilibet finis eſt cauſa proxima, immediata, & particularis aſſumendorum ſuorum mediorum in particulari: Cum ergo clare, & exertè fateatur Auguſtinus ſe neſcire cauſam iſtorum, conſequenter declarat ſe non tenere prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam iſtorum, cum ſic ignorare illam non poſſet: & per conſequens nunquam tenuit prædeſtinationem ad gloriam factam fuiſſe ante præviſa merita.

Non bene video quid huic argumento reſpondere poſſent adverſarii: niſi forte dicant quod cum Auguſtinus dicebat ſe perſeverantiæ cauſam ignorare, intelligebat id de cauſa quæ ſe teneret ex parte hominis, non vero de cauſa quæ ſe teneret ex parte Dei, quia nempe diſputabat cum iis qui contendebant eam ſe tenere ex parte hominis, & non ex parte Dei: Ille vero contendebat nullam eſſe ex parte hominis, ſed ſolum ex parte Dei.

Sed reſpondeo primo quod cum verba Auguſtini generalia ſint, ideo generaliter intelligenda ſunt, de ignoratione cujuſcumque cauſæ, tam ejus quæ ſe tenet ex parte Dei, quam ejus quæ ſe teneret ex parte hominis, ſi qua eſſet: mirum enim eſſet, quod cum toties Auguſtinus loquatur de iſtius ignoratione cauſæ, non ſeſe aliquando explicuiſſet, & dixiſſet id ſe intelligere de cauſa quæ ſe tenet ex parte hominis, &

non de cauſa quę ſe tenet ex parte Dei : & certe non erat ratio, cur illam cauſam tacuiſſet, cum per eam maxime demonſtraſſet contra Pelagianos & Semipelagianos gratuitam gratiam, quam contra eos defendebat : oſtendendo eam eſſe à gratuita cauſa, ſcilicet prædeſtinatione ad gloriam pro libito divino.

Reſpondeo ſecundo, quod ſpecialiter fatetur ſe ignorare cauſam illam, ut ſe tenet ex parte Dei, & non ſolum ut ſe tenet ex parte hominis : Nam libro de correptione & gratia cap. 8. initio, ſic ait: Si à me quæratur, *Cur eis Deus perſeverantiam non dederit*, quibus eam quâ Chriſtiane viverent dilectionem dedit, me ignorare reſpondeo(ecce fatetur ſe ignorare, cur,vel qua ex cauſa motus ſeu quaſi motus Deus illam perſeverantiam non dederit) Non enim arroganter, ſed agnoſcens modulum meũ(id eſt imbecillitatem ingenii mei quę ſane reſpicit cauſamdivinam ut ſuperexcedentem vim cognitionis illius, & non cauſam humanam, ſeu ut ex parte hominis) audio dicentem Apoſtolum : O homo! tu quię es qui reſpondeas Deo (ecce adhuc obſcuritatem ex parte Dei, ut per ſe manifeſtum eſt, cui ſcilicet nemo poteſt reſpondere, cujus nemo poteſt perſcrutari conſilium unde & ſequitur) O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! quàm inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! (quę ſane ſe tenent ex parte Dei, nempe ex parte ſapientiæ, & ſcientiæ ejus, & ex parte judiciorum & viarum ejus : quæ in hac parte nimis abſtruſæ, & reconditæ ſunt quam ut poſſint ab humano ingenio penetrari : & ſequitur) quantum itaque nobis judicia ſua manifeſtare dignatur, gratias agamus (quis poteſt dubitare quin hæc ſe teneant ex parte Dei) quantum vero abſcondere, non adverſus ejus conſilium (arcanum ſecretum nobis incognitum) murmuremus. Hæc Auguſtinus ibi : Ubi clare fatetur ſe ignorare cauſam iſtorum, prout ſe tenet ex parte Dei : & paulo infra idem fatetur dicens, cur hoc donum (perſeverantię) ille accipiat: puto quod mecum pariter neſcis, & ambo hic inſcrutabilia judicia Dei penetrare non poſſumus : Et cum admiratio effectus ſupponat abſolutam ignorationem cauſæ illius ex quacumque parte ſe teneat : ideo ut oſtendat ſe omnino ignorare cauſam illam, tam ex parte Dei, quam ex parte hominis, infra proſequitur mirans illam diſtributionem: Mirandum,inquit,multumque mirandum,quod filiis ſuis Deus quibuſdam, quos regeneravit in Chriſto, quibus fidem, ſpem, dilectionem dedit, non dat perſeverantiam, cum filiis alienis ſcelera tanta dimittat, atque impertita gratia ſua faciat filios ſuos : quis hoc non miretur, quis hoc non vehementiſſime ſtupeat? Et infra poſtquam cum eadem admiratione locutus fuiſſet de baptiſmo parvulorum, quorum alii etiam filii fidelium, & amicorum Dei moriuntur ante baptiſmum, & ſic damnantur, alii vero etiam filii infidelium, & impiiſſimorum hominum accipiunt illum, & accepto moriuntur, & ſic ſalvantur : ſic ait : Certe hîc judicia Dei, quàm juſta & alta ſunt, nec vituperari poſſunt, nec pene-

Sermone 12. de verbis Apoſt. c. 12. Mirare mecum & exclama mecum : O altitudo divitiarum, ambo expaviſ-

trari : ubi etiam manifeſte oſtendit ſe admirari hos effectus, & eorum cauſam ignorare, quatenus illa ſe tenet ex parte Dei, cum rationem ſuæ admirationis, & ignorationis reddat, quæ ſe tenet ex parte Dei, ſcilicet quia judicia ejus alta ſunt, nec poſſunt penetrari : & certe nemo ſanæ mentis unquam dicet quòd Auguſtinus admirabatur cauſam ex parte creaturæ, cum nullam ex illa parte cognoſceret, & ob id objurgaret Pelagianos, & Semipelagianos, quod aliquam ex illa parte vellent agnoſcere, unde & proſequitur, dicens : De utriſque (ſcilicet parvulis quoad baptiſmum,&adultis quoad perſeverantiâ) exclamemus: O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm inſcrutabilia ſunt judicia ejus! Nec miremur nos veſtigare non poſſe inveſtigabiles vias ejus. (Ecce quomodo ſemper ibi conſiderat cauſam illam, ut ex parte Dei, cum cauſam ſuæ admirationis & ignorationis, in altitudinem ſapientiæ & ſcientiæ Dei referat.) Ut enim alia innumerabilia taceam, quæ aliis dantur, aliis non dantur hominibus à Domino Deo, apud quem non eſt acceptio perſonarum, nec tribuantur iſta meritis voluntatum (ecce quomodo rejicit & negligit cauſas ex parte hominis, tantum abeſt ut miretur) ut ergo hæc taceam, & relinquam, illos ipſos intueantur de quibus agitur........ Cur aliis detur, aliis non detur, ſine murmure adverſus Deum dignentur ignorare nobiſcum. Similia habet libro de dono perſeverantiæ cap. 9. initio, ubi ait : Ex duobus itaque parvulis originali peccato pariter obſtrictis; cur iſte aſſumatur ille relinquatur:& ex duobus ętate jam grandibus impiis;cur iſte ita vocetur,ut vocantem ſequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur; inſcrutabilia ſunt judicia ejus:Ex duobus autem piis;cur huic donetur perſeverantia, illi autem non donetur:inſcrutabiliora ſunt judicia ejus:Et ſic per omnia, & in omnibus his, refert Auguſtinus in Deum ſummum & altum, cauſas ſuæ admirationis, & ignorationis : quia nempe inveſtigabiles ſunt viæ ejus, judicia ejus inſcrutabilia, conſilia alta, & impenetrabilia humano ingenio,& ideo cauſa horum effectuum,harum diſtributionum inæqualium, non cognoſcitur à nobis, nec poteſt cognoſci. Ex quibus omnibus perſpicuum eſt, Auguſtinum nunquam cognoviſſe, ſed vere ignoraſſe, cauſam perſeverantiæ, & aliorum mediorum ad ſalutem,prout ſe tenet ex parte Dei, & proinde nunquam putaſſe prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam illorum, & illam fuiſſe factam ante præviſa merita.

camus, ambo clamemus, O altitudo, &c. inſcrutabilia ſunt judicia ejus: Audiſti.ſufficiat tibi:& inveſtigabiles viæ ejus! quis enim cognovit ſenſũ Domini, aut quis cõſiliarius ejus fuit? Hæc Auguſtinus recognoſcens ſuã ignorationẽ cauſæ illius, ut ſe tenet ex parte Dei, quia nempe nemo novit ſẽſum Domini, aut quiſquam conſiliarius ejus fuit, qui poſſet ſecretum conſilii ejus referre,

PUNCTUM X.

Proponitur decimum argumentum ex Auguſtino.

DECIMUM argumentum eſt, quod regnum Electis prædeſtinatum, vocet aliquando Auguſtinus juſtiſſimam beneficentiam, illudque dicat eſſe prædeſtinatum per certiſſimam præſcientiam. Quod ſane non poteſt intelligi, niſi ob merita noſtra prævisa, quæ habemus per gratiam: ſic enim ait libro 2. de peccatorum meritis & remiſſ. cap. 29. Idem ipſe Dominus noſter, hanc ſuam medelam (ſcilicet remiſſionem peccatorum, quam acquiſivit ſanguine ſuo) nullis generis humani temporibus, ante ultimum futurum judicium denegavit, quos per *certiſſimam præſcientiam, & juſtiſſimam beneficentiam* ſecum regnaturos in vitam prædeſtinavit æternam. Vbi hæc verba notanda ſunt, ſcilicet per certiſſimam præſcientiam: quod deſignat merita prævisa, propter quæ Deus decrevit gloriam dare ſuis Electis: quæ verba, etſi ſola eſſent, ſatis profecto demonſtrarent prædeſtinationem ad gloriam eſſe ob prævisa merita. Sed & notanda ſunt verba ſequentia; ſcilicet, & iuſtiſſimam beneficentiam: quæ denotant merita juſtitiæ, & exigentia vitam æternam, tanquam ſibi debitam, ſuppoſita benefica & liberali promiſſione Dei: Hinc enim vocatur beneficentia, ſcilicet ex promiſſione illa benefica, liberali & libera Dei: vel certe ob gratiam quam confert Deus ad noſtra merita, propter quam, ipſa vita æterna licet merces & præmium ſit, dicitur tamen gratia: Quia, inquit, Auguſtinus his meritis redditur quæ gratia contulit homini; recte quippe, inquit, ipſa intelligitur quæ in Euangelio legitur, gratia pro gratia, id eſt pro his meritis quæ contulit gratia. Et ideo forte maluit eam Auguſtinus vocare beneficentiam, quam miſericordiam, quia miſericordia ſolet ſignificare meram gratiam; unde utitur illo verbo Auguſtinus ad ſignificandam prædeſtinationem ad gratiam, quæ eſt ex mera gratia: At vero beneficentia non ſolam ſignificat gratiam, ſed etiam remunerationem illam, quæ eſt ſupra condignum, qualis eſt vita æterna, de qua dicit Apoſtolus, quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram illam gloriam quæ revelabitur in nobis: nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat, quæ ſane longe ſuperat omnia creaturæ merita & opera. Vnde bene vocatur vita æterna beneficentia, quia remuneratio eſt ſupra merita: ſed tamen iuſtiſſima, quia poſita promiſſione Dei, debita eſt, & reddenda ex iuſtitia: unde vocat eam Apoſtolus coronam iuſtitię. Mihi, inquit, repoſita eſt corona iuſtitię, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex, non ſolum autem mihi, ſed & his qui diligunt adventum eius: id eſt, vere promerentibus eam. Et per conſequens manifeſtum eſt quod prædeſtinatio ad gloriã facta eſt ex motivo iuſtitiæ ſecundùm Auguſtinum, quando

De corrept. & gr. c. 13. ſub finem.

Ad Rom. 8.

2. ad Timotheum 4.

quidem vocat eam iuſtiſſimam beneficentiam, quam non poſſet ita vocare , niſi iuſtitia concurreret ad illam , & per conſequens fatendum eſt quod illa prędeſtinatio facta eſt ſecundum Auguſtinum ob pręviſa merita.

Sed reſpondebant forte adverſarii hos libros, licet poſt exortam hæreſim Pelagianam conſcripti ſint , & contra illam compoſiti , non tantæ eſſe authoritatis , quia nempe compoſiti fuerunt in ipſo initio exorientis iſtius hæreſeos , rebus gratiæ non ita perſpectis.

Hos libros ſpecialiter laudat Fulgentius ad Monicum lib.1.c.28.

Reſpondeo D. Auguſtinum hos libros relegiſſe , nihilque in eis retractaſſe , ſed laudaſſe potius in ſuis retractationibus quas ſcripſit in ſummo conflictu contra iſtos hęreticos : quo tempore res gratiæ erant, ei exploratiſſimę. Et deinde illi ipſi qui ſe dicunt ſupra modum diſcipulos Auguſtini , citant pro ſe libros illos , ut ipſe Ianſenius qui citavit locum illum quem adduximus , & iiſdem verbis quibus illum citavimus, libro 9. de gratia Salv. cap. 19. unde ex hac parte nulla eſt difficultas.

Sed dices quod iſte locus , ſeu textus , quem mox adduximus , corruptus eſt : nam notant Lovanienſes in ſcholiis , ſeu annotationibus in illos libros pro, iuſtiſſimam beneficentiam conſtanter manuſcripta habere , futuram beneficentiam.

In fine tomi 7. Auguſtini Pariſiis Impreſſi anno 1614. & 1635. immediatè ante ſcholia, ſeu annotationes in quadam monitione ad Lectorem.

Loco ſupra notato.

Reſpondeo potius eſſe corruptionem in illis manuſcriptis (quæ non ſunt vetuſtiſſima, cum notent ipſi Lovanienſes ſe magnam habuiſſe vetuſtiorum exemplarium penuriam) quam in codicibus Auguſtini , qui circumferuntur , qui cum ſint antiquiſſimi , & ab omnibus recepti , ut genuini & legitimi etiamnum ab iis qui ſunt diverſæ opinionis , ut patet in Ianſenio qui hunc textum ſeu locum noſtrum ita citavit & adduxit: ideo præſcripſerunt contra quamcumque exceptionem & alienam authoritatem : nec enim manuſcriptis ſemper plena fides habenda eſt, pręſertim iis quæ non ſunt vetuſtiſſima, etiamſi ſint plurima : Sufficit enim ut error irrepſerit in unicum, quem poſtea, omnes illos tranſcribentes ſuis omnibus manuſcriptis communicent : Vnde ipſi Lovanienſes monent neceſſe fuiſſe aliquando vulgatam Auguſtini lectionem contra manuſcriptorum fidem aſſerere. Quapropter non dubito , quin cum ipſi locum noſtrum , ſeu textum non mutaverint , ſed integrum ſervaverint in ſuis Codicibus , licet ſupradicta manuſcripta aliud habuerint : Ideo illum genuinum , verum & germanum Auguſtini textum agnoverint, contra fidem manuſcriptorum.

Et ſane non video qua parte probari poſſit , quod ibi potius poni debeat , futuram beneficentiam , quàm iuſtiſſimam beneficentiam. Nam non poteſt dici quod Bibliopolæ mutarunt iſta nomina ex propinquitate terminorum , & ſimilitudine verborum : cum iſti termini ſeu iſta verba , *iuſtiſſimam* , & , *futuram* , valde inter ſe differant & diſtent: Neque etiam dici poteſt , quod ſenſus totius ſententiæ melior ſit, ſi ponas, futuram beneficentiam , pro , iuſtiſſimam beneficentiam : Cum è contra ſenſus omnino ridiculus & abſurdus ſit , ſi , futuram , ponas pro, iuſtiſſimam,

iuſtiſſimam, niſi admittas etiam in iſta lectione prædeſtinationem poſt præviſa merita. Nam vel refers futuram beneficentiam ad, prædeſtinavit, ita quod conſtructio iſta verborum ſit, ſcilicet, quod Deus per futuram beneficentiam prædeſtinavit electos ad gloriam: & tunc ſenſus erit, quod Deus per id quod nondum erat, cum ſolùm eſſet futurum, ordinavit id quod eſt de præſenti, id eſt, quod per futuram collationem glorię, quæ eſt illa futura beneficentia, Deus fecit decretum de ſalvandis prædeſtinatis, id eſt, quod Deus uſus eſt aliquo medio quod nondum erat, cum tantum eſſet futurum, ut operaretur aliquid præſens. At, quæſo, quomodo aliquid futurum, & quod nondum eſt, poteſt conſtituere aliquid præſens; & quomodo, quis poteſt uti futuro, ut per illud faciat aliquid de præſenti; & quomodo poteſt Deus per futuram gloriam, decernere illam eſſe futuram, cum prædeſtinare gloriam, & decernere eſſe futuram, unum & idem ſint? Quod ſi referas illam futuram beneficentiam ad, regnaturos, tunc admittis prædeſtinationem ad gloriam eſſe poſt præviſa merita; cum admittas iſtos eſſe regnaturos per certiſſimam illam præſcientiam quæ eſt præſcientia meritorum, & per collationem gloriæ, quæ futura iſta beneficentia eſt. Quod ſi dicas ibi præſcientiam non ſignificare nudam præcognitionem, ſed ipſammet prædeſtinationem, ut aliquando ſumit illam Auguſtinus: ecce duo abſurda quæ admittis: unum eſt, quod Deus prędeſtinavit eos qui prædeſtinati erant, quandoquidem prædeſtinavit eos, qui jam erant regnaturi per prędeſtinationem, cum pręſcientiam ſumas ibi pro prędeſtinatione: Alterum eſt, quod ibi prędeſtinatio eſt medium & finis reſpectu ſui-ipſius; finis quidem, quia prædeſtinavit; medium autem, quia per prædeſtinationem prędeſtinavit: quæ cum nimis abſurda ſint, ideo manifeſtum eſt quod iſta lectio rejicienda eſt, & antiqua retinenda, quę cum aſtruat prædeſtinationem poſt præviſa merita, ideo fatendum eſt, Auguſtinum cenſuiſſe prędeſtinationem ad gloriam eſſe poſt præviſa merita.

Sed & ſi concederetur quod pro, juſtiſſimam, ponendum eſſet, futuram: tamen propter hęc ſola verba, quæ non ſunt mutata, ſcilicet per certiſſimam pręſcientiam; quæ ſupponunt merita præviſa, concedendum eſſet in hoc textu ſignificari prędeſtinationem eſſe poſt præviſa merita. Quod ſi dicas ibi loqui Auguſtinum de prædeſtinatione ſecundum executionem, & non ſecundum intentionem: Reſpondeo, quod præterquam quod id falſum eſt, cum pręſcientia ibi poſita ut intrinſeca prædeſtinationi, non pertineat ad executionem, ſed ſolum ad intentionem, quę ſola vera prædeſtinatio eſt: id tamen conceſſum, ut verum, nil faceret contra nos, cum ſupra oſtenderimus, Auguſtinum non diſtinguere inter executionem & intentionem, ſed omnia iſta velle eodem modo fieri; unde cum non poſſet non credere prædeſtinationem ſecundum executionem eſſe poſt præviſa merita, etiam non potuit non credere, prędeſtinationem ſecundum intentionem eſſe ob pręviſa merita.

PUNCTUM XI.

Proponuntur tria argumenta ex Auguſtino, ſcilicet undecimum, duodecimum, & decimumtertium.

VNDECIMUM argumentum ſumitur, ex eo quod Auguſtinus Pſalmo 126. in hæc verba Chriſti: Non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo: Dicit gloriam eſſe paratam humilibus, & non ſuperbis: Quid eſt, inquit, Non eſt meum dare vobis? non eſt meum dare ſuperbis. Hoc enim adhuc erant; ſed ſi vultis illud (ſcilicet Regnum Cælorum) accipere, nolite eſſe quod eſtis: *Aliis* (id eſt humilibus) *paratum eſt*, & vos alii eſtote (id eſt humiles) *& vobis paratum eſt*. Cum ergo certum ſit quod paratum & prædeſtinatum idem ſint apud Auguſtinum in materia prædeſtinationis, ſequitur quod in ejus ſententia, Regnum Cælorum prædeſtinatum eſt humilibus, & bene per omnia operantibus, propter ſcilicet eorum humilitatem, & alia eorum bona opera: quandoquidem clare & exerte dicit illud eſſe paratum humilibus, & per conſequens bene operantibus, propter eorum humilitatem & bona eorum opera.

Lib. de præd. Sanct. c. 10. definiens prædeſtinationem ad gratiam, dicit eam eſſe præparationem gratiæ. Et tract. 68. in Ioann. ſic ait: Præparabo, id eſt, prædeſtinabo.

Duodecimum argumentum ſumitur ex quadam ratiocinatione Auguſtini, tractatu 45. in Ioannem, una columna circiter ante finem. In qua loquens de peccatore, ſeu impio prædeſtinato, ſic ait: Si prædeſtinatus eſt, ad tempus erravit, in æternum non periet: redit, ut audiat quod neglexerit, faciat, quod audivit. *Si enim de his eſt qui prædeſtinati ſunt, & errorem ipſius Deus præſcivit, & converſionem futuram.* In qua ratiocinatione, clare demonſtrat Auguſtinus, quod idcirco Deus prædeſtinavit illum peccatorem ſeu impium, quia prævidit illum reverſurum, & pœnitentiam acturum, in quo eſt ejus meritum. Sic enim infert ſuam conſequentiam: ſi pecccator prædeſtinatus eſt, redibit, convertetur, non in æternum periet; quare hoc? quia antequam Deus prædeſtinet aliquem, præſcivit opera illius futura: unde ſi hic de his eſt, qui prædeſtinati ſunt; & errorem ipſius Deus præſcivit, & converſionem futuram. In qua ratiocinatione manifeſte facit prædeſtinationem dependentem à præſcientia meriti, & converſionis, ſeu pœnitentiæ peccatoris: & ſic præſupponit illam, ante præprædeſtinationem; & ſic prædeſtinationem illam vult eſſe ex prævifis meritis, ut per ſe manifeſtum eſt.

Decimumtertiũ argumentum ſumitur ex quodam diſcurſu quem habet Auguſtinus, Serm. 7. de verbis Domini: ubi cum 1. cap. locutus fuiſſet, de duobus fidelibus, quorum primus dixerat Chriſto: Sequar te quocumque ieris, in quo fatetur Auguſtinus fuiſſe tunc magnam diſpoſitionem ad perfectionem: alter vero qui vocanti Chriſto ad ſequendum ſe, ait: Ibo prius ſepelire patrem meum: in quo fatetur Auguſtinus

fidem jam fuiſſe, per hæc verba: Fides cordis ejus Domino ſe oſtendebat, ſed pietas differebat: unde non loquitur hîc Auguſtinus de electione ad primã gratiam, ſed de electione ad vitã æternam: Reddit hanc rationem, cur Chriſtus primũ non admiſerit, ſcilicet quia Chriſtus præviderat eum ſua quæſiturum, non quæ Jeſu Chriſti. De ſecundo vero non ita expreſſe & formaliter cõcludit: Sed cum de eo & alio ſimili multa locutus fuiſſet, tandem omnia concludit in 2. capite his verbis: In hoc capitulo, diſcimus quóniam quos voluit Dominus elegit: elegit autem ſicut dicit Apoſtolus, ſecundum ſuam gratiam, & ſecundum illorum *juſtitiam*. Manifeſtum ergo eſt quod ibi Auguſtinus ſupponit merita hominum, cum ait ſecundum illorum juſtitiam, id eſt bonas & rectas actiones: non ante prædeſtinationem ad gratiam; tum quia ibi non agitur de electione ad gratiam, cum jam illi ſupponerentur eſſe in gratia: tum etiam quia Auguſtinus in eodem ipſo Sermone negat omnia merita ante prædeſtinationem ad gratiam, & vult eſſe mere gratuitam; unde non poterat ibi de illa loqui, ubi loquitur de juſtitia. Ergo ante prædeſtinationem ad gloriam, quàm hîc Auguſtinus vult eſſe & fieri ex prævisis meritis. *Reprobatio ex prævisis demeritis actualibus, & non ſolis originalibus.*

Et confirmatur ex ſequentibus paulo poſt verbis, ubi loquens, de his de quibus Scriptura dicit: Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal, ait: Quid eſt, Reliqui mihi? *Illos elegi quia vidi mentes illorum de me præſumentes*, non de ſe, nec de Baal. Ecce rationem electionis eorum, nempe illorum humilitatem, quam infra repetit, dicens: Sunt quos elegi ſicut & te: *De me ſcilicet præſumentes*. Ergo illa electio non eſt, niſi poſt prævisa eorum merita; non autem eſt electio ad gratiam, ut ſupra demonſtravimus; ergo electio ad gloriam: quod proſequitur uſque ad finem totius Sermonis, ubi oſtendit iſta merita non eſſe pure humana, ſed eſſe etiam divina, propter gratiam excitantem & adiuvantem, per quas illa facta ſunt. Per quod etiam clare demonſtrat, ſe tunc non ignoraſſe res gratiæ, cum tam pure & perfecte de ea ibi loquatur; imo pro ea fortiter pugnet & ſuperet.

PUNCTUM XII.

Proponitur argumentum 14. ex Auguſtino: & quibuſdam reſpondetur objectionibus.

DECIMUMQUARTUM argumentum ſumitur ex libro 1. ad Simplicianum quæſtione 2. ubi formaliter dicit, prædeſtinationem ad gloriam, eſſe propter opera, ſic enim ait: Non ergo ſecundum electionem propoſitum Dei manet, ſed ex propoſito electio: id eſt, quia Deus invenit opera bona in hominibus, quos elegit (loquitur ibi de electione ad gratiam) ideo manet propoſitum iuſtificationis ipſius; ſed quia illud manet, ut iuſtificet credentes, ideo *invenit opera quæ jam eligat ad Re-* *Tribus circiter columnis poſt initiumque quæſtionis.*

gnum Calorum. Et paulo poſt ait: Non tamen electio præcedit iuſtificationem, ſed electionem iuſtificatio: (quod non poteſt intelligi niſi de electione ad gloriam) nemo enim, inquit, eligitur niſi diſtans (nempe per merita) ab illo qui reiicitur (ecce diſcretionem meritorum) unde quod dictum eſt (verba ſunt Auguſtini) quia elegit eos Deus ante mundi conſtitutionem, non video quomodo dictum ſit, niſi præſcientia (ecce præſcientiam meritorum ante prædeſtinationem ad gloriam) hîc autem quod ait, Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quia maior ſerviet minori, non electione meritorum, quæ poſt iuſtificationem gratiæ proveniunt, ſed liberalitate donorum. Hæc Auguſtinus: ubi clare diſtinguit prædeſtinationem ad gratiam, à prædeſtinatione ad gloriam, in hoc quod prima ſit ex liberalitate donorum ſcilicet gratiæ, altera vero ex electione meritorum, quæ poſt iuſtificationem gratiæ proveniunt: quod teſtimonium tanto magis æſtimandum eſt, quod cum D. Auguſtinus relegerit hunc librum, ut ea retractaret quæ eſſent contra veram doctrinam: nihil tamen retractavit in illa ſecunda quæſtione ex qua decerptum eſt: ut videri poteſt in 2. libro retract. initio: unde conſequens neceſſario eſt quod totam illam doctrinam penitus approbaverit: & id etiam fatetur Janſenius, lib. 2. de grat. Salv. cap. 22. §. Reſponderunt. Ubi ait: Nihil omnino quod ſciam ex iſta quæſtione (ſecunda) retractavit, ac proinde quidquid in ea de gratia Chriſti docuit, verum eſſe confeſſus eſt.

Unde non eſt magni momenti, quod aliqui objiciunt, Auguſtinum ſcripſiſſe hunc librum, dum eſſet junior. Nam prætterquamquod id falſum videtur eſſe, cum jam eſſet Epiſcopus; tamen & ſi hoc concederetur, non eſſet minoris authoritatis liber iſte; cum illum ipſum librum, & præcipue quæſtionem ſecundam, ex qua locus noſter deſumptus eſt, Auguſtinus ſenex approbaverit, ut videre eſt in libro ſupracitato retractationum, quem iam ſenex exaravit, & ex lib. de prædeſtinatione Sanct. & de dono perſeverantiæ, quos poſt retractationes ſuas conſcripſit, in quibus, multum commendat librum illum, & præcipue quæſtionem ſecundam, è qua locus noſter exceptus eſt: adeo ut libro de prædeſtinatione Sanctorum, dicat doctrinam quam tradit in illa quæſtione ſecunda, fuiſſe ſibi à Deo revelatam, & per eam præcedentes ſuos errores emendaſſe: Unde nulla ex illo libro aut quæſtione ſecunda, contra datam ibi doctrinam, inſtantia facienda eſt.

Primaſius Auguſtini diſcipulus, & acerrimus pluſquam dici poſſit defenſor gratiæ: tam orthodoxum exiſtimavit hunc

Verum inſtat Eſtius docens in 1. diſt. 41. §. 11. huic libro non multum eſſe fidendum utpote ante Pelagianam hæreſim exortam conſcripto, in quo non per omnia ſatis accurate de gratia, & de prædeſtinatione diſſeruit Auguſtinus, ut ipſe fatetur libro 2. retract. cap. 1. & libro de dono perſeverantiæ cap. 20. & 21.

Reſpondeo me legiſſe locum illum retractationum, ubi Auguſtinus quidem loquens de prima quæſtione duarum illarum, quas tractat in illo primo libro ad Simplicianum, aliqua tunc fatetur ſe deprehendiſſe

probabiliora, quàm ea quæ ſcripſerat de illa prima quæſtione. At vero de ſecunda, è qua excerptus eſt locus noſter, tantum abeſt, ut in ea quicquam reprehenſione dignum reperiat, quin potius laudat & commendat eam, tanquam gratiæ congruentiſſimam: in qua etiam aſſerit gratiam fuiſſe victricem contra liberum arbitrium voluntatis humanæ. Poſterior, inquit, in hoc libro quæſtio eſt, ab eo loco ubi ait (Apoſtolus) Non ſolum autem, ſed & Rebecca, uſque ad, & niſi Dominus Sabaoth, reliquiſſet nobis ſemen..... In cujus quæſtionis ſolutione, elaboratum eſt quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ, *ſed vicit Dei gratia*, nec niſi ad illud potuit perveniri, ut liquidiſſima veritate dixiſſe intelligatur Apoſtolus: Quis te diſcernit? quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti quid gloriaris, quaſi non acceperis? Qui ſunt loci, quos magis urgere ſolitus erat Auguſtinus contra Pelagianos & Semipelagianos pro gratia: ex quo manifeſtum eſt quod non poterat accuratius loqui de illa: & ſic falſum eſt quod Auguſtinus ibi fateatur ſe in illo libro, non per omnia ſatis accurate diſſeruiſſe de gratia & de prædeſtinatione, cum è contra ipſe ibi aſſerat, quod in illo ipſo libro vicerit Dei gratia, & quod ibi ad hoc pervenit, ut fatendum eſſet cum Apoſtolo, quod non nos diſcernimus; quod nihil habemus, quod non accepimus: & quod in nullo gloriari debemus, quaſi non acceperimus: quo nihil luculentius dici poteſt pro gratia.

librum pro gratia, ut totam partẽ illam de qua ſumpſimus hoc noſtrum 14. argum. & ſuperius 7. in ſuum Commentarium ad Rom. cap. 10 transtulerit, & de verbo ad verbum exſcripſerit his verbis: Incipit Expoſitio de libro ſancti Auguſtini, excerpta è loco ad ſanctum Simplicianum, de Iacob & Eſaü, quæ licet non in ordine tractatus hujus poſita eſſe videatur, tamen ideo prætermiſſa non eſt, quia neceſſaria, atque perfecta, & ob hoc hic conſcripta, ut loco ipſius obſcuritate revelata, legentis ſenſum evidenter illuminet.

Ipſemet Eſtius in 1. diſt. 41 §. 4. citat pro ſe librum illum Auguſtini dicens, quod pro ſua opinione prædeſtinationis ad gloriam ante præviſa merita, multa in eo leguntur, licet eum librum, Pelagio nondum exorto, ſcripſerit Auguſtinus.

Legi etiam cap. 20. & 21. de dono perſeverantiæ; ubi non vidi quod Auguſtinus teſtaretur ſe inveniſſe aliquid dignum reprehenſione in illa ſecunda quæſtione, ſeu in illa ſecunda & ultima parte libri primi ad Simplic. de qua ſumptus eſt textus noſter: quin potius laudat eam, ut gratiæ commendatione digniſſimam, aptiſſimamque ad revincendos Semipelagianorum errores contra gratiam. Videant, inquit, utrum in libri primi poſterioribus partibus eorum duorum, quos mei Epiſcopatus initio antequam Pelagiana hæreſis appareret, ad Simplicianum Mediolanenſem Epiſcopum ſcripſi, remanſerit aliquid quo revocetur in dubium, gratiam Dei non ſecundum merita noſtra dari; & utrum ibi, non ſatis egerim etiam, initium fidei eſſe donum Dei, & utrum ex iis quæ ibi dicta ſunt, non conſequenter eluceat, & ſi non ſit expreſſum, etiam uſque in finem perſeverantiam, non niſi ab eo donari, qui nos prædeſtinavit in ſuum regnum & gloriam. Quod ſane longe diverſum eſt ab eo quod dicebat Eſtius, ſcilicet Auguſtinum ibi faſſum eſſe, quod non per omnia ſatis accurate de gratia & de prædeſtinatione diſſeruiſſet: cum è contra remittat inimicos gratiæ ad illum librum, ut per eum quod vere ſentiendum ſit de gratia doceantur, & diſcant. Quapropter non

Poſteriores partes illius libri ſunt 2. illa quæſtio de qua ſumpſimus textum noſtrũ.

eſt quod Eſtius aut alii, diffidant ab ea doctrina, quam ibi tradit Auguſtinus, ſive de gratia,ſive de prædeſtinatione cum etiam ſupra oſtenderimus, ipſum Auguſtinum fateri totam doctrinam illam,quæ eſt in illa ſecunda quæſtione è qua locus noſter excerptus eſt, ſibi à Deo fuiſſe revelatam.

Unde alii melius ſentientes de doctrina illius libri, & indubitatam eam admittentes: objiciunt contra textum prædictum,quod non loquitur in illo Auguſtinus, de decreto intentionis quod eſt vera prædeſtinatio: ſed ſolum de decreto executionis, quod cum non ſit vera prædeſtinatio, facile concedunt illud eſſe ex meritis.

Reſpondeo primò Auguſtinum nunquam locutum eſſe de duplici illo decreto, quod ſolùm confictum eſt ad eludendam difficultatem,ut infra demonſtrabimus. Reſpondeo ſecundò, quod etſi admitteret Auguſtinus illud duplex decretum; tamen non admitteret unum eorum aliter fieri quàm alterum: cum videamus, quod agens contra Pelagianos & Semipelagianos de prædeſtinatione ad gratiam, non aliter probat gratiam prædeſtinari gratis,quam probando quod datur gratis; per hoc evidenter ſupponens, eodem modo fieri prædeſtinationem & executionem illius, ut etiam ſupra probatum eſt: & fatetur Ianſenius præcipuus ex adverſariis.

Reſpondeo tertio, manifeſte loqui Auguſtinum in loco præallegato de decreto intentionis, & non de decreto ſolo executionis: cum utatur ibi nomine electionis, quod nomen ſumitur proprie pro decreto intentionis, & non poteſt recte ſumi pro decreto executionis, quod ſupponit electionem jam factam, cum decernat modum exequendæ illius; ſed & ſi decretum illud poſſet ſumi pro electione: non tamen ſumi poſſet pro illa de qua ibi loquitur Auguſtinus: Nam illa invenit opera quæ eligat, decretum autem executionis non invenit opera, ſed facit per media ſcilicet efficacia quæ decernit; non ſupponit opera, ſed ponit; denique non invenit ut eligat, ſed eligit ut inveniat: id eſt eligit gratias efficaces, ut poſtea inveniat bonas operationes. Quod ſane longe diverſum eſt ab ea electione de qua ibi loquitur Auguſtinus,

PUNCTUM XIII.

In quo quædam ſolvitur oppoſitio Ianſenii.

ALITER putat reſpondendum eſſe Ianſenius, libro 9. de gr. Salv. cap. 24. initio. Qui ſupponens ibi loqui Auguſtinum, etiam de prædeſtinatione ſecundum intentionem, vult tamen nihil ibi dicere; quod ſit contrarium prædeſtinationi, quæ eſt ante præviſa merita: & ratio eſt, inquit, quia ut alibi fuſe declaravimus, quamvis Auguſtinus dum quæſtionem illam (ſecundam) ſcriberet, jam intelligeret illam gratuitam benevolentiam Dei, qua uni præ altero gloriam

liberationis à damnatione decernit ante meritorum præſcientiam ; non tamen intellexit eam ſub nomine , vel ſub ratione electionis. Putabat enim tunc temporis , quamvis aliquis per meram gratuitam gratiam aſſumi ad aliquid poſſet , ſive ad gloriam, ſive ad gratiam ; illum tamen nequaquam electum dici poſſe , eo quod electio in ipſa eſſentiæ ſuæ ratione poſtularet , eum qui eligitur , ab eo qui rejicitur , aliqua conditione , vel qualitate diſtare , ratione cujus alteri præferatur. Quod deinde probat textibus Auguſtini , & tandem ait : Secundum iſtam electionis notionem veriſſimum eſt , neminem ante meritorum præſcientiam eligi ad gloriam ; nam ſic etiam nemo eligitur ad gratiam ; ſed ſecundum aliam electionis rationem , ſicut aliquis gratis poteſt eligi ad gratiam , ita etiam ad gloriam , non quia invenit aliquid in hominibus quod eligat , ſive ab æterno , ſive in tempore ; ſed quia hoc ipſe facturus eſt. Hæc ibi Janſenius , in quo mihi [redacted] videtur potius ludere , & illudere lectoribus quam ſolvere difficultatem. *Fraudulenta reſponſio Ianſenii.*

Nam non eſt difficultas , in eo quod hoc vel illo modo ſumeret Auguſtinus verbum electionis , ſed in hoc quod dicit exerte & formaliter, Deum inveniſſe in juſtificatis opera , quæ eligeret ad regnum : quæ verba clare demonſtrant , opera fuiſſe jam præviſa , antequam fieret iſta electio. Nam invenire ſupponit rem jam eſſe , ſaltem in præviſione. Ergo cum dicit Deum illa opera inveniſſe , manifeſte per hoc demonſtrat , illa opera præceſſiſſe electionem illam , ſaltem in præviſione Dei: & per conſequens illam electionem factam fuiſſe propter *præviſa* opera. Ad quid ergo hîc diſcurrere inutiliter de notione nominis ſub qua tunc Auguſtinus ſumebat nomen electionis : tota quæſtio eſt , an vere ſint ex Auguſtino verba iſta : Scilicet , quia illud manet ut juſtificet credentes , ideo *invenit opera* quæ jam eligat ad Regnum Cælorum. Si negas , ecce habes omnes Codices Auguſtini contra te , qui omnes habent hæc verba : Si fateris ; ergo etiam fatearis neceſſe eſt , prædeſtinationem ad gloriam factam eſſe poſt præviſa merita ſecundum Auguſtinum, cum id verba iſta clare indicent : Ad quid etiam dicere quod Auguſtinus , tunc ſumebat nomen electionis , ſecundum illam notionem , quæ ſupponit in electis diſtantiam meritorum : & quod ſecundum iſtam notionem, veriſſimum eſt neminem ante meritorum præſcientiam eligi ad gloriam. Non eſt hîc quæſtio, an verum ſit, quod nemo eligitur ad gloriam ante præſcientiam meritorum, illa electione quæ ſupponit merita , cum hæc quæſtio ridicula ſit , & indigna Auguſtino. Sed hîc quæſtio eſt , quid ſignificent iſta verba : Invenit (Deus) opera , quæ jam eligat ad Regnum Cælorum : quæ cum clare ſignificent illam prædeſtinationem fieri propter opera , ideo fatendum eſt prædeſtinationem ad gloriam fieri propter opera. Ad quid tandem dicere quod ſicut aliquis poteſt eligi gratis ad gloriam , ita etiam ad gratiam. Non eſt hîc quæſtio de poſſe, ſeu de eo quod poteſt Deus facere : ſed eſt quæſtio de facto , & de eo quod fecit Deus in prædeſtinatione credentium ad Regnum Cælorum, *Aperitur fraus Ianſeniana.* *Eodem modo conatur eludere vim iſtius argumenti lib. 9.*

c. 6. §. Quorum germanus ſenſus: & ſequentibus explicas de poſſe cum aperte ſit de facto, ut patet ex verbis ipſius Auguſtini.

ut patet ex difertis Auguſtini verbis, quia, inquit, illud manet ut juſtificet credentes, ideo invenit opera quæ jam eligat ad Regnum Cælorum. Non dicit, potuit invenire; ſed dicit invenit, ſcilicet in præſcientia ſua, opera quæ jam erant in præviſione ſua præſentia; ut ea eligeret ad gloriam. Non eſt ergo hîc ambagibus utendum & peregrinis interpretationibus, res per ſe clara eſt. Dicit Auguſtinus quod Deus invenit opera in credentibus, in juſtificatis quæ eligeret ad Regnum Cælorum: Ergo ſimpliciter & ſincere confitendum eſt quod Auguſtinus cenſuit prædeſtinationem fidelium, credentium, juſtificatorum, ad gloriam, factam eſſe poſt præviſa merita. Vnde etiam falſiſſimum eſt illud, quod latenter volebat inſinuare Ianſenius in fine ſuæ ſolutionis, aut evaſionis, ſcilicet hominem eligi ad gloriam, non quia Deus invenit aliquid in illo quod eligat, ſive ab æterno, ſive in tempore; ſed quia hoc ipſe facturus eſt. Hoc enim eſt omnino contra mentem Auguſtini, in prædicta objectione citati, cum ibi formaliter dicat Deum inveniſſe in juſtificatis, opera quæ eligeret ad gloriam. Invenit, inquit, opera quæ jam eligat ad Regnum Cælorum. Ecce dicit, invenit, & tu dicis quod non invenit. Invenit ergo, & facturus eſt: invenit in ſua præſcientia, & facturus eſt in temporis differentia. Neque vero juvat eum, teſtimonium Auguſtini quod ibi citat ex prædeſtinatione Sanctorum cap. 17. ſcilicet: Recte in eis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat hoc elegit. Quia cum hic textus ſit de prædeſtinatione ad gratiam, ſeu ad initium fidei, quod volebant Semipelagiani eſſe à ſolo homine & non à Deo, mere gratis illud tribuente per excitantem & adjuvantem ſuam gratiam, ut volebat Auguſtinus. Bene dicit Auguſtinus recte in eis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat eos eligit: quia nempe illi eliguntur, ut tales fiant: non quia tales erant. At hoc eſt valde contrarium iis quæ ſupra dixit Auguſtinus de prædeſtinatis ad gloriam, in quibus dixit Deum inveniſſe, & non facturum eſſe opera, propter quæ illi eligebantur; & per conſequens ab una illarum electione, non eſt arguendum ad aliam, cum ſecundum Auguſtinum ſint tam diſparatæ & oppoſitæ.

Nec vero magis illum juvat iſtud aliud teſtimonium Auguſtini ex eodem libro & capite, ſcilicet nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide & heredes Regni: eligendo enim facit divites in fide, ſicut heredes Regni? In quo textu vult Janſenius Auguſtinum inſinuare tam electionem ad gloriam, quam electionem ad gratiam eſſe ſine præviſis meritis.

Comparat ibi Auguſt. primam fidem, cum prima gratia juſtificante: & dicit quod ſicut una eſt mere gratuita, ita &

Sed male locum iſtum interpretatur Janſenius, cum ſit tantum de prædeſtinatione ad gratiam (de qua ibi formaliter loquitur Auguſtinus) & non de prædeſtinatione ad gloriam. Aliud enim eſt eſſe heredem Regni, & aliud eſt eſſe prædeſtinatum ad Regnum. Nam qui filius eſt, heres eſt Regni, non vero cito prędeſtinatus eſt ad Regnum, quia ratio heredis fundatur in filiatione Dei, ſeu in gratia ſanctificante, quam

multi

multi fideles habuerunt, qui tamen ad hereditatem æternam non pervenerunt, nec proinde prædeſtinati fuerunt. Heres enim eſt, qui habet jus ad hereditatem, licet non perveniat ad illam; prædeſtinatus autem ad hereditatem æternam, nunquam non pervenit ad illam: unde latiſſima differentia eſt inter heredem Regni æterni, & prædeſtinatum ad illud. Nam quicumque filius eſt, eo ipſo heres eſt, ſed non eo ipſo prædeſtinatus eſt: hinc eſt, quod quemcumque agnoſcit Scriptura ſacra filium, eum vocat & heredem. Matth. 21. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt: Hic eſt heres, venite occidamus eum: Ille verus erat heres, & tamen non pervenit ad hereditatem, quia occiſus eſt. Et ad Romanos 8. Si autem filii, & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti: quod pertinet ad omnes juſtificatos. Ad Galat. 4. Quanto tempore heres parvulus eſt, nihil differt à ſervo (ibi heres ponitur pro filio, ut patet ex ſequentibus) ſed ſub tutoribus, & actoribus eſt, uſque ad præfinitum tempus à Patre: Et paulo infra: Quod ſi filius, & heres per Deum: Et ad Titum 3. Iuſtificati gratia ipſius, heredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ. Ibi juſtificati dicuntur heredes, non autem prædeſtinati, cum tantum dicantur heredes ſecundum ſpem, & non ſecundum electionem ad gloriam. Vnde ſenſus prædicti textus eſt, quod Deus eligendo facit fideles, ſicut facit juſtos, & gratos, & perſeverantes, aut aliquid ejuſmodi, non vero ſicut facit prædeſtinatos, aut beatos, ut vellet Ianſenius, cum hoc non importet nomen heredis, ut ſupra probatum eſt. Quod ſi tamen quiſpiam velit Auguſtinum ſumere nomen heredis pro prædeſtinatione, & non pro gratia ſanctificante, dic quod ſuo more, ibi loquitur de prædeſtinatione completa ad gratiam ſimul & ad gloriam, quæ ſine dubio eſt gratuita ratione gratiæ, eo modo quo expoſui initio diſputationis. Si autem velis intelligi de prædeſtinatione ad ſolam gloriam, dic quod illa eſt etiam gratuita in ſenſu Auguſtini, ſcilicet quia his meritis redditur quæ gratia contulit homini, ut ipſemet explicat ibi lib. de corrept. & gr. cap. 13. & libro de gratia & libero arbitrio cap. 8. Et ſic nihil habet Janſenius ex hoc textu, quo probet contra nos, prædeſtinationem ad gloriam eſſe mere gratuitam; cum vel non ſit de prædeſtinatione, ſed de prima gratia ſanctificante: vel ſi eſt de prædeſtinatione, non eſt de ea de qua loquimur, vel ſi eſt de ea de qua loquimur non vult Auguſtinus eam eſſe gratuitam, eo modo quo vult Ianſenius, id eſt in ſe; ſed alio modo, id eſt in meritis gratiæ quo ſemetipſum alibi explicat ipſe Auguſtinus, qui melius ſciebat quid ipſe ſentiret, quàm Janſenius: & ſic generaliter manifeſtum eſt Janſenium fruſtra eſſe fatigatum ad detorquendam prædeſtinationem ad gloriam, ad claſſem prædeſtinationis ad gratiam, per explicationem inutilem, & implicatam notionis illius, ſub qua ſumebat tunc Auguſtinus nomen electionis: Hæc enim notio peculiaris, ſub qua ſumebat tunc nomen iſtud electionis; ſcilicet in quantum formaliter dicit & importat diſtantiam eligendorum à rejiciendis per aliquas conditiones, & qua-

altera: aut, ut arbitror, magis ad propoſitum: comparat ibi fidem cũ operibus, quibus debetur merces æterna, & ſic nos faciunt heredes Regni: & vult dicere: Quod ſicut Semipelagianis, contra quos ibi agebat, facile admittebãt. Deum facere in nobis illa opera: & per hoc eligendo nos ad illá, facere nos heredes Regni: ita & ipſi debebant admittere quod Deus faciebat etiã fidem, & ſic eligendo nos ad illam, faciebat nos divites in fide, & ut heredes Regni.

litates ſeu merita, ad nihilum valet ultra, niſi ad confirmandam magis ac magis noſtram ſententiam: In quantum Auguſtinus clare & exerte dixit in prędicto noſtro textu: Illud nomen electionis, quod, in ſuo conceptu formali & intrinſeco ſupponit neceſſario in electis merita, ſeu diſtantiam meritorum à rejiciendis, vere & proprie convenire prædeſtinationi ad gloriam, & non prædeſtinationi ad gratiam. Nam ex eo quod tribuit, veram rationem illius electionis (quæ eſt ob merita) prædeſtinationi ad gloriam, & non vult tribui prædeſtinationi ad gratiam, manifeſte declarat & fatetur ſe firmiter tenere prædeſtinationem ad gloriam eſſe poſt & ob merita: non autem prædeſtinationem ad gratiam.

PVNCTVM XIV.

Proponuntur tria ſequentia argumenta ex Auguſtino, ſcilicet 15. 16. & 17.

DECIMUMQUINTUM argumentum eſt, quod Auguſtinus exponendo illa verba Apoſtoli ad Romanos 6. Gratia autem vita æterna; non explicat illa de prædeſtinatione gratuita ad vitam æternam, quomodo naturaliter debebat illa intepretari, ſi putaſſet prædeſtinationẽ ad vitam, eſſe mere gratuitam: ſed ille utendo potius circuitu, explicat illa verba, de meritis quæ ſunt à gratia, per quæ obtinemus vitam æternam: Sine dubitatione, inquit libro de corrept. & gr. cap. 13. ſub finem; confitendum eſt, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini: Recte quippe ipſa intelligitur quæ in Euangelio legitur, gratia pro gratia, id eſt, pro his
Ioan. 1. meritis quæ contulit gratia. Ergo ſignum eſt quod nunquam putavit vitam æternam eſſe mere gratis prædeſtinatam, cum illa verba Apoſtoli quę maxime ſpectant ad illam prædeſtinationem ſecundum adverſarios, qui paſſim illa nobis objiciunt, tanquam prædeſt. gratuitam ſignificantiâ, non interpretetur tamen de illa prædeſt. ſed tantum de meritis noſtris à gratia divina profectis. Imo vero libro de gr. & libero arbitrio cap. 8. ita explicat illa verba de meritis, prout à gratia, ut dicat aliter ea exponi non poſſe: quod ſane non dixiſſet, nec potuiſſet vere dicere, ſi putaſſet vitam æternam mere gratis prædeſtinari; Cum certum ſit, quod longe melius illa verba expoſuiſſet de prædicta prædeſtinatione mere gratuita, quàm de meritis à gratia profectis, ut per ſe manifeſtum eſt. Ecce illius verba: Quomodo, inquit, eſt gratia vita æterna quæ ex operibus ſumitur? an forte vitam æternam non dixit Apoſtolus gratiam? Imo vero ſic dixit ut negari omnino non poſſit, nec intellectorem acutum, ſed tantummodo intentum deſiderat auditorem: cum enim dixiſſet, ſtipendium peccati mors, continuo ſubdidit: Gratia autem Dei, vita æterna, in Chriſto Ieſu Domino noſtro. *Iſta ergo quæſtio nullo modo mihi videtur poſſe diſſolvi, niſi intelligamus,* & ipſa bona opera noſtra,

quibus æterna redditur vita ; ad Dei gratiam pertinere. Hæc ut opinor de ſe ita manifeſta ſunt, ut ampliori expoſitione non indigeant.

Eodē modo loquitur Ep. 1 5. ad Sixtū circa med.

Decimumſextum argumentum ſumitur ex tract.76. in Ioannem, ubi reddens rationem electionis ad gloriam, & reprobationis à gloria ; dicit cauſam illius eſſe dilectionem in Deum, cauſam vero hujus eſſe carentiam iſtius dilectionis, his verbis : Qui enim diligunt, *quia diligunt, eliguntur* ; qui vero non diligunt, ſi linguis loquantur hominum & Angelorum, fiunt ſicut æramentum ſonans, & cymbalum tinniens : & ſi habuerint Prophetiam ......nihil eis prodeſt : dilectio Sanctos (id eſt Electos) diſcernit à mundo, quæ facit unanimes habitare in domo (id eſt gloria) in qua domo (ſcilicet gloria) facit Pater & Filius manſionem, qui donant ipſam dilectionem (ſcilicet per gratiam prævenientem) quibus (ſcilicet diligentibus) donent in fine etiam ipſam ſuam manifeſtationem (quæ eſt gloria æterna.) Ubi manifeſtiſſime vides electionem ad gloriam tribui ab. Auguſtino dilectioni Sanctorum ; ſicut & reprobationem impiorum tribuit carentiæ dilectionis ipſorum : & per conſequens negari non poteſt, quin teneat prædeſtinationem ad gloriam, eſſe poſt præviſam iſtam dilectionem, ſeu poſt præviſa merita. Nec enim dici poteſt, quod ibi ſolùm loquatur de prædeſtinatione ſecundum executionem, cum utatur nomine electionis quæ ſignificat intentionem: Eligere enim ad gloriam, idem eſt, ac intendere, & velle dare gloriam : Cum ergo dicat iſtam electionem eſſe propter dilectionem, quam habent Sancti in Deum, conſequens neceſſario eſt, quod teneat prædeſtinationem ad gloriam eſſe propter iſtam dilectionem, & ſic ob præviſa merita.

Decimumſeptimum argumentum ſumitur ex tractatu 59. in Ioann. ubi oſtendit Auguſtinus electionem ad gloriam, eſſe ob præviſa bona opera, ubi rejicit reprobationem negativam. Nam cum retuliſſet hæc verba ex Ioannis 13. Ego ſcio quos elegerim : cito dicit ; quos (ſcilicet elegerit) *niſi eos qui beati erunt, faciendo ea quæ præcepit, & facienda monſtravit, qui efficere beatos poteſt.* Ubi clare oſtendit objecta illius electionis ad gloriam, eſſe eos qui merebuntur vitam æternam, faciendo ea quæ Chriſtus præcepit, & imitando illa exempla quæ monſtravit. At hoc neceſſario arguit illa opera, ſeu merita, eſſe ante electionem illam, cum ſupponat illa merita eſſe ojecta iſtius electionis: ergo ibi admiſit Auguſtinus electionem ad gloriam eſſe poſt præviſa merita. Et paulo infra loquens de Iuda reprobo, rejicit etiam reprobationem negativam : nam cùm ibi retuliſſet hæc verba ejuſdem capitis mox citati, ſcilicet, Beati eritis ſi feceritis ea ; ſtatim ait : Hoc non de omnibus dicit, ſcit enim quos ad ſocietatem beatitudinis hujus elegerit : *Non eſt ex eis iſte, qui panem illius ſic edebat, ut ſuper eum levaret calcaneum.* Ubi per hæc verba, qui panem illius ſic edebat, ut, &c. oſtendit rationem cur non electus fuerit : ſcilicet quia peccaturus erat, & quia proditurus eum erat : per quod manifeſte rejicit reprobatio-

nem negativam, quam adverſarii voluut eſſe non electionem, ſeu negationem electionis ante præviſa peccata; & ecce vult Auguſtinus non electionem Iudæ fuiſſe ex præviſo illius peccato: Nam illud pronomen, qui, æquivalet ibi cauſali, cum determinet ibi rationem formalem, cur ille non electus ſit; & cum proponat quaſi objectum formale iſtius non electionis, ſcilicet in quantum peccaturus erat: eo modo quo in hac propoſitione Dauidis ad Abigaïl 1. Regum 25. Benedicta tu, quę prohibuiſti me hodie, ne irem ad ſanguinem: Illud pronomen, *quæ*, habet vim cauſalis, & eſt idem, ac ſi diceret; Benedicta tu, quia prohibuiſti me, ſeu in quantum impediſti me ne ſævirem, ne crudelitatem exercerem: Unde Græce illud pronomen, ſimul cum verbo effertur, per modum epitheſis qualificantis, & ſpecificantis ipſam rationem: *εὐλογημένη σὺ ἡ ἀποκωλύσασα με σήμερον ἐν ταύτῃ μὴ ἐλθεῖν εἰς αἵματα*, id eſt, Benedicta prohibens, ſeu in quantum prohibens eſ(t) me, ne irem ad ſanguinem: in hoc ſpecificans rationem, cur benedicebatur, ſeu benedicta illa declarabatur. Simile eſt illud Lucæ 1. Beata quæ crediditi: Græce *μακαρία ἡ πιστεύσασα*. Id eſt, beata credens, ſeu in quantum credens, quia credidit. Ita, cum Auguſtinus ait: Non eſt ex eis iſte qui panem illius ſic edebat, ut ſuper eum levaret calcaneum: idem eſt ac ſi diceret, non eſt ex eis iſte qui panem illius ſic edebat, ut, &c. vel, non eſt ex eis iſte in quantum panem illius ſic edebat, ut ſuper eum levaret calcaneum: ad quid enim ibi notaſſet iſtam circumſtantiam, niſi quia erat intrinſeca ſubjecto; numquid enim poterat dicere, non eſt ex eis Iudas licet eſſet apoſtolus: ſed noluit quicquam inutiliter dicere Auguſtinus, ſed voluit ſpecificare & notare cauſam ipſam, & rationem cur non electus eſſet, ſcilicet ejus peccatum, & impiam proditionem. Quod eo magis ſit certum, quod prius dixerat Electos eſſe eos, qui bona opera habebant: Unde poſtea dicens eum non eſſe ex eis electis, qui mala opera habebat; ſatis per hoc oſtendit, quod ille ex eis Electis non eſt, quia mala opera habebat, & non bona, ſicut alii: & ſic aperte rejicit reprobationem negativam, quæ non reſpicit opera, ſecundum adverſarios, ſed meram & ſolam Dei voluntatem. At rejiciendo reprobationem illam negativam, rejicit etiam prædeſtinationem ante præviſa merita, quæ ſine illa ſtare non poteſt, ut ſupra demonſtratum eſt.

Argum. 8. ex Auguſtino initio.

Ergo etiam per hoc admittit prædeſtinationem ad gloriam poſt præviſa merita: tum quia rejiciendo prædeſtinationem ante præviſa merita, conſequenter admittit prædeſtinationem poſt præviſa merita, cum inter utramque non ſit dare medium. Tum etiam quia admittendo quod reprobatio illa negativa, ſeu non electio reproborum, facta eſt poſt præviſa opera: conſequenter admittit, electionem prædeſtinatorum factam eſſe poſt præviſa opera, cum eodem inſtanti rationis ſecundum adverſarios, utraque facta ſit: eligendo ſcilicet iſtos, & nolendo eligere alios: ex hoc enim quod hos ſolos vult eligere neceſſario, ſequitur quod non vult eligere alios.

PUNCTUM XV.

Tria alia proponuntur argumenta ex Auguſtino, ſcilicet 18. 19. & 20.

DECIMUMOCTAVUM argumentum ſumitur ex interpretatione ſuper locum illum Apoſtoli ad Roman. 6. Gratia autem vita æterna: quem adverſarii volunt intelligi, de prædeſtinatione mere gratuita ad vitam æternam: Ipſe autem Auguſtinus ita interpretatur illum, ut agnoſcat in ea veram juſtitiam; ſic enim ait in Epiſtola 105. ad Sixtum contra Pelagianos: cum enim dixiſſet (ſcilicet Apoſtolus) ſtipendium peccati mors, quis non congruentiſſime, & conſequenter addere judicaret: ſtipendium autem juſtitiæ vita æterna, & *verum eſt* (ecce id approbat, & addit inſuper rationem) quia ſicut merito peccati, tanquam ſtipendium redditur mors: ita merito juſtitiæ, tanquam ſtipendium vita æterna. Et infra: Quapropter, o homo! ſi accepturus es vitam æternam, *ſtipendium quidem juſtitiæ eſt* (ecce quod aſſerit, ſcilicet vitam æternam eſſe ſtipendium juſtitiæ) ſed tibi gratia eſt, cui gratia eſt, & ipſa juſtitia. Id eſt, ſed etiam gratia eſt, quia juſtitia tua opus tuum meritorium gloriæ, eſt ex gratia Dei præveniente & adjuvante, ſine qua nihil ageres. Et lib. de gr. & libero arbitrio cap. 9. verſus eundem locum Apoſtoli, ſic ait: ***Cum poſſet dicere, & recte dicere: Stipendium autem juſtitiæ vita æterna***; maluit dicere, gratia autem vita æterna: Ut hinc intelligeremus non pro meritis noſtris (id eſt mere humanis in ſenſu Auguſtini) Deum nos ad vitam æternam, ſed pro ſua miſeratione perducere (id eſt per ſuas gratias prævenientes & adjuvantes, nos ad gloriam æternam promovere, ut infra ipſe ſe explicat, reddens rationem horum verborum Pſalmiſtæ, dicentis Pſalmo 102. Qui coronat te in miſeratione & miſericordia: Quia, inquit, ejus miſeratione bona operamur, quibus corona redditur. Et ſic in loco iſto agnoſcit Auguſtinus, vitam æternam potuiſſe dici ſtipendium juſtitiæ, ſeu præmium juſtitiæ: Atqui hoc eſt agnoſcere merita eſſe cauſam gloriæ: ergo enim velint adverſarii illum locum intelligi de prædeſtinatione ad gloriam, fateantur neceſſe eſt, Auguſtinum ibi admiſiſſe prædeſtinationem ad gloriam eſſe poſt præviſa merita: cum ibi clare admittat vitam æternam eſſe ſtipendium juſtitiæ, ſeu præmium juſtitiæ, quod præſupponit merita.

Id eſt, hoc dixiſſet Apoſtolus, niſi timuiſſet ne humana ſuperbia ſibi ſoli tribuiſſet iſtam juſtitiam, & non Deo.

Decimumnonum argumentum ſumitur ex doctrina Auguſtiniana de perſeverantia, & eſt ejuſmodi: Ut ſe habet perſeverantia ad orationes, propter quas datur, ita & gloria ad merita propter quæ datur: Atqui ex Auguſtino, ita ſe habet perſeverantia ad orationes, propter quas datur, ut nonniſi poſt illas prædeſtinetur: ergo & gloria ita ſe habet ad merita, propter quæ datur, ut non niſi poſt illa præviſa prædeſtinetur. Prob. maj. ex eo quod non ſit minor connexio inter merita & gloriam,

quam inter orationes & perſeverantiam; imo vero eſt major, quando quidem gloria debetur meritis, ex juſtitia, non ſic vero perſeverantia orationibus, ſed tantum ex quadam congruitate & decentia. Et præterea cum utraque ſit intrinſeca noſtrę ſaluti; gloria quidem ut forma faciens ipſam ſalutem, perſeverantia autem ut ultima ad gloriam diſpoſitio, ſequitur quod ſi Deus ante prædeſtinationem unius vult præſcire diſpoſitiones ad illam, v. gr. orationes ante perſeverantiam; ita & ante prædeſtinationem alterius, v.gr. merita ante prædeſtinationem ad gloriam, cum in utroque idem ſit motivum & ratio iſta ante præſciēdi & prævidendi: ſcilicet affectus in noſtram ſalutē circa quam nihil vult niſi ſuaviter ſtatuere, & per hoc nihil ante præſcientiam diſpoſitionum & actionum noſtrarum decernere. Et ita manifeſtum eſt quod par ratio eſt prædeſtinationis ad perſeverantiam, reſpectu orationum noſtrarum, & prædeſtinationis ad gloriam, reſpectu meritorum noſtrorum. Probatur vero minor; ſcilicet, quod ſecundum Auguſtinum, ita ſe habet perſeverantia ad orationes propter quas datur, ut non niſi poſt illas prævisas prædeſtinetur: quod probatur ex libro de dono perſeverantiæ c. 15. ubi hæc habet, cum conſtet Deum alia, etiam non orantibus, ſicut initium fidei: alia, *non niſi orantibus præparaſſe, ſicut uſque in finem perſeverantiam*, profecto qui ex ſeipſo hanc ſe habere putat, non orat ut habeat. Ubi vides perſeverantiam præparatam ſeu prædeſtinata morantibus, ſeu orationibus fidelium, & per hoc poſteriorem eſſe prævisione illarum; cum illæ ſint objecta illius, & per conſequens priores in prævisione, cum omne objectum neceſſario ſit ante potentiam, & actum qui circa illud verſantur, ut circa illud verſantur. Quo poſito clara eſt concluſio, ſcilicet, quod gloria ſecundum Auguſtinum non prædeſtinatur nobis, niſi poſt prævisa merita, quandoquidem perſeverantia, ſecundum illum, non prædeſtinatur nobis, niſi poſt prævisas orationes.

Confirmatur ex eo quod, ex iſto textu ſequitur quod Deus negat perſeverantiam omnibus non orantibus, quandoquidem non prædeſtinat illam, niſi orantibus: ergo prius debet prævidiſſe qui orarent, & qui non orarent, ut prioribus daret illam ſi vellet, poſterioribus autem eam negaret. Et hinc forte eſt quod loquens Auguſtinus de negatione perſeverantiæ, ſemper refert eam ad juſtum judicium, ad pœnam, ad punitionem, ad ſupplicium: ſcilicet ob neglectas orationes & alias circumſtantias ob quas illam dediſſet, ſi iſta non neglexiſſent, quod adhuc ſupponit prævisionem. Cum ergo eadem ſit ratio prædeſtinationis ad gloriam, reſpectu meritorum, & prædeſtinationis ad perſeverantiam, reſpectu orationum; ſequitur quod ſicut ait Auguſtinus, illos ſolos ad perſeverantiam non prædeſtinari, qui non orarent, aut qui digni eſſent qui privarentur iſta gratia: ita & ſequitur quod illi ſoli excluduntur ab electione ad gloriam, qui non habent merita, ſeu qui prævidentur non habituri eſſe merita: quod eſt contra reprobationem

Hoc probatur infra ex diverſis locis Auguſt. in object. 3. ex ratione, ſub finem.

negativam, quam volunt univerſaliter adverſarii eſſe ante prævifa opera: & per conſequens eſt etiam contra prædeſtinationem ante prævifa merita, quæ à prædicta reprobatione prorſus inſeparabilis eſt, & omnino individua.

Argumentum vigeſimum ſumitur ex aliquo loco, ubi Auguſtinus repræſentat Deum ut indifferentem, cui paret gloriam, modo habeantur merita. Et eſt in Sermone 35. de verbis Domini ſub finem, ubi loquens de Deo ut colono, & de homine ut agro quem Deus colit, ſic ait: Ergo, colit nos; ſed *ſi* fructum reddamus (id eſt bona opera) *parat horreum* (quod eſt Regnum Cælorum) id eſt parat, ſeu prædeſtinat gloriam hominibus, fructum, ſeu merita habituris. Et è contra conſequenter dicit, Deum parare gehennam ſterilibus, ſeu merita non habituris. Si autem, inquit, ſub tanto cultore ſteriles eſſe voluerimus, & pro frumento ſpinas protulerimus, nolo dicere quod ſequitur, (id eſt, paratur vobis gehenna) ad gaudium finiamus. Hæc ibi Auguſtinus, & idem dicit in Pſalmum 146. verſus finem, inverſo ſolum ordine reproborum & prædeſtinatorum, his verbis: Minatur Deus terræ ſterili, & ſpinoſæ (qui ſunt mali) ignem, ſicut *fructuoſæ* (qui ſunt boni) *horreum parat*.

Punctum XVI.

Proponuntur quatuor ſequentia argumenta ex Auguſtino, ſcilicet 21. 22. 23. & 24.

Vigesimumprimum argumentum ſumitur ex libro 1. de Civitate Dei cap. 8. ubi loquens Auguſtinus, de bonis vitæ futuræ, dicit ea eſſe præparata, id eſt prædeſtinata, juſtis ſolis, & non aliis; & per hoc indicat juſtitiam illorum eſſe cauſam objectivam prædeſtinationis eorum, & ſic priorem prædeſtinatione eorum: Placuit, inquit, divinę Providentię *preparare in poſterum bona juſtis, quibus non fruentur injuſti*: (qui ſunt bona gloriæ) & mala impiis quibus non excruciabuntur boni (quæ ſunt mala gehennę) Ubi vides bona gloriæ eſſe præparata juſtis, ut juſtis, ſicuti mala gehennæ pręparata malis, ut malis; & proinde juſtitiam, ſeu bona opera juſtorum, eſſe cauſam prędeſtinationis eorum ad gloriam: ſicut impietas improborum, eſt cauſa reprobationis eorum, ſeu prędeſtinationis eorum in gehennam.

Argumentum vigeſimumſecundum ſumitur ex libro quinquaginta Homiliarum, Homilia quinquageſima cap. 1. ubi aperte ſtatuit Auguſtinus juſtos, ſeu humiles eſſe eos quos Deus eligit ad gloriam, his verbis: *Qui eligit abiici in domo Dei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum: eligit illum Deus, ut inhabitet in atriis eius*: & *nihil ſibi aſſumentem* (id eſt, humilem) ille in ſedem beatitudinis *aſſumit*. Quo ſane nihil clarius dici poterat pro noſtra ſententia; cum ibi electio

divina, quæ eſt electio ad gloriam (cum ſit, ut habitet homo in atriis Dei: (præſupponat electionem humanam propriæ abjectionis, ſeu Chriſtianæ humilitatis, per quam ſolet Auguſtinus, poſt ſcripturam, exprimere bona opera.

Vigeſimumtertium argumentum ſumitur ex illius Expoſitione Parabolæ quæ eſt apud Matth. 22. ubi cum multi vocati eſſent ad nuptias, unus repertus eſt non habens veſtem nuptialem, & ob id ejectus in tenebras exteriores, aliis remanentibus qui habebant veſtem nuptialem: hanc ergo exponens Auguſtinus Parabolam Pſalmo 60. de electis, & reprobis, & per hoc exponens totius myſterium prędeſtinationis, & reprobationis, ſic ait: Qui ſunt electi? niſi qui remanſerunt (ſcilicet habentes veſtem nuptialem, quę ſunt bona opera, ut infra clare explicat) projecto uno (qui non habebat veſtem illam) electi remanſerunt (qui habebant bona opera) quomodo projecto uno, de multis, pauci electi? niſi quia in illo uno multi (ſcilicet non electi, ut ibi eos nominat. Unde & amplius explicans eandem Parabolam, ſic ait: omnes qui terrena ſapiunt (ecce qui non habent veſtem nuptialem) omnes qui terrenam fœlicitatem Deo præferunt, omnes qui ſua quęrunt, non quę Ieſu Chriſti: ad unam illam civitatem *pertinent*, quæ dicitur Babylonia myſtice, & habet regem Diabolum (id eſt deſtinati ſunt ad gehennam propter mala opera.) Omnes autem qui ea, quæ ſurſum ſunt ſapiunt (ecce qui habent veſtem nuptialem) qui Cæleſtia meditantur, qui cum ſollicitudine in ſæculo vivunt, ne Deum offendant, qui cavent peccare, quos peccantes non pudet confiteri, humiles, mites, ſancti, juſti, pii, boni, omnes ad unam civitatem *pertinent*, quæ Regem habet Chriſtum (id eſt electi, & prædeſtinati ſunt ad gloriam, propter virtutes ibi enumeratas, & bona eorum opera. Unde, & poſt multa ſic concludit totum iſtum diſcurſum, dicens: Mala ergo civitas (ſcilicet non electorum) ab initio uſque in finem currit (id eſt in malo perſeverat) Bona civitas (ſcilicet electorum) mutatione malorum conditur, (id eſt licet nata ſit in malo, ſeu peccato originali, ut explicuit in antecedentibus, tamen ante finem convertitur, & in bono perſeverat) & ſunt iſtæ duæ civitates (id eſt electorum, & non electorum) permixtę interim (id eſt in hoc mundo) in fine ſeparandę (id eſt in die judicii) adverſus ſe invicem confligentes, una pro iniquitate, altera pro juſtitia: una pro vanitate, altera pro veritate. Ubi manifeſte vides Auguſtinum non aliter diſcernere prędeſtinatos à reprobis, ſeu electos à non electis, quam per bona & mala opera; & per hoc non aliter eum putaſſe factam fuiſſe prædeſtinationem, & reprobationem, quam per conſiderationem operum; & hanc eandem diſcretionem clare indicat lib. 14. de Civitate Dei cap. 13. ubi cum locutus fuiſſet de humilitate, quę valde placebat Chriſto, Regi bonæ civitatis: & de elatione, ſeu ſuperbia, quæ valde placebat Diabolo, regi malæ civitatis, ſic ait: Profecto iſta eſt magna differentia, qua civitas, unde loquimur, utraque diſcernitur:

Veſtem illã nuptialem, explicat Auguſtinus fragm. 7. de operibus charitatis.

Nota valde, quod hîc quærit, quinam ſint electi, quod ſpectat ad intẽtionem: non vero quomodo illi ſiant beati, quod ſpectaret ad executionem.

Nota valde: quod civitas illa bona, Nil eſt aliud quam multitudo electorũ, ut electorum, nõ vero locus beatitudinis eorum. cum dicat quod illa civitas eſt permiſta cum civitate reproborum: quod non convenit loco beatorum, ut ſic, ubi

diſcernitur: Una ſcilicet piorum hominum, altera impiorum, ſingula quæque cum Angelis ad ſe pertinentibus, in quibus præceſſit hæc amor Dei, hęc amor ſui: quæ verba clare indicant in prædeſtinatis, & reprobis pręceſſiſſe bona, vel mala opera, ob quę prædeſtinati, aut reprobati ſunt.

nulli reperiuntur reprobi: ex quo manifeſtum eſt ibi loqui Auguſtinũ de electis, ut electis, & nõ ut beatis, & per hoc eum loqui de prædeſtinatione ad gloriam ſecundum intentionem, & non ſecundum executionem.

Vigeſimumquartum argumentum ſumitur ex hoc, quod cum loquitur Auguſtinus decertitudine prædeſtinationis electorum ad gloriam, refert eam in divinam præſcientiam, quæ præceſſit illam prædeſtinationem. Nam in Pſalmum 68. conc. 2. volens oſtendere quod nemo unquam deletur de libro vitæ, qui eſt prædedeſtinatorum ad gloriam; ſic ait: Fratres, non ſic accipere debemus (ſcilicet hunc locum deleantur de libro viventium) quod quemquam Deus ſcribat in libro vitæ, & deleat eum: Si homo dixit: Quod ſcripſi ſcripſi, de titulo ubi ſcriptum erat, Rex Judæorum: Deus quemquam ſcribit & delet? *Præſcius eſt, prædeſtinavit* omnes ante conſtitutionem mundi regnaturos cum filio ſuo in vita æterna: id eſt præſcivit eos qui mererentur eligi, antequam eos prædeſtinaret ad Regnum: Unde non poteſt falli, & per hoc, nullus in hoc libro deleri. Eodem modo loquitur in Pſalmum 88. conc. 2. ubi cum locutus fuiſſet de tam multis Chriſtianis, qui peſſime viventes, Regnum Dei non poſſidebunt; volens oſtendere quod hoc non obſtante, Chriſtus non remanebit ſine coheredibus ſibi à Patre promiſſis, ſic ait: Peccent quantum volent deſperati, reſpondeant membra Chriſti: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Non ergo nocebit Deus in veritate ſua, non erit fallax, nec profanabit teſtamentum ſuum, manet immobile teſtamentum ejus; *quia ipſe præſciens prædeſtinavit heredes.* Ecce rationem immobilitatis iſtius prædeſtinationis ad gloriam, ſcilicet quia præſciens electorum bona opera, prædeſtinavit eos ad Regnum: & hæc eſt forte ratio cur nunquam, aut fere nunquam loquitur de illa prædeſtinatione, quin præponat ei præſcientiam: ſed de his ſupra ſatis dictum eſt in pręcedentibus argumentis, præcipue tribus primis quæ ſunt de illa præſcientia: nunc ſatis eſt judicaſſe pręſcientiam meritorum debere eſſe priorem prædeſtinatione ad gloriam, quandoquidem vult Auguſtinus quod ab illa ſumat prędeſtinatio ad gloriam, quod ſit certa & infallibilis in ſalvatione electorum.

PUNCTUM XVII.

Duo alia proponuntur argumenta ex Auguſtino, ſcilicèt 25. & 26.

VIGESIMUMQUINTUM argumentum ſumitur ex hoc quod ponit Auguſtinus, prędeſtinationem eſſe effectum præſcientiæ divinæ: ergo vult prędeſtinationem ad gloriam factam eſſe poſt prævisa merita. Conſequentia clara eſt, cum effectus ſemper ſit poſterior ſua cauſa: Probatur antecedens ex libro de Spiritu & Litt. cap. 5. ubi ſic ait:

Per Spiritum ſanctum diffundit (Deus) charitatem in cordibus eorum, *quos præſcivit, ut prædeſtinaret*: ubi vides præſcientiam aſſumptam eſſe ut cauſam ad prędeſtinationem faciendam, cum dicat Deum præſciſſe *ut* prędeſtinaret: Ergo confitendum eſt quod præſcientia prior eſt ipſa prædeſtinatione; & prædeſtinatio, ipſa pręſcientiâ poſterior, utpote effectus ejus. Et confirmatur ex ſimili modo loquendi Auguſtini de prædeſtinatione ad gratiam; nam libro de prædeſtinatione Sanctorum cap. 18. valde urget Pelagianos, ut admittant prædeſtinationem ad gratiam eſſe priorem bonis operibus, ex hoc quod dicit Apoſtolus, Deum nos elegiſſe, *ut* eſſemus ſancti, non quia eramus ſancti. Ergo ſimiliter dicendum eſt de prædicta propoſitione Auguſtini, quod per eam arguit præſcientiam eſſe priorem prædeſtinatione, quandoquidem ipſe dicit Deum præſciſſe, *ut* prædeſtinaret; non vero præſciſſe quia prædeſtinaverat, utrobique enim idem modus dicendi eſt. Quod ſi dicas ibi non agi de prædeſtinatione ad gloriam, ſed de prædeſtinatione ad gratiam. Reſpondeo 1° id non poſſe dici ab adverſariis, cum ipſi ubique velint prædeſtinationem ſumi ab Auguſt. pro prædeſtinatione ad gloriam, præcipue vero cum utitur loco illo Apoſtoli, ad quem alludit hîc Auguſtinus, ſcilicet, quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri, imaginis filii ejus. *Rom. 8.*

Reſpondeo 2 quod etſi ibi tantum ſermo eſſet de prędeſtinatione ad gratiam: tamen in hac parte argui poſſet ab una ad aliam; quandoquidem, ut ſupra demonſtravimus, ſi præſcientiam exigit Auguſtinus ante prædeſtinationem gratię, non minus exigere debet ante eam prædeſtinationem gloriæ, cum utrobique eadem ratio valeat ſervandæ, ſcilicet in homine, libertatis, & indifferentię in agendo bene, vel male. Neque enim apparet alia ratio cur prę ſuppoſuerit eam Auguſtinus ad prædeſtinationem gratiæ: ergo etiam debuit eam præſupponere ad prædeſtinationem gloriæ. *In argumento 3.*

Reſpondeo 3° quod ſatis apparet ex circumſtantia loci, ibi loqui Auguſtinum de prædeſtinatione ad gloriam poſt prævisa merita. Nam ibi loquitur de bonis operibus, & de modo bene vivendi, quem reperiri ait in iis quibus per Spiritum ſanctum diffundit Deus charitatem in cordibus eorum, quos præſcivit, inquit, ut prædeſtinaret: ecce ergo quos præſcivit, ut prædeſtinaret, ſcilicet juſtos, & bonos, Spiritu ſancto & charitate plenos, & ideo dignos qui prædeſtinarentur ad gloriam: Unde & executio iſtius prędeſtinationis terminatur ad gloriam. Prędeſtinavit, inquit, ut vocaret, vocavit ut juſtificaret, juſtificavit ut glorificaret. Cum ergo dicat Auguſtinus hanc prędeſtinationem eſſe effectum præſcientiæ, ſcilicet meritorum & bonorum operum, per Spiritum ſanctum, & per charitatem productorum, ſequitur quod illa prædeſtinatio eſt ex pręviſis meritis, & non cauſa meritorum, ut volunt adverſarii.

Sed dices: Non eſt neceſſe quod ibi prę ſcientia ſe habeat per modum

cauſæ, ſufficit enim quod ibi ſit tanquam conditio, ſine qua non: ut in prædeſtinatione ad gratiam.

Reſpondeo 1° quod etſi id concederetur, tamen haberemus quod præſcientia eſt prior prædeſtinatione illa, de qua loquitur Auguſtinus: cum omnis conditio præcedat id omne ad quod ei conditio exiſtendi eſt: Unde cum loquatur ibi de prædeſtinatione ad gloriam, quæ nullam aliam per ſe reſpicit præſcientiam quam meritorum: ſequitur quod præſcientia meritorum prior eſt illa prædeſtinatione, & proinde quod non eſt effectus ejus, ut volunt adverſarii.

Reſpondeo 2° quod non ſolum eſt conditio; ſed etiam cauſa ejus, ut patet ex hac particula, *ut*, quæ ſecundum Auguſtinum deſignat terminum ad quem tendit, & movet aliquid: ſicuti ſupra vidimus in ſimili propoſitione, ubi ex eo quod Scriptura dicit quod Deus nos elegit, ut eſſemus ſancti, non quia eramus ſancti, hinc concludit illam electionem quæ eſt ad gratiam, eſſe cauſam ſanctitatis. Sic ergo poſſumus dicere, quod quia dicit Auguſtinus Deum præſciſſe homines juſtos, ut prædeſtinaret eos ad gloriam, non vero quia prædeſtinaverat eos ad gloriam, ideo voluit dicere quod præſcientia meritorum eſt cauſa prædeſtinationis gloriæ, & non è contra, ut volunt adverſarii.

Reſpondeo 3 quod duobus modis poſſumus conſiderare illam præſcientiam, ſeu quod idem eſt: poſſumus duo conſiderare in illa præſcientia; ſcilicet vel præſcientiam ipſam, ut proponentem merita, vel ipſa merita, ut per præſcientiam propoſita. 1 modo eſt mera conditio, 2° vero non: ſicut enim cognitio bonitatis alicujus rei, ut cognitio eſt, eſt tantum conditio ſine qua non, reſpectu voluntatis appetentis illam; bonitas autem ipſa per illam propoſita, eſt verum motivum, ſeu cauſa voluntatis appetentis bonum illud: ita & præſcientia meritorum, ut præſcientia eſt, eſt tantum conditio ſine qua non, reſpectu prædeſtinationis ad gloriam; at vero merita per illam propoſita, ſunt vera motiva & cauſa illius, & non mera conditio, ſine qua non: quod eo magis fit certum, quod ſupra vidimus Auguſtinum dicere, Deum prædeſtinaſſe homines præſcientia, ſeu per certiſſimam præſcientiam: quod prorſus non eſſet verum, ſi præſcientia illa non contineret cauſam motivam, & intrinſecam, & per ſe influentem in decretum prædeſtinationis iſtius, cùm hic modus loquendi nullo modo pertineat ad conditiones extrinſecas, & quas vocant ſine quibus non; ſed tantum ad veram cauſam, & per ſe influentem in actionem. *Argumento 10. & 14.*

Vigeſimumſextum argumentum ſumitur ex figura prædeſtinationis & reprobationis, quam petit Auguſtinus ex Hiſtoria Iacob & Eſaü, quam quidem explicans de prædeſtinatione ad gratiam, facit eam eſſe ſine meritis: ſed explicans illam de prædeſtinatione ad gloriam, facit eam eſſe ex meritis, & prævisis operibus: Ergo cenſuit hanc poſtremam prædeſtinationem eſſe ex prævisis meritis, & operibus. Conſequentia clara eſt; antecedens autem probatur ex duobus claris Augu-

ſtini teſtimoniis, quorum primum eſt in Pſalmum 46. non longe ab initio: ubi loquens Auguſtinus de prędictis fratribus, ſic ait: Per omnes Gentes major, per omnes Gentes minor: ſed, *minor in bonis Chriſtianis electis piis fidelibus*: Major in ſuperbis indignis, peccatoribus contumacibus, ſua peccata defendentibus. Ubi vides Jacob, ſeu minorem ſignificare electos; ut bonos, & pios: Eſaü autem ſeu majorem, ſignificare reprobos; ut ſuperbos indignos & contumaces peccatores, & ſua peccata defendentes: & per hoc ſignificare, prædeſtinationem ad gloriam, & reprobationem ei oppoſitam eſſe ob merita, ſive bona, ſive mala. Alterum teſtimonium eſt in Pſalmum 136. verſus finem, ubi ait Auguſtinus: Eſaü omnes carnales, Iacob autem, omnes ſignificat ſpirituales: *minores* (id eſt ſpirituales) *electi*: *maiores* (id eſt carnales) *reprobati*. Quid dici clarius, aut exprimi luculentius poterat pro noſtra ſententia: Lege locos ubi ſumit Auguſtinus iſtam figuram pro prædeſtinatione ad gratiam, & videbis quod facit eos pares, & nullam habentes meritorum diſtantiam in ordine ad illam prędeſtinationem: hîc autem facit impares, & meritis diſtantes; quid ergo id ſignificat, niſi quod ſicut Auguſtinus cenſuit prædeſtinationem ad gratiam eſſe ſine prævifis meritis, ita è contrario cenſuit prędeſtinationem ad gloriam eſſe ex prævifis meritis & operibus.

Non raro iſti gemini, quos aſſumit Auguſtinus in typum prædeſtinationis, ſignificant apud illum bonos & malos, ſeu carnales & ſpirituales: ut etiam patet in Ser. 78. de temp. circa initiū.

Lib. 1. ad Simplis. q. 2. in Echir. cap. 98. & ſeq. Epiſt. 106. & alibi paſſim.

PUNCTUM XVIII.

Poſtrema quatuor proponuntur argumenta ex Auguſtino, ſcilicet 27. 28. 29. & 30.

VIGESIMUMSEPTIMUM argumentum ſumitur ex hoc quod dicit gloriam parari, ſeu prędeſtinari nobis ut coronam poſt luctam: quod omnino ſupponit meritum, ut per ſe eſt manifeſtum. Sic enim ait, Serm. 9. de diverſis cap. 1. ſub finem: Pugna, pugna, quia qui te regeneravit judex eſt; *Propoſuit luctam, parat coronam*. Ubi vides gloriam hominibus paratam, ſeu prædeſtinatam ut coronam, & proinde ut ſupponentem præcedentia merita, ſeu præcedens certamen, quod indicatum eſt per luctam.

Vigeſimumoctavum argumentum ſumitur ex eo quod dicit gloriam parari dilectioni noſtrę erga Deum, & bonis noſtris operibus, ſeu quod idem eſt, bonorum operum fructibus. Sic enim ait in Pſalm. 118. conc. 23. ſub finem: Si autem diligendo (utique Deum) æterna eſt ipſa *dilectio, eique paráta eſt æterna retributio*: (ecce vides dilectioni noſtrę, ſeu charitati paratam eſſe æternam retributionem) propter quam retributionē dicit (Pſalmiſta) ſe inclinaſſe cor ſuum ad faciendas juſtificationes Dei, ut in æternum diligens, mereatur habere quod diligit (ſcilicet vitam æternam. (Et Serm. 121. de diverſis ſub finem, loquens de ſeminantibus in bono vel malo agro ſuo, ſic ait: Qui autem ſecundum id quod

Nota, quod licet prædeſt. jam facta ſit, tamen loquitur Auguſtinus de ea aliquando, quaſi nunc fieret, aut aliquādo fienda foret: quia nempe, cum prædeſtinat. ſit æterna, reſpondet omnibus & ſingulis temporibus: unde tract. 99.

audivit, & cordi mandavit, operatur: id eſt qui ſurgit in meſſem; & fructum affert cum tolerantia, aliud tricenum, aliud ſexagenum, aliud centenum, huic (ſcilicet fructui, ſeu bonæ operationi) non ignis ſicut paleæ, ſed horrea ſicut frumento (ſcilicet bono & apto quod recondatur in horreo) præparantur. Ubi vides bonis operibus ſub nomine frumenti ſignificatis, præparari, ſeu prædeſtinari gloriam, ſub nomine horrei ſignificatam; ſicut malis ſub nomine paleæ ſignificatis, parari infernum ſub nomine ignis ſignificatum. Et Serm. 44. de tempore initio, loquens de iiſdem bonis & malis operibus ſub eadem parabola ſeminantis: optat auditoribus ſuis, ut uberrima atque fructifera cordis eorũ terra, accepta verbi Dei pluvia, copioſam meſſem bonorum operum germinaret, ut veniens, inquit, Dominus in agro cordis veſtri, non ſolum triceſimum, ſed ſexageſimum, & centeſimum fructum ſe invenire congaudeat: *Quibus fructibus horreum pararet in cælo*, non incendium in inferno. In quibus omnibus, vides gloriam ſub nomine horrei ſignificatam parari bonis operibus, ſicut infernum ſub nomine ignis, vel incendii ſignificatum, paratum eſſe malis operibus: quod idem eſt apud Auguſtinum, ac ſi diceret gloriam parari propter opera; nam ſicut dicit communiter gloriam dari operibus, pro eo quod eſt dari propter opera: ita & hîc dicit gloriam parari bonis operibus, pro eo quod eſt parari propter opera: Ubi parari ſecundum Auguſtinum, ſignificat prædeſtinari, juxta ea quæ notavimus ex illo, in margine argumenti undecimi: & ita etiam uſurpat Janſenius lib. 9. de grat. Salv. cap. 4. circa initium: & communiter adverſarii: unde & nobis objiciunt illud Apoſtoli Rom. 9. Vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam. Id eſt ſecundum eos; quæ prædeſtinavit in gloriam.

Vigeſimumnonum argumentum ſumitur ex eo quod clare agnoſcit in eligendis dignitatem occultam, & dicit Deum eos antè præſciſſe quam eligeret: quod ſane arguit præſcientiam meritorum nobis occultam, ut cauſam electionis electorum ad gloriam. Sic enim ait Ser. 74. de temp. cap. 2. loquens de Judæis impiis, in quibus aliqui latebant, qui electi erant ad gloriam: Chriſtus Jeſus, inquit, ad Gentem Judæorum venîre debuit, videndus, occidendus, *& lucrandus eos inde quos antè præſcivit*. Non enim damnata illa plebs eſt, ſed ventilata. Ibi erat paleæ (id eſt reproborum) multitudo, ibi *granorum* (id eſt prædeſtinatorum) *occulta dignitas*: (Quæ eſt iſta occulta dignitas quæ tunc erat in illis impiis, niſi prævisa eorum bonitas & juſtitia futura, quæ tunc erat hominibus occulta, & ſoli Deo cognita) ibi quod incenderetur (ſcilicet reprobi ibi prævisi) ibi unde horreum (id eſt gloria) repleretur (ſcilicet prædeſtinati ibi prævisi (nam unde Apoſtoli, niſi Inde; unde Petrus; unde ipſe Paulus, primò Saulus, hoc eſt primò ſuperbus (ut cæteri) poſtea humilis (& propter hoc in præſcientia Dei cognitum, prædeſtinatus) nam, &c. Ubi late proſequitur merita D. Pauli, & aliorum, qui ob illa fuerunt electi ex iſto populo ad gloriam, tanquam

in Ioan. poſt med. ſic ait: In eo quod ſempiternũ eſt, ſine initio & fine: cujuſlibet temporis verbũ ponatur ſive præteriti, ſive præſentis, ſive futuri, non mendaciter ponitur. Et infra: Non mendaciter dicimus, & fuit, & erit & eſt: fuit in præteritis ſæculis, eſt in præſentibus, erit in futuris. Unde loquens alibi, ſcilicet in Pſ. 77. lõge poſt med. de prædeſtinatione Diaboli ad ignẽ, loquitur de ea quaſi de præſenti, aut futura. Eſſe, inquit, Diabolum & angelos ejus tam malos utique ut eis ignis præparetur æternus, nullus fidelis ignorat. Ubi vides ignem adhuc parari, qui tamẽ eis paratus eſt à ſæculis æternis.

ob cauſam occultam, & ſoli Deo cognitam electionis eorum.

Triceſimum argumentum ſumitur ex hoc quod Sermone 117.de diverſis ſub finem, loquens de Martyribus, dicit eos non ſine cauſa fuiſſe electos ad gloriam, quam cauſam poſtea refert in paſſionem eorum. Quid paretur, inquit illis in reſurrectione, quis poteſt verbis explicare, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe? ſi tanta bona quæ accepturi ſunt fideles boni, nemo explicat verbis: *Non ſine cauſa, talia illis præmia præparantur*; qui uſque ad ſanguinem pro veritate certaverunt (id eſt ſi bonis & piis fidelibus, ob communia eorum merita, tantam præparat Deus,& prædeſtinat gloriam: quanto magis præparabit Martyribus idem præmium eandemque gloriam ob inſignia,& longe majora eorum merita? quandoquidem uſque ad mortem pro veritate certaverunt, quæ merita ſic adhuc amplificat) non eos mundus illexit, non eos terror fregit, non tormenta vicerunt, non blanditiæ deceperunt. Et ſic patet quod Auguſtinus noluit gloriam parari, ſeu prædeſtinari ſine cauſa, ſine merito, & ſine aliqua præviſione; ſed ſolùm ob meritum,& ob bona opera præviſa, tanquam ob cauſam & rationem prædeſtinationis & gloriæ.

Poſſem equidem & alia plurima adducere argumenta ex Auguſtino, ſi foret neceſſe; ſed credo ego iſta ſufficere, imo forte abundare, ſi ſincere res judicetur. Sed quia vidi quoſdam qui putant nos pauca pro nobis habere Auguſtini teſtimonia; & quia etiam fuit neceſſe, certiſſimam, & conſtantiſſimam Auguſtini mentem & ſententiam pro noſtra opinione contra communem adverſariorum expectationem aſſerere: (quod fieri ſane non poterat ſine multis argumentis & teſtimoniis Auguſtini) ideo hæc omnia & non plura adducenda eſſe cenſui, ne ſi pauciora adduxiſſem, tanquam jnventus eſſem minus habens, rejicerer ab eis: ſi autem plura, tanquam importunus & oneroſus rejicerer ab aliis.

PARAGRAPHUS TERTIUS:

Referuntur teſtimonia Diſcipulorum Auguſtini, & quorumdam ſectatorum ejus.

Punctum primum.

Teſtimonia Diſcipulorum Auguſtini.

Nunc tranſeamus ad ſancti Doctoris Diſcipulos, diſcamuſque etiamnum ab eis, ſenſum & doctrinam Magiſtri ſui.

Divus Fulgentius libro 1. ad Monimum cap. 24. ait: Prædeſtinavit illos ad ſupplicium, quos à ſe præſcivit, voluntatis malæ vitio diſceſſuros: & *prædeſtinavit ad regnum, quos præſcivit ad ſe miſericordiæ prævenientis auxilio redituros, & in ſe miſericordiæ ſubſequentis auxilio manſuros.* Quæ doctrina coincidit cum ea quam tradiderat Auguſtinus tract. 45. in Ioannem, ut ſupra notavimus in argumento 12. ubi ait Auguſtinus: Quod ſi prædeſtinatus peccat, redit ad Deum: quia in tantum eſt prædeſtinatus, in quantum prævíſus eſt rediturus. Quod manifeſte indicat prædeſtinationem ad gloriam eſſe poſt præviſa opera. In eodem capite, ait idem Fulgentius: Quod non omnia (Deus) prædeſtinavit quæ præſcivit, quamvis omnia prædeſtinata præſciverit: ubi manifeſte præſcientiam præmittit ante prædeſtinationem, & vult ei eſſe intrinſecam. Et eodem libro cap. 26. ait: *Paratum* à Deo, non ſolum Regnum, ubi lætentur boni (id eſt bonis) ſed, & ignem æternum, ubi crucientur mali (id eſt malis & reprobis:) Ubi eodem modo dicit Regnum paratum, id eſt prædeſtinatum bonis, id eſt propter eorum bonitatem, ac ignem æternum malis, id eſt propter eorum malitiam. Et paulo poſt ait: Poſſet enim Apoſtolus, quos dixit vaſa miſericordiæ (ſic vocans prædeſtinatos ad gloriam) vaſa juſtitię nuncupare; ſed ſi vaſa juſtitiæ vocarentur; forſitan ex ſeipſis habere juſtitiam, putarentur. Ubi manifeſtum eſt, Fulgentium velle prædeſtinatos ad gloriam, tam recte eſſe vaſa juſtitiæ quam vaſa miſericordiæ; ſed non ita vocari, propter inconveniens aſſignatum: per quod clare demonſtrat, illos prædeſtinatos: vere eſſe prædeſtinatos ob eorum juſtitiam, ſeu bonitatem præviſam, non quidem ut à ſeipſis, ſed ut à Deo excitante & adjuvante acquiſitam.

Nota valde, hanc rationem, qua etiam eſt ratio cur cum loquitur Auguſt. & ejus Diſcipuli de prædeſtinatione ad gratiam ſimul & ad gloriam; dicit eam eſſe ſine meritis; quia nempe ſi dicerent eam eſſe ex meritis ratione gloriæ, putaretur etiam eſſe ex meritis ratione gratiæ, quod eſſet hæreticum, & propter hoc malunt dicere, quod eſt ſine meritis (licet poſſent dicere quod eſt ex meritis ratione gloriæ) propter prædictum inconveniens.

D. Proſper in Reſponſione 12. ad objectiones Vincentianas, loquens de reprobis, qui noluerunt perſeverare, ait: Quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati: eſſent autem prædeſtinati, ſi eſſent reverſuri, & in ſanctitate manſuri: Ubi manifeſte primo loco rejicit reprobationem negativam, quæ eſt ob ſola peccata originalia; hæc autem eſt ob futura actualia; & deinde ſtatuit prædeſtinationem ex prævifis meritis, cum ait: Quod illi eſſent, aut forent prædeſtinati ſi fuiſſent reverſuri, & in ſanctitate manſuri: quæ eſt eadem doctrina quæ fuit Auguſtini & Fulgentii ſupra notata. Ex quo bene concludit ibidem D. Proſper, quod per hoc prædeſtinatio Dei eſt multis cauſa ſtandi, nemini eſt cauſa labendi. Cum enim ſit ex prævifis meritis, & non ex mera voluntate Dei; omnes conari debent habere merita, ut per hæc adipiſcantur præmia propoſita.

Item, in Reſponſione 15. ad Capitula Gallorum circa initium, dicit: Prædeſtinationem, ſine præſcientia eſſe non poſſe; ut ante eum jam dixerat Auguſtinus. Et in eadem Reſponſione cap. 16. n. 8. præſcientiam præmittit ad prædeſtinationem, his verbis valde notabilibus: ſcilicet: qui dicit quod non omnes homines velit Deus ſalvos fieri, atque in agnitionem veritatis venire, ſed certum numerum prædeſtinatorum, (ſcilicet determinatum etiam quoad perſonas) durius loquitur, quam loquendum eſt de altitudine inſcrutabilis gratiæ Dei: Qui & omnes vult ſalvos fieri, atque in agnitionem veritatis venire, & voluntatis ſuæ propoſitum in eis implet, *quos præſcitos prædeſtinavit*, prædeſtinatos vocavit, vocatos juſtificavit, juſtificatos glorificavit. Ubi reprehendit adverſarios, qui volunt certum numerum etiam quoad perſonas, determinatum à Deo, eligi, & prædeſtinari ante merita. Ipſe autem dicit è contra, Deum eſſe ex ſe paratum ad omnes indifferenter prædeſtinandos, ſi meruerint, ſine determinatione unius præ altero. Et ſub finem illius capitis, ſic ait: Quæ ex munere Dei habemus, & quæ præſcita dicuntur, non poſſunt non eſſe prædeſtinata, & quæ prædeſtinata appellantur non poſſunt non eſſe præſcita: per hoc innuens arctiſſimam connexionem, quæ eſt inter prædeſtinationem, & præſcientiam, ut eam jam Auguſtinus prænotaverat.

Nota valde, hunc ordinem.

Hinc eſt quod libro 1. cap. 9. & libro 2. cap. 33. de vocat. Gent. ſumit præſcientiam Dei pro prædeſtinatione, & præcipue libro 2. cap. 29. vocat numerum prædeſtinatorum, multitudinem præſcitam: Et eodem libro cap. 8. ait: Antequam facta congregatione omnium Gentium (id eſt ante judicium) alii dicuntur ad dexteram, alii ad ſiniſtram conſtituendi, laudatis dextris de operibus charitatis, nihil aliud ſiniſtris objicitur, quam benevolentiæ, miſericordiæque neglectus (id eſt reſiſtentia facta gratiæ) ergo non objicitur eis quod ſunt de maſſa perditionis, & quod noluit Deus eos eligere; ſed quod miſericordiam benevolentiamque Dei (quam ipſi adverſarii ſumunt pro voluntate in æternum liberandi & ſalvandi) neglexerint, repudiaverint, contempſerint: quod

quod longe eſt à reprobatione negativa, quam ad defendendam ſuam prædeſtinationem ad gloriam ſine prævilis meritis, admittunt adverſarii: cum in illa, ideo homines reprobantur, quia à Deo neglecti ſunt, & ecce D. Proſper è contra ait: Quod ii reprobantur, quia ipſi Deum, ſeu ejus miſericordiam, benevolentiamque neglexerunt. Nec dicendum eſt quod hic textus intelligitur de prædeſtinatione ſecundum executionem, & non ſecundum intentionem: quia ut Auguſtinus, ita & diſcipuli ejus, diſtinctionem hanc non noverunt, & eodem modo utrumque fieri putaverunt: ut patet in eorum ſcriptis, in quibus non aliter probant prædeſtinari gratiam gratis, quam quia datur gratis.

Prætetea in eodem libro cap. 35. ſic ait: His quos elegit ſine meritis, dat unde ornentur & meritis: & fruſtra dicitur quod ratio operandi non ſit in electis, cum etiam ***ad hoc operentur ut electi ſint***: In quo loquitur de duplici electione: in prima quidem parte loquitur de prædeſtinatione ad gratiam, quæ eſt ſine meritis: in ſecunda de electione ad gloriam quam vult fieri ex meritis, cum dicat electos iſtos ad hoc operari ut electi ſint: id eſt in præviſione: Præviſio enim, ſeu præſcientia tantum ſupponit quæ futura ſunt. Et rationem addit: virtutum quippe munera otioſa eſſe non poſſunt. Quod cum ſit ratio præcedentium, oſtendit præcedentia fuiſſe de prędeſtinatione ad gloriam, in qua ſola conſiderantur merita à Proſpero: Et vult dicere, quod per merita, ſeu virtutum munera, augent ſua merita, quibus merentur eligi ad ampliorem gloriam, juxta illud Matth. 25. quod ibi allegat omni habenti dabitur & abundabit; id eſt abundabit gratia & gloria.

Primaſius Auguſtini Diſcipulus, ſecundum Trithemium & Sixtum Senenſem, & gratiæ acerrimus defenſor, in Epiſt. ad Romanos cap. 8. in hæc verba: Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ejus, ait: Prædeſtinavit, ut qui dono ejus conformis eſſet in vita, eſſet conformis in gloria: ecce clariſſime gloriam prædeſtinatam ob conformitatem in vita Chriſti, & per conſequens ob præviſa merita, cum ibi conformitas in vita, præcedat prædeſtinationem conformitatis in gloria. Et ibidem cap. 11. in hæc verba: Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit: ſic ait: Quam præſcivit, id eſt prædeſtinavit ſalvandam: quia ex ipſa plebe multi crediderunt dono gratiæ Chriſti (ecce ratio cur prędeſtinavit ſalvandam, ſcilicet fides, & opera eorum præviſa ut ſequitur) quia apud illum futura jam facta ſunt (ratione pręviſionis) ſine dubio ergo præſcivit: & quia pręſcivit (ſcilicet fidem & opera ejus) prędeſtinavit (ſcilicet ſalvandam, ut ſupra ipſemet docuit.) Et 2. ad Timoth. 4. in hęc verba: Fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitię: Fidem, inquit, in finem uſque per gratiam ejus ſervavi, quam reddet mihi in illa die (id eſt quam compenſabit in illa die, ſcilicet judicii) juſtus judex, qui me novit uſque ad mortem pro juſtitia, ejus adjutorio dimicaſſe. Ubi vides cauſam, cur compenſaturus ſit, ſcilicet quia novit me uſque ad mortem pro juſtitia

Sixtus Senenſis in Bibliothe. ſancta, verbo. Primaſius.

Iſte pater tam vehemẽs fuit defenſor gratiæ, ut aliquibus in hoc videatur exceſſiſſe: certe Commentaria illius in Paulum videntur ad hoc ſolùm confecta, ut commendet gratiam: ita enim ibi

commendenda aſſiduus, eſt etiam aliquando extra rem. dimicaſſe, id eſt ob preſcientiam meritorum: Et in cap. 2. præcedenti: Cognovit, inquit, Dominus qui ſunt ejus, quia in præſcientia ſua non fallitur, qui nos elegit ante conſtitutionem Mundi: Ecce quomodo tribuit electionem præſcientię, ut cauſæ illius, aut ſaltem ſupponit eam, ut pręviam & pręcedentem.

PUNCTUM II.

Teſtimonia quorumdam ſectatorum Auguſtini.

VENERABILIS Beda inſignis ſectator Auguſtini, lib. 5. cap. 77. in Lucam 19. capite, ait de Zacchæo in ſicomoro: Suſpiciens vidit illum (Jeſus) quia per gratiam fidei, à terrenis cupiditatibus *elevatum, turbiſque infidelibus praeminentem elegit*: videre enim Dei, eligere, vel amare eſt. Et infra: Vidit ergo Jeſus videntem ſe (ſcilicet per fidem) quia *elegit eligentem ſe*, & amavit amantem. Et in Matth. 20. Non eſt meum dare vobis: Hoc eſt, inquit, non eſt meum dare ſuperbis, hoc enim adhuc erant; ſed ſi vultis illud accipere: nolite eſſe quod eſtis, aliis paratum eſt: (id eſt prædeſtinatum) *& vos alii eſtote, & vobis eſt paratum.* Hęc ibi venerabilis Beda quę ſunt ipſiſſima verba Auguſtini ſupra allata in argumento 11. ex Auguſtino, per quę demonſtravimus Auguſtinum agnoſcere, & profiteri, prædeſtinationem ad gloriam eſſe ob pręviſa merita.

Divus Anſelmus, quem ait Ianſenius libro 6. de gr. Salv. cap. 16. initio: non eſſe poſtremum Auguſtinianę doctrinæ ſectatorem. Eodem modo vult prædeſtinationem ſe habere ad res prædeſtinatas, ac præſcientiam ad res præſcitas, & per conſequens non aliter Deum prædeſtinare gloriam alicui, ut per merita ſupernaturalia conſequendam, niſi quia videt illum, iſtam gloriam per eadem merita conſecuturum: Ecce quomodo comparat illam prædeſtinationem pręſcientię: Sicut, inquit, præſcientia quę non fallitur, non præſcit niſi verum, ſed quod erit, aut neceſſarium, aut ſpontaneum, ita prædeſtinatio quę non mutatur, *non prædeſtinat niſi ſicut eſt in præſcientia*: & quemadmodum quod præſcitur, licet in æternitate ſit immutabile, tamen in tempore aliquando antequam ſit, mutari poteſt, *ita eſt per omnia de prædeſtinatione.* Et paulo infra: Omnia, inquit, illa quibus ſupra monſtravimus liberum arbitrium præſcientiæ non repugnare, pariter oſtendunt illud prędeſtinationi concordare. Sic ęquiparans in omnibus prędeſtinationem præſcientiæ, ut ante eum Auguſtinus. Et in quodam Commentario ſuper Matth. ab aliquibus ei tributo cap. 22. ſic ait, in hæc verba Chriſti ad filios Zebedæi, Non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt...... Non eſt acceptio perſonarum apud Deum; ſed quicumque talem ſe prębuerit, ut Regni Cęlorum *dignus* ſit, hic accipiet quod non perſonę, ſed *vitæ* paratum eſt: ſi itaque tales eſtis qui Regnum Cælorum conſe-

quamini, quod triumphantibus *& victoribus Pater meus paravit*, vos accipietis.

Divus Bernardus, quem Janſenius libro ſupra citato cap. 17. agnoſcit Auguſtinianę gratię, & Doctrinæ defenſorem, Serm. 23. in Cantica ſub finem, ait: Generatio Cęleſtis, æterna prædeſtinatio eſt: qua electos ſuos Deus dilexit, & gratificavit in dilecto filio ſuo, ante Mundi conſtitutionem; ſic, *in ſancto apparentes ſibi, ut viderent virtutem ſuam*, & gloriam ſuam, quo ejus forent conſortes hereditatis, cujus & apparerent conformes imaginis. In quo oſtendit eos eſſe prædeſtinatos ad hereditatem æternam Chriſti, qui fuerunt conformes imaginis filii ejus, id eſt propter merita eorum prævisa: quod denotat illud verbum, nempe apparerent conformes imaginis filii Dei: Et illud; In ſancto apparentes ſibi, quod ſignificat prævisionem.

Poſſem addere & D. Thomam inter ſectatores Auguſtini, ſed melius aſſignabitur locus ejus inter primores, & ſummos Theologos, qui noſtram ſententiam tenuerunt.

SECTIO V.

Probatur concluſio ex Theologis.

Paragraphus primus.

Referuntur authoritates Alexandri de Hales, Alberti Magni, & D. Bonaventuræ, ſatisfitque oppoſitioni cujuſdam ejus Commentatoris.

Venio ergo ad hos Theologos, ſeu Doctores ſcholaſticos quorum non ſolum nomina, ut fieri ſolet, ſed & teſtimonia integra proferam, ut reſpondeam quibuſdam Theologaſtris, & Sciolis, qui dicunt noſtram ſententiam eſſe derelictam à doctioribus Theologis: videant iſti, an docti ſint, imo an inter Doctos doctiſſimi ſint, quorum teſtimonia & textus integros mox adducam pro noſtra ſententia.

Alexander de Hales dictus Doctor irrefragabilis, & Divi Bonaventuræ, Divique Thomæ, in Theologia Magiſter, 1. parte qu. 28. memb. 3. A. I. poſt reſolutionem, in Reſponſione ait: *Ex parte prædeſtinationis*, nec principale ſignificatum (quod eſt actus Dei prædeſtinantis) eſt ex meritis, nec etiam primum connotatum quod eſt infuſio gratiæ, *ſed collatio gloriæ ex meritis eſt.* Et art. 3. ejuſdem quæſtionis & membri, diſtinguens prędeſtinationem, prout eſt actus Dei, à prædeſtinatione, prout terminatur ad creaturas, ait: *Praſcientiam merito-*

rum eſſe rationem prædeſtinationis ultimo modo ſumptæ, & non aliter.

Albertus Magnus, cujus doctrina divinitus infuſa ſatis nota eſt, in 1. diſt. 40. poſt art. 19. titulo, Ad quid eſt electio. Sic ait in ſolutione: Electio propter multa poteſt fieri: fit autem meo judicio ad *juſtitiæ oſtenſionem, quæ aperitur in uſu liberi arbitrii ſequente, quoniam electus ſponte gratiæ adhæret*, & non electus ſponte à gratia avertitur. Et diſt. 41. A. 3. in ſolutione ait: Merita futura nullo modo eliciunt propoſitum Dei (id eſt actum Dei prædeſtinantis) ex parte autem effectus, in quo determinabilis eſt (ſcilicet actus Dei) *prædeſtinatio*, & reprobatio ad tempus habent *rationem meritis*.

Non allego hîc Magiſtrum ſententiarum, quia nihil habet de noſtra quæſtione: Legi enim accuratiſſime diſt. 40. & 41. & nihil inveni: Negat quidem initio quæſt. 41. prædeſtinationem attribui meritis; ſed ibi loquitur de prædeſtinatione ad gratiam, ut patet ex ratione quam ibi affert, dicens: Nullum eſt miſericordiæ meritum, ne gratia vacuetur ſi non gratis donetur, ſed meritis redditur: Miſericordia autem illa quam ibi opponit obdurationi, ſumitur pro gratia efficaci, ſeu pro electione ad gratiam efficacem qua carent obdurati: in fine illius diſtinctionis ait: Elegit ergo quos voluit gratuita miſericordia, non quia fideles erant futuri, ſed ut fideles eſſent, eiſque *gratiam* dedit, non quia fideles, ſed ut fierent. Per quod oſtendit ſe loqui de prædeſtinatione ad fidem, ſeu primam gratiam, aut ſaltem de prędeſtinatione ad gratiam, ſimul & ad gloriam: Nuſquam enim loquitur ibi de prędeſtinatione, quin loquatur de gratia.

D. Bonaventura in 1. diſt. 40. A. 2. qu. 1. in qua quærit, an prædeſtinatio inferat neceſſitatem ſalutis libero arbitrio, ſic ait in corpore illius quæſtionis: Prædeſtinatio non eſt cauſa ſalutis, *niſi includendo merita*. Et infra dicit quod prædeſtinatio duo importat, & rationem præſcientiæ, & rationem cauſæ: & adhuc infra. Pręter rationem cauſæ, importat rationem præſcientiæ, & præſcientia quidem totum includit in cognitione, ſcilicet liberum arbitrium, & ejus cooperationem. Et tandem ita concludit: Et quia præſcientia nullam imponit neceſſitatem conſequentis, ſed tantum conſequentiæ, ſimiliter nec prędeſtinatio. Unde patet quod prædeſtinatio ſecundum D. Bonaventuram, ſupponit præſcientiam; nam hæc eſt neceſſitas conſequentiæ. Item, diſt. 41. A. 1. qu. 2. in corpore, ait: Si quæratur quare magis *voluit* (Deus) ſalvare Petrum quam Judam? reſpondetur, quod iſte habuit mala merita; ille vero bona. Ubi nota Bonaventuram, ibi determinare, quare facta ſit prædeſtinatio, & non tantum propter quid potuerit fieri, contra eos qui ad eludendum hoc tanti Doctoris pro noſtra ſententia teſtimonium, dicunt eum tantum locutum eſſe de poſſibili, & non de facto: At manifeſte patet contrarium ex terminis, cum dicat, *voluit*, quod ſignificat actum, & factum, & non quod velle potuit. Ex quo etiam inferes quod non loquitur de prædeſtinatione ſecundum execu-

tionem; ſed de prædeſtinatione ſecundum intentionem, cum utatur hoc verbo, *voluit*, quod ſignificat electionem, & intentionem, & non executionem.

Verum Trigoſius volens eludere argumentum, quod deſumitur ex præſcientia, quam D. Bonaventura prærequirit ad prædeſtinationem: ait Commentario in D. Bonaventuram q. 18. A. 6. dubit. 2. illam præſcientiam aliud nihil eſſe quam præſcientiam meritorum Chriſti, præſcientiam perſonæ quæ eligitur, finis ad quem illa eligitur, & occaſionis cur eligitur, quæ eſt peccatum Adæ; non autem meritorum aut aliorum actuum humanorum.

Reſpondeo iſtam explicationem eſſe omnino contra mentem D. Bonaventuræ: tum quia articulo ſupra citato ſecundò, in qu. illa 1. in qua quærit an prædeſtinatio inferat neceſſitatem ſalutis, ait: Illam præſcientiam, de qua loquitur totum includere in cognitione, ſcilicet liberum arbitrium, & ejus cooperationem, & vertibilitatem & totum. Ubi nota, ejus cooperationem, contra prędictum Trigoſium, qui vult ibi in margine per id totum quod includitur in cognitione, eſſe ſolum id quod poteſt arbitrium; non vero id quod facit; aut quod facturum eſt. Quod aperte eſt contra ipſiſſima verba Bonaventurę ſemetipſum exponentis, & dicentis præſcientiam illam totum includere in cognitione, ſcilicet liberum arbitrium, & ejus cooperationem, quod ſonat actum, & non ſolam potentiam, & per conſequens D. Bonaventura includit in illa præſcientia, meritum, & actum hominis, contra iſtum Commentatorem. Et præterea ſatis ſupponit merita, & actum hominis in præſcientia illa, cum ait loco ſupracitato, Deum voluiſſe ſalvare Petrum, quia habuit bona merita, utique in præſcientia, & pręviſione, ut per ſe manifeſtum eſt.

Prętcrea aliqui nobis objiciunt textum illum D. Bonaventurę in 1. diſt. 41. qu. 2. n. 15. & 16. ubi ait: Cum quæritur, utrum Dei electio motivam rationem habeat, quantum ad ordinationem voliti ad ejus voluntatem, ita eſt reſpondendum: Si quæratur ratio cauſalis, vel meritoria, reſpondetur quod dari non poſſunt. Reſpondeo D. Bonaventuram, non loqui ibi de illa prædeſtinatione de qua agimus, ſcilicet de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, ut patet manifeſte ex eo quod dicit in eadem quæſtione in corpore, quod Deus voluit ſalvare Petrum, quia habuit bona merita: quod non poteſt conſiſtere cum iſta concluſione; ſi intelligatur de prędeſtinatione ad gloriam ſolitarie ſumptam, ut de ea agimus. Loquitur ergo ibi vel de prędeſtinatione ad gratiam ſolam, vel de prædeſtinatione ad gratiam ſimul & ad gloriam: Nam certum eſt quod ibi involvat gratiam, ut patet 1. ex ſecunda ratione in oppoſitum quæ ſic habet: Item Ambroſius ſuper Epiſt. ad Rom. Dabo *gratiam* ei quem ſcivero toto corde ad me reverſurum poſt errorem: Loquitur in perſona Domini: Ergo ratio cur Dominus proponit dare *gratiam*, eſt quia aliquid futurum prævidit in homine. Ubi vides quod loquitur de

gratia nempe prima juſtificante, ut videbimus infra, & non de gloria. Sed clarius ſe explicat in reſponſione ad 4. & 5. ubi ait ad illud quod objicitur, quod non elegit, quia prævidit tales, dicendum quod Auguſtinus negat ſecundum quod, hoc quod eſt, quia dicit cauſam non ſecundum quod dicit rationem ex qua dicitur congruenter operari, tamen non cauſam ſive rationem cauſalem, cum ſit cauſa cauſarum, & maxime reſpectu voliti, quod quidem eſt ex mera Dei voluntate, utpote eſt *gratia juſtificans impium*. Hæc Bonav. ibi. Ubi vides eum loqui de prima gratia juſtificante, quæ eſt gratia juſtificans impium, & per conſequens clarum eſt quod non loquitur ibi de noſtra quæſtione, in ſenſu de quo agimus, id eſt de prædeſtinatione ad gloriam ſolitarie ſumptam, ſed vel de prædeſtinatione ad gratiam ſolam, vel de prædeſtinatione ad gratiam ſimul & ad gloriam, & ſic nihil habet ibi contra opinionem noſtram.

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

Referuntur teſtimonia D. Thomæ, ſeu Angelici Doctoris.

DIvus Thomas 1. p. q. 23. A. 5. in corpore, circa finem, licet in illo articulo directe agat de prædeſtinatione ad gratiam ſimul & ad gloriam: tamen loquens obiter de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, de qua hîc ſolùm agimus, ſic ait: Dicendum eſt quod effectum prædeſtinationis conſiderare poſſumus dupliciter: uno modo in particulari, & ſic nihil prohibet aliquem effectum prædeſtinationis eſſe cauſam & rationem alterius, poſterius quidem prioris ſecundum rationem cauſæ finalis, priorem vero poſterioris ſecundum rationem *cauſæ meritoriæ*, quæ reducitur ad diſpoſitionem materiæ. Ubi non loquitur de effectibus ut dantur, ſed ut prædeſtinantur, ut patet ex ſequentibus his verbis: Sicut, inquit, ſi dicamus quod *Deus præordinavit ſe daturum alicui gloriam ex meritis*, & quod præordinavit ſe daturum alicui gratiam, ut mereretur gloriam. Ubi vides quod loquitur de præordinatione, ſeu prædeſtinatione ſive gratiæ, ſive gloriæ, non vero de collatione ipſarum tantum. In quo textu clarum eſt quod ſumendo ſic prædeſtinationem ad gloriam ſolam, & ut præciſam à prædeſtinatione ad gratiam, vult D. Thomas prædeſtinationem illam eſſe ex meritis; ut patet in his illius verbis: Sicut ſi dicamus quod Deus præordinavit ſe daturum alicui gloriam ex meritis: Nec vero te remoretur iſta conditionalis, quam apponit hîc D. Thomas, ſcilicet, ſi dicamus, &c. quaſi per hanc ſuſpenderet ſuam ſententiam: Non enim per hanc ſuſpendit ſententiam ſuam, cum illa conditionalis non ſit appoſita ad ipſam prædeſtinationem, quandoquidem non dicitur, ſi Deus præordinaſſet, &c. ſed ſi

Ibi conſiderat gloriam in particulari, id eſt, ſolitarie ſumptam, ut & nos hic conſideramus illam.

dicamus, quod Deus præordinavit, &c. quod commune eſt omnibus explicationibus, quæ in rebus dubiis, vel difficilibus dantur. Ut ſi quis volens explicare quid ſit definitio, optime dicet: omnis definitio conſtat genere & differentia, ut ſi dicamus; Homo eſt animal rationale: per illud, ſi dicamus, non ſuſpendit aſſenſum ſuum, imo tam certum eſt illum huic aſſentiri propoſitioni; Homo eſt animal rationale: ut ſi non crederet illam, non bene explicaret propoſitionem ſuam, nam debet illam explicare per id quod veram habet rationem rei explicandæ. Cum ergo D. Thomas explicet id quod prædixerat, ſcilicet aliquem effectum prædeſtinationis habere rationem cauſæ meritoriæ reſpectu alterius, per hæc verba: Sicut ſi dicamus quod Deus præordinavit dare gloriam ex meritis, neceſſario debet tenere quod hæc gloria prædeſtinatur ex meritis, quæ eſt 1. pars explicationis datæ; ſicuti certum eſt illum tenuiſſe quod gratia prædeſtinatur ad hoc, ut habeantur merita, quæ erat altera pars explicationis ſuæ.

Præterea manifeſte aſtruit eandem ſententiam in 1. diſt. 41. A. 3. in fine, ubi ait: Ad quintum dicendum, quod in intellectu prædeſtinationis, includitur voluntas conſequens, quæ reſpicit opera, non quaſi cauſam voluntatis, ſed ſicut *cauſam meritoriam gloriæ.* Et Commentario in Matth. 20. in hæc verba: Multi vocati, & pauci electi, ait: Qui fide credunt, omnes vocati ſunt; ſed *illi electi qui bona opera faciunt*, & iſti ſunt pauci.

Præterea ut D. Auguſtinus, ita ille maximus Auguſtinianæ doctrinæ ſectator, cum loquitur de prædeſtinatione, ſemper ſupponit, vel includit in ea præſcientiam: Nam in 1. diſt. 40. qu. 3. in corp. ait: Prædeſtinationem includere in ſuo intellectu præſcientiam: Et in quæſt. diſputatis q. 6. de veritate, idem & iiſdem fere verbis repetit. Item, in reſponſione ad 4. ait: Prædeſtinationis ordinem ſupponere voluntatem humanam, id eſt ſupponere volitionem humanam, ſcilicet in præviſione, ut patet ex contextu; & 3. p. q. 1. A. 3. ad 4. ait, quod prædeſtinatio ſupponit præſcientiam futurorm.

Præterea habemus textum formalem in Commentario in Epiſt ad Epheſios Lect. 1. ſub finem, ubi quærens an divina voluntas habeat cauſam. Reſpondet nullam habere, cum ſit prima cauſa. Nihilominus poſſe ei aſſignari duplicem ſcilicet ex parte volentis, quæ eſt ipſa ejus bonitas, & ex parte voliti, de quo ſic ait: Poteſt eſſe aliquid creatum ratio voluntatis divinæ ex parte voliti, ſicut dum vult *coronare Petrum, quia legitime certavit.* Ex quo patet quod velit D. Thomas gloriam prædeſtinari ex meritis, cum aſſerat Deum velle coronare Petrum ex meritis: Illa enim voluntas non eſt aliud quam decretum efficax prædeſtinationis: Nec obſtat id quod ſequitur, ſcilicet ſed hoc non eſt cauſa volendi; ſed eſt cauſa quod ita fiat: Per hoc enim tantum negat quod hoc ſit cauſa ejus volitionis ſecundum ſe, cum cauſa talis volitionis ſit ejus ſola bonitas, ut ſupra teſtatus eſt; non vero negat, imo vero

affirmat eſſe cauſam, cur illa voluntas terminetur ad hunc effectum libere volitum propter præcedens meritum, in quo eſt formalis prædeſtinatio ad gloriam. Nec obſtat 2. quod hæc verba, ſcilicet vult coronare Petrum, quia legitime certavit, videantur ſignificare executionem, & non intentionem; nam primo illud verbum voluit communiter ſumitur pro intentione & pro prædeſtinatione ipſa. Secundo, & ſi id intelligeretur de executione, certum eſt D. Thomam ut & D. Auguſtinum, nunquam putaſſe aliter fieri prædeſtinationem & aliter executionem ejus, ut infra demonſtrabo ex textu quem puto peremptorium in hac dubitatione.

Interim annotabo quod D. Thomas in Catena aurea ſuper Matth. 20. refert duos textus, qui ſunt directe & formaliter de prædeſtinatione ad gloriam ex præviſis meritis: unum D. Chryſoſtomi quem ſupra allegavimus inter illius teſtimonia, & alterum D. Remigii, qui talis eſt, non eſt meum dare vobis, id eſt ſuperbis quales vos eſtis, ſed humilibus corde quibus paratum (id eſt prædeſtinatum) eſt, à Patre meo. Credibile autem eſt eum non allaturum fuiſſe hos textus qui ſunt de prædeſtinatione ad gloriam poſt præviſa merita, cum poſſet multos alios aliorum Patrum adducere in locum iſtorum, niſi opinionem illam approbaſſet, putaſſetque meliorem.

Denique peremptorie probatur ex illo textu, quem obiter adduximus initio Diſputationis noſtræ, ex Commentario in Epiſt. ad Rom. cap. 8. lect. 6. circa medium; ubi aperte declarat D. Thomas ſuam de prædeſtinatione ſententiam his verbis: Circa ordinem præſcientiæ, & prædeſtinationis, dicunt quidam quod pręſcientia meritorum bonorum & malorum eſt ratio pręděſtinationis & reprobationis, ut ſcilicet intelligatur quod Deus prædeſtinet aliquos, quia præſcit eos bene operaturos, & in Chriſtum credituros: Et ſecundum hoc littera ſic legitur: quos pręſcivit conformes fieri imaginis filii ejus, hos prædeſtinavit: *Et hoc quidem rationabiliter diceretur, ſi prædeſtinatio reſpiceret tantum gloriam quæ datur meritis*: Sed ſub prædeſtinatione cadit omne beneficium ſalutare, quod eſt homini ab æterno præparatum: Unde ponere quod aliquod meritum ex parte noſtra præſupponatur, cujus præſcientia ſit ratio prædeſtinationis, nihil eſt aliud quam ponere gratiam dari ex meritis noſtris. Hęc ibi D. Thomas in quibus invenio quinque notabiliſſima. Primum & principale eſt quod judicet noſtram aſſertionem rationabilem, & per hoc neceſſario veram: cum in hoc ſolùm rationabilis eſſe poſſit quævis aſſertio, in quantum eſt vera, ſeu conformis rationi à veritate non diſcordi: verba illius clara ſunt: Rationabiliter, inquit, diceretur quod Deus pręděſtinavit eos quos pręſcivit conformes fieri imaginis filii ejus: ſeu quos præſcivit bene operaturos, & in Chriſtum credituros, ſi pręděſtinatio reſpiceret tantum gloriam, quæ eſt mera aſſertio noſtra. Secundum eſt quod etſi aperte declaraverit ſe tenere pręděſtinationem ad gloriam ſolitarie ſumptam eſſe poſt præviſa

Hæc quod dicit ibi poſſe dici rationabiliter: dicit abſolute in Matth. c. 25. Quos (inquit) præſcivit, hos & prædeſtinavit: Et in Summa 1. p. q. 24. A. 2. in corp. loquens de libro vitæ, ſic ait: Liber iſte, eſt notitia Dei, qua prædeſtinavit ad vitã, quos præſcivit.

prævisa merita: declarat nihilominus ſe non intelligere hanc prædeſtinationem, per nomen prædeſtinationis, ſed ſolam prædeſtinationem, quæ reſpicit gratiam ſimul & gloriam, his verbis: Sed ſub prædeſtinatione cadit omne beneficium ſalutare, quod eſt homini ab æterno præparatum. Unde quando loquitur de prædeſtinatione, niſi expreſſis verbis dicat ſe loqui de prædeſtinatione ad gloriam ſolitarie, aut in particulari ſumptam, aut ita ut nullo modo ſubaudiri poſſit gratia: manifeſtum eſt, quod ſemper debet intelligi de prædeſtinatione ad gratiam ſimul & ad gloriam, etiamſi diceret ſe loqui de prædeſtinatione ad gloriam, quia hæc verba non excludunt gratiam, & per conſequens poſſunt intelligi de utraque. Tertium eſt, quod valde diſtinguit inter prædeſtinationem ad gloriam ſolam, & prædeſtinationem ad gratiam ſimul & ad gloriam, cum primam fieri velit ex meritis, ſecundam vero negat fieri ex meritis, ut ſatis patet ex textu: quod manifeſte commonſtrat nos non inutiliter diſtinxiſſe initio diſputationis, inter utramque hanc prædeſtinationem, & eandem diſtinctionem non ſine ratione nos impoſterum frequenter eſſe repetituros, cum tam diverſa & diſparata operetur. Quartum eſt, quod tota ratio cur dicit prædeſtinationem ad gratiam ſimul & ad gloriam eſſe ante prævisa merita, eſt quia includit gratiam, quæ datur ſine meritis, ut patet ex his verbis: Unde ponere quod aliquod meritum ex parte noſtra præſupponatur, cujus præſcientia ſit ratio prædeſtinationis, nihil eſt aliud quam ponere gratiam dari ex meritis noſtris: Ex quo manifeſtum eſt quod id quod dicit prædeſtinationem ad gratiam & gloriam eſſe ante prævisa merita, nullo modo præjudicat prędeſtinationi ad gloriam poſt prævisa merita, cum id quod dicit ibi de prædeſtinatione illa conglobata reſpiciat ſolam gratiam, & nullo modo gloriam. Quintum eſt, quod non putet prædeſtinationem aliter fieri quam ipſius executionem, & ſic non agnoſcere duplex illud decretum recentiorum in prædeſtinatione: ſecundum nempe intentionem, & ſecundum executionem: aut certe non facere diverſum, ſed putaſſe utrumque eodem modo fieri: cum ratio cur dicat, rationabiliter dici poſſe quod Deus prædeſtinet aliquos ad gloriam ob pręvisa merita, ſit, quia ipſa datur meritis; nam illa particula, quæ, in hac propoſitione, poſita, quæ datur meritis, habet vim cauſalis, & eſt idem ac ſi diceret, quia datur meritis: aliàs enim hæc verba, quæ datur meritis, poſita poſt prædeſtinationem ad vitam æternam, inutilia prorſus forent, ſi particula, quæ, ibi poſita non haberet vim cauſalis, cum tunc illa verba nihil ibi operarentur, & eſſent omnino extra rem: cum ibi non ſit quæſtio de executione, ſed de ſola prædeſtinatione. Unde manifeſtum eſt quod debet ſumi cauſaliter illa particula, quæ, & ſic facit novum argumentum, quo demonſtretur quod D. Thomas cenſuit prædeſtinationem ad gloriam factam eſſe ob merita, cum cenſeat eam non fuiſſe aliter factam quàm ejus executionem, quæ ſemper fit propter merita: in quo per omnia conſentit doctrinæ Auguſtini, quam ſupra

Id habet clariſſime in verbis in prædicto textu omiſſis (brevitatis gratia) quæ ſunt hæc. Unde eadem ratione omnia beneficia, quæ nobis confert, ex tempore præparavit ab æterno.

Quod eſt dicere eadē ratione fieri prædeſtinationem, & ejus executionem.

Hæc propoſitio ſimilis eſt iſti Lucæ 1. Beata quæ credidiſti; nam idē eſt ac ſi diceretur, quia credidiſti.

vidimus in argumento 5. Et ut id evidentius adhuc pateat: ita ut Auguſtinus, ita & ille paulo poſt ait: Præſcientiam neceſſario præcedere prædeſtinationem: nam poſtquam in loco præallegato repetiiſſet illa verba Apoſtoli, quos præſcivit & prædeſtinavit; ſic ait: Non quia omnes præſcitos prædeſtinet, ſed quia eos prædeſtinare non poterat, niſi præſciret, quod evidenter oſtendit illum poſcere præſcientiam ut neceſſariam, & præviam ad prædeſtinationem, quod eſt ponere cum Auguſtino præſcientiam meritorum ante prædeſtinationem ad gloriam. Multos alios ejuſmodi illius textus videbis in decurſu diſputationis, ſed hi pro præſenti ſufficiunt.

Punctum unicum.

Reſpondetur objectionibus ex D. Thoma depromptis.

Nunc ergo reſpondendum eſt objectionibus in contrarium: ſed priuſquam iis reſpondeatur, meminiſſe oportet quod nos ſupra monuit ipſe D. Thomas: ipſum communiter ſumere prædeſtinationem pro prædeſtinatione ad gratiam ſimul & ad gloriam, ſeu ut ipſe dicit, prout complectitur *omne* beneficium ſalutare, quod eſt homini ab æterno præparatum, & non prout reſpicit ſolam gloriam quæ eſt beneficium particulare: quod eſt valde notandum, ut non laboretur in æquivoco, & ut bene capiatur ejus intentio. Quo poſito, facile eſt ſolvere illius teſtimonia in contrarium adducta.

Primò itaque objicitur quod 1. p. qu. 23. A. 4. in corp. dicit prædeſtinationem aliquorum in ſalutem æternam, præſupponere ſecundum rationem quod Deus velit illorum ſalutem: Unde inferunt adverſarii, quod ſecundum D. Thomam, Deus vult prius ratione ſalutem æternam electis ſuis, quam velit eis preparare media ad ſalutem conſequendam efficacia, quod hîc eſt prædeſtinare.

Reſpondeo 1° quod cum ibi D. Thomas ait, quod prædeſtinatio præſupponit voluntatem ſalvandi, non ſumit illam voluntatem in illo ſenſu, in quo eam hîc ſumimus; ſcilicet prout eſt voluntas dandi ſolam gloriam, ſeu prout illa terminatur ad ſolam gloriam, & non includit gratiam: ſed ſumit illam in alio ſenſu, ſcilicet prout eſt voluntas dandi gratiam ſimul & gloriam. Quod probatur hac ratione, quia in illo ipſo articulo dicit illam voluntatem, ſeu dilectionem eſſe idem ac electionem, niſi quod electio, addit ſuper hanc voluntatem, ſeu dilectionem, prælationem unius reſpectu alterius quoad bonum, quod volebat dare prior illa voluntas ſeu dilectio: ergo voluntas illa, ſeu dilectio, habet illud idem objectum materiale, quod reſpicit illa electio; ſed electio illa non reſpicit ſolam gloriam, ſed gratiam ſimul & gloriam; prout evidens eſt in reſponſione ad primum; ubi ait D. Thomas, quod in collatione gratiæ & gloriæ attenditur illa electio: ergo voluntas illa de qua hîc,

non eſt de ſola gloria, prout illam voluntatem hîc conſideramus, ſed de gratia ſimul & de gloria; & proinde illa objectio non eſt contra nos, qui loquimur de voluntate dandi ſolam gloriam; illa autem objectio eſt de danda ſimul gratia & gloria. Quæ ſolutio ex eo confirmatur quod ſupra ſatis declaravit generaliter intentionis ſuę eſſe, ſemper prædeſtinationem ſumere, prout includit omne bonum ſalutare homini ab æterno pręparatum, in quo eſt gratia ſimul & gloria, & non ſola gloria, de qua ſolùm hîc agimus: imo vero ipſe dicit in articulo pręcedenti in corpore, prędeſtinationem illam de qua loquitur, includere gratiam & gloriam: & per conſequens non poteſt eſſe illa prędeſtinatio de qua hîc agimus, quę reſpicit ſolam gloriam, & nullo modo gratiam.

Nec obſtat quod in loco nobis objecto loquatur D. Thomas de ſalute ſimpliciter, quæ ſalus ſic ſumpta videtur adverſariis dicere ſolam gloriam. Nam præterquam quod vera ſalus, eſt ſalus completa, quæ complectitur gratiam & gloriam: ſatis oſtendit D. Thomas hîc, ſe loqui de ſalute, prout comprehendit gratiam ſimul & gloriam, cum velit idem eſſe objectum illius voluntatis ac electionis, ut patet ex his verbis; ubi explicat D. Thomas quid ſit illa voluntas, ſeu dilectio, & quid ſit illa electio de qua loquitur hîc. Dilectio quidem (inquit) eſt, in quantum vult eis hoc bonum ſalutis æternæ: Nam diligere eſt velle alicui bonum, ut ſupra dictum eſt: Electio autem inquantum hoc bonum aliquibus pręaliis vult. Ubi vides D. Thomam ponere idem bonum ſalutis æternæ eſſe objectum dilectionis illius, ſeu voluntatis ſalvandi & electionis: At bonum illud ſalutis ęternę, quod reſpicit electio, eſt gratia ſimul & gloria, prout ſupra notavimus ex reſponſione ad primum; ergo illud idem bonum eſt quod reſpicit voluntas ſalvandi nempe gratia & gloria: & proinde hæc objectio, non eſt contra nos qui de ſola voluntate dandi gloriam agimus; illa autem agit de voluntate dandi gratiam ſimul & gloriam.

Reſpondeo 2° prędeſtinationem ibi ſumi à D. Thoma aliter quam ſumimus: ſumimus enim illam pro electione ipſa ad gloriam, prout opponitur excluſioni ab illa, ſeu reprobationi; at D. Thomas dicit prędeſtinationem illam, de qua loquitur, pręſupponere electionem ipſam, & reprobationem, ut videre eſt in corpore articuli; ubi ait electionem illam quam ſupponit illa prędeſtinatio de qua loquitur, eſſe talem ut per eam Deus velit hoc bonum (ſcilicet ſalutis æternæ) aliquibus pręaliis, cùm aliquos reprobet. Ex quo manifeſtum eſt illum ibi ſumere prædeſtinationem in alia ſignificatione quam nos ſumimus, & per conſequens hanc objectionem nil efficere contra nos. Quid autem intelligat D. Thomas per illam prædeſtinationem, de qua ibi loquitur, videtur intelligere executionem electionis jam factæ: tum quia poſita electione quam ſupponit, nihil videtur ſupereſſe quam executio, tum quia in articulo 1. illius quæſtionis definit illam prædeſtinationem eſſe tranſmiſſionem creaturę rationalis in finem vitę ęternę, quæ *Si D. Thom. ſumat hic prædeſt. pro executione electionis, vel voluntatis ſalvandi: non*

transſmiſſio ſuppoſita jam electione, nil dicit aliud quam ipſius executionem, non quidem in effectu poſitam, ſed in mente præconceptam, ut ait Iſambertus ad illam qu. 23. diſp. 1. A. 1. §. Sanctus Thomas.

Objicitur ſecundo textus alter ejuſdem articuli, ubi ait D. Thomas in reſponſione ad 2. quod quando voluntas eligentis provocatur ad eligendum à bono in re præexiſtente, tunc oportet quod electio ſit eorum quæ ſunt (id eſt ob merita) ſic accidit in electione noſtra: ſed in Deo eſt aliter, ut dictum eſt; & ideo, ut dicit Auguſtinus, eliguntur à Deo quæ non ſunt, nec tamen errat qui eligit: Ergo ſecundum D. Thomam prædeſtinatio ad gloriam non ſupponit merita.

Reſpondeo D. Thomam ibi agere de prædeſtinatione ad gratiam ſimul & ad gloriam, & non ad ſolam gloriam, de qua ſola loquimur: quod patet ex reſponſione ad primum ejuſdem articuli: ubi loquens de electione illa, ſeu communicatione divinæ bonitatis, quæ eſt in prædeſtinatione, includit in illa collationem gratiæ & gloriæ, ut & prius eas incluſerat in objectione quam ibi ſolvit: & ut oſtendatur, quod id dicit ratione gratiæ quæ in illa prædeſtinatione includitur, ibi citat Auguſtinum, qui talia verba profert de electione ad gratiam contra Pelagianos Serm. 11. de verbis Apoſtoli cap. 4. ex quo deſumpta ſunt illius verba: & generaliter advertendum eſt quod in illa tota quæſtione 23. loquitur D. Thomas de prædeſtinatione ad gratiam ſimul & ad gloriam, & non de prædeſtinatione ad ſolam gloriam: ut patet non ſolum in hoc 4. articulo, ut ſatis jam monſtravimus, ſed etiam ex præcedenti, ubi ait in corpore, prædeſtinationem includere gratiam & gloriam: Et in ſequenti ubi ait, adhuc in corpore, concluſionem ſuam, ſcilicet prædeſtinationem non eſſe ex meritis, eſſe contra Pelagianos, qui loquebantur ſolùm de prædeſtinatione ad gratiam, & ponebant, ut ipſe ait, initium benefaciendi eſſe ex nobis, & per hoc patet reſponſio ad omnes textus, qui poſſent nobis objici ex iſta tota quæſtione; quæ eſt ſatis diffuſa.

Similiter reſpondendum eſt huic textui deſumpto ex quæſtionibus diſputatis, quæſt. 6. de veritate A. 2. ad 9. ubi ait D. Thomas: Electio Dei qua unum eligit, & alium reprobat, rationabilis eſt, nec tamen oportet quod ratio electionis ſit meritum; ſed in ipſa electione eſt divina bonitas: Loquitur enim ibi D. Thomas de electione ad gratiam, ut patet in corpore, & præcipue in reſponſione ad 8. in qua loquitur de electione ad ſolam gratiam. Et præterea poſſet reſponderi, illum ibi loqui de cauſa, ſeu ratione primaria prædeſtinationis, quæ non eſt meritum; ſed bonitas divina, ut ipſe ait, quæ eſt ante meritum, etiam in prædeſtinatione ad gloriam ſolam: niſi enim Deus ex ſua ſumma bonitate voluiſſet aliquos in genere ſalvos fieri, ſeu dare gloriam propter merita, omnia hominum opera nil prodeſſent ipſis ad ſalutem.

Eodem modo reſpondendum eſt, ad hunc textum ſumptum ex 1. ſent-

eſt mirum quod ille ſupponat illam electionem, vel voluntatem ſalvandi, cùm id commune ſit omnibus executionibus: ſed hoc non determinat, an decretum, vel electio, vel voluntas ſit gratuita, vel oneroſa; ſed aliunde id ſciendum eſt: quia nempe eodẽ modo fiet res in executione, quo volita, vel electa fuerit, præcipue in ſententia D. Thomæ, qui ut ſupra vidimus, putat electionem, & ejus executionem eodem modo fieri.

diſt. 41. A. 1. ad 1. ubi ait: Electionem divinam eſſe, quando aliqua ex ordine ſuæ ſapientiæ, ordinantur ad finem beatitudinis; prædeſtinationem autem eſſe ſecundum quod præparantur eis, ea quæ perducunt ad finem: ſumit enim hîc prædeſtinationem prout involvit gratiam & gloriam, ut patet ex reſponſione ad 3. ubi loquitur de vocatione ad gratiam, & ex terminis expreſſis ipſius textus, qui loquitur de præparatione eorum quæ ſunt ad finem, quæ ſunt gratiæ excitantes, & adjuvantes, & ipſa bona opera, & non ipſa gloria. Denique univerſaliter dico, quod bene concipienda eſt mens ipſius D. Thomæ in materia prædeſtinationis, quam expreſſit ſupra in loco, à nobis hîc & initio diſputationis laudato, ſcilicet quod intendit formaliter includere gratiam & gloriam in prædeſtinatione: & ſic nihil reperies in ejus ſcriptis, quod præjudicet prædeſtinationi illi de qua hîc agimus, quæ reſpicit ſolam gloriam, & nullo modo primam gratiam, ratione cujus ſolius dicit prædeſtinationem illam conglobatam, quæ reſpicit gratiam & gloriam, eſſe ſine prævisis meritis.

PARAGRAPHUS TERTIUS.

Refertur ſententia Scoti, noſtram ſententiam tanquam probabilem admittentis.

IOANNES Duns Scotus alter Theologicæ ſcholæ Magiſter, cum In 1. diſt.
ſingulariſſima perſpicaciſſimi ſui ingenii ſubtilitate totam noſtram quæſt. 1.
quæſtionem perluſtraſſet, diverſaſque de ea ſententias expendiſſet, tandem in hæc verba prorupit. De iſtis opinionibus omnibus quia Apoſtolus videtur diſputans de iſta materia ad Rom. in fine, quaſi totum imperſcrutabile relinquere: O altitudo, inquiens, divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Et; Quis novit ſenſum Domini, & quis conſiliarius ejus fuit? ideo ne ſcrutando de profundo ſecundum dictum Magiſtri eatur in profundum, *eligatur quæ magis placet*. Per quæ verba ſatis indicat ſe cenſuiſſe, noſtram ſententiam eſſe probabilem, quandoquidem relinquit unicuique liberum eligendi, vel non eligendi eam ſecundum beneplacitum ſuum. Nam etſi aliqualem ibi rationem atuliſſet contra noſtram ſententiam; tamen bene videns, ut ait Faber Faventinus ejus diſcipulus, illam non eſſe efficacem, & poſſe ſolvi, ſic ait In 1. diſt 41.
in ultimis verbis illius quæſtionis antequam ſolvat argumenta princi- qu. 1. diſp. 58. cap. 10.
palia: Et qui tenet aliam opinionem reſpondeat ad ea quæ facta ſunt n. 161.
contra illam. Per hæc clare innuens, illam eſſe ſolubilem. Et clare id apparebit cum ad illius ſolutionem ventum fuerit infra in objectione prima è ratione. Cum autem è contra videret oppoſitam ſententiam magnis undique ſcatere difficultatibus, reſpiciens ad illam dixit: Dum

tamen ſalvetur libertas divina ſine aliqua injuſtitia. Id enim vix ſalvari poteſt in illa ſententia: quandoquidem contra libertatem juſtitiamque divinam magnam imponit Deo neceſſitatem, eamque antecedentem (cum ſit ante præviſa omnia) providendi & ſtudendi ne non electi (quorum nullus præviſus eſt moriturus in peccato) ſalventur & perſeverent in bono: Et ſic, efficiendi, ut quantumvis illi poſtea evadant juſti, & perfecti, & innocentes, & dilecti per bona opera, & Eccleſiæ ſanctæ Sacramenta, tandem corruant & labantur in peccatum, & in illo ſtatu moriantur, & in æternum pereant: Quod ſane duriſſimum eſt, & libertati juſtitiæque divinæ importuniſſimum. Et alia, inquit, ſalventur quæ ſalvanda ſunt circa Deum, ut liberaliter eligentem. Quod etiam vix ſalvari poteſt in illa ſententia; quandoquidem nihil minus liberale eſt, quam ubi potes eligere multos, eligas paucos, & infinitos negligas, idque ex mera & ſola tua voluntate, & nulla in eligendis ſuppoſita, vel minima diverſitate, quemadmodum fateri tenetur illa ſententia. Ob quas difficultates non eſt dubium quin illa ſententia minus placuerit Scoto quam noſtra, quæ longiſſime aberat ab his difficultatibus, & inconvenientiis, quas volebat evitari Scotus in illa electione. Quid enim timendum erat in noſtra ſententia, pro libertate divina, cum dicamus iſtum modum eligendi poſt præviſa merita, fuiſſe Deo liberum, ita ut alium modum aſſumere potuiſſet, ſi voluiſſet; & hoc modo aſſumpto, nullam aliam habuiſſe neceſſitatem hos, vel illos ſalvandi, & non alios, niſi mere conſequentem, quæ non opponitur libertati, cum ſupponat præviſionem. Quid timendum etiam erat pro juſtitia divina, cum ipſemet iſte modus eligendi poſt præviſa merita ſit actus ipſius juſtitiæ; & quid tandem erat timendum pro liberalitate divina, cum hîc tam larga & ampla ſit, ut nulli prorſus homines excludantur ab ea, ſed pateat omnibus & ſingulis hominibus, qui voluerint ſalvari, & uti mediis ad id ſincere illis præſtitis, nullo præcedente decreto contrario impeditis, & minus ſincere præparatis, & valde ſuſpectis, ut in oppoſita ſententia. Quapropter dicendum eſt, quod ſincerus iſte vir maluiſſet opinionem noſtram eligere quam oppoſitam, ſi aliquam eligere voluiſſet: ſed propter ſcrupulum ſupradictum hæſitans maluit illum aliis diſſolvendum relinquere quam judicium ſuum præcipitare, ubi nondum omnino clara & evidens, licet jam non ingrata ſibi veritas appareret: unde & quidam è Diſcipulis ejus, ut Faber Faventinus, Ioannes Poncius, & alii eam abſolute ſecuti ſunt; ſed de iſto ſummo Doctore ſatis; properandum ad alios.

Puncto ſequente notabuntur loci, ubi duo iſti Authores tenent noſtram ſententiam.

†
IHS

PARAGRAPHUS QUARTUS.

Referuntur cætera aliorum Theologorum teſtimonia pro noſtra ſententia.

ECCE itaque pro nobis primi illi & ſummi Theologi Alexander de Hales, Albertus Magnus, D. Bonaventura, D. Thomas, qui ſtant pro nobis, & noſtræ aſtipulantur ſententiæ, cui nec ipſe repugnat Scotus, ut jam vidimus; ſed poſt eos non deſunt alii etiam nobiles & inſignes Theologi veteres & recentiores.

Inter veteres, primus ordine dignitatis eſt Innocentius Papa V. qui in 1. diſt. 41. q. 2. de prædeſt. A. 2. ait: Eſt ratio ſecundum quam congrue fertur voluntas Dei, ad præparandam illi gratiam & gloriam cujus præſcit merita. Ubi per gratiam quam ibi jungit cum gloria, non intelligendus eſt de 1. gratia ſanctificante, quæ non cadit ſub meritum, ſed de ſecunda, & ſequentibus, quæ cadunt ſub meritum æque ac gloria: & ſic clarius explicant ſequentes Authores, quos poſt illum allegabimus.

Henricus à Gandavo nobilis Sorbonicus, quem etiam commendat Janſenius libro 6. de gr. Salv. cap. 17. initio, ut Auguſtinianæ doctrinæ ſectatorem, huic ſententiæ noſtræ ſuffragatur, quodlib. 4. qu. 19. in corp. ſed præcipue in fine illius quæſtionis, ubi ait: Prædeſtinatio reſpectu primæ gratiæ, nullam cauſam meritoriam habet, licet habeat eam reſpectu cujuſlibet ſequentis, includendo ſub prædeſtinatione & gratiam finalem perſeverantiæ, & etiam gloriam. Guillelmus à Rubeone in 1. diſt. 41. quæſito 1. poſt 5. His præmiſſis: non tantum eam approbat, ſed & fuſiſſime eam probat. Ejuſdem ſententiæ eſt Sixtus Senenſis, in Biblioth. Sancta lib. 6. annot. 251. ſub finem: Qui poſtquam negaſſet primam gratiam eſſe ex meritis, ſic ait: Si vero interroget quiſpiam utrum ſequentes divini ordinis gradus, in divina præviſione, cauſam habeant meritoriam, proculdubio reſpondendum eſt, Deum ab æterno decreviſſe daturum ſe incrementa amplioris juſtitiæ, his qui bene uſuri ſunt primo gratiæ juſtificantis dono, ac deinde ob merita bene ſervatæ juſtitiæ, redditurum ſe eis perpetuæ beatitudinis coronam. Eandem amplectitur Gabriel Biel, in 1. diſt. 41. quæſtione unica A. 2. licet credat aliquos, ut Beatam Virginem, & B. Paulum prædeſtinatos eſſe ante præviſa merita: Reliquos vero ex præviſis meritis. Ioannes Major in 1. diſt. 40. qu. 2. paulo poſt med. tenet hanc ſententiam probabilem, & dicit etiam eſſe multorum aliorum abſolutam ſententiam: & initio quæſtionis citat Ochamum pro hac ſententia, cum hac exceptione, quod etiam putet, cum Gabriele, quoſdam ut B. Virginem, &c. prædeſtinatos

eſſe ante prævisa merita, reliquos vero poſt prævisa merita. Item, Altiſſiodorenſis in Summa aurea ſuper ſent. lib. 1. cap. 1. qu. 4. ubi aſſerit hanc propoſitionem eſſe veram: Iſte poteſt facere quod ſit de numero illorum, qui ſunt prædeſtinati: quod eſt dicere, prædeſtinationem eſſe ex prævisis meritis. Thomas de Argentina, in 1. diſt. 41. A. 2. init. ubi ait: Dico, ſalvo meliori judicio, quod cauſa prædeſtinationis ipſorum adultorum, videtur eſſe bonus uſus liberi arbitrii, ab æterno præcognitus finaliter duraturus. Item, Paulus Soncinas in Epitome in 1. diſt. 41. qu. 1. concluſione 1. Item, Archangelus Rubeus in 1. diſt. 41. diſtinctione ſua peculiari quinta, ait; Deus cui omnia futura præſentia ſunt, agnoſcens omnes eos qui velle debebant (id eſt qui futuri erant bonæ & piæ voluntatis) mediante auxilio gratiæ ſuæ, quod nunquam deeſt homini in ſpectantibus ad ſuam ſalutem, eos prædeſtinavit, hoc eſt decrevit, determinavit ab æterno, dirigere eos in tempore in finem gloriæ. Stapletonus in Epiſtolam ad Romanos cap. 9. in hæc verba; Cum nondum nati eſſent, &c. hanc opinionem defendit contra Calvinum & Bæſam. Hos omnes vidi in propriis Codicibus, huic noſtræ ſententiæ aſtipulantes: multos alios citat Leſſius in Opuſculo de prædeſtinatione Sect. 2. probatione 3. ex Doctoribus Scholaſticis, quorum Codices cum habere non potuerim, eorum ſolum nomina recenſebo, ſcilicet Albertum Pighium, Hieronymum Oſorium, Ricardum, Driedonem, Cardinalem Sadoletum, Cardinalem Contarenum, Joannem Eckium, Turrianum, Bartholomæum Camerarium, Joannem à Bononia, quorum Libros, & locos ipſe citat ubi ſupra.

Inter recentiores quos legi eſt Gregorius de Valentia, in 1. part. q. 23. diſp. 1. Puncto 4. §. 3. Aſſert. 2. Gabriel Vaſques in 1. part. diſp. 89. tota. Ipſe Leſſius in Tractat. citato, Gammachæus Doctor Sorbonicus, in 1. p. qu. 23. cap. 6. conc. 2. Moncæus in diſputat. Theologicis diſp. 4. qui cum fuiſſet aliquando diverſæ ſententiæ, convictus à Meratio tranſiit in noſtram ſententiam. Ipſe Meratius in aliis Moncæi Diſcipulus, in hac veritate Magiſter, docet hanc ſententiam in 1. p. diſp. 41. Item, Nicolaus Iſambertus Doctor Sorbonicus, & Profeſſor Regius in 1. p. ad qu. 23. diſp. 4. A. 2. R. P. Boucher Franciſcanus, in Triumpho Chriſtianæ Religionis lib. 5. cap. 30. Ludovicus Abely Epiſcopus Rhodenſis, in Medulla Theologica, 1. parte Tract. 2. cap. 5. de prædeſtinatione, Sect. 3. & 4. Ubi etiam citat S. Franciſcum Saleſium olim Epiſcopum Gebennenſem, inter eos qui ſtant à partibus noſtris. Becanus in 1. partem cap. 14. qu. 4. tota. Tirinus in cap. 1. 2. Petri Epiſtolæ ℣. 10. ubi etiam citat Cornelium à Lapide pro hac ſententia. Petavius in Dogm. Theologicis tomo 1. lib. 10. cap. 2. & ſequentibus. Meteſellus in Theologia ſacra Tract. de verit. Euangelicis, cap. de prædeſt. Faber Faventinus Franciſcanus, in 1. diſt. 41. qu. 1. diſp. 58. tota; ſed præcipue cap. 4. & ſequentibus. R. P. Ivo Pariſinus Capucinus in vanis peccatorum excuſationibus, tomo 1. parte 2. excuſat. 15. & multis aliis in libris

in libris quos pro ſuo ſummo zelo Catholicæ veritatis & pietatis conſcripſit. Ioannes Pontius Franciſcanus in Scotum diſt. 41.quæſt. unica.

Denique aliqui ex iis qui tenent oppoſitam ſententiam, tenent etiam noſtram eſſe probabilem: ut Suares de auxiliis cap. 16. n. 8. Ludovicus Caſpenſis Capucinus tomo 1. Tract. 6. de prædeſtinatione diſp. 2 Sect. 1. & aliqui alii.

Tot ergo & tantis tam Patrum quam Doctorum ſuffulti teſtimoniis, progrediamur ad majora, ſcilicet ad ipſa Scripturæ Sacræ, non tam teſtimonia quam oracula: ab ipſo Spiritu ſancto, nobis edicta, & revelata.

SECTIO VI.

Probationes ex claris Sanctæ Scripturæ locis.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Primum argumentum proponitur.

PUNCTUM PRIMUM.

Vis argumenti aperitur.

PRIMUS locus eſt Matth. 25. ubi Chriſtus loquens de prædeſtinatis, ait: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum, à conſtitutione mundi: eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare, ſitivi, & dediſtis mihi bibere, &c. Ubi manifeſte Chriſtus ait Regnum Cælorum & parari & dari propter bona opera. Quod probatur primò, quia cauſalis illa, *enim*, eſt poſt illa duo, paratum & poſſidete: Ergo neceſſario reddit rationem utriuſque, niſi oſtendatur certa repugnantia reſpectu unius, quæ non ſit ex parte alterius: at oſtendi non poteſt, cum æque potuerit Deus parare, ſeu prædeſtinare gloriam propter merita, ac dare illam propter merita: imo vero maximum fundamentum habemus in Scripturis, quod parata ſit ob merita, cum vocetur merces, præmium, & corona quæ communiter proponuntur, & præparantur ob merita futura: Ergo in hoc loco, hæc cauſalis, *enim*, reddit rationem utriuſque, & oſtendit gloriam æque parari, ſeu prædeſtinari ac dari ob merita. Secundò, quia eodem modo loquitur Chriſtus de Regno prædeſtinatis parato, ac de igne parato reprobis: Sicut enim dicit; Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & angelis ejus; eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare, ſitivi, & non dediſtis, &c. ita dicit; Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum; eſurivi enim, & dediſtis, &c. imo vero iſtud, paratum, immediatius eſt Regno Cælorum, quam igni æterno; mox

enim ut dixit paratum vobis Regnum, dicit Chriſtus; Eſurivi enim quaſi reddens rationem, cur efficaciter ſit eis paratum, & prædeſtinatum; atqui certum eſt quod ignis æternus eſt paratus & prædeſtinatus Diabolo, & angelis ejus, & hominibus reprobis ex eorum demeritis prævifis: Ergo Regnum Cælorum eſt præparatum, & prædeſtinatum electis ex prævifis eorum meritis, & operibus futuris.

Tertio, quia D. Hieronymus optimus interpres Sacræ Scripturæ, hæc verba; Eſurivi, &c. intelligit non de executione ſola, ſed de prædeſtinatione, per hæc verba: Hoc juxta præſcientiam Dei accipiendum eſt, apud quem futura jam facta ſunt: At præſcientia non reſpicit executionem, ſeu collationem gloriæ actualem, ſed solùm prædeſtinationem illius ob futura merita, quæ reſpicit præſcientia: Ergo verba illa intelligenda ſunt de prædeſtinatione, & non de ſola executione, vel collatione gloriæ, & proinde indicant illam prædeſtinationem eſſe ob prævifa merita.

Quartò, quia etſi verba illa non intelligerentur de prædeſtinatione, ſed de ſola collatione gloriæ, tamen illud idem inferendum eſſet pro prædeſtinatione, ac de ipſa collatione gloriæ, ſcilicet quod ut datur gloria propter merita, ita prædeſtinatur propter merita: Nam in omnipotente Deo, modus executionis arguit modum intentionis, cum certum ſit quod quæcumque voluit Dominus fecit; unde inferendum eſt quod id quod fecit, illud voluit: Et eodem modo quo fecit, eodem modo voluit, ut ait D. Fulgentius, lib. de Incarn. & gratia, cap. 31. ſub finem, dicens: Quod Deus non aliter perficit in opere, quam in ſua ſempiterna, atque incommutabili habet voluntate diſpoſitum: Cum ergo det gloriam ob merita, dicendum eſt quod voluit dare ob merita; at velle dare gloriam eſt hoc ipſum prædeſtinare, ergo cum certum ſit quod voluit dare gloriam ob merita, ita & certum debet eſſe, quod illam prædeſtinavit ob merita.

Quod confirmatur ex ſupradictis, ex Auguſtino & D. Thoma, qui cenſent unanimiter, rem eodem modo prædeſtinari, ac dari: Unde cum Scriptura hîc clare teſtetur gloriam ſaltem dari ex meritis: concedendum etiam eſt illam prædeſtinari ex meritis.

Punctum II.

Refellitur evaſio ſumpta ex duplici decreto, ſcilicet intentionis, & executionis, & primò ex novitate & inutilitate illius.

AD hæc reſpondent adverſarii duplex eſſe decretum in Deo ante collationem gloriæ: unum eſt intentionis quo Deus gratuitò, & ſine prævifis meritis, vult hos & illos ſalvare, his & illis dare gloriam; alterum eſt executionis, quo Deus vult illos jam prædeſtinatos ſalvare, illiſque dare gloriam per merita. De primo hîc non agi, ſed tantum de ſecundo, quandoquidem hîc fit mentio de modo executionis, ut patet ex his verbis, Poſſidete paratum vobis Regnum. Eſurivi enim, &c. & per conſequens non eſſe mirum, quod hîc agatur de meritis, cum hîc agatur de decreto executionis, per quod nempe decernitur, ut ipſa prædeſtinatio, quæ omnino gratuita eſt per decretum intentionis, executioni mandetur per merita, & per opera.

Reſpondeo iſtud figmentum duplicis decreti, quorum unum eſt intentionis, alterum executionis omnino diverſum, magnum habere in ſe præjudicium falſitatis, ex hoc 1° quod novum ſit: nullum enim ejus reperies veſtigium, neque in Scriptura, neque apud ſanctos Patres, neque apud antiquiores Theologos, neque etiam apud Philoſophos: Et deinde eſt omnino inutile, cum hucuſque communiter creditum ſit, ad quodlibet peragendum ſufficere intentionem finis, & executionem illius. Præterea nihil videmus in loco prællegato, quod ſapiat illud duplex decretum; nihil enim videmus niſi decretum ſimplex prædeſtinationis, & ipſam executionem: Decretum quidem per hoc verbum, *paratum*, quod eſt prædeſtinatum; & executionem, per hoc verbum, *poſſidete*: Unde ergo illa ſupradicta duplicitas decreti, & qua parte introducta eſt; ſane ex neceſſitate, & anguſtiis adverſariorum, quærentium undique qua fugerent inextricabilem difficultatem: Urgebat enim Sacra Scriptura, aperte dicens Regnum Cælorum datum, & paratum electis propter merita, & aliunde ratio, & uſus commonſtrabat apertiſſime, quod nunquam eſt alia intentio in exequendo, quam in decernendo, & per conſequens, quod etiamſi Scriptura loqueretur de ſola collatione gloriæ, cum tamen dicit aperte gloriam in executione dari propter merita, ſatis ſuperque demonſtrat illam etiam prædeſtinari, ſeu decerni propter merita: Hinc ergo confugiendum fuit ad novum iſtud figmentum duplicis decreti, quorum unum eſſet intentionis, & gratuitum, per quod defenderent prædeſtinationem ſuam ante præviſa merita, alterum vero executionis propter merita, per quod defenderent ſe contra textus Scripturæ manifeſtos, & alia incommoda, quæ infra referemus contra illos ingruentia.

PUNCTUM III.

Refellitur eadem evaſio ſecundum duplicem modum intelligendi illa decreta : & primo ſecundùm primum.

SED præter novitatem illam, & inutilitatem duplicis illius decreti; adhuc contra illud capitale eſt quod non bene illa decreta cohæreant inter ſe, nec bene concordent cum ſincera & germana prædicti textus intelligentia. Nam vel primum decretum quod eſt intentionis & gratuitum, eſt omnino efficax & abſolutum, ita quod nequidem in confuſo dicat ordinem ad ſecundum; ſed ſit plane & pure abſolutum & efficax ad ſalvandos illos quos elegit, & nullo modo pendeat à ſequenti; vel non eſt omnino abſolutum; ſed aliquo modo dicit ordinem ad ſequens decretum: ut compleatur, quia nempe in confuſo continet tantum quemdam modum, ſeu potius quædam media ad ſalvandos quos voluit, & elegit: ſed illa media clare explicabuntur, & eligentur in ſecundo. Si primo modo ſe habeat illud primum decretum, & ſit omnino abſolutum, & efficax ſine ulla conditione, & modo ſubaudito ad ſalvandos illos quos elegit, incompoſſibile eſt cum ſecundo decreto: Quia cum ſit omnino gratuitum, & abſolutum, perimitur & retractatur à ſecundo, à quo modificatur & coarctatur ad certum modum oneroſum, qui non connotabatur in illo: Nam ut ſic redditur ex mere gratuito oneroſum, & ex abſoluto conditionatum, quod fieri non poteſt ſine deſtructione illius. Nam impoſſibile eſt, ut quod pure & omnino eſt gratuitum, ſit etiam aliquo modo oneroſum: & quod omnino eſt abſolutum, ſit etiam conditionatum. Nam mere gratuitum & oneroſum, abſolutum & conditionatum, opponuntur inter ſe, quemadmodum purum & impurum, ſimplex & compoſitum; at purum & impurum, ſimplex & compoſitum, opponuntur incompoſſibiliter, ita ut uni & eidem ſecundum eadem omnia convenire non poſſint: ergo ſimiliter gratuitum & oneroſum, abſolutum & conditionatum, incompoſſibilia ſunt inter ſe: cùm pure gratuitum fiat impurum per oneroſum, & omnino abſolutum impuretur per quidpiam quod ſit conditionatum: & per conſequens fatendum eſt, quod ſi primum decretum eſt pure gratuitum & abſolutum, ipſum neceſſario perimitur, & retractatur à ſecundo, quod eſt oneroſum & conditionatum. Et certe nemo negabit, quod ſi quis promiſiſſet abſolute aliquid alicui, & poſtea vellet, ut ille cui promiſit, mereretur, aut emeret illud; nemo, inquam, negaret, quin per ſecundum dictum retractaſſet primum: Et ratio eſt, quia primum erat de donatione, & ſecundum de venditione: At venditio negat & retractat donationem, & ſunt actus omnino oppoſiti, in quantum donatio eſt mere gratuita, & venditio eſt oneroſa. Sed ut rem deducamus magis ad propoſitum; ſumamus exemplum alicujus qui invitavit aliquos pure, & ſimpliciter, & ſine ulla conditione ad

Duo modi explicandi illa duo decreta.

Primus modus rejici turquia ſic illa duo decreta habent incompoſſibilitatem.

cœnam ſuam: Sæpe enim Chriſtus comparat gloriam cæleſtem cœnæ magnificentiſſimæ, unde exemplum erit appoſitiſſimum: Ponamus ergo quod aliquis mittat ſervum ſuum ad amicos, ut ſimpliciter invitet eos ad cœnam magnificentiſſimam: dum autem ſervus proficiſcitur, ipſe dominus facit apud ſe decretum executionis, ut unuſquiſque accumbentium ſolvat partem cœnæ: Ecce amici adveniunt, pauperes & divites, omnes confluunt ad domum copioſiſſime cœnaturi: Poſtquam autem omnes egregie ſaturati ſunt, jubet dominus qui eos invitaverat, ut omnes ſolvant partem cœnæ: quis non miretur? quis non rideat? vel forte excandeſcat, ob ſtultitiam illius domini? Multi enim illorum qui advenerant, maluiſſent non cœnare quam tanto pretio cœnam illam emere: Inſtat tamen dominus, & ait eos debitores eſſe unumquemque partis cœnæ quam comedit: Reſpondent amici, ſe invitatos ſimpliciter, & ſine ulla conditione, ſe quidem putaſſe quod ratione amicitiæ eos invitaſſet, & non ratione lucri: ex altera parte, dicit dominus domus, quod re vera illos ſimpliciter, & ſine ulla conditione, & ex pura amicitia eos invitaſſet, poſtea vero feciſſe decretum executionis, ut omnes ſolverent unuſquiſque partem ſuam, & ideo illos eſſe debitores partis cœnæ, ad quam ex invitatione ſua illi confluxerant. Neſcio an Lector poſſit continere cachinnos, videns tam ſtultam, & ridiculam ratiocinationem: unde manifeſte conſtat, quod id omne quod eſt mere gratuitum, non poteſt compati cum oneroſo, & per conſequens quod ſi pònamus primum decretum eſſe mere gratuitum, omnino perimitur, & retractatur à ſecundo, quod clare eſt oneroſum: cùm poſtulet opera, & merita, quæ neque implicite, neque in confuſo continebantur in primo.

PUNCTUM IV.

Referuntur & refelluntur quædam inſtantiæ pro prædicto primo modo explicandi duo decreta allatæ.

DICES: ſecundum decretum nullo modo coarctat, vel modificat primum, ſed relinquit illud prout in ſe eſt, cùm ſolum ſtatuat ea quæ pertinent ad ejus executionem, & nihil præterea: Unde nullomodo perimit primum, quod ſic relinquit intactum: quod autem aliquid poſſit ita decerni, patet ex his exemplis. Primum exemplum eſt Regis, qui vult aliquod bonum aliquibus, ſed ſolùm per generoſos eorum actus conſequendum: Nam quod velit eis illud bonum, eſt gratis, & ſic eſt primum decretum: quod vero hoc modo conſequendum, eſt oneroſum, & ſic eſt ſecundum decretum. Secundum exemplum eſt ejus qui vult vendere ſuum equum, his potius quam illis: Nam quod velit vendere eſt oneroſum, quod his potius quam illis eſt gratioſum; & nonne, inquiunt, Chriſtus habuit gloriam corporis ſui duplici titulo,

ratione nempe unionis hypoſtaticæ, & ratione meriti, & laboris: ergo non repugnat aliquid decerni decreto gratioſo & oneroſo.

Reſpondeo primò ad argumentum: dein ad exempla adducta. Quantum ad argumentum reſpondeo, ſecundum decretum ita coarctare, & reſtringere primum, ut omnino tollat illud & tranſmutet in aliud, cùm tollat ab eo rationem illam ſuam intrinſecam gratuiti, & convertat illud in oneroſum: primum enim erat de danda gloria ſimpliciter, & ſine ulla reſtrictione, & proinde mere gratuitum, ad cujus executionem ſolùm requirebatur collatio gratioſa gloriæ; at vero ſecundum, eſt de danda illa ſolùm ſub conditione meritorum, & laboris, ſeu potius de non danda illa, niſi præhabeantur merita, quod eſt valde oneroſum; nonne ergo eſt virtualiter retractare primum, quod erat velle dare ſine conditione & onere, & nunc vult tantum dare ſub conditione & onere: certe hoc videtur mihi evidētiſſimum: Nã ſi quis diceret volo hanc rem huic dare gratis, & ſine onere: & poſtea diceret, volo tamen ut emat eam, & nolo ei dare niſi mihi præſtet pretium illius: Quis non videat iſtum loqui contradictoria, & per ſuum ſecundu dictum, perimere & retractare primum? certe non video quomodo quiſpiam hoc neget rationabiliter.

Quantum vero ad hoc quod dicunt, ſecundum decretum tantum ſtatuere ea quæ pertinent ad executionē primi: dico, & ſuſtineo, quod ea quæ ſtatuūtur in ſecūdo decreto, nullomodo pertinēt ad executionem primi, cum media illa quæ ſtatuuntur, aut eliguntur in ſecundo, non ſint gratioſa, ſed oneroſa, ac per hoc non proportionata primo decreto, ſeu fini primi decreti, quod eſt mere gratuitum. Et ratio in promptu eſt: Nam media quæ aſſumuntur ad aliquem finem conſequendum, debent eſſe proportionata illi fini: ſed media quæ aſſumuntur, ſeu ſtatuuntur, aut eliguntur in ſecundo, non ſunt proportionata fini decreti mere gratuiti, quia finis decreti mere gratuiti, ſemper eſt gratiam puram præſtare ſine gravamine, & onere: Iſtud autem ſecundum affert onus & gravamen, cùm in illo exigatur opus, ut neceſſarium ad conſequendum finem propoſitum: Nullo modo ergo iſtud ſecundum decretum eſt executivum prioris, ſed omnino diſparatum, cum non afferat media proportionata fini illius prioris, qui finis eſt gratiam puram præſtare, & nullum onus afferre: iſtud autem ſecundum decretum poſtulat onus, & opera, & non vult gratiam præſtare, niſi ſub conditione & onere: Quis enim non irrideret eum, qui diceret alicui: Volo tibi dare domum meam omnino gratis, & tamen volo ut prius emas eam; & diceret hanc ultimam volitionem, qua obligat illum ad emendam ſuam domum, eſſe executivam prioris ſuæ voluntatis, qua volebat gratis domum ſuam illi dare: Certe is omnino irridendus eſſet, ut dicens aperte contradictoria, & inter ſe pugnantia; media enim executiva decreti gratuiti, debent eſſe alia à mediis executivis decreti oneroſi: ſed media decreti oneroſi, ſunt onera, & non gratiæ: Ergo media decreti gratuiti, debent eſſe gratiæ, & non onera: Et ſic impoſſibile eſt, quod decretum

de danda gloria propter merita, ſeu ſub conditione & onere, quod habeantur merita; impoſſibile,inquam,eſt, quod tale decretum ſic onerosum, ſit executivum primi decreti de danda gloria prædeſtinatis, ſi decretum ſit mere gratuitum, efficax, & abſolutum, prout volunt adverſarii.

Quantum vero ad exempla quæ afferunt: Reſpondeo ad primum, illud pati eandem difficultatem, quam objicimus iis qui duo illa decreta nobis aſtruunt: Nam ſi Rex ille primo ſtatuit illis dare gratis illud bonum, & poſtea per decretum,quod vocant executionis, vult illos bonum illud promereri generoſis ſuis actibus, & non aliter velit illis dare: dico, quod per ſecundum decretum, retractat primum, quemadmodùm diximus de ſupradictis: Quod ſi Rex ille alio quam prædicto modo ſe habuit ad decernendum illud bonum, dico quod exemplum non eſt ad rem, quia illum tantum modum impugnamus in hac prima parte noſtri dilemmatis ſupra poſiti, alteram poſtea impugnaturi.

Quantum ad ſecundum,reſpondeo non eſſe ſimile: quia in eo onus ſpectatur ſecundum unam rationem, ſcilicet vendere rem ſuam, & gratia ſpectatur ſecundum aliam, ſcilicet quod huic potius quam illi vendat equum ſuum, cum poſſet vendere aliis: Unde hîc non eſt contradictio, quia onus & gratia non ſunt ſecundum eadem omnia: At non ſic in noſtro caſu; nam in primo & ſecundo decreto gratia, & onus ſunt reſpectu eorumdem, & ſecundum eandem gloriam, & ſecundum eadem omnia: Dicitur enim in primo; Volo his dare gloriam gratis; & in ſecundo; Volo his eiſdem dare eandem gloriam, ſed ſub conditione meritorum & operum: unde eſt contradictio,cum gratis,& non gratis, ſit ſecundum eadem omnia: Exemplum ergo non probat, quia non eſt ſimile: eſſet autem ſimile ſi ita ſe haberet; volo huic dare gratis equum meum, ſed ad hoc ut dem gratis, volo ei vendere, volo ut emat eum: At vero ſi eſſet ejuſmodi, non puto adverſarios eo uſuros eſſe, tam aperte eſt ridiculum.

Reſpondeo ſecundo quod in hoc exemplo, reperitur maxima diſparitas, in eo quod onus, & gratia, non ſint circa ſubſtantiam actus; ſed onus ſit circa ſubſtantiam actus, qui eſt venditio: gratia vero ſecundum quandam circumſtantiam omnino extrinſecam, & impertinentem ad conſtitutionem ſpeciei actus: Unde rationes illæ, cum non ſint actui intrinſecæ, ſunt compatibiles: At vero non ſic in noſtro caſu, quia onus & gratia, ſunt circa ſubſtantiam actus: Per primum enim decretum, actus ſit pure gratioſus, per alterum vero oneroſus; actus autem gratioſus, intrinſece differt ab oneroſo, cùm unus ſit pura gratia, alter vero juſtitia: Unde unus actus non poteſt eſſe pure gratioſus, & ſimul oneroſus, & per conſequens cum decretum ſecundum ſit oneroſum, neceſſario perimit, & retractat primum, quod eſt mere gratioſum.

Denique reſpondeo: Vel in hoc actu, volo vendere equum meum:

intervenit duplex decretum, vel unicum; ſi unicum, exemplum non eſt ad rem; quia in hoc vim facimus, quod contendimus, duo illa ſupradicta decreta eſſe incompoſſibilia; ſi ergo hîc unicum intervenit decretum, exemplum non attingit difficultatem, tantum abeſt ut eam ſolvat. Si vero duplex eſt, debet eſſe ejuſmodi, ſcilicet: Volo vendere equum meum, & eſt primum decretum, quod eſt oneroſum, & deinde volo vendere equum meum, huic potius quam aliis, & eſt ſecundum decretum, quod eſt gratioſum: At iſta duo decreta non ſunt ſimilia his duobus quæ impugnamus, cùm in utroque non fiat mentio de particulari perſona, cui equus vendendus eſt: Primum enim eſt tantum vendendi equum: ſecundum vero his in ſingulari. In decretis autem quæ impugnamus, fit ſemper mentio de iiſdem perſonis particularibus, quibus concedenda eſt gloria; in primo enim dicitur, volo gloriam gratis dare his, & illis; & in ſecundo, volo eandem gloriam iiſdem prædictis concedere, ſub conditione tamen laboris, & meriti. Et in hoc tota difficultas conſiſtit, quod gloria dicatur concedi aliquibus omnino gratis, & poſtea dicatur iiſdem concedi ſub onere meriti, & laboris, quod putamus impoſſibile, ſine retractatione prioris.

Cum ergo duo decreta in exemplo intervenientia, non habeant hanc eandem difficultatem, ideo non ſolvunt illam. Quod ſi dicas duo decreta in exemplo allata, eſſe ejuſmodi: ſcilicet, volo vendere equum meum his, & illis, quod eſt decretum primum oneroſum: Et deinde: Volo vendere equum meum his, & illis, & non aliis, quod eſt decretum ſecundum gratioſum propter prælationem: Reſpondeo me non ſatis capere quid ſit in ſecundo, quod non ſit in primo, niſi forte aliquam rationem nimis extrinſecam, per excluſionem ſcilicet aliorum, quę ſi non explicite, at ſaltem implicite, continebatur in primo: cum ſatis intelligantur excludi aliqui ab emptione, ex quo eliguntur alii, quibus res divendatur: cum res non habeat duplex pretium, nec poſſit vendi pluries, cum jam vendita eſt alicui.

Aliud eſt habere aliquid duplici titulo: & aliud eſt ſtatuere, ut quod quis debet habere gratis ſeu titulo gratioſo non habeat illud niſi ſub onere, ſeu titulo oneroſo: primum enim quod eſt in

Ad id vero quod dicunt finaliter, Chriſtum ſcilicet habuiſſe gloriam corporis ſui duplici titulo, ratione nempe unionis hypoſticæ, & ratione meritorum: Dico, quod id omnino eſt diſſimile, quia ibi nullus intervenit titulus gratioſus, ſeu gratiæ, quo Deus decreverit dare Chriſto gloriam corporis Chriſti; ſed uterque eſt juſtitiæ, & importans debitum: Unde non mirum eſt, quod bene compatiantur invicem: Primus enim titulus, qui eſt ratione unionis hypoſtaticæ, eſt obligans in juſtitia, in quantum per unionem hypoſtaticam Christus Jesus eſt verus heres æterni Patris; & ſic debet habere gloriam corporis ſui titulo hereditatis, qui titulus non eſt gratioſus, ſeu gratiæ, ſed juſtitiæ: Secundus etiam eſt juſtitiæ, ratione meritorum: In noſtro vero caſu non ſunt ambo tituli obligatorii, ſeu juſtitiæ, ſeu oneroſi; ſed unus eſt gratuitus, alter vero oneroſus, ſeu obligatorius; unde exemplum allatum non convenit, ſed diſſentit in principali, cum tota difficultas ſit in eo

in eo quod unum ſit gratioſum, & alterum oneroſum, quæ ſunt incompoſſibilia, ut jam ſatis declaravimus.

exemplo, eſt legitimum, & poſſibile: Secundum vero quod hic controvertitur, nec eſt legitimum ſecundum ſe: nec poſſibile ſine retractatione prioris decreti.

Punctum V.

Additur pro corollario nova ratio, qua rejicitur primus ille modus explicandi prædicta duo decreta.

Sed & ſi concederemus duo illa prædeſtinationis decreta, ut ſupra explicata, eſſe inter ſe compatibilia, & non ſe mutuo perimentia, & retractantia, tamen aliunde eſſent rejicienda: Quia non concordarent cum littera, & cum principiis fidei, quandoquidem ſi ſupponeremus primum illud decretum, eſſe omnino abſolutum, & efficax, ut ſupra poſitum eſt; tunc non eſſet verum quod gloria tantum deberet dari adultis prædeſtinatis per merita, ſed etiam per alia quævis media, imo ſine ullis prorſus meritis, quod eſt contrarium litteræ, ſeu textui ſupra allato, & principiis fidei: Et ratio eſt, quia natura decreti abſoluti, & efficacis, talis eſt, ut ſi unum medium non ſufficit, debeat ſumi alterum; & ſi hoc non ſufficit, debeat ſumi aliud, quoadusque nullum medium ſuppetat quod ſit poſſibile moraliter, aut ſaltem non nimiis difficile. Nam ſi ſuppetat aliquod medium moraliter poſſibile, aut non nimis difficile, quodcunque illud ſit, debet aſſumi ex vi decreti efficacis, & abſoluti, & niſi ipſum aſſumatur, bene concluditur, quod decretum non fuit efficax, & abſolutum, ſed inefficax & conditionatum, cum per hoc intrinſece & eſſentialiter differant decretum abſolutum & conditionatum, efficax & inefficax; quod primum nullum quærat medium ad obtinendum ſuum finem: ſecus vero ſecundum: Unde ſi primum decretum de ſalvandis his & illis eſſet omnino efficax, & abſolutum, Deus non ſolum deberet illorum procurare ſalutem per merita, ſed per quodcunque aliud medium, cum decretum ſuum primum ſupponatur eſſe omnino abſolutum; & ſic independens ab omni medio particulari, & ab omni conditione liberum: & ſic ſequeretur quod prædeſtinati adulti poſſent de lege ordinaria, ſalvari ſine meritis, & conſequi gloriam per alia media, quam per merita; quod eſt abſurdiſſimum, imo & hæreticum.

Et hoc confirmatur, ex opinione eorum qui dicunt Chriſtum venturum fuiſſe, etiamſi Adam non peccaſſet: quod probant, ex eo quod Deus fecerat decretum abſolutum, de carne aſſumenda: Unde concludunt, quod etiamſi Adam non peccaſſet, tamen ipſe veniſſet ex vi decreti illius efficacis, & abſoluti, & independentis à peccato Adami. Ergo à ſimili ſi decretum Dei de ſalvandis his & illis, & dandi eis gloriam, eſſet abſolutum, & efficax: debuiſſet dare gloriam his & illis

etiamſi nulla haberent merita, quod cum ſit contrarium Scripturæ Sacræ, & principiis fidei, eſt omnino rejiciendum. Sed de hac prima parte explicationis duorum illorum decretorum ſatis: progrediamur ad ſecundam.

Punctum VI.

Refellitur ſecundus modus explicandi duo decreta, ex eo quod habeat quidpiam inutile, & dedecens Majeſtatem divinam.

Rejicitur ſecundus modus explicandi duo decreta.

Rejecta itaque prima illa parte explicationis duorum illorum decretorum, ſeu quod idem eſt, rejecto primo illo modo explicandi duo illa decreta: Progrediendum nobis eſt, ad ſecundum modum, & dicendum: Quod ſi primum illud decretum intentionis de quo ſupra, non eſt omnino abſolutum & gratuitum, quomodo illud hucuſque impugnavimus, ſed ſit aliquo modo conditionatum,& ſuſpenſum; quia nempe in confuſo continet quemdam modum, ſeu potius quædam media ad ſalvandos quos elegit efficacia, quæ clare explicabuntur & eligentur in ſecundo: dico hoc decretum ſic ſumptum eſſe ſupervacaneum,& inutile, imo dedecens Deum, & ſupponens in eo imperfectionem: quod ſit ſupervacaneum patet, quia nihil habet hoc primum, quod non habeat ſecundum, nihilque affert quod non afferat ſecundum, etiam perfectius, & explicatius quàm primum, cum & ipſi fateantur adverſarii in ſecundo clare explicari quod involvebatur in primo, quod nihil eſt aliud dicere niſi quod ſecundum habet clare, & explicite, id quod ſolùm obſcure, & implicite continebatur in primo. Nam cui bono ſic ſtatuere: Volo his & illis gloriam modo quem elegero: Et poſtea: Volo his & illis gloriam per merita, qui erat modus eligendus, & virtualiter connotatus in primo: Nunquid hoc eſt multiplicare diſtinctiones, & entia ſine neceſſitate, cum hoc ultimum decretum per ſe ſolum ſufficiat: volo his & illis gloriam per merita, cum ibi ſit electio per verbum, volo, & modus eligendi per verbum, merita: Unde aliqui ex adverſariis, negligunt illud primum, & ſoli adhærent ſecundo, ut ſoli ſufficienti, & neceſſario ad ſuam prædeſtinationem, etiam ante præviſa merita ſtatuendam. Quanquam & ipſi velint, in illo unico decreto reperiri diſtinctionem, & quaſi duplex decretum, quia volunt priorem eſſe volitionem gloriæ, quàm volitionem meritorum, in quantum, ut aiunt, gloria eſt finis hujus decreti, & merita illius media, volitio autem finis eſt prior volitione mediorum. Sed illi hoc dicendo nil dicunt, & per hoc non evitant eandem damnationem: Nam præterquam quod non eſt univerſaliter verum; quod volitio finis ſit prior volitione mediorum, cum volitio finis conditionati non ſit prior volitione ſuorum mediorum, ut infra latius demonſtrabimus, quandoquidem media

illius, ut menti propoſita, habent rationem cujuſdam circumſtantiæ, & qualitatis ipſius finis, & ſic de ratione illius ſunt, & cum ipſo ſimul eliguntur: Certum eſt quod contra iſtam diſtinctionem & dualitatem decreti, quam conſiderant, & volunt reperiri in illo unico, ea omnia procedunt quæ ſupra diximus, & infra dicemus, contra duo decreta quæ impugnamus, cum in re, eadem ſint cum illis, & eaſdem habeant qualitates, & paſſiones; quandoquidem decretum illud unicum in quantum reſpicit finem, ut priorem mediis, habet rationem decreti intentionis, & in quantum reſpicit media ut poſteriora, habet rationem decreti executionis. Quapropter in illo commento refutando non immorabimur, cum non habeat peculiarem difficultatem, ſed eandem cum aliis. Unde inſtitutum noſtrum proſequentes dicimus quod illud primum decretum, quod ſupra dicebamus connotare in confuſo, id quod clare & exerte continebatur in ſecundo, eſt omnino inutile, & ſupervacaneum: quandoquidem nihil addit ſupra ſecundum, ſed totum ſit in ſecundo, ut jam demonſtravimus. Sed etiam dicimus quod non ſolum eſt inutile & ſupervacaneum, ſed etiam indignum Deo, & dedecens illius Majeſtatem ſapientiſſimam, atque perfectiſſimam; & ratio eſt, quia confuſus ille, & dimidiatus decernendi modus, in re quæ non pendet à futuro, videtur omnino imperfectus: Nam cui bono dimidiare iſtud decretum, & ſuſpendere ſecundum, cum non reſpiciat futurum, à quo habeat quod unum convenientius ſtatuat, quam alterum. Nam quod homines aliquando prudenter ſic ſtatuant, ideo eſt, quia expectant futurum rerum eventum, à quo ſumant convenientiorem, & perfectiorem decernendi modum: Sed hîc ſupponimus quod tam ſecundum quam primum decretum, factum à Deo ſit ante omnia omnino prævisa futura, & non futura, à quibus proinde nil ſumit novi (ſecundum noſtrum modum concipiendi) quo ſtatuat poſtea perfectius in ſecundo, quam ſtatuiſſet in primo: & per conſequens mihi videtur iſte modus ſtatuendi omnino irrationabilis, & imperfectus, & ſic dedecens Deum infinite & ſumme perfectum.

In ſolutione primæ objectionis à ratione petitæ.

Sed dices; Multi in Tractatu de Incarnatione, admittunt in Deo duo decreta circa incarnationem, quorum primum eſt ſuſpenſum eo modo quo ſupra, v. g. Volo incarnari modo qui occurret convenientior, alterum vero determinatum, v. g. Volo venire in carne paſſibili propter peccatum Adæ delendum, tanquam per modum convenientiorem in primo decreto connotatum: & tamen non reputantur duo illa decreta ſupervacanea, & Deo indigna.

Reſpondeo, magnam eſſe diſparitatem inter illa duo decreta incarnationis, & ſupradicta decreta prædeſtinationis: Nam in decretis illis incarnationis, conſideratur ſtatus rerum ante & poſt Adæ peccatum, & multa poterant evenire, quæ judicio prudentis viri, per cujus comparationem facta ſunt illa duo decreta, poterant facere unum modum convenientiorem altero: Unde optime, & prudenter conſideratur

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1893

ſecundùm modum noſtrum concipiendi, qui eſt in ordine ad judicium prudentis viri, primum illud decretum ut ſuſpenſum, & quaſi expectans futurum rerum eventum; quem Deus conſiderare voluit, ut determinaret ſecundum. At verò decreta prædeſtinationis, prout ſumunt eam adverſarii, non pendent à futuro, nec conſiderant futurum rerum eventum, cum ſint ante omnia hominum præviſa opera & merita, imo ipſa merita & opera præſtituant: Fruſtra ergo & indignè Deo ſuſpendunt ſecundum illud decretum, quod eſt de modo exequendi prædeſtinationem, cum prædeſtinatio in opinione illorum, non pendeat à futuro, & nihil poſſit accidere quod faciat unum modum convenientiorem altero, eo modo quo in incarnatione, quæ in opinione admittentium in illa, duo prædicta decreta, pendet ab eventu rerum futuro, à quo habet formaliter quod convenientius poſſit fieri uno modo, quam altero: Unde abſurdum eſt duo illa decreta confingere in prædeſtinatione hominum, licet non omnino abſurdum ſit admittere illa in incarcarnatione.

PUNCTUM VII.

Refellitur idem ſecundus modus explicandi duo decreta, ex eo quod non concordet cum littera, & cum recta textus intelligentia.

SED non ſolùm propter hoc rejicienda ſunt à prædeſtinatione, prædicta duo decreta, ſecundo modo explicata; ſed etiam quia non concordant cum littera, & cum recta noſtri textus intelligentia: Nam ſi Deus in ſuo ſecundo decreto prædeſtinat hos & illos, ut per merita ſalvandos, ſequitur quod merita non habeant rationem motivi, & quod non ſint quaſi cauſæ morales, & motivæ collationis gloriæ; ſed quod tantum ſint media, ſeu inſtrumenta collationis gloriæ, quod eſt contra veram noſtri textus intelligentiam, & contra ipſa fidei Chriſtianæ principia. Certum enim eſt, quod merita noſtra ſunt motivum collationis gloriæ, & non ſolum media, & inſtrumenta: tum propter cauſalem illam (enim) quæ reddit rationem, cur Deus moveatur ad dandam illis gloriam: tum propter aliam ~~cauſam~~ particulam (mihi) per quam videtur Chriſtus reddere illis gloriam per modum compenſationis, & ratione cujuſdam quaſi gratitudinis, ob bonum & gratiam ab eis in ſuis membris ſeu fratribus acceptam, ut patet ex his verbis: Poſſidete paratum vobis Regnum: eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere: Quaſi diceret, quia mihi tantum bonum præſtitiſtis, quia mihi in neceſſitate mea, ſeu meorum præſto fuiſtis; ideo nolo eſſe ingratus, ſed in compenſationem beneficii quod à vobis accepi, venite poſſidete paratum vobis Regnum à con-

ſtitutione Mundi : Et quando reſpondent prædeſtinati ; Domine, quando te vidimus eſurientem, & pavimus, ſitientem, & dedimus tibi potum? Semper Chriſtus perſtat in ſua ratione ſuæ quaſi gratitudinis, & compenſationis beneficii, ab eis accepti, dicens : Amen dico vobis, quandiu feciſtis uni de fratribus meis minimis, mihi feciſtis : Quæ omnia demonſtrant gratitudinem ſuam, ſeu motivum quaſi gratitudinis, quo dat eis gloriam ſuam, nempe propter bonum ab eis ſibi aut amicis ſuis collatum, quod reputat ſibi factum : At ea quæ dantur per modum compenſationis, & ex motivo gratitudinis non habent rationem medii, vel inſtrumenti, ſeu viæ ad aliud, reſpectu conferentis : ſed habent rationem motivi, & quaſi redditionis debiti : Ergo fatendum eſt quod ſecundum textum ſcripturæ ſupracitatæ, merita noſtra non habent rationem medii, vel inſtrumenti, per quod Deus nobis præſtet gloriam, ſed motivi & rationis, propter quam Deus dat illam nobis.

Et confirmatur 1° ex eo quod dicit Apoſtolus, ſecundæ ad Timoth. 4. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex, non ſolum autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus. Quod demonſtrat gloriam reddi ex motivo juſtitiæ, & per modum compenſationis præcedentium meritorum, non vero conferri per merita, quaſi per media, & inſtrumenta quibus donat nobis illam Deus : At vero adverſarii juxta ſua decreta mox explicata, volunt merita prædeſtinatorum eſſe tantum media, & inſtrumenta, quibus Deus illis confert gloriam : tum quia volunt gloriam dari per merita, dare autem, *per*, denotat medium, & non motivum : tum quia ponunt merita in decreto executionis, quod tantum continet media, quæ vere media ſunt, cum illa ſola pertineant ad executionem, ſeu decretum executionis, ergo decreta eorũ ſic explicata, non bene concordãt cum littera, & cũ vero noſtri textus intelligẽtia, quæ innuit merita noſtra eſſe motiva collationis gloriæ, illi autẽ volũt eſſe media & inſtrumenta illius.

Sæpiſſime loquitur Aug. de meritis noſtris, tanquam de pretio, quo emitur Regnum Cælorum : ut videre potes in object. 13. è ratione in multis locis ibi citatis, ſed ſingulariter in Pſal. 49. loquens de hoc loco Matth. quẽ verſamus, ſic ait : Venite benedicti Patris mei, percipite : Quid percipite? Regnum : pro qua re? Eſurivi. & dediſtis mihi manducare. .... tanti valet Regnum Cælorum. Vbi manifeſte vides

Confirmatur ſecundò hac ratione ex textu noſtro deducta ; nam ſi merita haberent rationem medii, & non motivi, & eſſent id per quod Deus confert gloriam electis ſuis, ſeu quod procurat electis ſuis, ut habeant gloriam ſibi prædeſtinatam, ut dicunt adverſarii ; ſequeretur quod peccata eſſent etiam media, per quæ Deus affert reprobis damnationem, ſeu quæ procurat Deus reprobis, ad hoc ut incidant in æternam damnationem : At falſum conſequens, ergo & antecedens. Probatur ſequela majoris : quia Chriſtus in textu noſtro eodem modo loquitur de peccatis reproborum reſpectu reprobationis, ſeu damnationis eorum, ac loquitur de meritis prædeſtinatorum, reſpectu prædeſtinationis, aut ſalvationis eorum : ſicut enim dicit electis : Venite benedicti Patris mei poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione Mundi : eſurivi enim, & dediſti mihi manducare : ſitivi, & dediſtiſtis mihi bibere, &c. Sic dicit reprobis : Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & angelis ejus : eſurivi enim, & non

dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dediſtis mihi bibere, &c. Ecce peccata, & merita ſub eodem tenore verborum: Merita quidem per hæc verba: Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare, &c. Peccata autem per hæc verba: Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare, &c. Eadem omnino particula (enim) eodem prorſus modo afficit peccata reproborum, & merita electorum: Ergo ſi merita ſunt media, per quæ Deus confert gloriam ſuis electis, ſeu quæ procurat electis ſuis, ut habeant gloriam ſibi prædeſtinatam: ita peccata erunt media, per quæ Deus confert reprobis æternam damnationem, ſeu quæ procurat Deus reprobis, ad hoc ut damnentur, & pereant: At hoc eſt falſiſſimum, ergo & illud ex quo ſequitur: Ergo falſiſſimum eſt quod merita noſtra habeant rationem medii, & non motivi reſpectu collationis gloriæ; ſed è contra certum eſt, quod debent habere rationem motivi, & non medii reſpectu collationis illius, eo modo quo peccata reproborum habent rationem motivi, & non medii, reſpectu damnationis eorum.

opera hominum eſſe motiva juſtitiæ reddentis Regnum pro operibus eorum.

D. Auguſt. Ser. 50. de Temp. c. 9. ait: Quare *cauſas, vel tanta mercedis, vel tanti ſupplicii: Percipite Regnum: &c. Ite in ignem æternum.* Quare *iſti percepturi ſunt Regnum? Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: Quare iſti ituri in ignem æternum? Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare. Ecce ergo quomodo Auguſtinus agnoſcit cauſas, & motiva gloriæ fuiſſe opera miſericordiæ: ſicut & cauſas damnationis æternæ fuiſſe miſſionem horum operum, non autem fuiſſe media, aut inſtrumenta mercedis, aut ſupplicii infligendi.*

Et D. Thomas Comment. in eundem locum Matth. ſic ait: Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare, &c. ſupra poſita eſt ſententia de præmio; hic poſita eſt de merito: Ex quo conſiderare debemus, quod duplex eſt cauſa, *beatitudinis; una ex parte Dei, benedictio Dei: alia ex parte noſtra, id eſt* meritum *(ſcilicet ſupradicta opera miſericordiæ) ex quo patet quod ſunt motiva ſeu cauſæ, & non media collationis gloriæ ſecundum D. Thomam. Et id adhuc D. Auguſtinus affirmat in Pſalm. 44. 49. & 95. 111. & alibi ſæpiſſime.*

PUNCTUM VIII.

Referuntur & refelluntur quædam inſtantiæ pro ſecundo modo explicandi duo decreta allata.

SED reſpondebunt forte adverſarii, quod merita noſtra ſint motiva ſimul & media collationis gloriæ, motiva quidem, in quantum ſunt cauſa cur detur nobis gloria; & media, in quantum ſunt id per quod nobis confertur gloria.

Reſpondeo primò, merita nullo modo poſſe eſſe media, quibus Deus det nobis gloriam, cum mox demonſtratum ſit, quod Scriptura eodem modo conſiderat peccata reproborum, ac merita prædeſtinatorum: At peccata reproborum non ſunt media quibus Deus procuret eorum damnationem, ergo nec merita prædeſtinatorum ſunt media, quibus Deus procuret eorum ſalutem, aut det eis gloriam.

Reſpondeo ſecundò, merita noſtra ut conſiderantur ab adverſariis, poſſe etiam eſſe motiva collationis gloriæ; & ratio eſt, quia merita noſtra ponuntur ab eis ſolummodo in decreto executionis,

& non in decreto intentionis : Ergo non poſſunt habere rationem motivorum reſpectu collationis gloriæ : Et ratio eſt, quia ſicut decretum executionis eſt locus mediorum omnium conducentium ad executionem, ita decretum intentionis debet eſſe locus motivorum omnium ſollicitantium animum ad ponendum ipſum finem : Cum ergo nolint poni noſtra merita in decreto intentionis, ſed ſolùm in decreto executionis : fateantur neceſſe eſt merita noſtra, in eorum ſententia non habere rationem motivorum, cum non ponantur in loco qui deſtinatus eſt motivis, ſcilicet in decreto intentionis, ſed ſolum in loco qui deſtinatus eſt mediis, ſcilicet in decreto executionis.

Ubi nota quod dixi decretum intentionis eſſe ſolùm locum motivorum ſollicitantium animum ad ponendum ipſum finem, non vero quorumcunque motivorum; nam non repugnat poni in decreto executionis quædam motiva, quæ ſunt neceſſaria ad ponenda alia media minus principalia, ſeu ſolùm mediatè ſpectantia principalem finem : ut ſi quis vult ire Lugdunum, poteſt ponere equitationem in decreto ſuo executionis, ut motivum ad emendum equum ſibi neceſſarium, ſi non habeat; & etiam poteſt ponere emptionem equi, ut motivum eundi ad locum ubi venduntur equi, ut emat ſibi equum neceſſarium ad eundum Lugdunum; quia hæc omnia pertinent ad poſitionem mediorum, & per conſequens ad executionem : At vero non poſſunt poni in illo decreto executionis motiva ad principalem finem immediate pertinentia; qualia eſſent in exemplo allato negotia Lugduni peragenda, ob quæ directe & immediate ſuſcipitur iter verſus Lugdunum, ut ſeo in caſu noſtro merita noſtra, propter quæ directe & immediate confertur gloria : tum quia ſic confunderentur illa decreta intentionis & executionis; cum ea quæ pertinent ad finem ipſum intendendum, qualia ſunt motiva ipſum immediate ſpectantia, reperirentur in decreto executionis : tum quia hæc motiva non pertinent ad executionem, ſed immediate ad ipſum finem ponendum, ſeu ad ipſam finis intentionem, & non ſunt ſimul cum mediis in exiſtendi conſequentia, cum ſupponantur ipſis mediis, tanquam ea, per quæ ipſa media applicantur ad principalem finem quærendum, vel ponendum juxta eorum conditionem. Quapropter cum merita noſtra non ponantur ab adverſariis in decreto intentionis, quod eſt locus unicus motivorum immediate ſpectantium principalem finem, ſed ſolummodo in decreto executionis, quod non eſt locus talium mediorum; ideo non poſſunt habere rationem motivi in eorum ſententia, ſed ſolummodo medii.

Et hoc confirmatur, aut clarius explicatur hac ratiocinatione : Nam cum nolint adverſarii, merita noſtra habere locum in decreto intentionis, ſed tantum in decreto executionis : Reliquum eſt, ut ſi habeant rationem motivorum, habeant illam totam in decreto executionis. Sed ibi, ut prædictum eſt, non ponuntur motiva immediate ſpectantia finem principalem, qualia ſunt noſtra merita, ſed tantum motiva ali-

quorum mediorum ſubordinatorum principalibus mediis: Ergo ſecundùm adverſarios non poſſunt noſtra merita, habere rationem motivi reſpectu finis noſtri principalis, qui eſt collatio gloriæ in materia prædeſtinationis.

Reſpondeo tertiò, impoſſibile eſſe quod merita ſint motiva ſimul & media, reſpectu collationis gloriæ; & ratio eſt, quia motivum eſt cauſa mediorum, ſi ergo merita eſſent motiva ſimul, & media reſpectu collationis gloriæ, eſſent cauſa ſuiipſius, quod eſt impoſſibile: Ergo non poſſunt eſſe ſimul motiva & media reſpectu collationis gloriæ. Dices: Finis in eſſe objectivo, ſeu intentionali, eſt cauſa ſuiipſius in eſſe reali, ergo ſimiliter merita in ratione motivi poſſunt eſſe cauſa ſuiipſius in ratione medii. Reſpondeo, non eſſe ſimile, quia finis habet duplex eſſe, ut patet in objectione, unum intentionale, & alterum reale, & ſic æquivalet duobus: Unde poteſt eſſe cauſa ſecundum quid ſuiipſius, cauſa quidem ſecundum eſſe intentionale, & effectus ſecundum ſuum eſſe reale & actu exiſtens in rerum natura: At vero, merita noſtra ut objective in decreto executionis poſita, non habent niſi unicum eſſe, ſcilicet objectivum: Nam eſſe motivi, & eſſe medii, non ſunt niſi unicum eſſe, ſcilicet objectivum in mente facientis decretum illud executionis: & per conſequens merita noſtra non poſſunt eſſe cauſa ſuiipſius, ſicut finis. Sed & ſi eſſent aliqualiter motiva collationis gloriæ, non tamen eſſent talia, qualia poſtulat textus noſter: Et ratio eſt, quia cum ponantur tantum in decreto executionis, non poſſent eſſe motiva ipſius collationis gloriæ ſimpliciter, de qua loquitur textus noſter; ſed tantum motiva modi conferendi illam, ſeu tantum motiva modi exequendi finem intentum, & non motiva finis ipſius: cùm in decreto executionis, ut condiſtincto à decreto intentionis, nihil conſideretur, niſi modus executionis finis intenti, & non poſitio finis ipſius, quæ jam formaliter decreta eſt per decretum intentionis. At hoc non conſonat cum textu noſtro, qui vult merita noſtra eſſe motiva ipſiuſmet finis, ſcilicet ipſiuſmet collationis gloriæ, & non ſolius modi ipſius, cum dicatur ſimpliciter in textu noſtro: Poſſidete paratum vobis Regnum, quod indicat poſſeſſionem ipſam, ſeu collationem gloriæ, & non tantum modum collationis ipſius.

In executione quæritur quomodo: unde B. Virgo Lucæ 1. dixit Angelo: quomodo fiet iſtud quoniam virũ non cognoſco.

Sed dices: Licet per hæc verba, videatur ſolùm ibi ſermonem eſſe, de collatione gloriæ ſimpliciter, & ſecundum ſe; tamen per ſequentia verba, ſatis innuitur, ibi ſermonem eſſe de modo poſſidendi illam, cum dicitur: Eſurivi enim, & dediſtis, &c. id enim videtur determinare merita, ut modum poſſeſſionis iſtius, quaſi diceret, Poſſidete per merita. Reſpondeo illa verba: Eſurivi enim, & dediſti mihi manducare. &c. non determinare merita, ut modum poſſeſſionis iſtius: tum quia particula, enim, ibi poſita, non ſignificat modum poſſeſſionis, ſed cauſam: tum etiam quia illa verba non indicant merita eſſe media, per quæ poſſideatur gloria, ut jam ſatis probatum eſt ex comparatione

iſtorum

iſtorum verborum omnino ſimilium: Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare, &c: quæ verba cum non indicent peccata reproborum, de quibus ibi ſermo eſt, eſſe media per quæ Deus dat, aut procurat damnationem æternam reproborum, de qua ibi ſermo eſt: ita nec prædicta verba, Eſurivi enim, &c. quæ his omnino ſimilia ſunt, imo & eadem, indicant merita prædeſtinatorum, de quibus ibi ſermo eſt, eſſe media per quæ Deus dat, aut procurat ſalutem æternam prædeſtinatorum: & per conſequens illa verba; Eſurivi enim, & dediſtis, &c. non indicant quod verbum, Poſſidete, ſignificet tantum modum conferendi gloriam, & non poſſeſſionem ipſam ſecundum ſe; ſed è contra clare demonſtrant quod ſicuti ſimilia verba, aut eadem, ſignificant, peccata reproborum eſſe cauſam ſimpliciter reprobationis & damnationis eorum, & non tantum modi ipſius: ita & illa ſignificant merita prædeſtinatorum eſſe cauſam ſimpliciter prædeſtinationis & ſalutis eorum, & non tantum modi ipſius: At vero ſi ponantur ſolùm in decreto executionis, ut volunt adverſarii, certum eſt quod non habebunt rationem motivi collationis gloriæ ſecundum ſe, ſed tantum modi ipſius, quod eſt contra ſenſum ſcripturæ ſupra allatæ.

Quod adhuc confirmatur, & ſimul etiam explicatur hac ratiocinatione: Nam cum decretum executionis poſterius ſit decreto intentionis, ſequitur neceſſario quod ea quæ habent rationem motivi in decreto illo poſteriori executionis, ſunt poſteriora iis quæ ſunt in decreto priori, ſcilicet intentionis, & quod ſupponunt ea: At in decreto illo priori, quod eſt intentionis, jam decreta eſt collatio gloriæ, ſecundum ſe: ita quod certum ſit quod electi infallibiliter habebunt gloriam ex vi illius decreti, abſtrahendo ſolùm à modo quem ſibi Deus reſervavit determinandum in ſecundo decreto: Ergo cum merita noſtra ſolum determinentur in decreto poſteriori, quod eſt executionis; ſequitur quod non poſſunt eſſe motiva collationis gloriæ ſecundum ſe, ſeu motiva conferendi gloriam ſimpliciter iis qui electi ſunt, cum jam id abſolute determinatum ſit in decreto intentionis, ſed tantum quod poſſint eſſe motiva modi collationis gloriæ, ſeu ratio cur conferatur gloria, hoc modo potius quam alio, ſeu (quod idem eſt) cur gloria decernatur, ut electis conferenda hoc modo potius quam alio: quod eſt eſſe tantum motivũ modi conferendi gloriam, & non collationis ipſius ſimpliciter. Quod etiam exemplis declaratur: Ponamus quod quiſpiam decrevit dare centum nummos alicui, modo quem ipſe poſtea eligere voluerit, jam poteſt illos dare per ſe, vel per ſervum: mittit eos per ſervum, quis dicet quod electio illa ſervi ad deferendos nummos ei, cui illos dare decreverat, ſit motivum, cur ſimpliciter det nummos, ſeu collationis nummorum: nemo ut opinor ſanæ mentis id dixerit. Item, quiſpiam decrevit ire Lugdunum, ob certa negotia peragenda, modo quem poſtea eligere voluerit: poteſt ire peditando, vel equitando; eligit ire equitando: quis dicet quod electio illa equitationis ſit motivum cur eat Lugdunum:

nemo ſanæ mentis id dixerit: eſt quidem motivum (ſi tamen ſit motivum) ad eundum commodius, non autem ad eundum ſimpliciter. Ita dic in noſtro caſu, merita poſita in decreto executionis erunt quidem motiva (ſi tamen motiva ſunt) ad dandam gloriam hoc modo, non tamen ad dandam eam ſimpliciter, quod non ſatisfacit litteræ quæ poſtulat ut merita ſint motiva collationis gloriæ, ſeu conferendi gloriam ſimpliciter, & non tantum ſecundum quid, ut ſupra probatum eſt.

PUNCTUM IX.

Refelluntur quædam aliæ inſtantiæ pro prædicto ſecundo modo allatæ.

SED dices: Collatio gloriæ non habet rationem finis principalis in prædeſtinatione ad gloriam, ut nos aſſumimus; ſed ſola gloria ad quam obtinendam collatio eſt medium requiſitum, & proinde non repugnat merita noſtra, non tantum ut media, ſed etiam ut motiva collationis gloriæ poni in decreto executionis, cum ſint requiſita ad collationem ipſam gloriæ, quæ eſt medium requiſitum ad obtinendam gloriam: Et præterea non poteſt negari merita noſtra in eorum ſententia habere rationem motivi reſpectu collationis gloriæ, cum negari non poſſit hanc propoſitionem veram eſſe in illa opinione, ſcilicet: Deus confert huic prædeſtinato gloriam quia habet merita, unde ſignum eſt quod in illa opinione merita habeat rationem motivi reſpectu collationis gloriæ, cũ particula illa, quia, ſit vera cauſalis & motiva, & proinde denotet quod merita noſtra ſunt vera motiva collationis gloriæ etiam in illa ſententia.

Ad primum reſpondeo falſum eſſe quod collatio non ſit finis principalis, & formaliter ſeu directe intentus in prædeſtinatione ad gloriam: Verum quidem eſt quod gloria eſt finis principalis prædeſtinationis ad illam; ſed dico illum eſſe tantum materialem & communem, cum poſſit reſpici à compluribus actibus ſpecie differentibus à prædeſtinatione, ut à fide, ut à ſpe Chriſtiana, & aliis: ſed collationem ipſam gloriæ, ut abſolute futuram, eſſe finem principalem, formalem, diſtinctivum, & proinde conſtitutivum & intrinſecum prædeſtinationis ad gloriam, cum gloria ſpectetur ut actu à Deo conferenda prædeſtinatis, non vero ut apud ſe retinenda. Quod confirmatur ex eo quod ipſa prædeſtinatio differt à providentia, in eo quod prædeſtinatio ſemper conſequatur ſuum finem, & ſic ſemper conferat gloriam, providentia vero non ſic: Unde collatio gloriæ eſt intrinſeca prædeſtinationi, cum ſit conſecutio finis illius, à qua conſecutione infallibiliter futura, habet quod ſit prædeſtinatio, & quod non ſit ſola ſimplex providentia. Et certe decretum intentionis adverſariorum, in quo ponunt veram rationem prædeſtinationis, non eſt de facienda gloria, ſeu de producenda illa entitate in genere, ſed eſt de danda illa, &

facienda illa in aliquibus, ergo manifeſtum eſt quod donatio ipſa ſeu collatio ipſa gloriæ, & non ſola gloria, ut à prædicta donatione, ſeu collatione diſtincta, eſt objectum formale & conſtitutivum prædeſtinationis ad gloriam: Ecquid ſignificat deſtinatio? nunquid eſt propoſitum dandi, ſeu conferendi aliquid, ergo deſtinatio habet pro objecto formali donationem, ſeu collationem, & per conſequens & ipſa prædeſtinatio, ut per ſe eſt manifeſtum. Unde concludendum eſt quod non ſola gloria eſt objectum formale prædeſtinationis ad gloriam, ſed etiam ipſa illius collatio, & per conſequens quod illius collatio, non pertinet ad decretum executionis, ut decernenda ſecundum ſe, & ſimpliciter, cum jam factum ſit in decreto intentionis; ſed tantum ut exequenda, & ponenda per certa media hæc & illa, potius quam per alia in executione: nec enim habet decretum executionis decernere, an res decreta per intentionem ponetur necne in rerum natura, cum hoc concluſum jam ſit in decreto intentionis: ſed tantum habet ut eligat media, vel commodiora, vel efficaciora, & rejiciat incommoda & inefficacia ad ponendum finem: quod eſt modus executionis; quia ſicut intentio determinat quid ſit faciendum, ita executio determinat quomodo illud faciendum, & quomodo exequendum ſit: Et ſic falſum eſt quod collatio gloriæ non ſit objectum formale prædeſtinationis ad gloriam, ſed ſola ipſa gloria: ut etiam falſum eſt quod collatio gloriæ ſit medium requiſitum ad habendam gloriam, cum ipſa collatio gloriæ ſit ipſemet finis conſequendus, & in re non diſtinguatur ab obtentione gloriæ, quæ eſt finis formaliter & directe intentus in prædeſtinatione gloriæ.

Quantum autem ad ſecundum: Reſpondeo propoſitionem ibi allatam, poſſe quidem eſſe veram in eorum opinione, non tamen hinc bene inferri quod in eorum opinione merita noſtra habeant rationem cauſæ motivæ, reſpectu collationis gloriæ ſimpliciter, & ſecundum ſe: quandoquidem hæc particula, quia, non exprimit ſolam cauſam motivam, ſed etiam aliquando conditionem ſine qua non, ut patet in exemplis jam allatis, v.g. quiſpiam promiſit centum nummos amico ſuo, ſed non vult dare per ſe, ſed per ſervum ſuum: tam bene dicetur quod ille dedit centum nummos amico ſuo, quia miſit ad illum ſervum ſuum qui eos deferret, quam quia illos promiſit ei: Sed primum habet rationem conditionis, ſine qua non, ſecundum vero cauſæ motivæ: nec enim perſ movetur ſimpliciter & abſolute ad dandos nummos illos amico ſuo, quia habet ſervum qui eos deferat, ſed quia promiſit eos. Similiter aliquis vult ire Lugdunum ob aliqua negocia peragenda, ſed non vult illuc ire niſi equitando, tam bene poteſt dici quod ille it Lugdunum quia habet equum, quam quia habet ibi negotia peragenda; ſed primum habet tantum rationem conditionis ſine qua non, ſecundum vero cauſæ motivæ: nec enim movetur ille ad eundum Lugdunum ſimpliciter, & abſolute, eo quod habet equum, ſed quia habet ibi negotia peragenda: & ſic de aliis: Cum ergo dicunt adverſarii: Vera eſt iſta

Ibi ſumitur conditio ſine qua non, pro eo quod opponitur cauſæ motivæ.

Tam bene dicitur quod ignis comburit ſtuppam, quia ei proximus eſt, quam quia calidus eſt: ſed primum

habet rationē conditionis ſine qua non, ſecundum autem cauſæ.

propoſitio in noſtra opinione, Deus confert huic prædeſtinato gloriam quia habet merita: ergo merita in noſtra opinione, ſunt cauſa motiva collationis gloriæ ſimpliciter, & ſecundum ſe: Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam: quia particula illa, quia, non ſignificat ſemper, & neceſſario cauſam motivam, ſed etiam aliquando conditionem ſine qua non: Et re vera nihil aliud ibi ſignificat niſi conditionem ſine qua non, in ſententia adverſariorum: Senſus enim propoſitionis illius in eorum ſententia eſt, quod licet abſolute Deus eis voluerit dare gloriam, noluit tamen eis dare niſi haberent merita, quod eſt conditio ſine qua non: eo modo quo ille qui promiſit centum nummos amico ſuo, noluit tamen eos dare niſi per ſervum, & is qui voluit ire Lugdunum propter negotia peragenda, noluit tamen ire niſi equitādo, quod nihil aliud ſignificat niſi conditionem ſine qua non, & non cauſam motivam, ut ſupra declaravimus. Nihil enim aliud iſta ſignificant, niſi quod etſi abſolute voluiſſent id facere, tamen noluerunt facere, niſi hoc modo, quod non reſpicit rem ſecundum ſe faciendam, ſed tantum hoc vel illo modo faciendam, & non alio: v.g. Dans nummos promiſſos commodius dedit per ſervum quam per ſeipſum: Iens Lugdunum ob negotia peragenda, commodius ivit equitando quam peditando, ita Deus conferens gloriam per merita, congruentius confert illam per illa quam ſine meritis: quod reſpicit tantum quemdam modum, ſeu conditionem collationis gloriæ, & non cauſam motivam illius, ſeu collationem ipſam ſecundum ſe, & ſimpliciter, eo modo quo ſumunt adverſarii, ponentes merita in ſolo decreto executionis.

Ignis qui comburit ſtuppam per calorem, non comburit tamen niſi approximatus.

PUNCTUM X.

Excluditur tertio eadem evaſio duorum decretorum ex debito explicandi modo Scripturarum Sanctarum.

DENIQUE ex toto illo textu, ſic arguo contra duo prædicta decreta: Simpliciter Scriptura intelligenda eſt, prout ſonat, & non eſt vis illi facienda niſi ex ſimplici illius ſenſu ſequatur abſurdum: ſed ex ſimplici textus noſtri ſenſu, qui ſonat prædeſtinationem ad gloriam factam eſſe poſt præviſa merita, nullum ſequitur abſurdum, & per duo prædicta decreta vis infertur ſimplici ejus ſenſui, & vere corrumpitur & violatur tota illius ſinceritas & ſimplicitas: Ergo textus ille non eſt intelligendus ſecundum duo illa decreta, ſed ſecundum ſimplicem ſenſum illius. Major eſt omnium Theologorum, aliàs enim cuique liceret interpretari ſenſum Scripturæ Sacræ ſecundum ſuas privatas opiniones, quod eſſet intolerabile, & plurimis erroribus obnoxium. Minor probatur quoad primam ſui partem, ſcilicet quod textus noſter in ſimplici & ſincero ejus ſenſu non involvit abſurdum: Nam certiſſimum eſt quod id ex ſe & intrinſece nullum involvit abſurdum, quod ſcilicet

Deus decrevit dare gloriam propter merita, cum hoc ſit actus juſtitiæ diſtributivæ, maxime congruum & conveniens Majeſtati divinæ; extrinſece etiam non involvit abſurdum, cum hoc non ſit contrarium aliis Scripturæ locis, aut Patrum interpretationibus: Nam quoad locos D. Pauli, quos maxime nobis objiciunt adverſarii, quaſi indicarent prædeſtinationem ad gloriam factam eſſe ante præviſa merita: certum eſt quod ibi formaliter loquebatur D. Paulus de prædeſtinatione ad gratiam, cum loqueretur contra Judæos, qui ſibi tribuebant, & non divinæ gratiæ converſionem ſuam, & fidem in Dominum Jesum Christum: Unde magis præſumendum eſt quod in iis locis quos nobis objiciunt, loquitur Paulus de prædeſtinatione ad gratiam, de qua ibi erat quæſtio, quam de prædeſtinatione ad gloriam, de qua nulla tunc erat diſceptatio inter eos: Et præterea cum illi loci ſint ex Epiſtolis difficilibus D. Pauli, de quibus etiam loquens D. Petrus Epiſtola 2. cap. 3. in quibus, inquit, ſunt difficilia intellectu quædam; textus autem noſter clarus ſit, loquens aperte de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, & de collatione illius, ut ſupra probatum eſt, & nihil ſupponens antea quod faciat difficilem intellectum ejus; nunquid convenientius eſt exponere obſcura per clara, quam clara per obſcura: Cum ergo textus noſter clarus ſit, & textus D. Pauli obſcuri, longe prudentius eſt exponere locos obſcuros D. Pauli ſupponendo doctrinam claram hujus textus, quam divinando veram expoſitionem locorum obſcurorum D. Pauli, ex iſta divinatione interpretari, & exponere, & convellere per decreta prædicta clarum ſenſum noſtri loci, & vertere in alium ſenſum non naturalem, ſed contortum, & extortum, & violentum, & inſolitum, ut conveniat cum iſtis divinationibus.

Reſpondebitur infra diſtincte locis Pauli & Auguſtini.

*D. Auguſt. in Pſal. 67. loquens de quadam obſcura Script. locutione, ſic ait: In veteribus libris crebra eſt iſta locutio, & ideo quando ſub*obſcure ſit, ex manifeſtis ſui generis exemplis intelligenda eſt. *Et lib. 3. de peccat. meritis & remiſſ. cap. 4. initio ait: Et ſi refellere iſtorum argumenta non valeam, video tamen inhærendum eſſe iis quæ in Scripturis ſunt apertiſſima: ut ex his revelentur obſcura: Quid ergo cunctamur, Apoſtoli verba, de quibus forte dubitabamus, etiam ipſa ſic intelligere, ut his congruant teſtimoniis de quibus dubitare non poſſumus. Vide etiam lib. 3. de Doctr. Chriſt. cap. 26. initio.*

Quantum autẽ ad Auguſtinum quem etiam nobis objiciunt adverſarii, præter ea quæ jam vidimus ex eo, in quibus aperte declarat ſenſum ſuum, in gratiam prædeſtinationis ad gloriam poſt præviſa merita, certum etiam eſt quod ut Paulus, ita & ille ſemper directe diſputavit de prædeſtinatione ad gratiam, de qua ſola illi erat controverſia cum Pelagianis & Semipelagianis, & non de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, de qua ut ſic, nulla erat ei cum adverſariis contentio: & per conſequens evidens eſt quod cum loquitur de prædeſtinatione, præſumendum ſemper eſt, niſi contrarium manifeſte appareat, quod ibi loquitur de ea, de qua illi erat controverſia cum adverſariis, ſcilicet de prædeſtinatione ad gratiam, & non ad gloriam ſolam, de qua ut ſic nequidem inter eos quæſtio mota fuerat, & per conſequens quod dicit ibi de prædeſtinatione ſine meritis, non debet præjudicare prædeſtinationi ad

De dono perſever. c. 19 circa init.

gloriam ex prævifis meritis, cum non loqueretur de illa, ſed de alia, quæ ſecundum fidem Catholicam, ut ipſe ait, eſt prorſus ſine meritis, ſcilicet prædeſtinatio ad gratiam. Ex quo concludendum in genere eſt, quod textus noſter prædictus non debet impediri à prædictis textibus ſive Pauli, ſive Auguſtini, quin ſincere & ſimpliciter exponatur prout ſonat, de prædeſtinatione ad gloriam ex prævifis meritis, cum is ſimplex & genuinus ſenſus illius nullomodo contradicat prædictorum Sanctorum vero ſenſui (ut infra etiam uberius & diſtinctius demonſtrabitur) cum loquerentur illi de una prædeſtinatione, & noſter textus de alia. Et ſic manifeſtum ſatis eſt quod non involvit abſurdum.

Quantum ergo ad ſecundam partem minoris, ſcilicet quod per duo prædicta decreta, corrumpitur tota ſinceritas & ſimplicitas textus prædicti: patet ex eo, quod cum textus ille clare demonſtret prædeſtinationem ad gloriam & collationem ejus eſſe ex meritis, cum dicat gloriam paratam & poſſeſſam ob merita: & quamvis ſolùm diceret poſſeſſam ob merita, ſatis per hoc oſtenderet eſſe etiam prædeſtinatam ob merita, cum ſoleat executio reſpondere intentioni: Ita tamen depravatur ſenſus iſte per duo illa decreta, ut prædeſtinatio ad gloriam dicatur eſſe ſine meritis, collatio verò ex meritis, executio ſit rigoroſa, intẽtio gratioſa; quod Deus aliter det gloriam quam intendit dare, nihil habens in intentione quam liberalitatem & miſericordiam, in executione vero nihil niſi onus & obligationem: in intentione abſolute velit dare gloriam, in executione non velit dare ſine meritis; quod chaos, & quæ confuſio iſta eſt; quæ contradictio inter intentionem & executionem inter propoſitum & factum? Nihil ſane minus ſincerum & candidum dici aut excogitari poteſt. Cum ergo iſta omnia inſincera, & fallacia ſint, nullomodo admittenda ſunt in explicatione prædicti textus Scripturæ, ſed ſincere & ſimpliciter ille intelligendus eſt prout ſonat, de prædeſtinatione ad gloriam ex prævifis meritis: cum jam ſupra demonſtratum ſit, hanc ſinceram & ſimplicem illius textus intelligentiam nihil involvere abſurdi.

PUNCTUM XI.

Confirmatur totum argumentum ex prædicto textu ſumptum, per alium illi adjunctum, qui eſt de reprobatione.

SED antequam omnino textum illum deſeramus, expendendus eſt & ille, qui cum illo arctiſſime conjunctus eſt, & de quo aliquoties hîc locuti ſumus: Ille, inquam, alter locus, qui eſt de reprobatione, ut noſter eſt de prædeſtinatione: Non enim mihi videntur hæc verba quæ dicit Chriſtus reprobis: Ite maledicti in ignem æternum: eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare: eſſe vera & ſincera, niſi prædeſtinatio ad gloriam ſit ex præviſis meritis, & non ante præviſa merita: Et ratio eſt, quia ſi prædeſtinatio ad gloriam ita facta eſt, ut Deus ultro, & ex mera ſua voluntate, ante omnem præſcientiam, & præviſionem operum, elegit quos ſolos voluit ſalvare, alios autem neglexit & noluit ſalvare: ſequitur quod vere & proprie reprobi damnantur, non quia non habent bona opera, ut ait hic Chriſtus, ſed quia non ſunt prædeſtinati: Sed quia in eo inſtanti in quo facta eſt electio eorum, quos ſolos voluit Deus ſalvare, illi non ſunt inter eos relati, non ſunt ad eos appoſiti, qui non damnarentur: Et ſic illa verba Chriſti: Ite maledicti in ignem æternum: eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare, non ſunt vera, ſed falſa, & ſophiſtica, utpote afferentia non rationem pro ratione. Nam quæſo qua ratione illi dicendi ſunt damnati propter mala opera, cum ante omnem præviſionem illorum operum, & quorumcumque aliorum, jam eſſent damnandi, in quantum non electi, in quantum non relati inter eos qui non damnarentur, ſed ſalvarentur. Nam certum & indubitatum eſt, quod ſoli electi non damnabuntur, & quod non electi damnabuntur omnes, ne uno excepto: Ergo prima radix & cauſa damnationis non electorum, eſt non electio eorum, & non mala opera eorum: cum ex eo præciſe damnandi ſint, quia non ſunt electi: cum decretum de ſolis ſalvandis, inter quos illi non erant, factum ſit ante præviſionem omnium operum tam bonorum quàm malorum; & nec falli nec mutari poteſt, ſed debet eſſe certum, & firmum quicquid eveniat poſtea: cum illud omnino ſit independens à futuro, quod prorſus non conſideravit Deus in electione ſolorum iſtorum ſalvandorum facienda: Falſum ergo eſt quod hîc dicit Chriſtus, quod hi damnati ſunt propter mala opera, cum jam damnandi eſſent ex eo quod non electi eſſent ad ſalutem, nullo habito reſpectu ad eorum opera.

Reſpondent adverſarii, non ideo hos damnari, quia non electi ſunt, ſed quia male operati ſunt; & per accidens ſe habere quod non electi damnentur, cum illa non electio non influat in eorum damnationem,

ſed mala opera eorum quæ ſunt vera cauſa damnationis eorum, cum nullus omnino damnetur, in quo peccatum non reperiatur.

Reſpondeo gratis hoc dici, quod non ideo damnantur quia non electi ſunt, ſed afferenda eſſet vera ratio, cur hoc non ita ſit, cum præſumptio ſit in contrarium: Quandoquidem videtur moraliter impoſſibile quod ex tot millionum millionibus hominum qui non electi ſunt, ne unus quidem eorum evitet damnationem, & illi ſoli damnentur; & tamen illa non electio quæ eſt in omnibus illis, & ſolis, nihil influat, neque Phyſice, neque moraliter, neque poſitive, neque negative in eorum damnationem. Certe quando videmus aliquem effectum ita eſſe conjunctum cum alia re, ipſum ſemper antecedente, ut illa poſita, ſemper ille ponatur effectus: & illa non poſita, non ponatur ille effectus, nullomodo dubitamus dicere quod illa res eſt vera cauſa effectus illius. Et hucuſque non vidimus duo ita conjuncta, ut unum ſemper præcederet alterum, & alterum ſemper ſequeretur, & uno non præcedente, alterum non ſequeretur, quin unum influeret in alterum. Cum ergo videamus non electionem reproborum ita ſemper & regulariter conjungi cum damnatione eorum, ut illa poſita ſemper ſequatur damnatio, & illa non poſita non ſequatur damnatio, dicendum eſt illam non electionem non habere ſe per accidens ad eorum damnationem; ſed eſſe veram cauſam & radicem illius, non vero mala opera eorum, quæ eorum non electione poſteriora ſunt: Et ſic patet quod in ſententia adverſariorum, verba Chriſti falſa ſunt; cum referant damnationem reproborum in mala opera eorum, cum tamen non electio eorum ſit vera cauſa & radix damnationis illorum ex ſententia adverſariorum, & non opera, ut ſupra probatum eſt; cum ſine prævifione operum illi non electi ſunt, & non relati inter eos qui ſalvarentur, & per hoc infallibiliter damnandi relinquebantur.

Ad id autem quod dicunt, quod nullus omnino damnatur, in quo peccatum non reperiatur, id non ſolvit difficultatem: Nam primo; quid facilius eſt Deo non eligenti hominem ad gloriam, quam eum non electum deſerere, & ſinere labi in peccatum, ut ſua non electio non fallatur? Nunquid non poteſt pro eo ſtudioſe ſeligere gratias inefficaces, ſeu non effecturas, & ei dare illas potius ad illudendum ei, quam ad eum adjuuandum contra tentationes ingruentes; & tandem cum incidit in peccatum, quod infallibiliter accidit ſi homo non adjuvetur efficaciter à Deo, eripere eum è vita, ne convertatur & pœniteat: quia nempe non eſt electus, quia non eſt inter eos relatus, qui non debent damnari. Præterea etſi concedamus quod nullus reproborum damnatur, qui non peccaverit, & mortuus in peccato fuerit: non tamen ſequitur ex ipſis principiis adverſariorum, quod peccatum iſtud ſit vera cauſa damnationis eorum, licet conjunctum ſit cum damnatione eorum cum & ipſi concedant, quod eorum non electio conjuncta ſemper eſt, cùm eorum damnatione; & tamen negant iſtam non electionē ſic conjunctam

cum

cum damnatione eorum, eſſe veram cauſam damnationis eorum: Ergo ſimiliter negare poſſumus quod iſtud peccatum, ex eo quod ſemper conjunctum eſt cum eorum damnatione, vera ſit cauſa damnationis eorum, cum in uno non ſit potior ratio cauſalitatis, quam in altero: ſed utrobique par ratio ſit. Imo vero audeo dicere, quod cum non electio reproborum prior ſit peccato finali eorum etiam in præviſione Dei, illa non electio in ſententia adverſariorum eſt ſola vera cauſa & radix damnationis reproborum: & eorum peccatum finale, tantum medium, & inſtrumentum damnationis eorum. Et ratio eſt, quia cum ex vi non electionis reproborum, factæ ſecundum adverſarios ante præviſa peccata, teneatur Deus damnare reprobos, eo modo (cum proportione) quo tenetur in ſententia adverſariorum ex vi electionis factæ ante præviſa merita, ſalvare electos: ideo tenetur aſſumere medium determinatum ad damnationem eorum, eo modo quo tenetur aſſumere medium determinatum ad ſalvationem electorum: Unde cum medium determinatum ad damnationem reproborum ſit ſolum peccatum, ut patet ex Scripturis; ideo manifeſtum eſt quod ex vi non electionis eorum, tenetur aſſumere peccatum ad damnandos illos: Et ſic patet quod in ſententia adverſariorum, non electio reproborum eſt ſola vera cauſa, & vera ratio motiva damnationis eorum; peccatum vero eorum eſt tantum medium & inſtrumentum damnationis eorum, cum ſit tantum executivum non electionis eorum in damnatione eorum.

Sed dices 1° impoſſibile eſt quod Deus aſſumat peccatum tanquam medium ad damnandos reprobos, cum ſic eſſet author peccati, & procuraret illud.

Reſpondeo, re vera id eſſe impoſſibile, ſed dico id ſequi in eorum ſententia: Nam cum non electioni prædictæ non poſſit ſatisfieri niſi damnetur non electus, & non poſſit non electus damnari, niſi habeat peccatum: ideo debet illud procurari, vel formaliter impellendo in illud, vel æquivalenter, ſubtrahendo gratias efficaces, ad quarum ſubtractionem, ſemper & infallibiliter ſequitur peccatum, & ſic peccatum erit ſemper medium & inſtrumentum damnationis reproborum, & non cauſa motiva illius, contra veritatem verborum iſtorum; Ite maledicti in ignem æternum: eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare, &c. quæ verba clare indicant peccata reproborum, eſſe cauſam motivam damnationis eorum, & non ſolùm inſtrumentalem, aut medium illius, ut ſequitur ex opinione adverſariorum.

Dices 2° antequam illi non eligerentur, erant omnes in peccato mortali, ſcilicet originali, quod meretur damnationem æternam; ergo recte dici poteſt in adverſariorum ſententia, quod propter peccatum iſtud damnati ſunt, & non propter eorum non electionem.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia multi iſtorum non electorum, ſcilicet omnes Chriſtiani reprobi, mundati ſunt ab illo peccato originali, & veram conſecuti ſunt per baptiſmum peccati illius originalis

remiſſionem, cum gratia juſtificante, quæ eos fecerat filios & amicos Dei, & per hoc dignos & aptos vitæ æternæ: & tamen illi omnes, & ſinguli damnati ſunt, nonobſtante illa remiſſione, & abolitione peccati, imo & gratia Dei: Ergo non poſſumus recte dicere, quod damnati ſunt propter peccatum originale: præcipue, cum Scriptura dicat, & Concilia, peccatum iſtud eſſe in eis omnino deletum, & nihil damnationis remanere in illis qui baptiſma ſuſceperunt: Conſequens ergo eſt, quod damnati ſunt propter aliquid aliud in eis relictum, & non deletum per Sacramentum baptiſmi: At hoc non poteſt eſſe, niſi non electio eorum, ad cujus executionem Deus permiſit eos labi in peccatum, ut cum lapſi eſſent cito eriperentur è vita, ne ſalvarentur, ſed damnarentur, ut & cæteri qui ſimiliter non ſunt electi. Certe id tenentur fateri adverſarii, nam quî fieri poteſt ut illi omnes non electi, licet a peccato mundati, in peccato tamen moriantur, & non pœniteant, antequam moriantur: imo nec pœnitere ſæpe poſſint, cum eorum multi erepti ſint ex hac vita in flagranti delicto, vel morte ſint improviſa præoccupati: Quî, inquam, fieri poteſt, ut hi omnes, & ſinguli non electi, licet à peccato originali purgati & mundati, imo ſæpe ſæpius à peccatis etiam actualibus mundati, & ſic Deo reconciliati, & amici facti: in peccato tamen ſemper moriantur, & nunquam in gratia: electi vero, licet ſæpiſſime in vita, peccato actuali irretiti Deo rebelles, & inimici facti, omnes tamen & ſinguli in gratia Dei vitam finiant, nunquam in peccato moriantur: Certe nulla alia ratio reddi poteſt, niſi quia hi electi ſunt, illi vero non electi, cum hæc ſola inter utroſque differentia ſit.

D. Paulus ad Rom. 8. & Concil. Trid. in decreto de peccato origin. ſeſſ. 5. & D. Auguſtinus Ser. 8. de verb. Apoſt. c. 8. ubi ait: In parvulis natis, & nondum baptizatis agnoſcitur Adam: In parvulis natis & baptizatis, & ob hoc renatis, agnoſcitur Chriſtus: Id eſt, non amplius Adam nec peccatū originale, quia hæc omnia abolita ſunt à Chriſto Redemptore. Vide etiam lib. 1. de peccat. meritis & remiſſ. c. 13. init.

Certe hîc hærent adverſarii: & nihil habent dicere niſi: O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia judicia ejus! Quaſi vero eſſet actus ſapientiæ & ſcientiæ Dei circumvenire miſeros, & eos damnare, quia noluit eos eligere, & poſtea dicere, quia ipſi in cauſa ſunt cur damnarentur, quia peccata habuerunt, & in eis mortui ſunt: cum nequidem prævid t ille ſecundum ſententiam adverſariorum, peccata iſtorum non electorum antequam eos non eligeret, & per hoc eos damnaret: Nunquid illi miſeri reprobi poſſunt reſpondere in ſententia adverſariorum Chriſto illis dicenti, Ite maledicti in ignem æternum; eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare: non vere, Chriſte, damnamur, quia non dedimus tibi, aut tuis manducare; ſed quia noluiſti nos prædeſtinare, & eligere ad gloriam habendam per merita, quomodo elegiſti alios, quos ſalvaſti per merita, cum illi ſoli ſalventur quos elegiſti ante præviſa merita, & illi ſoli damnentur quos nō elegiſti ante peccata præviſa: Si ergo non fecimus bona opera finalia, ideo eſt quia noluiſti nos eligere ad conſequendam gloriam per merita; quomodo elegiſti alios, & ideo vere damnamur, non quia culpabiles ſumus, ſed quia infœlices ſumus, quos noluiſti prædeſtinare ad gloriam conſequendam per merita, quomodo elegiſti alios qui nobis pares

erant, nec majoris meriti, nec minoris demeriti; imo vero inſidiatus es nobis; & procuraſti noſtra peccata, & mortem noſtram in illis, ut decretum tuum abſolutum, & impræviſis noſtris peccatis factum, de non ſalvandis nobis exequereris: quod ſane miſerrimum eſt.

Sed etiamſi gratis concederemus, illos omnes eſſe damnatos propter peccatum originale quod præhabuerunt, ut dicit objectio, hoc tamen non efficeret quod vera eſſent verba Chriſti in eorum ſententia: cum illa ſint de peccato actuali, & non de originali tantum, ut patet ex terminis: Eſurivi enim, inquit Chriſtus, & non dediſtis mihi manducare; ſitivi, & non dediſtis, &c. quæ omnia ſonant peccatum actuale, & non originale.

Sed inſtant adverſarii, & dicunt: Equidem illos præciſe non damnari ob peccatum originale, cum in eis ſit deletum: ſed quia occaſione, vel ratione peccati originalis præhabiti, licet jam deleti, reſtat in eis aliquod debitum, ad eſſe privatos gratiis efficacibus finalibus, & ſic debere mori in peccato. Rom. 8.

Sed neſcio quomodo concordabunt iſta cum Scripturis, & Conciliis: Nam Scriptura dicit, Nihil eſſe in eis damnationis qui baptiſmum ſuſceperunt: & ecce reſtat in illis miſeris debitum ad eſſe privatos gratiis efficacibus finalibus, ex quo ſequitur mors in peccato, quod eſt recta via ad infernum, & ad damnationem æternam. Item, Concilium Tridentinum dicit, Nihil ſupereſſe in eis, quod remoretur eos ab ingreſſu Cæli: & ecce reſtat in eis aliquid, quod non ſolum remoretur eos, ſed etiam excludat eos ab ingreſſu Cæli, cum reſtet in eis adhuc tale debitum, ex quo ſemper ſequitur, & infallibiliter damnatio.

Auguſtinus li. 1. de nupt. & concupiſ. cap. 32. clare aſſerit peccatum originale remiſſum nihil nocere juſtificatis. Si autem tale debitum in eis reſtaret, vehementiſſime & peſtilentiſſime eis noceret. Idem repetit Auguſt. lib. 2. de nuptiis & concupiſc. c. 34. imo & Ser. 48 de diverſis c. 9. clare aſſerit omnia debita per peccatũ originale contracta in

Præterea ſi debitum iſtud eſt pœnalitas, debet etiam eſſe in electis, æque ac in non electis, ut morbi, mors & ſimiles: Et tamen eſt ſolum in non electis, & nullo modo in electis: ergo non eſt pœnalitas. Præterea quæritur cur baptiſmus non ſolvit iſtud debitum in non electis, & ſolvit iſtud in electis; quod fundamentum habent hoc dicendi, in Scripturis, in Patribus, in ratione: quandoquidem omnes admittunt quod baptiſmum eſt ejuſdem naturæ & ſpeciei in omnibus Chriſtianis, & eãdem habet virtutem. Certe nullum fundamentum habent, & per conſequens fatendum eſt, quod eorum ſententia falſa eſt, qui tenent prædeſtinationem ad gloriam factam eſſe ſine præviſis meritis, cum illa ſententia non bene cohæreat cum veritate prædictorum verborum Chriſti, ſive de reprobis, ſive de prædeſtinatis, ut ſatis demonſtratum eſt.

baptiſmo remitti. Sic, inquit, intrate (in fontem baptiſmatis) & certi eſtote, prorſus vobis omnia *dimitti, quæ contraxiſtis, & ex parentibus naſcendo ſecundum Adam in originali peccato.... „ Et exibitis inde, tanquam à conſpectu Domini Dei veſtri cum ſecuritate* omnium *debitorum.*

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

ARGUMENTUM II.

Proponitur & confirmatur.

SECUNDUS locus, ſumitur ex 1. ad Corinth. 2. ubi dicitur, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum. Ubi non eſt dubium quin ſermo ſit de prædeſtinatione ad gloriam, cum loquatur Paulus de præparatione gloriæ, quæ præparatio ſecundum Auguſtinum & omnes Theologos, ſumitur pro prædeſtinatione: Et ita interpretatur hunc locum D. Thomas lect. 3. dicens: Quod præparavit Deus, id eſt, prædeſtinavit: Cum ergo ibi dicitur quod præparavit Deus gloriam: bene redditur quod prædeſtinavit gloriam: Cum autem dicitur quod præparavit illam iis qui diligunt illum: Vere dicitur quod prædeſtinavit illam, ob charitatem & dilectionem hominum erga eum; cum verba illa, diligentibus Deum, habeant vim cauſalis iſtius præparationis, & idem ſit dicere diligentibus Deum, ac ſi diceretur, ut diligentibus Deum, id eſt, ob charitatem & dilectionem hominum erga Deum: Et ita interpretatur hæc verba D. Thomas ſupra citatus, dicens: Diligentibus ſe, quia, inquit eſſentiale præmium æternæ gloriæ, charitati debetur, ſecundum illud Joan. 14. Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum: in quo perfectio æternæ gloriæ conſiſtit. Ubi manifeſte vult dicere D. Thomas, quod præparatio illa gloriæ ſit ob dilectionem hominum erga Deum, cum rationem illius præparationis dicat eſſe, quia illa gloria debetur charitati, id eſt, ob charitatem hominum erga Deum. Et ſic manifeſtum eſt, quod ſenſus illius loci eſt dicere, quod gloria æterna prædeſtinata eſt hominibus, ob dilectionem, aut charitatem eorum erga Deum, & conſequenter ob merita hominum. Vera autem ratio hujus interpretationis eſt, quia illa dilectio, ſeu meritum hominum, eſt formale objectum illius prædeſtinationis, ſeu præparationis gloriæ: ſeu eſt id quod formaliter reſpicit præparatio, ſeu prædeſtinatio gloriæ, & eſt eo modo quo ſi quis diceret, iſta corona præparata eſt vincentibus, iſtud præmium præparatum eſt merentibus, iſtud donum præparatum eſt amicis meis: Nam nemo eſt qui negaret, & victoriam eſſe formale objectum præparationis coronæ; & meritum eſſe formale objectum præparationis præmii, & amicitiam eſſe formale objectum præparationis iſtius doni, & quod ratio & cauſa formalis, cur præparetur corona, eſt victoria; cur præparetur præmium, eſt meritum; cur præparetur donum, eſt amicitia:

Textus D. Thomæ pro prædeſt. ad gloriam poſt præviſa merita.

Similis Phraſi dicit Auguſtinus Ep. 105. gloriam dari meritis, id eſt, dari ob merita.

Ergo cum hîc dicitur quod Deus præparavit gloriam iis qui diligunt illum, per hoc indicatur quod ratio, & cauſa formalis cur Deus præparavit gloriam, eſt dilectio, eſt charitas hominum, eſt meritum eorum charitate formatum: ergo per hoc vere dicitur quod gloria præparatur, & prædeſtinatur ob merita, & dilectionem hominum, cum eorum dilectio & merita, fuerint cauſa formalis, cur Deus eis præparavit gloriam.

Et certe ſi illa præparatio, non ſupponeret dilectionem, non vere diceretur gloria præparari diligentibus Deum, ſed vel inimicis Dei, ſi prædeſtinatio facta eſſet poſt peccatum originale, cùm in hoc ſtatu ſimus inimici Dei: vel omnino indifferentibus, ſi facta eſſet ante peccatum originale, cùm in hoc ſtatu nec amici nec inimici eſſemus illius: cùm ergo dicitur præparata diligentibus, neceſſario ſupponit dilectionem, ſeu ſupponit ſtatum futurum prævisum, in quo diligimus Deum, in quo eſt meritum hominum.

Denique certum eſt quòd omnis actus ſupponit objectum ſuum, cùm objectum ſit cauſa illius: ſed objectum iſtius præparationis, ſeu prædeſtinationis, eſt dilectio hominum, ut patet ex terminis: Dicitur enim, quod præparatur diligentibus; ergo illa dilectio, ſupponitur ad illam præparationem, & eſt cauſa objectiva, & motiva illius, & per conſequens illa præparatio fit propter illam dilectionem, ſeu ob meritum illius.

Nec vero locus iſte poteſt exponi ab adverſariis de prædeſtinatione ſecundum executionem, cùm verbum, præparare, ibi poſitum, non ſignificet executionem, ſed intentionem, ut communiter exponitur à Theologis: Et præterea ſatis innuitur, in hoc textu ſermonem non eſſe de præparatione mediorum ad executionem faciendam, cùm ibi ſupponantur jam illa media: cùm dicatur ibi gloria præparari diligentibus, id eſt, habentibus jam dilectionem quæ eſt medium principale ad conſequendam gloriam; unde non eſt ibi ſermo de præparatione mediorum, ſed de præparatione ipſa gloriæ, id eſt de deſtinatione ipſa gloriæ, facta diligentibus Deum, & per hoc jam merentibus gloriam iſtam. Et eo modo hîc dicitur gloria præparari diligentibus, quo modo paterfamilias dicit operariis ſuis; Vado parare vobis pecuniam veſtram, mercedem veſtram, ſtipendium veſtrum, quod ſonat præparationem pecuniæ, non autem mediorum conducentium ad illam acquirendam: Cùm ergo hîc loquitur Paulus de præparatione gloriæ, loquitur de prædeſtinatione ipſa gloriç, ſeu de decreto intentionis, & non de prçparatione mediorum, ſeu de decreto executionis.

Et confirmatur ex eo quod ea quæ ibi dicuntur præparari: ſcilicet, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, non bene conveniunt meritis noſtris, ſeu mediis conducentibus ad gloriam, quaſi ibi dicerentur merita prçparari, & non gloria: Nam illa merita non ſunt ita magna & excellentia, ut de iis poſſent iſta

P iij

recte enuntiari, ſcilicet quod nec oculus vidit, nec, &c. ſed recte & genuine reſpiciunt ipſam gloriam quæ ita ineffabilis eſt, ut de ea recte poſſit dici: Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, cogitare tantam & tam excellentem beatitudinem: Unde omnes quotquot ſcripſerunt in hunc locum, intellexerunt eum de illa ineffabili excellentia gloriæ, non autem de meritis noſtris, aut mediis conducentibus ad illam: Et ſic, nihil video in hoc textu, quod non aperte convincat gloriam præparari, & prædeſtinari ob præviſa merita.

PARAGRAPHUS TERTIUS.

ARGUMENTUM III.

Proponitur & confirmatur.

TERTIUS locus eſt Matth.20. ubi petentibus filiis Zebedæi, ut unus eorum ſederet ad dexteram, alter vero ad ſiniſtram ſuam, reſpondet Chriſtus: Sedere ad dexteram meam vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo. In qua ſententia, magna, ut opinor, vis eſt contra prædeſtinationem ante præviſa merita: Nam cùm dicit Chriſtus, Non eſt meum dare vobis; per hoc non vult dicere, quod ad illum de jure non pertineat diſtribuere dignitates regni ſui, prout vellet: falſum enim diceret, ſi hoc diceret, cùm certum ſit quod jus illud pertinet ad ipſum, & ratione naturæ divinæ, & ratione unionis hypoſtaticæ, & ratione Paſſionis ſuæ: Sed vult dicere quod non utitur jure illo, quemadmodum alii Reges, ſicut & ipſi putabant, qui cum amici illius, & carnales parentes eſſent, putabant quod propter hoc ſingulariter eis faveret, & primas ſui regni dignitates illis concederet ratione amicitiæ purè humanæ, & carnalis parentelæ, ſicut Reges terreni, qui diſtribuunt dignitates, & Officia regni ſui, pro libito, & pro ſua mera voluntate. At hoc negat Chriſtus, quod ſic velit diſtribuere dignitates regni ſui, ſcilicet ſecundum meram voluntatem ſuam; ſed quibus paratum eſt à Patre ſuo, id eſt, ſed ſecundum normam & regulam, quam Pater ſtatuit in diſtribuendis illis honoribus & dignitatibus, quæ non eſt alia quam norma & regula, & menſura meritorum. Unde cum bene vidiſſet JESUS ab initio, quod eorum mens & cogitatio valde erraret circa modum iſtius diſtributionis: dixerat eis: Neſcitis quid petatis: id eſt, neſcitis cujus conditionis ſit res quam petitis, & quæ requiruntur ad illam poſſidendam: Neſcitis conditionem illius rei quam petitis, non enim pervenitur ad dignitates illius regni, favore ſolo, & gratia, quomodo in aliis regnis, ſed labore

& opera : Unde rurſum ad illos JESUS: Poteſtis, inquit, bibere Calicem, quem ego bibiturus ſum: id eſt, poteſtiſne æquo animo & fortiter ſuſtinere cruces, & labores quos ego ſufferre debeo: Quaſi vellet eis dicere: Ecce unde ematur, ecce unde poſſideatur regnum illud, in quo magni eſſe ambitis, bibitione ſcilicet Calicis amaræ Paſſionis: illuc ſolùm pervenitur laboribus, ærumnis, operibus & meritis: & cum ipſi reſpondiſſent, Poſſumus, bene annuit Chriſtus, dicens: Calicem quidem meum bibetis, ſedere autem ad dexteram aut ad ſiniſtram meam, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo: id eſt, vere quidem hoc facietis, ſed tamen non dabo vobis regnum meum pro libito meo, ut putatis, ſed pro labore & opere veſtro, quia nempe tunc tales eritis, quibus paratum eſt à Patre meo; id eſt, pleni eritis bonis operibus, & meritis, & ſic regnum illud poſſidebitis: Et hic eſt verus & ſincerus ſenſus quem tribuit Auguſtinus huic loco, Pſalmo 126. in hunc verſiculum: Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: ubi in fine interpretationis illius verſiculi, ſic ait ad filios Zebedæi de quibus jam multa locutus fuerat: Surgere vultis, ſed primo ſedete, exurgens ab humilitate, pervenis ad regnum: nam ſi præripis regnum, cadis à regno, antequam ſurgas: Poteſtis bibere, inquit, Calicem quē ego bibiturus ſum? Et illi: Poſſumus: Et ille: Calicem, inquit, meum bibetis, ſedere autem ad dexteram vel ad ſiniſtram meam: Non eſt meum dare vobis, *aliis* paratum eſt à Patre meo. Quid eſt, Non eſt meum dare vobis? Non eſt meum dare ſuperbis, hoc enim adhuc erant; ſed ſi vultis illud accipere, nolite eſſe quod eſtis, *aliis paratum* eſt: & vos alii eſtote, & *vobis paratum* eſt. Quid eſt alii eſtote? *prius humiliamini*, qui jam vultis exaltari. Hæc Auguſtinus, qui ut evidens eſt, eodem modo exponit textum illum, quo mox illum expoſuimus, ſcilicet de prædeſtinatione ad gloriam ob præviſa merita: Sed de ſola ibi loquitur humilitate, quia illa erat præcipuè virtus, contra quam peccabant illi filii, qui volebant habere illud regnum, quod ſolùm paratum eſt humilitati, & cæteris virtutibus Chriſtianis, unde de illa præcipue loquendum fuit. Sed non ſolum Auguſtinus (licet inſtar omnium ſit apud adverſarios in hac materia) ſic exponit textum illum; ſed etiam communiter alii Patres, quorum expoſitio tanto magis æſtimanda eſt, quanto magis certū eſt quod communis eorū interpretatio, commendatur à Concilio Tridentino (Seſſ.4.) ut ſequenda & tenenda in omnibus Sacræ Scripturæ locis: Ita, inquam, explicant textum illum, ſcilicet de prædeſtinatione poſt præviſa merita: D. Chryſoſtomus, & Remigius in Catena aurea D. Thomæ, quorum verba ſupra retulimus primi quidem, inter teſtimonia D. Chryſoſtomi, ſecundi vero, inter teſtimonia D. Thomæ: ita etiam D. Epiphanius, hæreſi 69. n. 58. in hunc locum: ubi ait: hic ſenſus eſt: Non eſt meum dare vobis (ſcilicet regnum Cælorum) ſed *ſi laboraveritis* paratum vobis erit à Patre meo. D. Ambroſius ſupracitatus in ejus teſtimoniis, lib. 5. de fide cap. 5. D. Hieronymus etiam á nobis ſupra-

D. Thomas Comment. in hæc verba ait: Hic reſpondet ad petitionem gloriæ: Si dixiſſet Dominus, dabo vobis, triſtati eſſent alii: ſi negaſſet, alii effecti eſſent triſtes: ideo dixit, ſedere autem ad dexteram meam, non eſt meū dare vobis, ſed quibus. &c. Hieronym. & alii exponunt quod ipſe dat cum Patre: Unde vult dicere, quod non eſt meum dare. &c. quaſi dicat eminentia dignitatis, non datur perſonæ, ſed merito; & hoc ſecundum prædeſtinationem divinam:

1 Cor. 2. Oculus non vidit, nec auris audivit, &c. Ioan. 14. Si abiero, &c.

paravere vobis locum: unde ex quo parat Pater & ipſe: vel, Non eſt meum dare vobis ſine meritis. ſed perſonis ex merito acquirentibus. *ſed meũ ex prædeſt. quæ eſt mihi à Patre meo. Hæc ibi D. Thomas clare explicans illum locum de prædeſtin. ad gloriam ex meritis.*

citatus in ejus teſtimoniis, lib. 2. adverſus Iovinianum. D. Cyrillus libro 10. Theſauri cap. 5. ubi ait: Non eſt meum dare vobis, quia præmia proportionaliter *certantibus* dantur. Et infra, Non eſt meum, inquit, dare ſupremum honorem vobis petentibus; qui *reſervatus eſt* in præſcientia Patris, illis quos *exceſſus certandi* commendabit. Theophilactus in Euangelia, Homilia 24. in hæc verba, Non eſt meum dare vobis, &c. ait: Non oſtendit impotentiam, ſed *juſtitiæ* æquilibrium, in neutram propendens partem oſtendit, incorrupti enim eſt judicis proportione *meritorum* athletis *decernere præmia*: Et infra: Non eſt meum dare vobis, ſed *iis qui certamen vicerint*, honoris præmia *repoſita* ſunt. Denique in cap. 20. Matth. in eadem verba, ait: Illi enim præparatum eſt (Regnum Cælorum) qui *laboraverit*, ſicut coronæ certantibus ſunt præparatæ.

Ubi & notandum eſt prædictos Patres ibi conſtanter locutos eſſe de præparatione, aut repoſitione gloriæ: non autem de collatione ipſius, ut oſtendatur ibi locutos illos eſſe de prædeſtinatione ipſa, & ut verbis adverſariorum utar, de decreto intentionis, non vero de decroto executionis; quo ſæpe ſæpius eludunt adverſarii, manifeſtiora Sacræ Scripturæ loca, contra illos adducta.

Et præterea ad majorem vim & efficaciam hujus argumenti, notandum eſt, quod illa particula, *ſed*, quæ eſt in medio prædicti textus, ſcilicet, Non eſt meum dare vobis, *ſed* quibus paratum eſt à Patre meo: eſt particula, ut aiunt, adverſativa, & per conſequens facit quamdam oppoſitionem inter utramque partem illius textus: ſupra quod ſic arguo; vel illa oppoſitio eſt inter perſonas facientes illam prædeſtinationem, de qua ibi agitur, vel eſt inter perſonas capaces iſtius prædeſtinationis, vel eſt inter conditiones illarum perſonarum capacium iſtius prædeſtinationis: Non eſt inter perſonas facientes illam prædeſtinationem; nam illæ perſonæ ſunt Pater, & Filius: Filius quidem de quo agitur in prima parte, Pater vero de quo agitur in ſecunda; at inter Patrẽ & Filiũ nulla eſt quoad hoc oppoſitio, cum eadem ſit utriuſque & poteſtas, & jus, & voluntas & judicium; & putare contrarium eſſet Arrianum & hæreticum: unde oppoſitio non eſt hîc inter illos: Neque etiam eſt inter perſonas iſtius prædeſtinationis capaces ut ſic, nam illæ perſonæ ſunt filii Zebedæi, de quibus agitur in prima parte textus, per hæc verba: Non eſt meum dare *vobis*, ſcilicet filiis Zebedæi: ~~& omnes prædeſtinati; de quibus agitur in ſecunda parte textus per hæc verba: Non eſt meum dare vobis; ſcilicet filiis Zebedæi;~~ Et omnes prædeſtinati de quibus agitur in ſecunda parte textus, per hæc verba: Sed, *quibus* paratum eſt à Patre meo: At non eſt oppoſitio inter filios Zebedæi, & omnes prædeſtinatos ut capaces prædeſtinationis, quandoquidem iſti filii Zebedæi, ſcilicet S. Ioannes & S. Iacobus ſunt æque capaces prædeſtinationis, ac cæteri prædeſtinati, imo & ipſi ſunt prædeſtinati. Ergo neceſſarium eſt quod illa oppoſitio ſit inter conditiones perſonarum

Quod enim paratum eſt à Patre ejus, & ab ipſo Filio paratum eſt. Auguſt. l. 1. de Trinitate cap. 12.

illarum

illarum capacium iſtius prædeſtinationis, quarum ſcilicet unæ non habent pro tunc conditiones requiſitas ad prædeſtinationem, vel habent contrarias, aliæ vero habent conditiones requiſitas, & hic eſt verus ſenſus iſtius textus, indicatus ab Auguſt. cum opponit illam particulam primæ partis (vobis) iſti alteri particulæ ſecundæ partis, quibus paratum, dicens, Non eſt meum dare vobis ſuperbis, ſeu non merentibus, ſeu non habentibus humilitatem requiſitam ad hoc Regnum poſſidendum, ſed quibus; id eſt, ſed ſolum humilibus & merentibus, ſeu habentibus humilitatem requiſitam, quibus paratum eſt à Patre meo; id eſt, quibus ſolis & non aliis paratum & prædeſtinatum eſt iſtud Regnum æternum à Patre meo: Et is eſt etiam ſenſus indicatus ab Epiphanio, cum ait: Si laboraveritis, paratum vobis erit à Patre meo iſtud Regnum: Et à Cyrillo, cum ait: Quod iſtud Regnum reſervatum eſt in præſcientia Patris, iis quos exceſſus certandi commendabit: Et à Theophylacto, cum ait: Illi præparatum eſſe illud Regnum qui laboraverit, ſicut & coronæ certantibus ſunt præparatæ, & ab aliis Patribus, quorum alibi teſtimonia ſupra retulimus.

Ubi etiam & iſtud valde notandum eſt quod ſecundum illos Patres, & præcipue ſecundum Auguſtinum, non aliæ ſunt conditiones requiſitæ ad conferendam actu gloriam, quam ad ipſam præparandam, ſeu prædeſtinandam. Cum non aliam ob rationem dixit Chriſtus filiis Zebedæi, quod non erat ſuum *dare* illis gloriam, ſeu Regnum æternum, niſi quia non erant tales, quibus *paratum* erat à Patre ſuo Regnum æternum, hæc enim indicant verba iſta Auguſtini, Non eſt meum *dare* ſuperbis, hoc enim adhuc erant, & vos alii eſtote (id eſt non ſuperbi) & vobis *paratum* eſt: Et idem ſignificant verba iſta Epiphanii, Si laboraveritis, paratum vobis erit à Patre meo (illud Regnum) & iſta Theophylacti: Non eſt meum *dare* vobis, ſed iis (quales non eſtis) qui certamen vicerint, honoris præmia *repoſita* ſunt. Quod bene notent & obſervent prædictorum duorum decretorum diverſorum in unica prædeſtinatione aſſertores.

PARAGRAPHUS QUARTUS.

Argumentum quartum proponitur.

PUNCTUM PRIMUM.

Vis argumenti aperitur.

QUARTUS locus eſt ex eodem Matthæi cap. 20. ubi Chriſtus ſub parabola patrisfamilias, primo mane conducentis operarios, ut mitteret eos ad vineam ſuam, explicat totum negotium prædeſtinationis ad gloriam, ut factæ propter merita. Nam ſub nomine patrisfami-

Illa conductio non eſt voluntas generalis & inefficax de

ſalvandis omnibus ſed eſt ipſa prædeſtinatio, cum habeat effectum in omnibus. Nec operarii ibi debẽt ſumi pro omnibus Chriſtianis, quia non omnes Chriſtiani recipiunt gloriam, at hi operarii omnes recipiunt mercedem, ergo non ſumuntur promiſcue pro Chriſtianis, ſed pro ſolis prædeſtinat.

lias primo mane conducentis operarios, nobis deſignat Deum Patrem, à ſumma æternitate prædeſtinantem homines ad gloriam, ut bonos operarios, id eſt fideliter laboraturos in vinea ſua quæ eſt Eccleſia. Ubi notandum valde eſt quod antequam paterfamilias mittat eos in vineam ſuam, conventionem facit cum eis, quod eſt reſpicere opera & merita; & tandem in fine præſtat eis mercedem de qua convenerant, ſcilicet denarium diurnum (qui ut ait Auguſtinus, Ser. 59. de verbis Domini cap. 4. & D. Thomas 1. 2. qu. 5. A. 2. ad primum. Repræſentat vitam æternam, ſeu beatitudinem) quod oſtendit, executionem non aliter factam eſſe quam prædeſtinationem, cum non aliter mercedem det paterfamilias, quam prout convenerant, & ipſe paterfamilias eis deſtinaverat. Et ut non dubitetur quin iſta parabola ſit de prædeſtinatione, ſeu electione ad gloriam, ſic incipit Chriſtus illam parabolam: Simile eſt Regnum Cælorum patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios, &c. ubi vides quod loquitur de Regno Cælorum, quod eſt gloria: Et præterea illam parabolam affert occaſione ſedium cæleſtium, de quibus ante locutus fuerat ſuis Apoſtolis, in quibus ipſi debebant ſedere, & judicare duodecim Tribus Iſraël, & ſic in illo Regno excellere, & præcedere in honore, omnes Patriarchas, & Prophetas, licet poſteriores iis eſſent tempore: & per conſequens loquitur ibi de cæleſti gloria, & de prædeſtinatione ad illam: Nam & ad id tota iſta à Chriſto contexta eſt parabola, ut oſtendat Apoſtolos, & omnes Chriſtianos eis ſimiles, non minora debere ſperare in Cælo, imo vero & majora poſſe habere quam Patriarchæ, & Prophetæ, & omnes ſancti homines Legis Moſaicæ, licet ipſis eſſent poſteriores: Unde immediate poſtquam id dixiſſet ſuis Apoſtolis, & Sermonem concluſiſſet per hæc verba; Multi autem erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi: mox ſequitur: Simile *enim* eſt Regnum Cælorum homini patrifamilias qui exiit, &c. ubi particula, *enim*, quæ omiſſa eſt in Latino, eſt tamen in Græco, *ὁμοία* ΓΆΡ ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ οἰκοδεσπότῃ: evidentem facit cum præcedentibus connexionem, & oſtendit continuatam eſſe materiam de Regno Cælorum: Unde manifeſtum eſt, totam iſtam parabolam eſſe de prædeſtinatione ad gloriam, de qua prius locutus fuerat, dicens ſuis Apoſtolis, & in eorum perſona viris Apoſtolicis: Sedebitis ſuper duodecim ſedes, judicantes duodecim Tribus Iſraël: Et omnis qui reliquerit domum, aut fratres...... centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Quem diſcurſum cum finiiſſet per hæc verba: Multi autem erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi, eodem modo finit & iſtam parabolam, dicens: Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi: per hoc oſtendens quod ibi loquitur de prædeſtinatione ad gloriam, de eáque ut facta poſt præviſa merita, cum ibi comparet Apoſtolos, & viros Apoſtolicos, operariis ex mercede conductis & recipientibus denarium diurnum, qui eſt vita æterna in ſolutionem operum.

D. Thomas ſupracitat. in hũc locũ: Et erunt noviſſimi primi, &c. ait: Dupliciter poteſt legi ſecundũ Chryſoſtomum. 1. noviſſimi primis æquabuntur ita quod non erit differentia, & hoc reſpondet huic quod dictum eſt quod ſinguli receperunt ſingulos denarios (id eſt vitam æternam ſecundum objectum) nec

erit differentia ſecundum tempus. Vel aliter, illi qui ſunt noviſſimi erunt primi, Deuter. 28. advena erit ſuper te, & erit in caput, tu in caudam.

Punctum II.

Alicui objectioni multipliciter reſpondetur.

NEc obſtat quod conquerentibus primis operariis in illa parabola, de eo quod paterfamilias pares ſibi faceret eos, qui minori tempore laboraverant: non id refert ad ferventiorem eorum laborem, ſed ad ſolam voluntatem, & bonitatem ſuam, quaſi in illa deſtinatione denarii diurni qui repræſentat vitam æternam, non habuiſſet reſpectum ad laborem eorum, ſed ad ſuam meram voluntatem.

Nam primò reſpondetur, id non habere peculiarem in noſtra ſententia difficultatem, cùm hoc factum & dictum ſit tempore executionis, & de ipſamet executione, quam nobiſcum cenſent adverſarii, factam eſſe ex meritis, & non ex ſola Dei bonitate & clementia: Unde illa difficultas non minus eſt ſolvenda ab illis; quam à nobis, & non minus eſt contra illos quam contra nos.

Secundò reſpondetur ibi patremfamilias non tribuere bonitati, & voluntati ſuæ totalitatem mercedis, ſed tantùm exceſſum illius ſupra laborem præſtitum, cum non dicat ſimpliciter: Volo huic dare denarium, ſed volo huic noviſſimo dare, ſicut & tibi: in quo eſt ſola comparatio mercedis unius, cum mercede alterius, quæ quidem in utriſque æqualis eſt, ſed forte ſuperabundans in omnibus, ſed donat illam ſuperabundantiam paterfamilias: Et in hoc bonus & voluntarius eſt. Quod & arguitur inſuper, & oſtenditur, ex eo quod ipſi murmuratores non murmurabant, de eo quod dediſſet iſtis noviſſimis denarium, ſeu mercedem ſimpliciter, quaſi nil meruiſſent, ſed de eo quod dediſſet eis denarium, ſicut & ſibi, in quo eſt comparatio mercedis unius cum mercede alterius, & quod licet minus illi laboraſſent, illos tamen ſibi faceret pares, & tam amplum daret eis pretium, quam ſibi: quod ſolum arguit exceſſum mercedis, & non nullitatem meriti. Et ſic patet quod bonitas, & gratia, & ut ita dicam voluntarietas patrisfamilias, non erat in ipſa mercede, ut merces eſt: ſed in quantitate excedente, vel in valore pretii ſuperabundante, reſpectu habito ad laborem: ita & nos concedimus, quod gloria, aut beatitudo quam dat Deus operibus noſtris, & meritis; eſt quidem ſuperexcedens & ſuperabundans reſpectu noſtri laboris; & ſic quod ſub hac formalitate, & conſideratione, eſt ex mera voluntate, & ex bonitate Dei: ſed hoc non arguit quod totalitas rei datæ, ſeu gloriæ, ſit ex mera voluntate, & bonitate Dei, & ſit mera Dei gratia, ut volunt adverſarii; ſed tantum quod

major quantitas, aut valor, aut exceſſus pretii, ſit ex mera Dei voluntate, & bonitate, quod & nos libenter concedimus cum omnibus Theologis, qui dicunt Deum compenſare noſtra merita ſupra condignum: Et fatetur ipſe Paulus, non eſſe condignas noſtras paſſiones ad futuram illam gloriam quæ revelabitur in nobis, cum illa gloria tantum ſuperet noſtra merita, quantum æternitas ſuperat momentum, & magnum ſupra modum pondus ſuperat levitatem. Hinc ergo non arguitur quod prædeſtinatio noſtra ad gloriam ſit mere gratuita, ſeu ex mera Dei gratia: ſed quod ſit partim gratuita, partim oneroſa; partim ex gratia, partim ex juſtitia, ſed ſimpliciter ex juſtitia, cum promiſerit Deus gloriam operibus, & ſic ſe fecerit debitorem: Secundum quid autem ex gratia, in quantum pretium longe ſuperexcedit meritum, & gloria longe magis valet quam opera.

Tertiò reſpondetur, ibi à Chriſto comparationē inſtitui inter Apoſtolos, ſeu etiam Chriſtianos, tanquam novos operarios, & antiquos Patres, tanquam primos operarios, quorum tamen Apoſtoli & viri Apoſtolici, ut ſupra ipſe dixerat, debebant eſſe judices, & ſic eſſe majores: Et bene dicit Chriſtus quod illis poſtremis & noviſſimis magnam impendit, & voluntariam gratiam in conſecutione gloriæ præ antiquis Patribus, propter ſcilicet gratiam abundantiorem in Lege nova quam in veteri effuſam, propter quam abundantiam poterant dici Apoſtoli, & viri Apoſtolici una hora feciſſe, & parum laboraſſe præ antiquis Patribus qui portantes jugum Legis Moſaïcæ, poterant dici portaſſe pondus diei & æſtus (juxta illud Act. 15. Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus) & ſic diutius laboraſſe, & nihil tamen amplius reportaſſe: Unde bene refert paterfamilias ad meram bonitatem, & voluntatem ſuam, quod tam cito & ſuaviter conſecuti eſſent illam gloriam, quam alii conſecuti erant tam duro, & tam longo labore, & ſic pares eos faceret, in præmio vitæ æternæ, cum aliis qui diutius & durius laboraverant in ea conſequenda quam ipſi, quod refertur ad gratiam Novi teſtamenti: Unde alibi dicit Apoſtolis ſuis JESUS: Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis, quod communiter interpretantur Patres de antiquis Prophetis, ut habet Maldonatus in hunc locum: quia nempe gratia Novi Teſtamenti facit omnia levia, & facilia, & laborem ipſum mutat in ſuavitatem, propter abundantem in illo charitatem: unde dicebat aliquando Paulus: Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione: & hoc eſt quod facit una hora facere, quod alii vix faciunt tota die, propter nempe gratiæ ſuavitatem & perfectionem.

Momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternū gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Cor. 4. 17.

Hanc parabolam etiam explicat Auguſtinus ſer 59. de verbis Dom. cap 4. de antiquis Patribus, & de Chriſtianis.

D. Thomas, Comment. in hoc caput. ait: Major iis qui Sacramentis imbuti ſunt gratia data eſt, quam primis: Eph. 3. Aliis generationibus non eſt agnitū ſicut nunc revelatum eſt ſanctis Apoſtolis: Unde abundātius collata fuit eis, licet aliqua perſona in Veteri Teſtamento habuerit quoad aliquid majorem gratiam.

Ubi & notandum eſt quod hîc non eſt quæſtio de majori, aut minori gloria intenſive, ſed de eadem gloria ſecundum ſe, quam Deus dat omnibus prædeſtinatis, licet inæquali tempore, & pœna laborantibus, quod bene repræſentatur per denarium diurnum, quem dat paterfamilias omnibus operariis, licet inæquali tempore, & pœna laborantibus.

Sed etſi hîc eſſet quæſtio de majori, aut minori gloria intenſive, non tamen eſſet abſurdum dicere quod eandem intenſive gloriam daret illis inæquali tempore, & pœna laborantibus, cum præmium illud non detur ſecundum proportionem majoris, aut minoris laboris, aut difficultatis, aut etiam temporis in labore conſumpti, ſed tantum ſecundum proportionem majoris, aut minoris perfectionis, & bonitatis quæ eſt in opere: Quot enim perfecti viri minus laborant in vincendis tentationibus, & præceptis faciendis, quam imperfecti: & tamen non minus, imo magis merentur quam imperfecti. Bonitas ergo illa Dei non eſt quod non reſpiciat ad laborem; aut quod reſpiciat ſolùm ad ſuam voluntatem, in concedenda gloria ut vult objectio, ſed in eo quod non habet reſpectum ad ſolam pœnam, aut diuturnitatem laboris, ſed præcipue ad charitatem, & perfectionem operis, quæ licet in aliquibus ut in Apoſtolis, & viris Apoſtolicis, minorem pœnam & difficultatem inveniat, propter abundantiam gratiæ & charitatis, quam in aliis, ut in antiquis Patribus & Prophetis, qui durius his & diutius in antiqua lege laboraverunt, æqualem tamen refert mercedem, propter æqualem perfectionem; & forte majorem mercedem propter majorem perfectionem. Non mediocris enim bonitatis eſt, tantam & tam abundantem charitatis & gratiæ ſuavitatem ſubminiſtrare, novæ Legis hominibus, ut licet minus laborent, & minorem pœnam ſentiant in bonis operibus, non minorem tamen mercedem recipiant, quam antiquæ Legis homines, qui longe durius & diutius his laborarunt; quibus tamen nulla fit injuria, cùm proportionatam ſuis meritis habeant mercedem, ita quod ſi quis eorum contra murmuraverit, bene reſpondeatur illi: Amice non facio tibi injuriam, tolle quod tuum eſt, & vade; volo autem & huic noviſſimo dare ſicut & tibi, an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Sic erũt noviſſimi primi; & primi noviſſimi.

D. Thomas ſupra citat. explicat æqualitatem denarii dati, ſeu mercedis datæ de gloria Cæleſti ſecũdum objectũ. quod eſt Deus qui eſt æqualis in omnibus, & tamen reſpicit intenſionem. D. Auguſtinus ſer. 59. de verbis Domini, explicat illam æqualitatẽ de duratione, quia gloria eſt æterna in omnibus Sanctis.

Quod etiam exponi poteſt de omnibus Apoſtolis; qui cũ omnes martyrio conſumpti ſint, bene dici poteſt de illis: hi una hora fecerunt, quod antiqui Patres pluribus menſibus & annis: & tamen hi noviſſimi erunt in Cælo primi, & illi primi noviſſimi, qui eſt ſcopus totius parabolæ.

Nec obſtat quod hi per fervorem martyrii ſupplevere diuturnitatem temporis, quæ fuit in aliis, de quo fervore non fit mentio in parabola, ſed tantum de bonitate Dei: Nam licet de illo fervore non fiat mentio in parabola, non tamen negat eum, aut quidpiam huic habet contrarium, cum bene ſtet quod hic fervor fuerit major in eis, & tamen eorum præmium, & merces recte tribuatur bonitati Dei ſingulari, cum hic fervor ſit à ſpeciali gratia & bonitate Dei in eos propter Legem

novam abundanter effuſa, quæ non erat tanta in veteri, & ob hoc effectus ejus, ſeu gloria, per eam acquiſita, recte tribuatur, & proprie divinæ bonitati, eo modo quo Apoſtolus ſecundum Auguſtinum tribuit Dei gratiæ, quod habeamus vitam æternam, licet per merita acquiſitam: Et ſic per hæc omnia patet, quod iſta parabola convenit Apoſtolis, ut ad vitam æternam prædeſtinatis propter merita gratiæ, & non ex mera miſericordia, & ex ſola Dei voluntate.

Punctum III.

Præcedenti objectioni aliter reſpondetur.

Parabolæ nõ ſunt ad verbum exponenda, ne multa ſequantur abſurda, inquit Ruizius ex Chryſoſtomo in reguli Sacræ Script. Regul. 25. Et D. Auguſt. in Pſal. 57. ait: Quod non undequaque *datur ſimilitudo à Script. D. Thomas ſupra citatus ait ex Chryſoſtomo quod non eſt vis facienda in eo quod dicitur, ſed propter quod dicitur, unde intelligendum eſt quod tanta eſſet remuneratio, ut ſi poſſibile eſſet murmurarent (ſcilicet Sancti in cælo) hæc ubi D. Th.*

Denique reſpondetur in parabolis non eſſe attendendum ad omnia, & ſingula: ſed tantum ad principalia, ſeu ad ea quæ principaliter ſpectant ad intentionem referentis, prout notant communiter omnes interpretes Sacræ Scripturæ: alia enim in iis ſunt accidentalia, alia vero eſſentialia, eo modo quo in comparationibus, quæ ſemper, ut aiunt, in aliquo claudicant, ita & parabolæ: Illa ergo accidentalia ſunt, quæ tantum conferunt ad veriſimilitudinem, & contextum parabolæ; ut v.g. in hac parabola quod primi putarent ſe plus eſſe accepturos quam poſtremi, item quod illi murmurarent adverſus patremfamilias, & quod de eo murmurarent, quod alios ſibi pares faceret, licet longe breviori tempore quam illi laboraſſent in vinea ſua: nam in Cælo, de quo ibi agitur, neque eſt error in intellectu, neque murmur, neque invidia adverſus alios: ita & poſſet dici quod hæc circumſtantia eſt accidentaria, ſcilicet quod paterfamilias ibi referat ad voluntatem & bonitatem ſuam, potius quam ad merita, æqualem illam mercedem datã pauciori tempore laborãtibus, & diuturniori tempore laborantibus: Nihil enim hoc ſpectat ad intentionem Chriſti, quæ erat oſtendere Apoſtolis, quod licet eſſent poſteriores tempore Patriarchis & Prophetis, non tamẽ haberent minorem mercedem quam illi; nec etiam ſpectat ad prædeſt. de qua ibi agitur, cum in electis ad gloriam non conſideretur præciſe diuturnitas, aut magnitudo laboris, ſed bonitas & perfectio operis. Unde Scriptura dicit de aliquo: Conſummatus in brevi explevit tempora multa: non enim Deus habet rationem temporis, ſed bonitatis: unde illa circumſtantia, ſcilicet quod inæquali tempore laborantibus æqualis merces data ſit ex bona voluntate patrisfamilias, poſſet dici accidentaria iſti parabolæ, ut à Chriſto aſſumptæ ad ſignificandam prædeſtinationem ad gloriam & tantum eſſe ad contextum, & ad veriſimilitudinem narrationis & parabolæ, Quod enim eſſentiale eſt iſti parabolæ, ut à Chriſto aſſumptæ, illud eſt, ſcilicet, quod omnes remunerentur ob laborem, & quod poſtremi non minus remunerentur quam primi, quod bene refertur ad voluntatem Chriſti; Nam per hoc vult innuere Chriſtus ſuis Apoſtolis, quod licet ipſi poſtremi, ſeu tarde vocati ſint ad laborandum in vinea ſua, quæ eſt Eccleſia, non tamen minora

debent ſperare quam primi, ſi ſuo tempore fideliter laboraverint æque ac primi: Nam illud erat principale intentum JESU CHRISTI Domini noſtri, ut patet ex ſupradictis. Unde ſignanter ponitur in hac parabola, quod in collatione mercedis paterfamilias incipit à *noviſſimis*, quibus dat æquale ac primis, ut per hoc oſtendat, eos non minora debere ſperare quam primos: imo etiam aliquo modo majora & honorabiliora ſperare poſſe quam primos: cum in reddenda mercede inciperetur à noviſſimis, & ſic illi præponerentur primis, licet eſſent noviſſimi: Et tandem ipſe Chriſtus concludit totam iſtam parabolam his verbis: Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi: quia nempe totus ſcopus parabolæ eſt oſtendere, quod Deus in prædeſtinatione ad gloriam majorem, aut minorem, non reſpicit ad prioritatem, vel poſterioritatem temporis, ſeu vitæ prædeſtinandorum, ſed tantum ad opera eorum, & quod non minus poſtremi compenſantur in cæleſti gloria quam primi, imo magis quam primi, cum poſtremi pertineant ad Novum Teſtamentum ſeu Legem gratiæ, quæ perfectior eſt, licet facilior, & ſuavior quam Lex antiqua, ad quam pertinebant primi: Unde reliqua omnia ſunt accidentaria ad iſtam parabolam, ut à Chriſto aſſumptam: & conſequenter etiam ſupradictam circumſtantiam æqualis præmii, inæqualia merita habentibus dati, ex voluntate diſtribuentis.

Auguſt. l. 16. de Civitate Dei, cap. 2. in fine, ait: Quod non omnia quæ geſta narrantur (à Scriptura) ſignificare putanda ſunt, ſed propter illa quæ aliquid ſignificant, etiam ea quæ nihil ſignificant, attexuntur.

Sed etſi gratis concederemus iſtam circumſtantiam qua paterfamilias dicit ſuæ voluntatis eſſe, dare tantum poſtremis minus laborantibus, quantum primis diutius, & durius laborantibus, eſſe intrinſecam iſti parabolæ, ut à Chriſto aſſumptæ: non tamen bene concluderetur prædeſtinationem illam fieri ſine prævişis meritis, cum ibi ſemper adſint opera & conventio patrisfamilias cum illis operariis de eorum opera & labore, & non tantum cum primis, qui diutius laboraverunt, ut evidens eſt, ſed etiam cum ſecundis minus laborantibus, cum dicat eis paterfamilias, Ite & vos in vineam meam, & quod juſtum fuerit, dabo vobis, & etiam cum tertiis, ſeu noviſſimis minus omnium laborantibus, cum paterfamilias dicat idem quod dixerat ſecundis, ſcilicet, Ite & vos in vineam meam, & quod juſtum fuerit dabo vobis, ut habetur in Græco, licet omiſſum ſit, aut forte melius ſubauditum ſit in Latino. Cum ergo hîc ubique ſint opera & conventio ex operibus, ſequitur quod præmium non eſt mere voluntarie, & gratuitò prædeſtinatum, ut volunt adverſarii, ſed quod vere eſt prædeſtinatum ex prævişis operibus, & meritis, tam ſecundis quam primis, & tam tertiis, ſeu noviſſimis, quam ſecundis & primis, qui in vinea iſta laboraverunt. Quod autem ibi dicat paterfamilias, ſe velle dare magis laborantibus, & minus laborantibus æquale præmium, ipſi adverſarii habent illud explicare & ſolvere ſicut & nos, cum hoc non ſpectet modum quo facta eſt prædeſt. ſcilicet an ſit facta ante vel poſt prævişa merita, de quo ſolo agimus; ſed tantummodo quantitatem præmii, de qua nulla eſt inter nos controverſia. Sufficit enim nobis quod illud præmium, ſecundum ſe ſum-

ptum, ſeu gloria ſubſtantialiter ſumpta, non eſt prædeſtinata ſine meritis, aut ex mera gratia, ſed ex conventione meriti & laboris, & ex aliqua vera juſtitia, cum conventio manifeſte pateat cum operariis facta in parabola, antequam mittantur in vineam, & mercedem recipiant: Quapropter dicendum eſt, quod cum paterfamilias, in illa parabola convenit cum operariis, antequam mitteret eos in vineam: ita Deus Pater, prius voluit merita, quam prædeſtinaret aliquos ad gloriam: Et ſic quod prædeſtinatio ad gloriam facta eſt ex prævisis meritis. Quod ſi adverſarii velint etiam hîc diſtinguere cum ſuo duplici decreto, intentionis ſcilicet & executionis: dicemus, conventionem comparari primo decreto, quod eſt intentionis; miſſionem autem comparari decreto executionis: At conventio eſt cum operariis ex denario diurno, & eſt de dando quod juſtum eſt, quæ omnia ſonant opera & merita, ergo prædeſtinatio, ſeu decretum illud intentionis eſt propter prævisa merita.

Et hoc confirmatur, ex multis Scripturæ locis, ubi iſta conventio clara eſt: 2. ad Thimoth. 2. *Si* quis ergo emundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, id eſt prædeſtinatum. Ad Rom. 8. *Si* compatimur, ut & conglorificemur. Item, ad Rom. 11. Vide ergo in te bonitatem Dei, *ſi* permanſeris in bonitate, alioquin excideris. Item, & Matth. 10. & 24. *Qui* perſeveraverit uſque in finem, ſalvus erit; & alia hujuſmodi in ſacris Scripturis, præcipue in Apocalypſi D. Ioannis per multa quæ ſupponunt conventionem, & per conſequens prædeſtinationem factam eſſe ex prævisis meritis.

PUNCTUM. V.

Alicui difficultati ex Auguſtino factæ occurritur.

Locus Auguſtini pro prædeſtinat. ad gloriam poſt prævisa merita.

RESTAT unica difficultas ex Auguſtino, qui videtur libro de dono perſeverantiæ cap. 8. explicare hanc parabolam de prædeſtinatione ad gloriam, ut mere gratuita, his verbis: Recolamus igitur illos operarios in vinea, qui tota die laboraverunt, & eos qui una hora. Nempe *cauſa* diverſa eſt impenſi laboris, & tamen idem *judicium* in *redditione mercedis*; numquid & hîc audierunt murmurantes à patrefamilias, niſi hoc volo: ita quippe ejus erga alios fuit largitas, ut erga alios nulla eſſet iniquitas.

Ibi Auguſt. vocat gloriã largitatem, eo modò quo loco infra citando vocat illam, gratiam.

Reſpondeo D. Auguſtinum ibi ſe ſatis explicare de prædeſtinatione ad gloriam ex prævisis meritis, per hæc verba: Idem judicium in redditione mercedis. Quæ manifeſtam indicant juſtitiam, & non meram gratiam, & miſericordiam: unde dicendum eſt, quod in illa prædeſtinatione, agnoſcit gratiam ſimul & juſtitiam, eo modo quo in explicando illo textu Apoſtoli: Gratia autem vita æterna: gratiam agnoſcit & juſtitiam: dicens quod hoc dicitur propter merita, quæ gratia contulit homini: ubi agnoſcit gratiam propter ipſam gratiam, quæ concurrit

currit ad merita, & etiam juſtitiam, propter ipſa merita quibus redditur vita æterna: ita & intelligit noſtrum textum Auguſtinus in illo loco, quem textum ibi adducit occaſione gratiæ concurrentis ad merita, quibus acquiritur gloria: quia agebat contra inimicos gratiæ, qui ponebant initium ſuæ fidei eſſe à ſolo homine, & non etiam à Deo, & ab ejus gratia præveniente: At ut oſtenderet gratiam Dei concurrere ad omnia merita hominum, adducit hanc parabolam, ubi merces non redditur ex meris meritis operariorum, ſed etiam ex gratia compenſantis. Unde bene conſequenter ait, & iſti quidem utrique in bonis ſunt, id eſt, & hi utrique in meritis ſunt, aut in præmiis: Nam poſtea loquens de aliis ſecundum ſuam appropriationem, in ordine ad prædeſtinationem ad gratiam (unde & mutat verba parabolæ ut infra videbimus) ſic loquitur de iis, quibus Deus concedit gratiam ex gratia, & de iis quibus negat eam ex juſtitia, ſeu ex punitione debita: Verumtamen quantum ad juſtitiam (id eſt negationem gratiæ) ſpectat & gratiam, poteſt & de reo qui liberatur recte dici, volo; poteſt & de eo qui damnatur: Tolle quod tuum eſt, & vade: Huic autem volo, quod non debetur donare, an non licet mihi facere quod volo, an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Ubi nota verbum iſtud, poteſt, quod oſtendit Auguſtinum id dicere per accommodationem de prædeſtinatione ad gratiam, & non per veram explicationem parabolæ. Unde & mutat verba illius ponens: Volo autem huic quod non debetur donare: pro eo quod eſt in textu parabolæ: Volo autem & huic noviſſimo dare, ſicut & tibi: quia nempe longe diverſa eſt ratio prædeſtinationis ad gloriam, de qua prius loquebatur, à ratione prædeſtinationis ad gratiam, de qua nunc loquitur: In prima enim concurrit juſtitia ſimul & gratia, juſtitia quidem propter prædeſtinandorum merita, gratia autem propter gratiam, quæ eſt principium illorum meritorum. In ſecunda vero mera reperitur gratia, quia id quod prædeſtinatur, eſt gratia ſimpliciter; gratia autem non eſt gratia ſimpliciter, ſi meritis redditur, & eſt aliquo modo in juſtitia, debita. Unde bene ibi mutat verba parabolæ Auguſtinus, dicens: Volo & huic quod non debetur donare: Quia nempe id quod ibi donatur & prædeſtinatur eſt mera gratia, & conſequenter debet eſſe prorſus indebita: ubi cum ſic iſtas duas prædeſtinationes diſtinguat Auguſtinus, ut unam dicat eſſe prorſus indebitam, ſcilicet prædeſtinationem ad gratiam, de qua in poſtrema parte loquitur: & alteram, de qua prius locutus fuerat, ſcilicet prædeſtinationem ad gloriam eſſe mercedem & meritis redditam, cum agnoſcat in illa judicium in redditione mercedis, conſequens eſt, quod ſicuti ubique prædeſtinationem ad gratiam, defendit ut omnino gratuitam, ſic teneat prædeſtinationem ad gloriam non eſſe omnino gratuitam, ſed gratuitam ſimul & oneroſam, oneroſam quidem propter merita quæ ſunt ad illam neceſſaria, gratuitam autem aliqualiter, quia his meritis redditur quæ gratia contulit prædeſtinato.

Nota valde hanc diverſitatem quæ etiam connotat Auguſtinum nõ fuiſſe locutũ in præcedẽti textu de perſeverantia, ſed de ipſa vita æterna: Quia ſi locutus ibi fuiſſet de perſeverantia, eodem modo locutus fuiſſet, ac hic de prima gratia: cum utraque ſit mere gratuita, & prorſus indebita, nec perſeuerantia poteſt dici merces, aut meritis reddita ut ibi.

R

Et ſic patet quod hæc parabola etiam ſecundum Auguſtinum, eſt de prædeſtinatione ad gloriam poſt præviſa merita: Nec vero dicendum eſt quod D. Auguſtinus loquitur ibi de prædeſtinatione ſecundum executionem, & non ſecundum intentionem; nam ſupra oſtenſum eſt D. Auguſtinum non diſtinguere inter intentionem & executionem prædeſtinationis, quoad modum quo facta eſt, ſed ſemper ſuppoſuiſſe intentionem & executionem eodem omnino modo ſe habere in prædeſtinatione hominum.

Argum. 5. ex Auguſt.

PARAGRAPHUS QUINTUS.

Argumentum quintum proponitur.

PUNCTUM PRIMUM.

Vis argumenti aperitur, & uni objectioni reſpondetur.

QUINTUS locus eſt ex 2. Petri Epiſtola cap. 1. ubi ait: Satagite, fratres, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis. Cui ſimilis eſt locus hic Apocal. 3. Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam: Per quæ Spiritus ſanctus innuit ſalutem noſtram eſſe ſimpliciter incertam & eſſe ſemper verum periculum perdendi eam, uſque ad finem vitæ, quod non poteſt conſiſtere cum prædeſtinatione ante præviſa merita, bene tamen cum prædeſtinatione poſt præviſa merita: Nam ſi prædeſtinatio facta eſt ante præviſa merita, unde petetur incertitudo noſtræ ſalutis, quam ſupra innuit ſacra Scriptura, cum decretum Dei abſolutum, & independens à noſtris operibus, quale eſt decretum illud prædeſtinationis ante præviſa merita, nullo modo poſſit falli, neque in ſe, neque in ſubjecta materia; ſed certò & infallibiliter ne dicam neceſſariò, effectum habiturum ſit: Idque ex principiis intrinſecis, cum media quibus utitur ad habendum ſuum finem, ſeu ad procurandam noſtram ſalutem aſſumantur ut efficacia, & certò ſalutem noſtram allatura. In noſtra autem ſententia, bene intelligitur iſta incertitudo ſalutis in prædeſtinatis: Nam licet extrinſece & ex præviſione Dei, noſtra ſalus ſit certa, & infallibilis, ſicut & alia omnia futura contingentia quæ ſunt in rerum natura, tamen ſimpliciter eſt fallibilis & incerta, quia nempe fit per media quæ de ſe ſunt fallibilia & incerta, & nulli ſubſunt decreto antecedente infallibili, per quod eligantur ut efficacia, & certo ſalutem æternam allatura: Unde in hac ſententia ſalus noſtra eſt abſolute fallibilis, & incerta, juxta id quod poſtulat Sacra Scriptura.

Hoc Argumētum magni momenti eſt: Nam multi perperam putantes, ſuam ſalutem, aut damnationē certam eſſe ex prædeſtinatione ante præviſa opera, negligunt ſemetipſos, quod ſi non putarēt, non ſe negligerēt.

Sed dices: Etiam ſalus illorum qui ſunt prædeſtinati ante præviſa merita, poteſt dici vere fallibilis, & incerta, ob media

illius quæ ſunt contingentia, & non neceſſaria, quandoquidem electi poſſunt cum illis mediis bene & male agere, ſi velint, item ſalvari, aut non ſalvari: Et etiam quia quælibet illa media in ſingulari, non habent aliam certitudinem quam prævisionis: in tantum enim habent certitudinem, in quantum à Deo prævidentur effectum habitura.

Reſpondeo non ſufficere ad hoc ut noſtra ſalus ſit vere fallibilis, & incerta, quod media illius ſint quomodocumque contingentia: ſed debent eſſe ita contingentia, ut ſint à cauſa fallibili & fallibiliter agente applicata, ut in cæteris omnibus contingentibus, quæ ſunt in rerum natura: At vero illa media quæ impenduntur à Deo in procuranda ſalute prædeſtinatorum ad gloriam ante præviſa merita, non ſunt à cauſa fallibili aut fallibiliter operante, ſed à cauſa infallibili & infallibiliter, ut ſic operante, ſcilicet à creatura directa à Deo infallibiliter, ut ſic operante ût pote exequente decretum ſuum immutabile, abſolutum, & efficax ante omnem prævisionem futuri. Unde licet ſalus electorum ad gloriam ante præviſa merita, ſit ex mediis contingentibus, non tamen ſequitur quod ſit fallibilis, & incerta, ut poſtulat Scriptura, cum ſit à cauſa infallibili, & infallibiliter operante, & utente talibus mediis, aut eligente talia media, quæ licet contingentia ſint, ſunt tamen infallibiliter ut ſic operatura.

Ad id autem quod dicitur media illa in ſingulari non habere aliam certitudinem quam prævisionis: Reſpondeo hoc eſſe verum; ſed hoc non ſufficere ad faciendam noſtram ſalutem incertam & fallibilem, prout Scriptura poſtulat, cum noſtra ſalus non pendeat à quolibet medio in ſingulari, ſed ab omnibus ſimul ſumptis, quæ certo & infallibiliter perducunt nos ad vitam æternam in ſententia adverſariorum: At illa media ſimul ſumpta non habent totam ſuam infallibilitatem à prævisione in ſententia adverſariorum, ſed à decreto prædeſtinationis quod talia ſeligit media quæ infallibiliter noſtram ſalutem efficiant. Unde eodem modo ſe habent omnia illa media ad ſalutem, electi ante præviſa merita efficiendam, quomodo gravis tentatio ad eliciendum conſenſum hominis, ſolis communibus auxiliis inſtructi: quælibet enim pars iſtius tentationis eſt inefficax ad eliciendum iſtius hominis conſenſum, ſed ſimul omnes eliciunt illum, certo & infallibiliter, imo neceſſario: ita quælibet media ad ſalutem noſtram ſic aſſumpta, poſſunt eſſe inefficacia; ſed ſimul omnia ſemper efficiunt, idque infallibiliter, imo quodammodo neceſſario, cum illa infallibilitas (ſi ſola infallibilitas eſt) non ſit conſequens ut in cæteris contingentibus, ſed antecedens, cum decretum aſſumens illa, ſit antecedens omnem prævisionem abſolute futurorum, & in tantum aſſumat illa media in quantum ſuæ vi & efficacitati ſunt convenientia; & per conſequens aſſumit ea ut infallibilia, & ſic reddunt noſtram ſalutem omnino infallibilem, contra quod Scriptura ſupra allata dicit: Et ratio eſt quia illa media non conſiderantur tunc ut media creaturæ, ſed ut media Dei abſolute decernentis, ſeu ut me-

dia, quibus Deus utitur ad exequendum ſuum decretum antecedens efficax & abſolutum: At illa media debent eſſe certa & infallibilia, & non fallibilia, ergo reddunt ſalutem noſtram ſic decretam & volitam, certam & infallibilem, & non fallibilem & incertam, prout poſtulat Scriptura.

Punctum II.

Alicui alteri objectioni occurritur, & aliquis locus Scripturæ allatus ſingulariter exponitur.

Dices, licet ſalus electorum eſſet omnino certa & infallibilis, & ſic incertitudo illa de qua loquuntur textus allati, non eſſet vera, ſed ficta & ſimulata: tamen Scriptura ſacra poſſet ita loqui de illa ſalute, quaſi eſſet incerta, ad incutiendum terrorem electis, ut hinc ſiant cautiores & diligentiores in exequendis rebus ad ſalutem ſuam neceſſariis, eo modo quo parentes ſæpe minantur ſe exhæredaturos ſuos filios, licet à parte rei ſciant ſe nullo modo id facturos, ſed tantum ad terrorem eis incutiendum id faciant.

Reſpondeo primò in explicanda ſacra Scriptura nunquam eſſe confugiendum ad ſimulationes & fallacias, nec etiam ad improprias ſignificationes, præcipue quando pure & ſimpliciter intelligi poteſt, ſine ullo inconvenienti; nam alias infinita ſequerentur abſurda: At nullum inconveniens eſt quod pure & ſimpliciter intelligamus hos textus de vera ſalutis fallibilitate, & incertitudine: Ergo ſic intelligi debent, & non aliter. Porro quod nullum inconveniens ſit intelligere illos textus de vera fallibilitate & incertitudine ſalutis, patet tum quia nihil repugnat quin Deus ita potuerit ſtatuere de noſtra ſalute, ut media ad illam conſequendam neceſſaria eſſent omnino fallibilia, & quod ſalus electorum eſſet vere incerta, cum per hoc, & in nobis veram conſervaret humilitatem, & tamen ex parte ſua veram haberet certitudinem de noſtra ſalute, aut damnatione per præſcientiam. Tum etiam quia Scriptura ipſa nullibi dicit aperte contrarium, propter quod debeamus intelligere prædictos textus in ſenſu improprio, & non in proprio; & per conſequens certum eſt quod illi textus debent intelligi de vera fallibilitate & incertitudine ſalutis noſtræ, & non aliter.

Reſpondeo ſecundò, omnipotentem Deum non egere mendaciis & ſimulationibus ad exequendũ ſuum decretum, & ad perducendos infallibiliter ſuos electos ad ſalutem deſtinatam, cum habeat infinitos modos rectos & laudabiles ad iſtud perficiendum ſine eo quod recurrere debeat ad iſtos obliquos, & de ſe vituperabiles modos, & ſolum tolerabiles in infirmis hominibus, qui aliter decreta ſua exequi non poſſunt. Unde inſtantia iſta ſumpta à parentibus incutientibus falſum timorem ſuis filiis, non valet in Deo, cum non repugnet hominibus eſſe mendaces & fallaces, & infirmitas excuſet eos, id autem repugnet Deo: Unde

Multa ignoſcuntur imperfectis, quæ non excuſantur in perfectis.

hæc fictio & ſimulatio non poteſt ei recte attribui, nec proinde textus prædicti de illa debent explicari. Verum aliqui aliter interpretantur locum D. Petri, ſcilicet de certitudine à nobis quærenda de noſtra ſalute, eaque aliis notificanda: non autem de certioratione & aſſecuratione illius procuranda per bona opera, prout nos intelligimus: Quod ita intelligunt illi quaſi Scriptura hortaretur fideles ut ſatagerent cognoſcere, an ſalvandi ſint, & curarent alios de hoc eventu certos facere. Sed ſane id quam longiſſime diſtat à vero ſenſu iſtius textus: Nam non ſolum ibi ponitur certam ſalutem, ſed etiam firmam, Græce βεβαίαν, quod verbum proprie ſignificat rem per ſe firmam & ſtabilem, & non certitudinem per intellectum: Et per conſequens clarum eſt quod hoc reſpicit firmitatem & ſtabilitatem ipſius ſalutis, & non cognitionis; ut bene etiam notat Eſtius in hunc locum: quam interpretationem etiam confirmat ex eo quod infra ſic vertit noſter interpres: Et habemus *firmiorem* propheticum ſermonem; ubi textus Græcus habet, καὶ ἔχομεν ΒΕΒΑΙΟΤΕΡΟΝ τὸν προφητικὸν λόγον, ubi repetitur idem verbum quod ſupra ſignificans ibi veram firmitatem & ſtabilitatem, non autem certitudinem cognitionis. Quod etiam ex hoc confirmat, quia huic firmitati lapſus opponitur in textu Epiſtolæ proxime ſequenti, in quo habetur: Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando: Græce, οὐ μὴ πταίσητε non *labemini* non impingetis, at certitudini cognitionis ſola opponitur incertitudo aut dubitatio, & non ipſe lapſus, ut hîc opponitur; ergo nequaquam huic textui congruit hæc interpretatio: Et certe non multum valet ad ædificationem: ut Scriptura hortetur homines ad iſtam curioſitatem, quâ cognoſcant, an ſint prædeſtinati, necne, an ſint ſalvandi an non ſalvandi, & id aliis notificent: cum hoc magis inclinet eos ad vanam gloriam quam ad veram humilitatem, ad quam nos ubique Scriptura adhortatur, unde hæc intepretatio tam improbanda viſa eſt Eſtio alioqui nobis contrario, ut nec diſſimulare illud ibi potuerit.

Dionyſ. Carthuſ. in hunc locum.

Quantum ad alterum textum, qui eſt ex Apocalypſi, tam clarus ille eſt, de incertitudine & fallibilitate noſtræ ſalutis, ut etiam Eſtius nobis contrarius illud approbet, ſic interpretans illum locum: Tene fortiter, inquit, ne quis auferat tibi coronam tuam, aut eam amittas. Parum autem refert ad noſtrum inſtitutum, quod ibi nolit ex hoc loco bene inferri quod alius habebit illam coronam, ſi iſte illam amittat: ſufficit enim nobis hîc, quod ille agnoſcat illam coronam eſſe amiſſibilem, & per hoc incertam & fallibilem: Nam ad oſtendendum quod alius eam habiturus ſit, ſi iſte amittat, ſufficit nobis authoritas Auguſtini, qui id clare teſtatur contra Eſtium libro de corrept. & gratia cap. 13. ubi cum, aliis Scripturæ teſtimoniis oſtendiſſet, quod aliquibus cadentibus, alii ſuccedebant in filios Abrahæ (id eſt in ſalvandos) ſic ait: Quod apertius in Apocalypſi dicitur: Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Si enim, inquit Auguſtinus, alius non eſt accepturus, niſi iſte perdiderit, certus eſt numerus electorum. Ubi tam clare affirmat unum poſſe

accipere coronam alterius qui cecidit, ut aſſerat eum non poſſe illam accipere, niſi alius perdiderit. Et ita etiam interpretatur locum illum Primaſius, Auguſtini diſcipulus. Oſtendens, inquit, huic numero (ſcilicet electorum) nec addi quemquam poſſe nec minui, cum ſic iſtum *propriam coronam dicit amittere ut alius eam percepturus accedat*: Unde intelligitur nec alium poſſe ſuccedere, ſi quod ille tenuit, perſeverantiſſime cuſtodiat. Ex quo manifeſtum eſt, non ſolum illam coronam eſſe amiſſibilem, ut etiam fatetur Eſtius, & quod eſt totum id, quod hîc intendimus: ſed etiam eſſe talem, ut ſi unus eam amiſerit, alter eam accipiat, nec alterum eſſe accepturum, niſi iſte amiſerit.

Comment. in Apoc. in hunc locum.

PARAGRAPHUS SEXTUS.

Argumentum sextum proponitur.

Et alicui objectioni occurritur.

SExtus locus eſt ex 2. ad Timoth. cap. 4. ubi ſic ait Apoſtolus: Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, in reliquo, mihi *repoſita* eſt corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex, non ſolum autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus: Ubi verbum, *repoſita*, clare ſignificat prædeſtinationem: repoſitum enim idem eſt, quod paratum, aſſervatum, reconditum pro aliquo, alicui deſtinatum. Quod omnino ſignificat ibi verbum Græcum *ἀπόκειται*, id eſt, repoſita eſt, reſervata eſt, deſtinata eſt; unde *τὸ ἀποκείμενον*, quod ſignificat deſtinatum, & pro aliquo poſitum. Unde non eſt dubium quin hoc verbum ſignificet prædeſtinationem, & ita interpretatur illud D. Thomas in Paulum lect. 2. in hoc caput: Repoſita eſt, inquit, id eſt ſecundum æternam prædeſtinationem reſervata. Quod etiam confirmatur ex ſequentibus verbis, ubi notatur executio ut diſtincta à præcedentibus, quam reddet, inquit Apoſtolus, mihi in illa die juſtus judex: Unde cum notetur ibi executio, conſequens eſt quod id quod præcedit, ſignificet intentionem, ſeu ipſam prædeſtinationem. Atqui ejuſmodi coronam ſibi repoſitam & prædeſtinatam dicit eſſe coronam juſtitiæ, Græce, *ὁ τῆς δικαιοσύνης στέφανος*: Aliqui tamen volunt ſumi pro corona juſta, ſed præterquam quod id eſt contra utrumque textum, & Græcum & Latinum, tamen ut ait hic Eſtius, eodem recidit cum non ſit corona juſta, niſi ratione juſtitiæ, quæ præparavit, & deſtinavit eam. Cum ergo illa corona quam omnes interpretantur eſſe vitam æternam, ſit corona juſtitiæ, ſeu per juſtitiam, aut ex juſtitia deſtinata, conſequens neceſſario eſt quod vita ſeu corona illa æterna, ſeu gloria; ſit electis deſtinata ob præviſa merita, quæ ſunt motiva ~~illa~~ illius juſtitiæ, quæ præparavit eam.

Sed dices, licet hoc loco Apoſtolus, vocet gloriam, coronam juſtitiæ, alibi tamen eam vocat gratiam, ut ad Rom. 6. Gratia autem vita æterna: oſtendens per hoc gloriam ſimul eſſe gratiam & juſtitiam, gratiam! ſcilicet in prædeſtinatione, & juſtitiam in executione.

Reſpondeo eſſe gratiam & juſtitiam ſimul & ſemel, & indiviſibiliter, non vero partite & ſeparatim; quomodo eam ſumunt illi qui tenent duplex decretum in prædeſtinatione, quaſi eſſet in intentione mera gratia, & in executione juſtitia: Nam utrumque eſt in intentione, & utrumque in executione: In intentione, quia Deus nobis deſtinat illam propter merita, non quæcumque, ſed ex gratia ſua profecta, & ſic eſt gratia, propter gratiam quæ concurrit ad merita, & eſt juſtitia propter ipſa merita, quibus debetur gloria: Et idem eſt de executione, quia datur actu propter eadem merita: Et ita ſolvit hanc difficultatem in hoc loco Eſtius, dicens: In Scripturis vita æterna aliquando merces, aliquando gratia vocatur: merces quia datur pro meritis bonorum operum, gratia quoniam hæc ipſa merita ſunt Dei dona, id eſt à gratia Dei profecta, & ita ſolverat hanc difficultatem Auguſtinus ante eum, loco ſupra allato de correptione & gratia cap. 13. dicens: Id fieri quia vita æterna, ſeu gloria his meritis redditur quæ contulit Dei gratia homini.

PARAGRAPHVS SEPTIMVS.

Argumentum VII.

Proponitur & confirmatur.

Septimus locus eſt ex capite 8. ad Romanos, ubi ait Apoſtolus, Quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui, quos autem prædeſtinavit hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit; & quos juſtificavit, hos & glorificavit. Quem locum ipſi adverſarii interpretantur de prædeſtinatione ad gloriam, & etiam multi qui ſtant à partibus noſtris, nos autem putamus eſſe de prædeſtinatione ad gratiam, ſed quomodocumque ſumatur: Infra de illo eliciemus argumentum pro prædeſtinatione ad gloriam poſt præviſa merita. Interim conſideramus eam hîc ut de prædeſtinatione ad gloriam, & dicimus quod ſi locus hic eſt de prædeſtinatione ad gloriam, arguit illam eſſe poſt præviſa merita: Et ratio eſt, quia ibi præſcientia præcedit prædeſtinationem, prius enim dicitur præſcivit, quam prædeſtinavit: Ergo conſequens neceſſario eſt, quod præſcientia præcedat illam prædeſtinanationem, cum Scriptura nihil ponat inconſultò & imprudenter. Præterea ſi illa prædeſtinatio de qua ibi loquitur Paulus, eſt ad gloriam, & non ſit poſt præviſa merita, ſed ante præviſa merita, & non ſupponat

præſcientiam ut præviam & antecedentem, quomodo nolunt eam ſupponere adverſarii, omnino deberent aliter & contrario modo illa verba diſponi, & dici: Quos prædeſtinavit & præſcivit: non autem, Quos præſcivit & prædeſtinavit: Et ratio eſt quia ſi prædeſtinatio ad gloriam eſt ante præviſa merita, illa debet eſſe cauſa, vel quaſi cauſa præſcientiæ divinæ, cum in hac opinione in tantum res futura præſciatur, in quantum eſt futura per prædeſtinationem: In tantum enim prædeſtinati in opinione tenentium prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante præviſa merita, ſunt conformes futuri imagini filii Dei, de quo ibi loquitur Scriptura, in quantum ſunt prædeſtinati, & electi ad eſſe tales, cùm prædeſtinatio illa ſit cauſa meritorum, & omnium bonorum in prædeſtinatis, & per conſequens faciat illos eſſe futuros tales: At præſcientia ſupponit futurum, utpote ſuum objectum, ſeu cauſam illius objectivam, ergo ſupponit illam prædeſtinationem, per quam illi futuri ſunt conformes imaginis filii ſui: Ergo non deberet illam prædeſtinationem præcedere, ſed ſubſequi: Ergo non deberet dici quos præſcivit & prædeſtinavit, ſed è contra deberet dici, quos prædeſtinavit, & proinde præſcivit conformes fieri imaginis filii ejus, quod cum non ſit in littera, ſed omnino contrarium, conſequens neceſſario eſt quod prædeſtinatio illa non ſit ante præſcientiam, ſeu ante præviſa merita, ſed poſt præſcientiam, ſeu poſt præviſa merita cum ſit prædeſtinatio ad gloriam.

Et ſane niſi intelligamus illam prædeſtinationem ad gloriam eſſe poſt præviſa merita, vix poſſet dari ſenſus tolerabilis ſupradicto textui. Nam quæſo quis eſt ſenſus in iſtis verbis: Quos præſcivit & prædeſtinavit, conformes fieri imaginis filii ejus, ut ipſe ſit primogenitus in multis fratribus? Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, &c. videtur enim ibi aliquid deſiderari quo finiatur & compleatur ſenſus inchoatus per hæc verba: Quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ejus, ut ipſe ſit primogenitus in multis fratribus: Nam ſequentia verba: Quos autem prædeſtinavit hos & vocavit, non complent ſenſum præcedentem, ſed novum inchoant, ut patet per illam particulam, *autem*, quæ eſt adverſativa, ſeu potius ut ita dicam disjunctiva & diſtractiva: at vero ſi addas verba quæ ibi ſubaudiunt ii qui interpretantur locum illum de prædeſtinatione poſt præviſa merita, bene completur & perficitur ſenſus ſic: ſcilicet, quos præſcivit ſibi fore conformes in vita, hos prædeſtinavit fieri ſibi conformes in gloria: Nam in his verbis declaratur prædeſtinatio ad gloriam ex præviſis meritis, in aliis autem ſequentibus, ſcilicet, quos autem prædeſtinavit hos & vocavit, quos vocavit hos & juſtificavit, & quos juſtificavit illos & glorificavit, & declaratur illius prædeſtinationis executio, & ſic bene omnia cohærent inter ſe. Unde multi Patres ita interpretati ſunt textum illum. Origenes in Epiſtolam ad Romanos, lib. 7. circa medium in prædicta verba, ubi pluries dicit, Quos præſcivit hos prædeſtinavit. Theodoretus in illum locum, ait: Non ſimpliciter prædeſt. ſed cum præſciſſet prædeſtinavit. Et infra:

Quando rectus ſenſus Scripturæ alium exitũ non poteſt invenire, niſi additione aliqua, addendum aliquid eſt ut intelligatur. Ruizius ex Auguſtino in Regulis Sacra Script. Reg. 160.

Et infra: Quorum propoſitum præſcivit, hos ab initio prædeſtinavit. Ambroſius lib. 5. de Fide cap. 3. paulo ante finem: Quorum, inquit, merita præſcivit, horum præmia prædeſtinavit. Sedulius in Bibliotheca Patrum, in Epiſtolam ad Romanos, in prædicta verba. Hos, inquit, quos præſcivit futuros devotos ſibi, illos elegit ad promiſſa præmia capeſſenda. Item, Primaſius Auguſtini diſcipulus, in Epiſt. ad Romanos in eadem verba. Prædeſtinavit, inquit, ut qui dono ejus conformis eſſet in vita, eſſet conformis in gloria. Haymo: Quos præſcivit, inquit, ſubaudis eſſe credituros in ſua fide permanſuros, iſtos & prædeſtinavit. Unde nullatenus dubito quin ſi locus iſte intelligendus ſit de prædeſtinatione ad gloriam, debeat intelligi de prædeſtinatione poſt præviſa merita, & non ante præviſa merita. Sed ſi intelligendus ſit de prædeſtinatione ad gratiam, ut cenſeo & late probo inferius object. 8. ex Script. ſane non minorem habet vim contra prædeſtinationem ad gloriam ante præviſa merita, & pro prædeſtinatione ad gloriam poſt præviſa merita, quàm ſi intelligendus eſſet de ipſa prædeſtinatione ad gloriam poſt præviſa merita, cum idem judicium debeat fieri de prædeſtinatione ad gloriam, ac de prædeſtinatione ad gratiam quoad antecedentem illam præſcientiam. Et ratio eſt quia eadem ratio militat in utraque prædeſtinatione pro præſcientia antecedente. Nam ut ſupra ſatis oſtendi, non poteſt expoſci præſcientia ante prædeſtinationem ad gratiam, *In Argum. 3. ex Auguſt.* niſi ratione libertatis, & indifferentiæ conſervandæ in homine bene operaturo per gratiam: ſed eadem libertas & indifferentia eſt conſervanda in homine conſecuturo gloriam per merita, ergo illa præſcientia tam debet expoſci ante prædeſtinationem ad gloriam, quam ante prædeſtinationem ad gratiam: In illa quidem, præſcientia meritorum, in hac vero præſcientia conſenſus futuri creaturæ. Et ſic manifeſtum eſt quod hic locus ſive ſit de prædeſtinatione ad gloriam, ſive de prædeſtinatione ad gratiam, ſemper favet maxime prædeſtinationi ad gloriam poſt præviſa merita: quod intendimus.

PARAGRAPHUS OCTAVUS.

ARGUMENTUM VIII.

Proponitur & confirmatur.

OCTAVUS locus eſt Apocal. 3. ubi Chriſtus ſic loquitur Epiſcopo Sardicenſi de quibuſdam prædeſtinatis, qui erant in ejus diœceſi: Habes, inquit, pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt veſtimenta ſua, & ambulabant mecum in albis quia digni ſunt. Ubi hæc verba, ambulabunt mecum in albis: communiter interpretes intelligunt de gloria Cæleſti: Ita quod ſenſus ſit: mecum erunt in gloria Cæleſti, quia digni ſunt. Quæ interpretatio confirmatur ex ſequenti verſu, ubi dicitur, qui vicerit hic veſtietur veſtimentis albis: Ibi enim veſtimenta alba ſumuntur pro gloria, & non pro innocentia: Nam cum illi quibus id promittitur, deberent eſſe victores antequam veſtimentis illis induerentur, ut patet ex hac conditione qui vicerit, quæ conditio ſupponitur in ipſis, antequam illis veſtimentis induantur: Sequitur quod illa veſtimenta illis promiſſa, non poſſunt eſſe ipſa innocentia, cùm ipſamet innocentia ſit ipſa victoria, quæ iis ſupponitur, aut quidpiam ei annexum quod eſt poſterius victoria; ergo illa veſtimenta alba nullo modo ſignificant innocentiam, ſed quidpiam aliud quod non poteſt eſſe niſi gloria, quæ ideo ſæpe vocatur in Scripturis corona, quia illis ipſis victoribus eſt promiſſa: Ergo cum dicit Chriſtus, ambulabunt mecum in albis, ſeu quod idem eſt, ambulabunt mecum in veſtimentis albis, quia digni ſunt, vult dicere quod illi prædeſtinati ſunt, ſeu electi ad gloriam, quia ea jam digni ſunt ob prævíſa merita.

Dices, hoc intelligitur de prædeſtinatione ſecundum executionem, & non ſecundum intentionem: Dicitur enim, ambulabunt mecum in albis, quod eſt: poſſidebunt gloriam: quod vere ſignificat executionem futuram, & non intentionem.

Reſpondeo primò, quod etſi id concederetur, nihil tamen efficeret contra noſtram probationem, cum ſupra ſatis oſtenſum ſit executionem non aliter fieri aut ordinari, quam decrevit intentio. Et præterea eſſe rejicienda duo illa decreta, quorum unum aliter ordinat executionem quàm decrevit intentio.

Reſpondeo ſecundò, hoc verè intelligi de intentione, & non de executione: tum quia ibi ſit tantum mentio de fine, ſcilicet collatione gloriæ quæ ſignificatur per ambulationem in albis: Et motivi, ſcilicet, meritorum, quæ ſignificantur per illa verba, quia digni ſunt, quæ merita ſatis ſupra oſtendi eſſe motiva, & non media reſpectu Dei prædeſtinantis,

quæ omnia cum pertineant ad ſolam intentionem, & non ad executionem, ideo locus iſte eſt de intentione, & non de executione prædeſtinationis. Tum etiam, quia ibi dicitur quod jam digni ſunt, quod reſpicit motivum intentionis, ut intentio eſt: non autem dicitur, quia digni erunt, quod reſpiceret executionem: Dicitur autem quia digni ſunt propter prævisionem, ergo propter præviſa merita; nam non poterant adhuc dici digni propter præſentia merita, ſeu ob merita quæ tunc habebant, cum præter illa merita, requiratur adhuc perſeverantia, juxta illud: Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. At non habebant adhuc perſeverantiam, cum illi omnes adhuc viverent, & poſſent peccare, & ſic amittere gratiam: Ergo poterant tantum dici digni ob præviſa merita, ergo id ſpectat ad intentionem, cujus præviſa merita motiva ſunt, & non ad executionem. Et præterea ſi hoc intelligeretur de prædeſtinatione ſecundum executionem, non diceretur mere ſpeculative, quia digni ſunt; ſed diceretur practice, quia dignos faciam eos, aut ſaltem quia digni erunt; cum velint adverſarii Deum aſſumere in executione merita tanquam media per quæ electis confert gloriam ſine præviſis meritis prædeſtinatam: At hoc non dicitur practice, non enim dicitur quia fient: ſed dicitur mere ſpeculative, quia ſunt, ergo hoc non reſpicit executionem ſolam, ſed intentionem. Ad probationem autem, ſeu quantum ad id quod dicunt, ideo ibi ſermonem eſſe de prædeſtinatione ſecundum executionem, quia ibi dicitur, ambulabunt, ſeu poſſidebunt gloriam,

Reſpondeo, hoc verbum ambulabunt, aut poſſidebunt gloriam, non ſpectare executionem, ſed ſolam intentionem: Cùm ſpectet tantum finem ut ſimpliciter acquirendum, non autem ut hoc, vel illo modo, his, vel illis mediis acquirendum, quod proprium eſt executionis: Dicitur enim ſimpliciter, ambulabunt mecum in albis, quod eſt finis prædeſtinationis; non autem dicitur his, aut illis mediis id obtinebunt: Nam ſequentia verba, quia digni ſunt, non ſunt media, tum quia illa indicant merita, quæ non ſunt media, ſed motiva, ut late oſtendimus, & non ponuntur in futuro ut finis, ſicuti deberent poni ſi eſſent ad exequendum finem, ſed ponuntur in præſenti, quod proprium eſt motivi inducentis ad acquirendum finem futurum: Ergo illud verbum, *ambulabunt*, non ſignificat executionem, ſed tantum intentionem: Quod ſi quis putaret illud verbum ſpectare executionem quia eſt de futuro, næ ille valde erraret: Nam licet omnis executio reſpiciat futurum, non tamen ſequitur quod id omne quod ſpectat futurum, ſit executio: Nam finis etiam ſpectat futurum, cum ſit, aut producendus aut acquirendus, aut concedendus; unde non bene infertur quod ex eo quod hoc verbum, *ambulabunt*, ſit de futuro, potius idcirco ſpectet executionem quam intentionem, cum etiam intentio ſit ad futurum, ratione finis acquirendi æque ac executio: Et ſic nihil video impedire, quominus hic locus ſit de prædeſtinatione ad gloriam poſt prævisa merita.

In 1. Argumento ex Scripturis.

PARAGRAPHUS NONUS.

ARGUMENTUM IX.

Proponitur & confirmatur.

NONUS locus ſumitur ex Deuteronomio cap. 26. ubi manifeſte figuratur prædeſtinatio ad gloriam poſt præviſa merita, in eo quod ibi dicitur: Populum elegiſſe Dominum, & deinde Dominum elegiſſe populum illum: quod cum non poſſit verificari de prædeſtinatione, aut electione ad gratiam, in qua ſine ullo dubio Deus prior elegit nos, debet idcirco verificari de prædeſtinatione, aut electione ad gloriam ſolitarie ſumptam prout eam hîc ſumimus: præterquam quod cum jam ille populus ſupponeretur eductus ex Ægypto, quæ repræſentat ſtatum peccati, & ideo ſupponitur extra peccatum, & jam conſtitutus in gratia, hinc eſt, quod illa electio qua Deus ibi elegit populum, qui eum prius elegerat; non poſſit rationabiliter intelligi, niſi de prædeſtinatione ad gloriam poſt præviſa merita, in qua homo jam electus ad gratiam, prævidetur electurus Dominum, & ei adhæſurus perſeveranter uſque ad mortem: & ideo eligitur à Domino. Sic autem ſe habet textus ille: Dominum elegiſti hodie, ut ſit tibi Deus, & ambules in viis ejus, & cuſtodias ceremonias illius, & mandata, atque judicia, & obedias ejus imperio (quæ omnia maxime figurant merita) & Dominus elegit te hodie, ut ſis ei populus peculiaris (qui repræſentat populum prædeſtinatum, ſegregatum & diſcretum à maſſa communi, & per hoc peculiarem) ſicut locutus eſt tibi, & cuſtodias omnia præcepta illius, & faciat te excelſiorem cunctis gentibus, quas creavit in laudem, & nomen, & gloriam ſuam, ut ſis populus ſanctus Domini Dei tui, ſicut locutus eſt.

Sed dices: In illa electione qua Deus elegit populum, dicitur quod Deus elegit eum, ut cuſtodiat omnia mandata illius, & ſit ſanctus populus, quod non ſupponit merita, ſed facit: Ergo id non figurat prædeſtinationem ad gloriam poſt præviſa merita, ſed ante præviſa merita.

Reſpondeo, me non dixiſſe ibi ſermonem eſſe de prædeſtinatione ad gloriam formaliter & ſecundum ſe, ſed tantum figuraliter: Unde non eſt mirum quod in iſta electione figurativa electionis ad gloriam, mentio fiat de obſervatione mandatorum, & de ſanctitate hujus vitæ: Quia cum ſtatus gloriæ, ſit ſtatus ſanctitatis æque ac honoris, & beatitudinis, ideo bene hîc figuratur illa ſanctitas gloriæ per obſervationem mandatorum, & ſanctitatem hujus vitæ, eo modo quo bene ibidem figuratur honor, & beatitudo gloriæ per honorē & beatitudinem hujus vitæ quam

promittit illi populo, ibi per hæc verba : Et faciat te excelſiorem cunctis gentibus quas creavit: Unde non eſt mirum quod ibi fiat mentio de obſervatione mandatorum, & de ſanctitate, cum ſint figurativæ ſanctitatis gloriæ, eo modo quo honor & beatitudo hujus vitæ de quibus hîc, ſunt figurativa honoris & beatitudinis gloriæ. Quod autem ſanctitas illa quæ promittitur in ſecunda electione, ſit figurativa ſanctitatis gloriæ, patet cum p[illegible]ponatur, & ſit poſterior ſanctitate viæ, quæ figuratur per priorem electionem, qua populus elegerat Dominum, ut eſſet ſibi in Deum, & ambularet in viis Domini, & cuſtodiret ceremonias, & mandata illius: Et per conſequens manifeſtum eſt quod illa ſecunda electio eſt figurativa prædeſtinationis ad gloriam poſt prævisa merita, & non ante prævisa merita, cùm ſupponat in nobis præcedentem electionem dilectionis Dei, obſervationis mandatorum, & perfectæ ſubjectionis illius imperio, ut in textu videre eſt : ſed ad elucidationem hujus ſolutionis ſolùm concipiendum eſt, quod prima ſanctitas quam eligit populus, eſt viæ, ſecunda autem ſanctitas quam promittit Deus, eſt patriæ, quæ cum promittatur & deſtinetur ob primam, ideo facit illam prædeſtinationem eſſe ob prævisa merita.

Verum inſtabis, & dices : Per illam electionem, qua Deus elegit populum, videtur Moïſes intelligere quandam electionem, de qua jam locutus fuerat in præcedentibus capit. ut patet ex his verbis : Et Dominus elegit te hodie..... ſicut locutus eſt. At in cap. 7. præcedenti loquitur de electione mere gratuita, ut patet ex his verbis : Te elegit Dominus Deus tuus, ut ſis ei populus peculiaris de cunctis populis qui ſunt ſuper terram : non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis junctus eſt Dominus, & elegit vos, cum omnibus ſitis populis pauciores, ſed quia dilexit vos Dominus. Ergo illa electio de qua ſupra, eſt mere gratuita, & non ob prævisa merita.

Reſpondeo in illo capite 7. Moïſen loqui de duabus Dei electionibus, quarum prima eſt electio ad gratiam, de qua eſt textus allatus: At vero paulo poſt in eodem capite loquitur de altera electione, quæ eſt ob merita futura, ut patet ex his verbis : Si poſtquam audieris hæc judicia cuſtodieris ea, & feceris : cuſtodiet & Dominus pactum tibi, & miſericordiam quam juravit patribus tuis, & diliget te : Ubi vides differentiam utriuſque electionis : In prima enim prius Deus diligit, & poſtea eligit, quæ eſt electio ad gratiam: In hac vero ſecunda Deus ſupponit obſervationem mandatorum, & promittit futuram dilectionem, quæ proptérea non poteſt eſſe gratuita, cum ſupponat opera ut neceſſaria, & ut prævia : & eſt etiam ad gloriam, ſeu æternam fœlicitatem, cum in ea promittat omnium bonorum abundantiam, & terram ipſam promiſſionis, quæ repræſentat gloriam : Multiplicabit, inquit, benedicetque fructui ventris tui, & fructui terræ tuæ, frumento tuo, atque vindemiæ, oleo, & armentis, & gregibus ovium tuarum ſuper terram, pro qua juravit patribus tuis ut daret tibi : (quæ eſt terra promiſſionis melle

& lacte manans) benedictus eris inter populos, & cætera quæ vide ibi ſi lubet, quia iſta ſufficiunt; & hæc ſecunda electio eſt illa de qua loquitur Moïſes in textu pro nobis allegato quæ ſupponit ſanctitatem, & obſervationem mandatorum, & per conſequens merita, & eſt electio ad gloriam.

PARAGRAPHUS DECIMUS.

Argumentum decimum proponitur.

Punctum primum.

Vis argumenti aperitur, & uni falſæ interpretationi reſpondetur.

DECIMUS locus eſt ex capite 11. Sapientiæ, ubi Sapiens occaſione Ægyptiorum, quos tot tantiſque portentis excitatos tamdiu expectarat Deus ad pœnitentiam, ſic loquitur Deo: Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata propter pœnitentiam, diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti...... Parcis autem omnibus, quia tua ſunt Domine, qui amas animas: Ubi commendat Sapiens infinitam Dei bonitatem, & clementiam. 1. in eo quod miſeretur omnium quantum eſt ex ſe. 2. in eo quod diligit omnia quæ ſunt, & nihil odit eorum quæ fecit. 3. in eo quod ſpecialiter oſtendit ſe dilectorem animarum, Græce φιλόψυχε: quo poſito; quæro ab adverſariis, quomodo hęc poſſint eſſe vera in eorum ſententia. 1º quod miſereatur omnium, cum in illa Deus miſereatur pauciſſimorum; infinitos autem ex ſe, & ex mero libito excludat à miſericordia ſua. 2º quod diligat omnia, & nihil oderit eorum quæ fecit, cum in eorum ſententia, majorem partem hominum ex ſe, & ex mera ſua voluntate reprobet, & rejiciat à Regno ſuo, & nolit eos eligere ad vitam, ex qua non electione, ſequitur eorum perpetua, & infallibilis damnatio, quod non facit ignarus iſtius conſecutionis miſerrimæ, ſed omnino conſcius ejus, & præſcius & voluntarius; imo & procurator, ut patet in reprobis baptizatis, pro quibus ſeligit gratias inefficaces, ut pereant, quia noluit eos prædeſtinare, ut probatum eſt in 1. argum. ex Scripturis ſub finem, & infra etiam probabitur. 3. quod parcat omnibus, cum parcat pauciſſimis, cæteris omnibus euntibus in perditionem, quia non electi ſunt, Et tandem quod diligat ſpecialiter animas, cum volens dilectionem ſuam in eas exercere, paucas ipſarum, imo pauciſſimas eligat ad ſalutem, infinitas autem excludat, negligat & repudiet, idque mere voluntarie, & nullo habito reſpectu ad merita, aut demerita futura, cum

Miſereris omnium; *ibi.* omniũ. *non ſumitur neutraliter, pro omnibus rebus, ſed maſculine, pro omnibus hominibus: unde in Græco eſt, πάντας, non πάντα, & re vera miſericordia non proprie ſpectat ad omnia, ſed ſolùm ad ea quæ habent vitam, & ſunt animata: nec enim proprie dices te miſereri lapidis, ligni, & ſimilium: Sed hominum,*

hoc fat ante præviſionem futuri, in quo ſtatu omnes animæ pares ſunt, nec majoris meriti, nec minoris demeriti, omnes in peccato originali.

Reſpondebunt forte Deum nihil odiſſe eorum quæ fecit, ſed odiſſe ſolùm quæ non fecit, ſcilicet peccatum originale, quod eſt in omnibus non electis.

Sed reſpondeo primò: Si peccatum originale eſt cauſa adæquata odii Dei in reprobos, quare Deus non odit etiam alios, qui ſimiliter peccato originali ſunt irretiti, ſicut & iſti; & cur non reprobat illos ſicut & iſtos, nullos eligendo, cum nullus eorum ſit ſine peccato originali. Dices forte quod illos eligit, quia miſericors eſt: Parca ergo & anguſta Dei miſericordia eſt, quæ volens oſtendere magnitudinem ſuam, pauciſſimos eligit, infinitos negligit, parcit paucis, & ſævit in multos, quod ſane multum dedecet Deum quem oportet, eſſe optimum magnificentiſſimum, atque clementiſſimum. At id non ſequitur in noſtra ſententia, nam in ea Deus vult miſereri omnium quantum eſt ex ſe, volens omnes ſalvare quantum eſt ex ſe: & hoc ſincere, & vere, cum in noſtra ſententia, nullum ſit fermentum reprobationis negativæ, quæ obliget Deum ad ſeligendas ſtudioſe gratias inefficaces pro reprobis, ne ſalventur contra ſuum decretum, & ſic pereant (abſit enim à nobis iſtam inſidioſiſſimam Vafriciem imaginari in Deo ſumme veraci, & ſincero) ſed dat omnibus gratias vere ſufficientes, idque ex vera & ſincera complacentia ſalutis eorum, ita quod ſibi vere diſplіceat non ſolum damnatio, ſed etiam non ſalvatio eorum: Quod eſt vere miſereri omnium quantum eſt ex ſe, & nihil odiſſe eorum quæ fecit, ſed ea vere diligere, & eis peccata & offenſas dimittere quantum eſt ex ſe, nihilque in animo contra eos retinere, & animarum noſtrarum vere dilectorem ſe præbere, juxta ſupradictum textum Sapientis.

vel Angelorum, unde bene Græce habetur, ἐλεεῖς πάντας, non vero ἐλεεῖς πάντα.

Reſpondeo 2. Si prædictum peccatum originale eſt ſola cauſa odii Dei in reprobos, ut volunt adverſarii, cur illo deleto tanquam cauſa ceſſante, non ceſſat odium Dei in illos, & ipſa etiam reprobatio tanquam effectus cauſæ illius: ſed ſemper perſeverat, & odium Dei in illos, & etiam eorum reprobatio, & ſemper illi miſeri remanent in ſententia æternæ reprobationis, quaſi non eſſent dilecti, & juſtificati per gratiam; nunquid jure dici poteſt quod illa reconciliatio, quam Deus init cum illis, ſive in Sacramento Baptiſmi, ſive in Sacramento Pœnitentiæ, ſive etiam Euchariſtiæ, eſt ficta & deceptoria, & eſt mera illuſio, cum ſemper Deus maneat in propoſito, nunquam impertiendi illi animæ ſuam miſericordiam. Nunquam miſerendi illius efficaciter quicquid in poſterum illa faciat, quo poſito omnino damnanda eſt, & ignibus æternis crucianda: Imo vero propoſitum ratum & firmum in ſe retineat, ex vi ſuæ reprobationis negativæ, ſeu non electionis ante præviſa omnia opera factæ, quærendi, vel expectandi tempus in quo miſerabilis illa

Hic manifeſtatur fermentum peſtilentiſſimũ reprobationis negativæ, ſeu non electionis reproborum.

anima peccato aliquo mortali ſit irretita, ut cito eripiat eam è vita, & illa pereat, ut decreto ſuo de non ſalvanda illa ante omnia illius opera, ſive bona, ſive mala præviſa facto ſatisfaciat; quæ quæſo, eſt iſta reconciliatio, quæ amicitia vera & fidelis, ut decet eſſe in Deo, ſumme vero & fideli; num potius infida & proditoria dicenda eſt, cum ſemper perſeveret in illa ſua maligna voluntate, & maligno propoſito de excludenda illa anima à Regno ſuo: Ex quo propoſito ſequitur infallibiliter illius animæ æterna damnatio. Certe ſi quiſpiam ſe haberet ejuſmodi in alterum, ut diceret ſe ei eſſe reconciliatum, & amicum, & tamen ſemper maneret in ſimili propoſito: nequaquam crederemus ei talia dicenti, ſed indubitanter teneremus, iſtam reconciliationem eſſe fictam & deceptoriam, propter id ſolum quod perſiſteret in tali propoſito quod incompoſſibile omnino eſt cum vera amicitia, & reconciliatione. Idem ergo dicendum eſſet de Deo ſi haberet ejuſmodi propoſitum reſpectu reproborum poſt ſolennem illam reconciliationem, quam toties init cum illis in ſuſceptione Sacramentorum, ſcilicet quod non iniivit cum illis veram amicitiam & reconciliationem: Quod cùm vero Scripturæ ſenſui accommodari non poſſit, nec etiam ipſi rectæ rationi naturali, neganda omnino eſt illa ſententia, ex qua tale ſequitur inconveniens & abſurdum contra Sacram Scripturam, & rectam rationem, & oppoſita amplectenda ſententia eſt.

PUNCTUM II.

Referuntur quædam falſæ interpretationes Eſtii: & prima hîc reſpondetur.

VERUM contra ſupradicta, objicit 1. Eſtius Commentario in hunc locum, & ait, quod per hoc quod dicitur in prædicto loco: Deum miſereri omnium, & diligere omnia id non intelligitur de ſingulis generum, ſed tantum de generibus ſingulorum; id eſt quod aliquorum de quolibet genere hominum Deus miſereatur, non vero ſingulorum omnium. Quod probat ex cap. 5. ejuſdem Libri Sapientiæ, in quo introducit Sapiens reprobos ita loquentes, & plangentes in miſeriis ſuis. Ergo erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Ex quo colligit Eſtius gratias ſufficientes non dari ſingulis hominibus, ſed tantum aliquibus, & ſic Deum non miſereri ſingulorum omnium: Nam, inquit, ſi gratia ſufficiens datur omnibus, conſequens erit omnibus lucere lumen juſtitiæ. Et falſum erit illud Domini in Euang. Ioannis 6. Nemo poteſt venire ad me niſi Pater meus traxerit eum: neque enim quiſquam dicet omnes trahi: Sane, inquit Eſtius, D. Auguſtinus Serm. 4. de S. Ioanne Baptiſta, docet ex his verbis Sapientis, Chriſtum qui eſt ſol juſtitiæ, non omnibus ortum eſſe: Et Conc. 3. in Pſalmum 103. negat impiis ortum eſſe, ſed iis ſolis

Eſtius in c. 5. Sapient.

iis ſolis qui intelligunt Chriſtum, & dicit non eſſe ſimile de ſole viſibili qui oritur ſuper bonos, & malos: Et deinde dicit Eſtius eſſe contra ſenſum Eccleſiæ, quæ hanc miſericordiam ſolis electis tribuit in quadam oratione, his verbis: Omnium miſereris, quos tuos fide & opere futuros eſſe prænoſcis.

Eſtius in c. 11. Sap.

2. ait quod hæc intelliguntur de bonis naturæ, & non gratiæ.

Ibidem.

3. quod ſi intelligantur de auxiliis gratiæ, intelliguntur tantum de externis, v. g. de contemplatione rerum naturalium per quam devenitur in cognitionem Creatoris, non autem de auxiliis internis.

Ad primum reſpondeo illam generalitatem de qua loquitur ibi *Sapiens*, intelligi debere de ſingulis generum, & non de generibus ſolùm ſingulorum, eo modo quo jam explicuimus, tum quia hoc magis decet infinitam Dei bonitatem, & clementiam, quæ non debet eſſe parca & avara, ſed magnificentiſſima & liberaliſſima in donis ſuis; tum quia cum loquatur generaliter, & indiſtinctè de omnibus, ita generaliter & indiſtinctè de omnibus intelligenda eſt, cùm nullum hinc ſequatur abſurdum: & valde concordet cum aliis Scripturis, quæ ubique demonſtrant miſericordiam Dei eſſe ſuper omnia opera ejus, & ipſam ſuperexaltare judicium, & per conſequens non debere eſſe tam ſtrictam, ut non extendatur ad ſingulos, ſed tantum ad aliquos, eoſque pauciſſimos.

D. Thomas 1. 4. diſt. 46. q. 2. ad 1 ſic explicat hūc textum: Dicendum, inquit, quod Deus quantum in ipſe eſt, miſeretur omnibus, ſed quia ejus miſericordia regulatur Sapientia ordine, inde eſt quod ad quoſdam non ſe extendit, qui ſe fecerunt miſericordia indignes, ſicut dæmones & damnati qui ſunt in malitia obſtinati. Ergo ſecundum D. Thomam extenditur ad cæteros, quibus dat gratias ſufficientes.

D. Bonavent. in Commentario ſuper hunc locum Sapientiæ: Miſereris omnium, *Id eſt, inquit, in omnibus exerces miſericordiæ effectum.*

Ad probationem autem ex 5. capite hujus libri decerptam, reſpondeo, per illum textum non negari quod detur gratia ſufficiens ſingulis, ſed tantum aſſeri gratiam repudiari ab impiis, & ſic eos in cauſa eſſe, cur non illuceſcat eis, cum illi impii ibi non conquerantur de Deo, quaſi eis negaſſet iſtam gratiam ſufficientem; ſed de ſeipſis, qui plus diligentes bona hujus vitæ quàm æternæ, ſibi fuerunt impedimento ne iſtud lumen beneficum reciperent, & per hoc ad pœnitentiā ſalutarem converterentur; ut patet ex his eorum verbis: Nos *inſenſati* vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum (ſcilicet juſtorum) ſine honore: Et infra: Ergo erravimus (ecce fatentur culpam ſuam) & infra quid nobis profuit ſuperbia, (ecce cauſam erroris ſui & cur ſol juſtitiæ non luxit eis) aut divitiarum jactantia? quid contulit nobis? tranſierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuntius percurrens, & tanquam navis quæ pertranſit fluctuantem aquam, cujus cum præterierit, non eſt veſtigium invenire. Ecce conqueruntur de ſeipſis quod vana terræ gaudia prætulerint veris divinæ gratiæ divitiis, & per hoc impedierint ne gratia luceſceret eis: Et tandem exerte & clare fatentur malitiam ſuam, non accuſantes Dei gratiam. In *malignitate*, inquiunt, noſtra conſumpti ſumus: & deinde ſequuntur verba Sapientis taxantis eos

D. Bonav. in 5. Sap. ſuper hæc verba: Sol juſtitiæ non luxit nobis, &c. ait: Notandum, quod non eſt defectus ex parte ſolis, ſed ex parte ipſorum jacentium in tenebris, nec ſurgere volentium, nec

oculos aperire quærentium.

de impietate & de vanitate eorum. Talia, inquit, dixerunt in inferno; Hi qui peccaverunt, quoniam ſpes impii (quæ eſt circa bona terrena, & non cæleſtia) tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur, & tanquam ſpuma gracilis quæ à procella diſpergitur, & tanquam fumus qui à vento diffuſus eſt, & tanquam memoria hoſpitis unius diei prætereuntis. Sed & ipſa teſtimonia D. Auguſtini quæ citat Eſtius pro ſeipſo, omnino confirmant iſtam noſtram interpretationem, maxime autem illud quod citat ex 3. Conc. in Pſalm. 103. ubi diffuſiùs de iſto loco libri Sapientiæ loquitur: Ei, inquit Auguſtinus, ſol iſte (ſcilicet juſtitiæ) oritur, qui intelligit Chriſtum: *Recedit autem ab intellectu ejus Chriſtus, qui ſic iratus fuerit fratri ſuo, ut teneat odium*: (ecce impedimentum luci poſitum ab impio) Et infra: Si autem ira converſa fuerit in odium, occidit (id eſt non lucet) ſol ſuper iracundiam veſtram (quia nempe ei impedimento eſt) Et infra: Sol ergo ille, jam ſecuri dicimus, ſol ille juſtitiæ *non ſine cauſa* (id eſt non ſine peccato inexiſtente) impiis non oritur, & ſi volunt (ſcilicet negligenter & imperfecte) Ipſa enim Sapientia dicit: Quærent me mali, & non invenient: *oderunt enim Sapientiam* (ecce cauſam cur non inveniunt cur iſte ſol non lucet eis) Si ergo oderunt, quare quærunt: quærunt non ut fruantur, ſed *ut inflentur, quærunt ſermonibus, oderunt moribus*, Spiritus enim ſanctus diſciplinæ fugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus quæ ſũt ſine intellectu. Hæc Auguſtinus. Ubi clare demonſtrat locum illum Sapientiæ, non intelligi de defectu, ſeu privatione gratiarum ſufficientium in reprobis, ut vult Eſtius; ſed de defectu & de peccatis hominum, quæ in cauſa ſunt, cur non luceat eis iſte ſol juſtitiæ, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, qui quidem offert lumen ſuum omni homini, neminem tamen cogit ad illud ſuſcipiendum, invita voluntate ſua: Et ſic patet, quod iſte locus ex Sapientiæ 5. non eſt contrarius loco decerpto ex capite 11. cum non neget illam miſerationem generalem omnibus, & ſingulis hominibus conceſſam, ſeu gratias ſufficientes omnibus, & ſingulis hominibus collatas, ut volebat Eſtius: Non reſpondemus autem ad illum locum ibi citatum ex Ioan. 6. quia non eſt de gratia ſufficienti, de qua ſola nobis hîc ſermo eſt; ſed de gratia efficaci, quam certum eſt non dari ſingulis hominibus. Ad illud autem quod adducit ex oratione Eccleſiæ, ſcilicet, Omnium miſereris, quos tuos fide & opere futuros eſſe prænoſcis: Dicimus; Eccleſiam non exponere ibi locum illum Sapientiæ quem verſamus, ſed aliud quidpiam diſparatum edicere; & licet utatur ibi eodem verbo miſerendi, quo Sapiens in prædicto textu, non ſequitur quod uſurpet illud in eodem ſenſu. Nam videmus ex ſubjecta materia, quod in oratione illa Eccleſiæ verbum, miſerendi, ſumitur pro ſola miſeratione efficaciter prædeſtinante ad gloriam; quæ miſeratio ex culpa hominum extenditur ad paucos: At in noſtro textu non ſic: Nam potius ex ſubjecta materia videmus quod extenditur ad multos, ſic enim ait: Miſereris omnium, quia omnia poteſ-

Ibi videtur comparare miſericordiam Dei cum ejus potentia quoad extenſionem ſubjectorum: At potentia Dei extenditur ad omnia & ſingula poſſibilia, ergo & miſericordia illa ad omnia & ſingula capacia miſerationis & gratiæ. Deinde ait: Parcis autem omnibus, quia tua ſunt Domine; at certum eſt quod omnia omnino ſunt ſua, ergo vult dicere quod omnes omnino homines ne uno excepto, ſuſcipiant miſericordiam, eo ſcilicet ſenſu, quo ſupra explicuimus, vel dic, quod ibi Eccleſia, reſtringit iſtam miſerationem ad ſolos prædeſtinatos, quia ſumit miſerationem pro prædeſtinatione, ſeu pro voluntate Dei conſequente. In textu autem Sapientis non reſtringitur, quia non ſumitur pro prædeſtinatione, aut voluntate Dei conſequente: ſed pro voluntate antecedente qua vult omnes ſalvos fieri, quantum eſt ex ſe, ut ſupra explicat D. Thom. & D. Bonavent. quæ voluntas extenditur ad omnes & ſingulos, modo non ſint extra viam ut dæmones & damnati, prout monet ibi D. Thomas; & ſic nihil habet Eſtius contra nos, ex ſua prima explicatione prædicti textus.

PUNCTUM III.

Duabus aliis falſis Eſtii interpretationibus ſatisſit.

QUANTUM autem ad ſecundam, ſcilicet quod hæc intelliguntur de bonis naturæ, & non de bonis gratiæ.

Reſpondeo intelligi de utriſque, nam quod intelligantur de bonis gratiæ, patet ex his verbis ibi inſertis, ſcilicet, diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam: id eſt, remittis peccata hominum cum pœnituerunt, vel, diſſimulas peccata hominum quaſi non videres; & non cito punis ea, ad hoc ut homines pœniteant, aut pœnitendi tempus habeant, ut communiter exponunt interpretes: & parcis omnibus, qui amas animas: Quæ recte non poſſunt exponi de ſolis bonis naturæ, ſed debent intelligi de bonis gratiæ, & gloriæ, ut ait Liranus in hunc textum, & Dionyſius Carthuſianus, qui totum hunc textum exponit tam de temporali, quam de ſpirituali miſeratione Dei: Et re vera ita debet intelligi, cum verba illius textus generalia ſint, & commendent generaliter infinitam Dei bonitatem & clementiam, quæ locum habent tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, & non ſit alienum in Scripturis, occaſione temporalium, loqui etiam de ſpiritualibus & æternis: Unde licet ibi loquatur Scriptura ſpecialiter de beneficiis populo Iſraëlitico collatis, tamen occaſione illorum bene commendat Scriptura in hoc textu infinitam Dei miſericordiam, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, cum hoc ſpectet maxime ad ejus commendationem tam extenſivam quam intenſivam: Quod eò magis fit certum, quod omnia quæ contingebant illi populo carnali temporaliter, contingebant illi in figuram ſpiritualium, & æternorum. Sic D. Paulus loquitur de tem-

porali electione Iacob præ Eſaü : cap. 9. ad Romanos , ut probet electionem ſpiritualem Gentilium ad gratiam ex mera miſericordia , & ex modo temporalis illius electionis Iacob , infert modum ſpiritualis electionis Gentilium ad gratiam , ex mera miſericordia , propter ſupradictam rationem : ſic & applicandum eſt huic noſtro propoſito.

Quantum ergo ad tertiam & poſtremam Eſtii explicationem , ſcilicet quod ſi textus ille intelligatur de bonis , vel auxiliis gratiæ, non intelligitur de internis , ſed ſolum de externis.

Reſpondeo hanc explicationem eſſe mere voluntariam & ut ſine fundamento , aut ratione aſſeritur , ita & ſimiliter ſine alia ratione negari poſſet ? nec enim illa verba quæ ſequuntur , ſcilicet : Diligis omnia quæ ſunt, ullo modo probant , id potius intelligi de externis auxiliis quam de internis , cum interna auxilia non minus, imo vero magis pertineant ad amorem Dei erga homines , quam externa , quæ per ſe ſola ſunt inefficacia ad eorum ſalutem, & per hoc minus idonea ad teſtandum divinum amorem erga eos : Sed ſane ſatis apparet Scripturam Sacram ibi loqui de gratiis internis , ut manifeſtum eſt ex his verbis : Diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam , ſeu ad pœnitentiam. Ubi ſupponit Sapiens homines habere gratias ſufficientes ad pœnitentiam, cum ſupponat eos jam feciſſe pœnitentiam, vel poſſe facere pœnitentiam, juxta duplicem modum explicandi locum illum ſupra declaratum : At id non poteſt eſſe aut fieri ſine gratiis internis , ergo ſupponit in illis gratias internas , & non ſolum externas. Et præterea illa qualitas quam ibi Sapiens tribuit Deo, amatoris animarum φιλόψυχε, non dicit in eo tam levem amorem , ut det illis animabus tam dilectis , ſolùm gratias inſufficientes ad eas perducendas ad vitam æternam, quales ſunt ſolæ externæ, ſed dat eis magnas & fortes præcipue cum hæc qualitas φιλόψυχε , adamatoris animarum videatur Deo tribui quaſi por excellentiam , & ſic in eo ſignificare excellentem amorem qui non poteſt terminari ad tam leves gratias quales ſunt inſufficientes , ſed debet terminari ad magnas & quæ ſaltem ſint ſufficientes , quales ſunt ſolæ internæ : Et ita videtur hunc locum intellexiſſe D. Thomas ſupracitatus in margine , cum ait quod Deus, quantum eſt ex ſe, miſeretur omnium , niſi ſe indignos illa miſeratione fecerint , ut dæmones & damnati ; nam per hoc quod dicit , ſolùm ea privari illos qui ſeipſos illa indignos fecerint , manifeſte innuit ſe loqui de gratiis internis cum nemo quantumvis impius & indignus privetur externis gratiis Dei, ſecundum illud Matth. 5. Qui ſolem ſuũ oriri facit ſuper bonos & malos , & pluit ſuper juſtos & injuſtos , cum & ipſi dæmones & damnati etiam in ſtatu ſuæ damnationis , habeant cognitionem Dei, ſcientiam Scripturæ , mandatorum Dei , & myſteriorum fidei : & per conſequens manifeſtum eſt quod non loquitur ibi Sapiens de ſolis gratiis externis , ſed etiam de internis.

In refutat. ſecundæ explicationis.

SECTIO VII.

Probationes ex rationibus è Sacra Scriptura depromptis.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Prima ratio proponitur.

PUNCTUM PRIMUM.

Vis rationis aperitur, & confirmatur.

PRIMA ratio eſt ejuſmodi. Quod proponitur aliquibus vere & ſincere tanquam merces, præmium, & corona; illud ſemper ſupponit merita, & decernitur propter merita; ſed paſſim in Scripturis gloria proponitur hominibus ut merces, præmium, & corona: ergo ipſa gloria decernitur & prædeſtinatur propter merita. Minor patet, nam Matthæi 5. proponitur ut merces, his verbis: Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in Cælo. 1. Corinth. 9. proponitur ut corona, his verbis: Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Et Apocal. 2. proponitur ut præmium: Qui vicerit, dabo ei edere de ligno vitæ: Item Matthæi 25. Poſſidete paratum vobis Regnum; eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: Et ad Philipp. 3: ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in CHRISTO JESU, unde non eſt dubium quin ſicut ſemper vere & ſincere Scriptura loquitur, ita vere & ſincere in his omnibus locis nobis proponat gloriam ut mercedem, & coronam, & præmium.

Major autem in qua tota difficultas ſita eſt, ſic probatur: nam cum quidpiam vere & ſincere proponitur aliquibus ut merces, ut corona, & præmium, tunc id proponitur illis, & decernitur, ut effectus & objectum juſtitiæ, quia merces, corona, & præmium ſunt effectus juſtitiæ, ſeu objecta juſtitiæ, pertinet enim ad juſtitiam ea diſtribuere & reddere pro meritis: juxta illud Apoſtoli 2. ad Timoth. 4. Mihi repoſita eſt corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex: Atqui quod ita proponitur, & decernitur, ut effectus & objectum juſtitiæ, non proponitur nec decernitur, niſi ex motivo juſtitiæ, quia nemo intenderet juſtitiam, niſi ipſe haberet motivum juſtitiæ; cum ergo in caſu in quo agitur de mercede, aut coronatione, aut præmiatione alterius, motivum juſtitiæ ſit opus aut meritum, manifeſte ſequitur quod id quod hîc proponitur, ut objectum juſtitiæ, proponitur & de-

Sicut reddere juſtum pretiū pro re accepta ab aliquo, eſt actus juſtitiæ: ita etiā recompenſare mercedē operis, vel laboris, eſt actus juſtitiæ.

D. Thomas 1. 2. qu. 114. A. 1. in corp.

cernitur ex ſuo motivo juſtitiæ, quod eſt opus & meritum, & ſic quod merces, corona & præmium decernuntur propter meritum, ut motivum juſtitiæ: Unde cum certum ſit ex Scripturis ſupra citatis, gloriam nobis decerni & prædeſtinari ut mercedem, ut coronam, & præmium, conſequens neceſſario eſt quod nobis decernatur, & prædeſtinetur ex meritis, ut motivo juſtitiæ cauſantis iſtam mercedem & coronam & præmium, ut objectum juſtitiæ.

Confirmatur primò à pari: quia videmus quod quilibet qui proponit mercedem, vel præmium alicui, prius reſpicit ad ejus meritum, & laborem, quam ad ejus præmium: Et ideo movetur ad proponendum ei præmium, quia vult ejus meritum & laborem: Quod hinc patet quia pro tanto quis auget mercedem & præmium pro quanto plus laboris poſtulat & meriti; & tanto minuit mercedem & præmium, quanto minus poſtulat laboris, & meriti: quod ſignum eſt infallibile quod in conſtituenda mercede, ſeu præmio reſpicit ad meritum, & laborem futurum, ſeu movetur à merito, ſeu labore futuro.

Confirmatur ſecundò, quia cum merces & gratia opponantur contrarie, debent habere motiva omnino oppoſita, cum per illa conſtituantur, & diſtinguantur intrinſece, tanquam per objecta formalia: At motivum dandæ gratiæ eſt purus amor ſine onere, & ſine intuitu laboris, & meriti, quandoquidem ſi gratia daretur intuitu laboris, aut meriti, jam non eſſet gratia, ut ait Apoſtolus Rom. 11. Si autem gratia non jam ex operibus, alioqui gratia jam non eſt gratia: Ergo cum motivum gratiæ ſit oppoſitum motivo mercedis & præmii, ſequitur quod cum motivum gratiæ ſit purus amor ſine opere & ſine intuitu laboris, ita motivum mercedis ſit ipſummet opus & meritum, & quod nunquam datur aut decernitur præmium, quin videatur meritum aut præſens aut futurum: Unde cum Scriptura tam expreſſe nobis proponat gloriam ut mercedem & præmium, ſequitur neceſſario quod ſupponat meritum tanquam motivum, & proinde ut prævium, ſeu à Deo præviſum antequam decerneret, aut prædeſtinaret præmium.

Neque vero hîc locus eſt diſtinctioni de duplici decreto intentionis, & executionis, quaſi ſupradicta tantum vera eſſent de decreto executionis, & non de decreto inentionis, quod eſt ipſa prædeſtinatio: Nam cum hîc ſermo ſit de motivo dandæ gloriæ, hoc non ſpectat ad decretum executionis, ad quod tantum pertinent media, vel motiva mediorum, prout ſupra explicatum eſt. Hoc autem pertinet ad ipſum finem, ſeu ad intentionem principalis finis, qui eſt collatio gloriæ, & per conſequens ad decretum ipſum intentionis quod eſt vera prædeſtinatio; Et ſic patet quod meritum prius eſt ratione quam efficax intentio gloriæ, ſeu prædeſtinatio ad gloriam, cum ſit quaſi motivum illius in intentione divina, & per conſequens quod prædeſtinatio non eſt facta ante præviſa merita, ſed tantum poſt præviſa merita.

In argum. 1. ex Script. in 2. explicatione duorum decretorum.

PUNCTUM II.

Quibuſdam oppoſitionibus ſatisfit.

HUIC rationi diverſimode reſpondent adverſarii, & dicunt primò, quod volitio mercedis, præmii, & coronæ, non ita ſupponunt volitionem meritorum, aut laboris in intentione, quin aliquando volitio mercedis & præmii, ſit prior volitione laboris & meriti; ut patet in exemplo ſupra allato de Rege qui vult aliquod bonum quibuſdam, ſed acquirendum per generoſos actus; nam ſic vult prius bonum illis, ut finem: & deinde generoſos actus tanquam media conducentia in finem.

Reſpondeo nunquam vere & ſincere poſſe intendi præmium ut ſic, quin prius intendatur meritum, quia meritum includitur in volitione præmii, tanquam motivum in mente & voluntate intendentis finem: Scio equidem quod in intentione illius qui ſperat præmium, prius eſt præmium quàm meritum, quia nempe is reſpicit præmium ut finem, & meritum ut medium; Sed in intentione præmiaturi, ut ſic, eſt è contra; nam prius intendit meritum quam præmium, prius laborem quam mercedem, quia per ſpem meriti & laboris movetur ad decernendum, vel proponendum præmium: Unde ſignanter poſui in prædicta majori propoſitione; quod proponitur vere & ſincere ut præmium: Non enim arbitror eum qui vult aliquod bonum ſuo amico, ut conferendum illi per merita; non, inquam, arbitror eum ſincere & vere proponere illud bonum amico ſuo tanquam præmium, ſed tanquam conditionem quandam & circumſtantiam ſui doni, per quam vult honorare ſuum amicum, donando illi iſtam gratiam cum iſta circumſtantia honorabili & glorioſa, ut non ſolum ſit ſignum ſuæ amicitiæ erga illum, ſed etiam virtutis & generoſitatis ſui amici: Non enim donando tale præmium, movetur primo & per ſe à merito amici, ſed ab amicitia erga illum, nec dat illud ex affectu juſtitiæ, ſed ex affectu benevolentiæ: Cujus ſignum eſt quod ſi per accidens amicus ejus fieret impotens ad promerendum iſtud bonum, tamen alia via concederet illi bonum iſtud, quia amicus ejus eſt: Unde cum non conferat illi bonum iſtud ex motivo juſtitiæ formaliter, ſed ex motivo benevolentiæ, ſequitur quod iſtud bonum ſic datum non habeat veram rationem præmii, ſed gratiæ, & doni honorabilis & glorioſi.

Et per hoc patet reſponſio ad exemplum Regis volentis aliquod bonum aliquibus, ſed acquirendum per generoſos actus: Nam is non vult vere & ſincere dare illis bonum iſtud ex motivo juſtitiæ, ſeu ut mercedem & præmium: ſed vel ex motivo amicitiæ, ſi amici illius ſint, vel ex aliquo alio motivo latente quod incitabat illum ad tale bonum

volendum illis ſub titulo præmii, ut pote conditionis & circumſtantiæ honorantis ſuum donum, & magis amicum ſuum gratificantis.

Secundò dicunt adverſarii, quod ſi quandoque gloria vocatur merces, præmium, & corona, vocatur etiam hereditas, & ut talis non ſupponit merita: Ergo licet gloria ſit merces, præmium, & corona, non ſupponit tamen merita.

Reſpondeo primò, quod etſi concederetur quod gloria in ratione hereditatis, non ſupponeret merita, tamen cum non ſit ſolum hereditas, ſed & merces, & præmium, & non detur adultis ut ſola hereditas, ſed etiam ut merces, & præmium (non enim datur illis niſi perſeveraverint in gratia, & per hoc eam promeruerint, cum Chriſtus dicat; Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit) ideo debet ei convenire ſaltem reſpectu adultorum, non tantum id quod proprium eſt hereditatis, ſed etiam id quod proprium eſt præmii & mercedis; at proprium mercedis & præmii eſt ſupponere meritum: Ergo, &c.

Reſpondeo ſecundò, quod hereditas illa coincidit cum ratione mercedis, & præmii, unde vocatur ab Apoſtolo, retributio hereditatis ad Coloſſ. 3. Accipietis à Domino retributionem hereditatis: Græce, ἀνταπόδοσιν τῆς κληρονομίας: ἀνταπόδοσις [a] enim proprie ſignificat, loco alterius, ſeu pro alio dato redditio, viciſſim redditio; unde Chryſoſtomus Græcus vertit, accipietis mercedem: Quia illa hereditas proprie eſt merces, cum viciſſim reddatur operibus datis: Et in illo ipſo textu hoc patet: Quia merita prius ponuntur, dein hæc retributio: Quæcumque (inquit ibi Apoſtolus) facitis, ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus: [b] Scientes quod à Domino accipietis retributionem hereditatis. Id eſt ſcientes quod ſi laboraveritis pro Deo, ipſe reddet viciſſim vobis mercedem laborum veſtrorum, hereditatem incorruptibilem, incontaminatam, conſervatam in cælis. Et ad Romanos 8. vocamur quidem heredes Dei, & coheredes Chriſti: ſed, & id per modum meriti: Nam immediate poſt ſequitur: Si tamen compatimur, ut & conglorificemur: [c] quia nempe hæc hereditas non fundatur in ſola gratia Dei quam quis aliquando habuerit, ſed etiam in labore, in exercitio virtutum Chriſtianarum, & in perſeverantia in eis: Unde ait hic Chryſoſtomus: Neque enim qui filii, hi omnes heredes ſunt. Et ideo, ait; Iudæos ex hereditate ejectos propter malitiam ſuam: juxta illud: Malos male perdet, & vitem ſuam dabit aliis agricolis. Non ergo fundatur illa hereditas in ſola filiatione, ſeu gratia juſtificante, [d] quam quis aliquando habuerit, ſed & in labore, in virtutum exercitio, & perſeverantia in bono uſque in finem vitæ, prout Scriptura ipſa teſtatur Matth. 10. & 24. Qui perſeveraverit uſque in finem, ſalvus erit; & per conſequens illa hereditas non omnino diſtinguitur à mercede & præmio; ſed ipſa eſt etiam merces & præmium, cum poſtulet meritum & laborem, quod eſt proprium mercedis & præmii; Ergo ſicut labor & meritum præcedunt mercedem

Matth. 10.

Gloria nunquam datur adultis ſub ſolo titulo hereditatis, ſed ſemper ſub titulo præmii.

a Ab ἀντὶ, quod ſignificat pro, vel loco alterius: Et ἀποδίδωμι, quod eſt, reddo, rependo, viciſſim do.

b Hic locus ſimilis eſt huic Eph. 6. Sciẽtes quoniam unuſquiſque quodcũque fecerit bonũ, hoc recipiet à Domino, ſive ſervus, ſive liber.

c Ratio hereditatis in gloria inſeparabilis eſt à ratione præmii in adultis.

d Ad conſequendam

& præmium, in præviſione tanquam illorum motivum: * Sic & labor noſter, & meritum, præcedunt glorificationem noſtram in præviſione etiam tanquam hereditatem, ſaltem reſpectu adultorum. Quod ſi parvuli non habent illam, ratione operum, hoc eſt per accidens, quia nempe non ſunt in ſtatu operandi; ſed etſi non habeant illam ratione operum in effectu poſitorum, habent tamen etiam illam ratione operum in voto in ſuo baptiſmo contentorum: unde Patrini ſpondent pro illis renuntiationem diabolo, quia ſicut aliena voluntas fuit ſufficiens ad obligandos eos ad peccatum ita & ad promittendum Deo fugam peccati, & exercitium bonorum operum quod ſpondent virtualiter in ſuo baptiſmo, per quem ad iſta omnia aſtringuntur.

gloriam non ſuffiert acquiſiviſſe gratiam. ſed oportet eam conſervare bene operando uſque ad finem vitæ.

** Concilium Tridentinū ſeſſ. 6. c. 16. in decreto de juſtificat.*

Tertiò, reſpondent quod etſi verum ſit apud homines volitionem operis eſſe priorem volitione præmii, & mercedis, quia indigent opera, & labore aliorum: non ſic tamen in Deo qui non indigens eſt noſtrorum operum, & laborum; ſed facit omnia ex liberalitate, & generoſitate, unde non vult prius opera, quam præmia.

-Reſpondeo, non ſolum hoc eſſe verum, reſpectu hominum, ſed etiam reſpectu Dei cum ſubjecta rerum in quibus ipſæ reperiuntur, non mutent earum eſſentias.

Ad hoc autem quod dicunt hoc provenire in hominibus ex indigentia, & non ex rei natura.

vult ut gloria proponatur juſtificatis ut gratia per Chriſtum promiſſa, & tanquam merces bonis operibus reddenda, non dicit aut tanquam merces diviſive; ſed copulative ut gratia, ſeu hereditas, & ut merces, per hoc oſtendēs utramque rationē eſſe indiviſibilē in adultis, ſeu reſpectu adultorum.

Reſpondeo id falſum eſſe, non enim eſt ibi neceſſaria indigentia, cum videamus etiam ab hominibus aliqua proponi præmia, licet ex labore & merito contendentium nihil proveniat in proponentem quo indigeat, ut cum ex liberalitate proponuntur ab aliquibus principibus præmia quædam certantibus lancea, jaculo, &c. nihil enim redundat in eos emolumenti, vel commodi, † niſi forte gloria ex liberalitate, & lætitia ex ſpectaculo: Quæ etiam redundant in Deum ex noſtris bonis operibus: Nam in iis glorificatur Deus, in quantum manifeſtatur ejus bonitas, excellentia & liberalitas; cum etiam & ipſa bona ab eo ſiut: in iis etiam ſibi complacet propter quod & ea munerat juxta illud Ioann. 14. Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum: Et illud ibidem: Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus: Unde in hac parte nulla eſt differentia inter Deum & homines.

† Deus ex bonis noſtris non quærit utilitatem, ſed gloriam, id eſt manifeſtationem ſuæ voluntatis. D. Th. 1.2. qu. 114. A. 1. ad 2.

Præterea reſpondeo, quod ſi indigentia hîc requiratur, non ea eſt ſemper quæ eſt proponentis præmium, aut mercedem, ſed etiam alterius, ut cum vir pius promittit aliquam mercedem, vel præmium ei qui abſtinuerit à juramento, vel ab ebrietate, ei qui audierit Miſſam die Dominica, vel audierit Concionem: tunc enim non proponit illud præmium ex ſua indigentia, ſed ex indigentia laboraturi; ſic Deus voluit proponere nobis gloriam ut mercedem, ſi abſtineamus à vitiis, ſi virtutes exerceamus, non eſt indigentia ſua, ſed noſtra.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Secunda ratio proponitur.

PUNCTUM PRIMUM.

Vis rationis aperitur, & cuidam oppoſitioni Ianſenii ſatisfit.

SECUNDA ratio petitur, & ſumitur ex bona voluntate quam Deus habet pro ſalute omnium, ut patet ex his textibus: 1. ad Timoth. 2. Deus vult omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: Item, ex eadem Epiſtola cap. 4. dicitur Deus ſalvator omnium, maxime autem fidelium. Item, & ex 2. ad Corinth. 5. ubi dicitur quod CHRISTUS pro omnibus mortuus eſt. Ex quibus locis manifeſte colligitur, Deum habuiſſe ab æterno voluntatem veram & ſinceram ſalvandi, quantum eſt ex ſe, omnes omnino homines, & eos omnes ad vitam æternam perducendi, ne uno quidem excepto: Quod & apertius patet ex his locis Matth. 18.* Non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, ut pereat unus ex his puſillis: Et 2. Petri 3. Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti: Qui modus loquendi maxime notabilis eſt, cum rejiciat iſtam explicationem ſatis communem apud adverſarios, per quam intelligunt prædicta teſtimonia, de generibus ſingulorum, & non de ſingulis generum: Nam hæc duo verba, ***nolens aliquos*** perire, non poſſunt non intelligi tam de ſingulis generum, quam de generibus ſingulorum; Et ratio eſt quia primum hoc verbum, ***nolens***, continet negationem, quæ cum ſit malignantis naturæ, ideo omnia removet, & nihil excipit, & neminem prorſus vult perire, ſive de ſingulis generum, ſive de generibus ſingulorum: Et idem etiam ſignificat iſta vox, ***aliquos***, quæ eſt indefinita, & pertinet ad ſingulos indefinite ſumptos, ita quod ſi ſolum excipias duos, ab iſta bona voluntate generali, manifeſte convincaris, te perperàm intellexiſſe hunc textum; cum illi duo ſint aliqui, & per conſequens comprehendantur in illa bona voluntate, qua Deus proteſtatur quod non vult aliquos perire; ſed omnes ad pœnitentiam reverti: Unde ex hoc textu convictus Eſtius, fatetur ingenuè hunc textum, Deus vult omnes ſalvos fieri, intelligi de omnibus ut ſingulis, nemine prorſus excepto.

**Hūc locum Matth. intelligūt Eſt. & Ianſ. de ſolis prædeſt. ſed vero intelligitur de omnibus peccatoribus: Quod patet ex illa particula, ſic, quæ connectit hunc textum cum præcedente, in quo locutus fuerat Ieſus de peccatore, ſeu de ove errāte, quam bonus paſtor quæſierat, ne periret. Unde hic eſt applicatio comparationis iſtis parvulis, bene & appoſite repræſentantibus peccatores, qui minimi ſunt in Eccleſia. Mirum enim eſſet quod omnes illi parvuli qui tunc erant ante Chriſtum cum hæc diceret, & de quibus loquebatur, eſſent omnes prædeſtinati, certe cum major ſit numerus reproborum quā prædeſt. præſumptio videtur eſſe in contrarium. & ſic locum illum intelligi non de ſolis prædeſtinatis, ut volunt ſupradicti, ſed de peccatoribus, de quibus ante locutus fuerat Chriſtus.*

Sed, minus eo ſincerus Janſenius libro 3. de gratia Salv. cap. 20. ſub finem, negat aperte hanc veritatem, pro certo ducens ibi non agi de omnibus, nedum de ſingulis, ſed de ſolis ſalvandis, ſeu prædeſtinatis ad gloriam; quia, inquit., ſcribebat Petrus, iis quos vocarat electos, ergo de iis tantum agebat, & loquebatur in hoc textu: Itaque, inquit Janſenius, ſimili ſenſu hîc dictum eſt, Nolens aliquem perire, ſcilicet electorum: ſicut apud Matth. cap. 18. dicit CHRISTUS, Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum qui in Cælis eſt, ut pereat unus de puſillis iſtis; hoc eſt electis.

Sed hæc ratio Janſenii leviſſima eſt; nam ſi hoc ipſo quo aliquis ſcribit cujuſdã generis hominibus, hinc ſequeretur quod omnes locutiones, ſeu propoſitiones generales, ibi contentæ intelligerentur de illis ſolis, & non de aliis, infinita ſequerentur abſurda: Nam ſequeretur quod cum dicit Paulus: Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, hoc non pertinere ad omnes, ſed ſolum ad eos quibus ſcribebat: Item cum dicit: Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal CHRISTI, hoc non pertinere ad omnes, ſed ſolum ad eos quibus ſcribebat: Item quod cum dicit Omnes in Adamo peccaverunt; &, CHRISTUS pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, hoc non pertinere ad omnes, ſed ſolum ad eos quibus ſcribebat. Unde male collegiſſet Auguſtinus ex hoc loco contra Pelagium, quod parvuli peccaſſent in Adamo, & quod mortui eſſent per peccatum originale, cum poſſet ei reſponderi ſecundum Janſenium, quod id pertinebat ad ſolos adultos, quibus Paulus id ſcribebat, & non ad parvulos: Et ſic infinita ejuſmodi abſurda ex hac commentatione, & gloſſatione ſequerentur. *2. Cor. 5.* *Ibidem.*

Præterea, licet illos ad quos ſcribebat Petrus, vocarit electos, etiam vocavit fideles & juſtificatos, his verbis initio 2. iſtius Epiſtolæ præfixis: Simon ſervus & Apoſtolus JESU CHRISTI, iis qui coæqualem nobiſcum ſortiti ſunt fidem, in juſtitia Dei noſtri & Salvatoris JESU CHRSITI, gratia vobis & pax adimpleatur, &c. Quæro igitur cur ibi vult Janſenius iis Petrum loqui ut prædeſtinatis ad gloriam potius quam ut fidelibus & juſtificatis, cum utroque ſeorſim eos nomine compellet, & non determinet in propoſitione ſua generali, ſub quo titulo eos ibi comprehendat, & ad eos hæc verba dirigat: Nam ut videmus quod licet Chriſtus ſit Deus & homo, tamen, aliquando Scriptura illi tribuit ea quæ ei conveniunt ut homini, & aliquando illi tribuit ea quæ ei conveniunt ut Deo: Ita Petrus potuit illos quos agnoſcit fideles, & prædeſtinatos ad gloriam, aliquando alloqui ut fideles, aliquando ut prædeſtinatos ad gloriam; quæritur ergo quare hîc potius alloquatur eos ut prædeſtinatos ad gloriam, quam ut fideles: Certe non video niſi quia ita vult Janſenius: Si autem alloquatur eos ut fideles, hoc quod ibi dicit, ſpectat æque ad reprobos, ac ad prædeſtinatos, cum inter fideles multi reperiantur reprobi; & per conſequens non video

cur id reſtringatur ad ſolos prædeſtinatos, ut vult Janſenius, cum id pertinere poſſit ad reprobos, æque ac ad prædeſtinatos.

Præterea quæritur, cur hanc vocem, *electi*, interpretetur Janſenius de electis ad gloriam, potius quàm de electis ad gratiam; nam habeo fundamentum dicendi quod vocabat eos electos ad gratiam: cùm initio Epiſtolæ vocet eos tantum fideles, & juſtos, quod eſt prædeſtinatos eſſe ad gratiam: At enim, inquit Janſenius, ſolebant Apoſtoli ſic vocare eos ad quos ſcribebant. Scio eos vocaſſe electos; ſed eos vocaſſe communiter electos ad gloriam non video: imo vero longe magis conſtat ex adjunctis, & circumſtantiis potius eos vocaſſe electos ad gratiam, quàm electos ad gloriam: Quod & infra latiſſime demonſtrabimus, ubi proprius locus hoc demonſtrandi dabitur.

In object. ultima ex [illegible]*ſcript. quæ eſt de prædeſtinatis, & de prædeſtinationibus.*

Præterea in Græco hujus textus pro eo quod habet vulgata, propter vos, habetur, propter nos, εἰς ἡμᾶς, non, εἰς ὑμᾶς; at hic modus loquendi ſumitur generaliter pro omnibus in Scriptura, & ubique paſſim, ut 2. Corinth. 5. Omnes *nos* manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, 1. Petri 2. CHRISTUS *paſſus* eſt pro *nobis*, vobis relinquens exemplum. Rom. 8. Pro *nobis* omnibus tradidit illum. Lucæ 11. Panem noſtrum quotidianum da *nobis* hodie. Et in Symbolo, Qui propter *nos* homines, & propter noſtram ſalutem: & ubique paſſim, *nos*, uſurpatur pro omnibus hominibus; unde cum Græca, nos, habeant & non, vos, interpretanda eſt illa propoſitio de omnibus generaliter, & non de iis ſolis quibus ibi loquebatur Petrus: Saltem per hanc vocem, nos, non illi magis deſignantur quam nos, cum hæc vox æque pertineat ad nos, quam ad ipſos, & communis modus loquendi id ſignificet.

Communis opinio fert iſtam Epiſt. Græce fuiſſe ſcriptam, vide Joannem de la Haye. in Biblia maxima & ſæpe Auguſt. teſtatur Novum Teſtamentū fuiſſe tranſlatum de Græco in Latinum; unde hoc reſpectu Græcum originale eſt.

Et tandem quod capitaliſſimum eſt, nulla habetur in illo textu particula, quæ determinet illam propoſitionem ad eos quibus ſcribebat Petrus potius, quam ad alios; ſicut habetur in illo ipſo textu quem affert Janſenius, in confirmationem & exemplum ſuæ interpretationis: Nam in illo textu quem affert Janſenius ex Matth. 18. datur particula quæ aliqualiter determinet propoſitionem ad certos, ſcilicet, iſtis: ſic enim habetur in textu: Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum qui in Cælis eſt, ut pereat unus de puſillis *iſtis*: ecce particula, iſtis, quæ determinat propoſitionem ad certos & determinatos, ſcilicet prædeſtinatos, ut explicat Janſenius, vel ut alii verius ad ſolos peccatores ut diſtinguuntur à juſtis, pro quo vide Maldonatum in hunc locum. At in propoſitione de qua agimus, nulla eſt ejuſmodi, ut patet: Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti. Certe ſi locutus eſſet Petrus ſingulariter de illis quibus loquebatur, debebat ponere aliquid quod pertineret ad illos ſpecialiter: ut v. g. dicere, Nolens vos perire, vel nolens aliquos veſtrum perire, vel nolens vos à ſanctitate in æternum excidere: ſed nihil habetur ejuſmodi, imo vero videtur aliquid haberi contrarium, & quod magis deſignet peccatores in peccato exi-

ſtentes, quam pios illos & juſtos, quibus Epiſtolam illam ſcribebat; ut patet ex his verbis: Sed omnes (vult) ad pœnitentiam reverti: Quid enim iſta verba ſignificant, niſi reſipiſcentiam & converſionem à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ, & liberationem à laqueis diaboli, quibus captivi detinebantur: At hoc longe abhorret ab iis quibus ſcribebat Petrus, qui erant juſti & pii, & ut putat Janſenius, præſumptive prædeſtinati ad vitam æternam: ergo falſiſſimum eſt quod hæc propoſitio pertineat ſolum ad illos, ſed clarum eſt quod pertinet ad omnes alios æque ac ad illos, cum verba generalia ſint, & ad nullos certos & ſingulares determinata: Et per conſequens manifeſtum eſt quod illa bona Dei voluntas qua vult omnes ſalvos fieri, complectitur omnes & ſingulos, & neminem prorſus excipit.

Sed non ſolum hæc bona Dei voluntas, eſt generalis quoad omnes & ſingulos, qui capaces ſalutis ſunt; ſed & maxime vera & ſincera, volens vere & ſincere, quantum eſt ex ſe, ſalutem omnium & ſingulorum Quod probatur, tum ex eo quod nullam aliam rationabiliter poſſumus ſuſpicari in Deo ſumme bono & vero, voluntatem; tum etiam quia plurimis in locis oſtendit eam eſſe veriſſimam, & maxime affectivam: ut cum ait Matth. 23. ad civitatem peccatricem: Hieruſalem, Hieruſalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos; quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum congregat gallina pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Et Lucæ 19. Videns eandem civitatem peccatricem, flevit ſuper illam, dicens, Quia ſi cognoviſſes & tu, & quidem in die tua, quæ ad pacem tibi: Et Apocal. 3. Ecce ſto ad oſtium, & pulſo; ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit januam, intrabo ad illum: Et Ezech. 18. Sic conteſtatur populum ſuum: Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat: Et infra: Et quare moriemini domus Iſraël? quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: Revertimini, & vivite. Ex quibus omnibus locis apertiſſime colligitur Deum habuiſſe veriſſimam & ſinceriſſimam voluntatem erga omnes omnino homines, ut ſalvarentur, nullo prorſus excepto.

PUNCTUM II.

Eadem ratio authoritate D. Auguſtini & D. Thomæ communitur & primò hîc autoritate D. Auguſtini defenditur.

HANC veritatem valde illuſtrant ſuo teſtimonio, duo noſtra luminaria magna, ſcilicet, D. Auguſtinus, & D. Thomas: Ille libro de Spir. & Litt. hic vero Comment. ſuo in Paulum, & in Summa: Sed quia id nobis paulo fuſiùs proſequendum eſt, excuſabit pius Lector prolixitatem in tam neceſſaria & orthodoxa veritate comprobanda: contra duriſſimam adverſariorum pervicaciam quæ nihil non machinata eſt contra iſtam veritatem: Ita quod neceſſe ſit etiam invitis no-

bis iſtam veritatem conſtabilire firmiſſimis iſtorum Patrum teſtimoniis: & ſimul eam ab inſultibus adverſariorum defendere. D. ergo Auguſtinus libro de Spir. & Litt. cap. 33. ſic ait: *Vult autem omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire*; non ſic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel male utentes, juſtiſſime judicentur. Ubi clare admittit iſtam bonam Dei voluntatem erga omnes homines: ſed recte monet non eſſe talem, quæ adimat nobis liberum arbitrium (cum ſub ea bene vel male poſſimus uti noſtro arbitrio) contra ſcrupulos Pelagianorum qui putabant tolli liberum arbitrium, ſi gratia Dei (quæ eſt ab illa bona voluntate) præveniret arbitrium, & illud ad agendum excitaret. Verum contra hoc ſolenne teſtimonium Auguſtini inſurgit Janſenius, & ait lib. 2. de gr. Salv. cap. 30 hunc textum eſſe objectionem Pelagianam, & non ſolutionem Auguſtini.

Sed reſpondeo quod præterquam quod nullum ibi poſitum eſt verbum, quod indicet hunc textum eſſe objectionem Pelagianam; non video cur iſta doctrina negetur eſſe Auguſtini, cum ſit prorſus conformis doctrinæ Auguſtini, qui ubique proteſtatur gratiam (quam docet) non tollere arbitrium, ſed potius illud firmare. Et ſane valde conveniebat Auguſtino id dicere contra calumnias Pelagii, qui ubique contra eum prædicabat gratiam Dei, ſi humanas præveniret voluntates (ut volebat Auguſtinus) tollere & adimere liberum arbitrium; * Unde volebat ipſe Pelagius arbitrium prius agere quam gratiam: quærendo, pulſando, & petendo, cui poſtea ſubjungeretur ipſa gratia, ne læderet arbitrium: Ex quo clare apparet id non eſſe objectionem Pelagianam, ſed excuſationem Auguſtinianam contra calumnias Pelagii: Et certe nullo modo conveniebat Pelagio id dicere, & ſic excuſare bonam Dei voluntatem de non tollendo arbitrio hominis, cum ipſe ſentiret illam voluntatem nihil influere in arbitrium, ſed illius actionem expectare, antequam influeret, ut Author eſt Fulgentius lib. de Incarn. & Gratia cap. 29. verſans illum ipſum locum Apoſtoli: Deus vult omnes ſalvos fieri, &c. At vero id valde conveniebat Auguſtino, cum ipſe cenſeret illam voluntatem influere in arbitrium, antequam quicquam ageret; unde nullatenus dubitandum eſt quin ſit illa ipſius doctrina, & non Pelagii, cum recte conveniat illi, & non Pelagio: Quod tanto manifeſtius fit quod in fine capitis eandem doctrinam Auguſtinus repetit cum talibus circumſtantiis, ut eſſe illius doctrinam dubitari nullo modo poſſit: Ita (inquit concludendo diſputationem) nec liberum arbitrium tollimus (ecce, quod dixerat de libero arbitrio non ſublato; nunc ecce quod dicit de prædicta Dei bona voluntate gratiarum Dei fonte & origine) & benedicit anima noſtra Dominum, non obliviſcens omnes retributiones ejus (id eſt agnoſcens prævenientem illius gratiam) nec ignorans Dei juſtitiam, ſuam vult conſtituere (nihil hoſtilius poterat dici contra Pelagium) ſed credit in eum qui juſtificat impium, & vivit ex fide; donec ad ſpeciem perducatur: Fide ſcilicet quæ operatur per

Ideo D. Auguſt. explicando hunc locum Apoſt. tuetur libertatem arbitrii: quia cum in virtute illius textus nollet admittere quod lib. arb. præveniret gratiã ſicut volebat Pelag. Ideo calumniabantur eum tollere & adimere liberum arbitrium: Unde & Proſper Ep. ad Ruf. explicando eundẽ locum tuetur ſimiliter liber. arb. contra calumnias iſtorum hæreticorum.

** Hinc Pelagiani dicunt apud Proſper in Epiſt. ad Rufinum. Auguſt. lib. arb. penitus ſubmovere, & ſub gratiæ nomine neceſſitatem prædicare fatalem: Et infra: Quod per hanc gratiam nihil relinquatur arbitrio*

dilectionem, quæ dilectio diffunditur in cordibus noſtris; nec per ſufficientiam propriæ voluntatis (hîc ſugillatur Pelagius) nec per litteram legis, ſed per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis: Hæc ibi Auguſt. quæ eſt ipſius puriſſima, & germaniſſima de gratia doctrina, & per conſequens nullo modo pertinere poteſt ad objectionem Pelagianam, ut vult Janſenius. Unde ſic conſequenter incipit caput 34. Auguſtinus dicens: Hæc diſputatio, ſi quæſtioni illi ſolvendæ ſufficit, ſufficiat. Oſtendens rem eſſe concluſam, & non relictam ſub incerto, ut vult Janſenius ubi ſupra; propterea quod ibi loquitur Auguſtinus de diſputatione. Sed ſane non bene legit Janſenius Auguſtinum, ſi non ſcivit quod ſoleat uſurpare nomen diſputationis, pro eo quod eſt tractare concluſive aliquid: Quo genere loquendi pleni ſunt illius Tractatus in Joannem & in Pſalmos, & ſex illius libri contra Julianum, & plerique alii, ubi communiter uſurpat verbum diſputare, pro eo quod eſt tractare & concludere aliquid, & numquid in diſputationibus theologicis non ſunt concluſiones & determinationes ordinariæ? Certe in his poſtremis verbis ſatis oſtendit Auguſtinus ſe ibi dediſſe ſolutionem ſeu dixiſſe quid ſentiret de propoſita quæſtione, cum dicit ſe neſcire an id ad ſolvendum ſufficeret: ſi enim non ſolviſſet, aut ſi non dixiſſet ea quæ ad ſolvendum poſſent ſufficere, dubitare non potuiſſet, an illa ad ſolvendum ſufficerent; ſed id dixit propter pervicaciam Pelagianorum qui contra concluſionem ſuam (quæ oſtendebat bene conſiſtere poſſe cum libero arbitrio bonam voluntatem Dei influentem in arbitrium, prævenientem gratiam) tenebant mordicus, omnino adimi, ſeu tolli arbitrium per gratiam prævenientem, ſeu per talem gratiam quæ neceſſario antecederet arbitrii actionem, ut notavi initio hujus noſtræ diſputationis: Unde non eſt quod toties & tam atrociter miretur Janſenius ubi ſupra, viros doctos cenſuiſſe Auguſtinum ibi dediſſe ſolutionem, & non propoſuiſſe objectionem, cum nihil aliud iſta contineant, quàm communem illius de gratia doctrinam, ut Pelagiano errori oppoſitam, de quo ibi erat quæſtio.

Multa alia hic congerit Ianſenius, quæ prætermittuntur, tum quia ut plurimũ ſũt extra rem de qua agitur, & alibi etiam iis reſpondebitur.

Sed quia in ſola hac parte textus non ſiſtit vis allati teſtimonii Auguſtini, pro argumento quod proponimus, ſed etiam in ſequenti: Ideo ille nobis proſequendus eſt, & oſtendendum in eo vere admitti ab Auguſtino bonam illam voluntatem, de qua nobis hic ſermo eſt pro ſalute omnium. * Sic enim proſequitur, & ait: Quod cum fit (id eſt quod cum accidit ut utatur homo libero ſuo arbitrio pro libito in rebus ad ſalutem ſpectantibus, de quibus ibi loquitur) infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Euangelio non credunt, nec ideo tamen eam vincunt, verum ſeipſos fraudant magno & ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt. In quibus verbis mera & frequentiſſima Auguſtini doctrina continetur, qua ſæpe ſæpius oſtendit voluntatem Dei ſemper fieri (& per conſequens non vinci) quia niſi illam peccator in exequendis præceptis faciat facit illam in ſuppliciis: Et

*Quantum in Medico eſt, *ſanare venit ægrotum ipſo ſe interimit qui præcepta Medici obſervare non vult.* Venit Salvator

præterea ibi miſericordiam Dei commendat in ſuis donis, quod ubique dicit, & repetit, contra Pelagium: Unde illa doctrina non poteſt eſſe Pelagii, ſed Auguſtini: & tamen ibi manifeſte traditur, quod infideles non credentes, & ſic reprobi contra voluntatem Dei faciunt, cum non credunt, & damnantur: Unde conſequens omnino eſt quod voluntas Dei ſit ut credant & ſalventur, quandoquidem contrariantur ei, cum non ſalvantur, aut damnantur: ſoli enim ſalvationi opponitur damnatio: Unde manifeſtum eſt quod Auguſtinus cenſuit voluntatem Dei fuiſſe quod omnes ſalvarentur, ſeu de ſalute omnium omnino hominum, cum ſit etiam de ſalute infidelium, in infidelitate morientium de qua major difficultas fieri poſſet: Sed clarius id perſequitur in ſequentibus, explicans illam Dei bonam voluntatem, & exemplificans id quod prius dixerat, ſcilicet quod etſi bona illa voluntas non fieret in ſalute omnium hominum quam volebat per complacentiam, tamen non idcirco vincitur. Quod ſic probat: Qui enim (inquit) dicit v. g. *volo* ut hi omnes ſervi mei operentur in vinea, & poſt laborem requieſcentes epulentur, ita ut quiſquis eorum noluerit in piſtrino ſemper molant: videtur quidem quicumque contempſerit, *contra voluntatem* Domini ſui facere, ſed tunc eam vincet, ſi & piſtrinum contemnens effugerit: Quod nullo modo fieri poteſt ſub Dei poteſtate. Ubi vides exemplum eſſe de voluntate per verbum, volo, & de voluntate quæ non habet effectum, per hæc verba, contra voluntatem, quæ eſt ipſiſſima voluntas complacentiæ Dei pro omnibus, etiam iis qui non ſalvantur, Et per id oſtendit Auguſtinus quod licet illa voluntas non fiat ſecundum aliquid, fit tamen ſecundum aliud, ſcilicet per impoſitionem ſupplicii, quod non poteſt effugere is qui detrectavit illam in præceptis. Unde & paulo poſt ſequitur: Ille igitur reus erit ad damnationem ſub poteſtate ejus, qui contempſerit ad credendam miſericordiam ejus (id eſt qui contempſerit gratiam fidei ſibi oblatam) quiſquis autem crediderit ei, qui ſe à peccatis omnibus abſolvendum, & à vitiis omnibus ſanandum, & calore ac lumine ejus (id eſt pia affectione & illuſtratione Spiritus ſancti, quod ſignificat gratiam internam) accendendum illuminandumque non contempſerit, habebit ex ejus gratia opera bona, ex quibus etiam ſecundum corpus, à mortis corruptione redimatur, coronetur, boniſque ſatietur non temporalibus, ſed æternis: (quæſo ne tædeat te benevole Lector? tam ſuavem & amœnam legere doctrinam Auguſtini) hunc ordinem (verba Auguſtini) tenuit Pſalmus, ubi dicitur; Benedic anima mea Dominum, & noli oblivisci omnes retributiones ejus; Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes languores tuos, qui redimit de corruptione vitam tuam, qui coronat te in miſeratione, & miſericordia, qui ſatiat in bonis deſiderium tuum. Et ne forte hæc tanta bona hujus vetuſtatis, hoc eſt mortalitatis deformitas deſperaret (ibi indicatur liberum arbitrium per ſe infirmum) renovabitur, inquit, ſicut aquilæ juventus tua: Tanquam diceret, hæc quæ audiſti, ad novum Hominem,

in mundũ: *Quare Salvator dictus eſt, niſi ut ſalvet mundum, non ut judicet mundũ. Salvari nõ vis ab ipſo, ex te judicaberis: Auguſt. Tract. 12 in Evan. Ioann. ubi clare oſtẽdit Chriſtum quantum in ipſo eſt velle omnium ſalutem, ſeu velle omnes ſalvos fieri. Vide etiam ſer. 81. ſub finem, de diverſis. & ſerm. 109. c. 9 de temp.*

Solet Auguſtinus nomine miſericordiæ ſignificare gratiam internam, ubi nota reſiſtentiam factam gratiæ.

Hominem, & Novum Teſtamentum pertinent (quid, quæſo, ſignificat hoc? niſi gratiam CHRISTI, novi Hominis, ſeu gratiam Novi Teſtamenti, ſed clarius mox explicatur) Recole mecum, inquit Auguſtinus, eadem ipſa paululum obſecro te, & inſpice delectabiliter laudem miſericordiæ, hoc eſt gratiæ Dei: (audis miſericordiam, audis gratiam nempe novi Hominis CHRISTI, & Novi Teſtamenti, quæ eſt interna, & non ſolum externa) Benedic, inquit, anima mea Dominum, & noli oblviſci omnes retributiones ejus: non ait, tributiones; ſed, retributiones ejus, qui retribuit bona pro malis (hæc eſt formaliſſima Auguſtini doctrina contra Pelagium, qui volebat Deum retribuere bona pro bonis, & non bona pro malis, ut volebat Auguſtinus, qui omnem bonam actionem arbitrii rejiciebat ante gratiam) Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis, hoc agitur in Baptiſmatis Sacramento. Qui ſanat omnes languores tuos, hoc agitur in hac vita fidelis hominis, dum caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, ut non quæ volumus, faciamus: Dum alia lex in membris repugnat legi mentis, dum velle adjacet; perficere autem bonum non invenimus (non erat hic ſenſus Pelagii, qui teſte ipſo Janſenio lib. 1. de hæreſi Pelagiana verſus finem; §. Jam vero de concupiſcentia, non tribuebat id concupiſcentiæ, ſed pravæ conſuetudini, & volebat Paulum id dicere in aliena perſona (ſcilicet adhuc ſub lege poſita) ſed D. Auguſtinus è contra hic) qui languores vetuſtatis ſi perſeverante intentione proficimus, de die in diem creſcente novitate (nempe gratia Chriſti novi hominis, ſeu Novi Teſtamenti) ſanantur ex fide, quæ per dilectionem operatur: Qui redemit de corruptione vitam tuam: hoc fit in ultima reſurrectione: Qui coronat te in miſeratione & miſericordia: hoc fiet in judicio, ubi cum Rex juſtus ſederit in throno, redditurus unicuique ſecundum opera ejus; quis gloriabitur caſtum ſe habere cor? aut quis gloriabitur mundum ſe eſſe à peccato? (mera Auguſtini doctrina contra Celeſtium Pelagii diſcipulum libro de perfectione juſtitiæ, qui Cæleſtius putabat nos poſſe eſſe in hac mortali vita ſine peccato, & re vera multos vixiſſe ſine ullo peccato contra quem toties urget hæc verba 1. Joann. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt) ideo illic neceſſarium fuit commemorare miſerationem & miſericordiam Domini: Ubi jam exigi debita, & reddi merita, ſic poſſent videri, ut nullus eſſet miſericordiæ locus (ut volebat Pelagius) ſed etiam ſic ſecundum opera, id eſt ſecundum opera gratiæ, & non naturæ, ut volebat Pelagius: quod deſignat hæc particula, (*ſic*) id eſt ſecundum quod explicuimus, ut nempe miſeratio & miſericordia ſeu gratia præveniens non abſit.

Gratia ſanãs de mente Auguſt. eſt fides quæ per dilectionem operatur. Vide monitionem noſtram initio.

Et tandem concludit ut ſupra diximus: ita nec liberum arbitrium tollimus, & benedicit anima noſtra Dominum, non obliviſcens omnes retributiones ejus, &c. id eſt ita liberum ſervamus arbitrium, non tamen ſine gratia illud præveniente, per quam Deus retribuit nobis bona pro

Hæc prolixè recenſui, ut videat Lector, id

quod inferimus, non eſſe objectionem Pelagianā, ſed conſtantem Auguſt. doctrinam.

malis, ut ſupra explicuit iſtam ſcripturam Auguſtinus. Ex quibus omnibus, ut opinor, manifeſtum eſt D. Auguſtinum admiſiſſe bonam illam Dei voluntatem per quam omnes homines ſalvari vult, non tollendo tamen liberum arbitrium, ut Pelagiani calumniabantur; ſed juvando illud per gratiam, ſeu per miſerationem illud excitantem & prævenientem, quam bona voluntas illa influeret: Et ſic patet quod Auguſtinus bonam illam Dei voluntatem, prout illam defendimus, ibi admiſit. Quod etiam alibi aſſeruit, ſcilicet ſerm. 66. de tempore, ubi ait: Deus in natura miſericors eſt: paratus eſt ſalvare per miſericordiam quos non invenit ſalvare per juſtitiam: qui vult omnes ſalvos fieri, & neminem perire.

Cui tanti Doctris ſententiæ ſubſcribunt etiam illius diſcipuli D. Proſper & Primaſius: ille in lib. 2. de vocat. Gent. cap. 8. ubi ait: Sive noviſſima contemplemur ſæcula, ſeu prima, ſeu media, rationabiliter creditur: Omnes homines ſalvos fieri Deum velle, ſemperque voluiſſe. Et in reſponſionibus ad objectiones Vincentianas, objectione ſecunda, ſic ait: Qui fieri poteſt ut Deus qui etiam illos ſalvat de quibus dici non poteſt quod ſalvari velint (id eſt parvulos qui nondum habent velle) nolit aliquos ſalvare, etiamſi ſalvari velint: niſi aliquæ cauſæ exiſtant, (ergo etiam non ſine cauſa præcedente reprobat negative) quamvis ſint nobis incognoſcibiles: (ergo illa cauſa non eſt ſolum peccatum originale, quia illa cauſa non eſſet incognoſcibilis) Ita tamen bene judicat, de quo non poteſt dici, aliter eum quidquam facere debuiſſe, quam fecerit: remota ergo hac diſcretione (hoc ſpectat ad gratiam efficacem) quam divina ſcientia, intra ſecretum juſtitiæ ſuæ continet, ſinceriſſime credendum, atque profitendum eſt: Deum velle ut omnes homines ſalvi fiant: quod deinde probat teſtimonio Apoſtoli, è quo ſententia illa deducta eſt: Ex quo videre eſt D. Proſperum admittere bonam Dei voluntatem erga ſalutem omnium, non tamen efficacem.

Nota, hic reprobationem negativam rejectam.

Primaſius autem Comment. in eadem verba Apoſtoli, ſic ait: Conſtat Deum omnia bona velle (ſcilicet hominibus) ſed ſuo vitio præcipitantur in malis: (in quo videri poteſt voluntas Dei circa ſalutem omnium, quantum eſt in ſe, dando eis gratias ſufficientes: Sed illam impediri ne habeat effectum bonum per malitiam hominum: & proſequitur) unus enim Deus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, omnium hominum Deus eſt, & ideo *cupit* omnes ſalvari quos fecit: Et infra, in hæc verba: Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus; ſic ait: Pro omnibus quidem effuſus eſt ſanguis CHRISTI, ſed credentibus prodeſt, incredulis autem erit in condemnationem. Ex quo facile videre eſt quod ſupponit CHRISTUM eſſe pro omnibus mortuum, & in virtute mortis & ſanguinis illius derivatas eſſe gratias in omnes, vere ſufficientes, quibus bene uſi ſunt credentes, male autem increduli, propter quem malum uſum, illis factus eſt ſanguis CHRISTI in condemnationem. In quo manifeſte declarat bonam Dei voluntatem circa ſa-

Similia etiā habet divus Proſper li. 2. de vocat. Gent. ubi aſſerit c. 16. Chriſtum prorſus pro omnibus eſſe mortuum. In quo etiā libro multis

lutem omnium, per derivationem iſtam gratiarum in credentes, & in incredulos: Nam ſi hinc nihil derivatum eſſet in credentes, non bene diceretur quod eis prodeſt: Et rurſus, Si nihil derivatum eſſet in incredulos, non bene diceretur quod ſanguis CHRISTI factus eſſet eis in condemnationem, cum ſe haberet impertinenter & per accidens ad illos: Et per conſequens vult ad illos omnes, ſeu credentes, ſeu incredulos perveniſſe ex hac bona voluntate gratias vere ſufficientes ad ſalutem: & proinde clare fatetur ſe libenter admittere iſtam bonam voluntatem, qua CHRISTUS pro omnibus mortuus eſt, & vult omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Sic ergo conveniunt diſcipuli cum Magiſtro in agnoſcenda illa generali, & bona Dei voluntatem circa ſalutem omnium.

capitibus aſſeris gratias ſufficientes eſſe datas omnibus etiam ipſis parvulis indiligentia parentum c. 23 quod etiam de parvulis inſinuat Auguſt. lib. 10. de Civitate Dei cap. 8. circa finem.

PUNCTUM III.

Cuidam Ianſenianæ oppoſitioni reſpondetur.

VERUM Janſenius contra objicit de Auguſtino; & ait libro 3. de grat. Salv. cap. 20. Auguſtinum formaliter negaſſe Deum velle omnes & ſingulos ſalvos fieri, in ſenſu quem intendimus: cum dicat multos parvulos perire, Deo nolente eos ſalvos fieri: Et cum diverſimode locum illum interpretetur, ad hoc ut non intelligatur de ſingulis hominibus, ſed tantum de generibus ſingulorum, vel de iis ſolis qui ſalvantur, vel de ſola inſpiratione, qua Deus inſpirat Sanctos, ut velint, & optent, & orando deſiderent, omnes ſalvos fieri.

Reſpondeo D. Auguſtinum nunquam negaſſe Deum velle omnes & ſingulos homines ſalvos fieri in ſenſu quem intendimus, id eſt nunquam negaſſe Deum id velle per complacentiam, quantum eſt in ſe, dando eis gratias ſufficientes ad fidem, & ad bona opera, & ad ſalutem ſibi comparandam neceſſaria, non habito reſpectu ad eorum voluntatem præcedentem bonam, vel malam. Sed tantum id negaſſe in ſenſu Pelagianorum & Semipelagianorum, qui dicebant Deum ita velle omnes ſalvos fieri, ut tamen prius deſideraret, & expectaret eorum voluntatem mere naturalem, qua per ſemetipſos, & ſine gratia, quærerent ſalutem, peterent, & pulſarent; & tunc daret eis ſalutem: Qui autem non peterent, aut quærerent, ſicut poterant per ſuum arbitrium divina gratia non adjutum, * tunc non daret iis ſalutem, eo quod illi nollent quærere, aut petere cum poſſent per ſuum ſolum arbitrium: Et hoc eſt quod negavit Auguſtinus, ſeu hic eſt ſenſus in quo negavit Auguſtinus Deum velle omnes & ſingulos ſalvos fieri: ut patet ex lib. 4. contra Julianum Pelagianum cap. 8. & ex Epiſt. 107. ad Vitalem Semipelagianum; † ſic enim ait loco citato contra Jul. *Calumniaris me* dicere, nihil ſtudii *expectari* ab humana voluntate debere, contra illud Euangelicum, quo ait Dominus: Petite, & accipietis; quærite, & invenietis,

Hic ſenſus illorum errantium aperitur, & damnatur in Concilio Arauſ. II. can. 4 his verbis: Si quis ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit: non autem ut etiam purgari velimus, per S. Spiritus infuſionem, &

pulſate, & aperietur vobis; omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperitur: ibi enim vos, ut video, ponere jam cœpiſtis merita *gratiam precedentia* (hoc eſt quod negat) quod eſt petere, quærere, pulſare, ut his meritis debita illa reddatur, ac ſic gratia inaniter nuncupetur: *Tanquam gratia nulla præceſſerit*, & cor tetigerit, ut beatificum bonum peteretur à Deo, ut quæreretur Deus, ut pulſaretur ad Deum: *Fruſtraque ſit ſcriptum: Miſericordia ejus præveniet me:* Fruſtra etiam nos pro inimicis noſtris jubeat orare, ſi non eſt ejus averſa & adverſa corda convertere: (hoc eſt quod pernegat Auguſtinus quod Deus ita velit ſalvos facere: ut incipiat arbitrium, & ſequatur gratia, ſed vult gratiam præcedere, & incipere) ſed ponis Apoſtolicum teſtimonium, & ab eo dicis pulſantibus aperiri, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: Ut videlicet intelligamus docentibus vobis, *ideo non omnes ſalvos fieri, quia ipſi nolunt petere* (ſcilicet per purum putum arbitrium, ut ſupra explicatum eſt) cum Deus velit dare, nolunt quærere; cum Deus velit oſtendere; nolunt pulſare cum Deus velit aperire: Sed hunc ſenſum veſtrum (ecce ſenſum in quo negat Auguſtinus Deum velle omnes ſalvos fieri, ſcilicet ita ut ſupponat præcedentem actionem arbitrii pure humani) infantes illi ipſa ſua taciturnitate convincunt, qui nec petunt, nec quærunt, nec pulſant: imo etiam cum baptiſantur reclamant, reſpuunt, reluctantur, & accipiunt tamen, & inveniunt, & intrant in Regnum Dei, ubi ſit eis æternitatis ſalus, & agnitio veritatis, longe pluribus infantibus in iſtam gratiam non adoptatis ab eo qui vult omnes ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: Quibus dicere non poteſt: volui & noluiſtis, quia ſi voluiſſet; quis eorum qui nondum habent voluntatis ſuæ arbitrium, voluntati eius omnipotentiſſimæ reſtitiſſet? Ubi vides Auguſtinum ſolùm refellere illos, qui cenſebant ita Deum velle omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ut tamen poſtularent quod arbitrium ex ſe prius quæreret, peteret, & pulſaret per proprias vires ſuas, cui ut ſic merenti Deus daret ſalutem, & ſi negligeret quærere, petere, & pulſare ſecundum eas quas habebat à natura vires ſuas, Deus ut immerenti non daret ſalutem, quam tamen dare peroptabat, niſi ei per ſuam negligentiam & noluntatem reſtitiſſent. Quod bene & appoſite refellit exemplo parvulorum qui nondum habent ſuæ voluntatis arbitrium, quo petant, quærant aut pulſent, vel quo nolint quærere, petere, & pulſare, & tamen non quærentes, petentes, aut pulſantes, multos eorum ſalvat, & alios non reſiſtentes ſibi, utpote nullam habentes qua reſiſtant voluntatem, non ſalvat, nec adducit in agnitionem æternæ veritatis in Cælis. Ex quibus manifeſtum eſt Auguſtinum, ſolam illam voluntatem Dei generalem de ſalvandis hominibus rejicere, quæ ſupponit præcedentem actionem arbitrii, per ſeipſum petentis, quærentis, & pulſantis, ad habendam ſalutem, cui poſtea ut merenti ſine gratia & operanti ſalus concedatur: Non vero eam,

operationem in nobis fieri confitetur, reſiſtis Spiritui ſancto, per Salomonem dicenti; Præparatur voluntas à Domino, &c.

**Iſti ſic explicantes locum iſtum Apoſt. tribuebant ſalutem hominum meritis pure humanis, ut patebit infra.*

† Ergo non negavit Auguſt. Deum expectare voluntatem ut conſenſuram gratiæ datæ; ſed tantum ut præviam & antecedentem ipſam gratiã nondum datam: unde juſte queritur de calumnia, quod valde notabile eſt.

quæ dat omnibus gratias ſufficientes ad ſalutem, quas ſi quis non contempſerit, ſeu ut ipſis loquar Auguſtini verbis in præcedenti teſtimonio allatis, quiſquis crediderit ei (id eſt Deo vocanti) qui ſe à peccatis omnibus abſolvendum, & à vitiis omnibus ſanandum, & calore ac lumine ejus accendendum, illuminandumque non contempſerit, habebit *ex ejus gratia* opera bona, ex quibus etiam ſecundum corpus à mortis corruptione redimatur, coronetur, boniſque ſatietur non temporalibus, ſed æternis. Et hic eſt ſenſus Auguſtini qui & noſter eſt, non autem alius qui eſt Pelagianus, aut Semipelagianus.

Idem probatur ex Epiſtola 107. ad Vitalem Semipelagianum longe poſt medium, ubi ſic ait Auguſtinus: Quomodo voluntatis humanæ meritum ſequitur gratia, cum detur & parvulis, qui hoc nondum poſſunt velle, ſeu nolle (idem argumentum quod ſupra ex parvulis contra voluntatem humanam ante gratiam, quod & proſequitur de adultis) quomodo gratiam, vel in majoribus dicuntur præcedere merita voluntatis, ſi gratia, ut vera ſit gratia, non ſecundum merita noſtra datur: Quam ſententiam Catholicam Pelagius ipſe ſic timuit, ut eos qui dicunt gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari, ſine dubitatione damnaret, ne à Catholicis judicibus damnaretur. Quomodo dicitur gratia Dei, in natura eſſe liberi arbitrii, vel in lege, atque doctrina, cum & iſtam ſententiam Pelagius ipſe damnaverit, proculdubio confitens gratiam Dei ad ſingulos actus dari, eis utique qui jam libero arbitrio utuntur; quomodo dicitur omnes homines eam fuiſſe accepturos, ſi non illi quibus non donatur, eam ſua voluntate reſpuerent (nolendo ſcilicet quærere, petere, pulſare cum poſſent per ſuum arbitrium ſine gratia, ut volunt iſti errantes) quoniam Deus vult omnes ſalvos fieri, cum multis non detur parvulis, & ſine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus feſtinantibuſque parentibus, miniſtris quoque volentibus ac paratis Deo volente (id eſt, permittente) non detur, cum repente antequam detur, expirat pro quo ut acciperet currebatur: Unde manifeſtum eſt eos qui huic reſiſtunt, tam perſpicuæ veritati (ſcilicet quod gratia non datur ob præcedentem voluntatem quærentem, petentem, aut pulſantem: Aut negatur propter noluntatem, ſeu contemptum quærendi, petendi, pulſandi ad habendam ſalutem) non intelligere omnino qua locutione ſit dictum quod omnes homines vult Deus ſalvos fieri, cum tam multi ſalvi non fiant, non quia ipſi, ſed quia Deus non vult quod ſine ulla caligine manifeſtatur in parvulis. Ubi adhuc manifeſtum eſt Auguſtinum illam ſolam voluntatem generalem de ſalvandis omnibus rejicere, quæ ſupponit actionem arbitrii ex ſeipſo quærentis, petentis, & pulſantis ad habendam ſalutem, ſeu in eo ſolo ſenſu quo volebant Pelagiani, & Semipelagiani, ſcilicet: ita ut ſalvaret eos qui ex ſe, & ex mero arbitrio ſuo vellent ſalvari, quærendo, petendo, & pulſando, ad habendam ſalutem, & non ſalvaret eos qui nollent quærere & petere, cum poſſent per ſe, ſine gra-

tia: & ex ſolis viribus arbitrii: Quod cum longe ſit à ſenſu quem intendimus; ideo ſicut hic ſenſus ab Auguſtino reprobatur: ita & noſter iſti ſenſui oppoſitus ab eo approbatur, ut ſupra etiam oſtendimus, ex ipſis illius verbis in fine præcedentis teſtimonii allatis.

PUNCTUM IV.

Quo ſenſu dixerit Auguſtinus Deum nolle multos parvulos ſalvari.

QUANTUM autem ad hoc quod dicit Janſenius, Auguſtinum dixiſſe formaliter, Deum multos parvulos noluiſſe ſalvare,

Reſpondeo ibi loqui Auguſtinum de voluntate permittente, & non decernente, quæ voluntas permittens bene ſtare poteſt cum voluntate complacentiæ in oppoſitum: ita quod non ei diſpliceret ut hi ſalvarentur; nam & ad hoc provider iis media ordinaria eorum ſtatui convenientia, ut ait Proſper lib. 2. de vocat. Gentium cap. 23. imo & D. Auguſtinus lib. 20. de Civitate Dei cap. 8. circa finem. Sed cum hæc deficiunt, non vult adhibere media extraordinaria, & miraculoſa, ut ſalventur, & hoc eſt quod dicit Auguſt. Deo nolente, ſeu quod Deus non vult, id eſt, Deus non vult uti ſua potentia abſoluta, & extraordinaria, & interturbare communem rerum ordinem ut hi ſalventur, licet poſſet ſi vellet: In quo eſt permiſſio divina, ut in peccatis, & actibus malis, quos tamen non dicitur vere velle, ſeu decernere, ſed tantum permittere: Qui ſenſus Auguſtini ex eo fit manifeſtus, quod ſemper ſupponit ita ſe res habere naturaliter ut baptiſmus non poſſit eis applicari, ut patet ex his verbis mox allatis: Aliquando cupientibus, feſtinantibuſque parentibus, miniſtris quoque volentibus, & paratis Deo nolente, non detur (gratia baptiſmi) cum repente antequam detur expirat, pro quo ut acciperet currebatur. Ubi vides rationem permiſſionis divinæ, ſcilicet quia parvulus expiravit, priuſquam aqua afferri poſſet: Nec enim ex eo quod dicit Auguſtinus, quod Deus non vult, cito id intelligendum eſt de voluntate decernente id non fieri: Nam voluntatem Dei ſumit Auguſtinus indifferenter pro voluntate decernente, aut ſinente aliquid fieri, ut patet in Enchiridio ubi Auguſt. explicans hanc voluntatem, ſic ait cap. 95. Deus autem noſter in Cælo, & in Terra, omnia quæcumque voluit fecit; quod utique, inquit; non eſt verum ſi aliqua voluit, & non fecit, & quod eſt indignius ideo non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit (quod dixit ſpectando ad hunc locum Apoſtoli quem verſamus & poſtea illi ipſi textui reſpondet) non ergo fit aliquid (verba ſunt Auguſtini) niſi Omnipotens fieri velit vel *ſinendo* ut fiat, vel ipſe faciendo: nec dubitandum, eſt Deum facere bene, etiam *ſinendo* fieri, quæcumque fiunt male: Non enim hoc, niſi juſto judicio *ſinit*: Et cap. 100. ait: Propterea namque magna

Duvallius Tract. de grat. qu. 5. art. 3. illud verbum, volente, ſumit pro permittente, & & ait: Hoc non tam eſſe Deum velle puerum baptiſmo privari, quam velle ſcurſum ordinariorum cauſarum naturalium conſervare.

opera Domini exquiſita in omnes voluntates ejus: ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem: quia non fieret ſi non *fineret*, nec utique *nolens ſinit, ſed volens*, nec *fineret* bono fieri male, niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet bene. Et cap.101. ait: Deum etiam implere voluntatem ſuam per malos, & per peccantes; quod non poteſt intelligi niſi de voluntate ſinente aut permittente, non involuntarie, ut homines, qui non poſſunt impedire effectum aliquem; ſed voluntarie; quia poteſt, & non vult: quia nempe non vult interturbare rerum ordinem, nec miracula paſſim facere. Cum ergo dicit Auguſtinus in prædicto loco quod parvulus Deo nolente, non ſuſcepit baptiſmum, non hoc intelligitur neceſſario de voluntate decernente, ſed recte poteſt intelligi de voluntate permittente, maxime cum videamus id non velle, niſi quando aliter ſine miraculo fieri nõ poſſet: quia nempe parvulus mortuus eſt, antequam aqua afferri poſſet: ſed valde annotanda ſunt iſta verba: cupientibus, feſtinantibuſque parentibus: Quod ideo ſignanter poſuit Auguſtinus, ut oſtenderet Deum non reſpicere ad bonas diſpoſitiones & affectiones parentum in danda gratia ſuis parvulis, ut nec reſpicit ad bonas diſpoſitiones & affectiones adultorum quærentium, petentium, vel pulſantium per arbitrium ſuum, in danda gratia illis adultis, ut volebant Pelagiani, cùm parentibus cupientibus feſtinantibuſque (quæ erat tota bona diſpoſitio quæ in iis tunc potuiſſet requiri) nihilominus Deus non dabat illam gratiam parvulo, pro quo ut acciperet currebatur: hic enim erat totus ſcopus Auguſtini in his exemplis parvulorum, ut facile notari poteſt in ſequentibus, oſtendere ſcilicet non prærequiri aut non expectari bonam diſpoſitionem & affectionem creaturæ ad ſuſcipiendam gratiam Chriſti: quod erat id omnino quod volebant inferre Pelagiani ex prædicto loco Apoſtoli, & quod omnino refellere volebat Auguſtinus: Sed videamus alia exempla à Janſenio ipſo ſelecta, ubi ſupra, ut oſtendat contra nos voluntatem Dei decernentem: ego vero nihil in iis reperio niſi voluntatem Dei permittentem, & nolentem mutare rerum ordinem ad dandam gratiam baptiſmi parvulo, & repudiantem omnes diſpoſitiones prævias ad illam gratiam ſuſcipiendam.

Nota hic cur dicatur, Deus id velle quod ſinit quia nempe ita ſinit, ut ſi vellet impediret quod non convenit ſemper hominibus qui id dicuntur ſinere, quod non poſſunt impedire.

Primum ſeligit ex lib.6. contra Julianum cap.14. ubi ait Auguſtinus: Et quod multò mirabilius eſt aliquando adoptat in filium, quem format in utero immundiſſimæ fœminæ: Et aliquando non vult eſſe ſuum filium, quem format in utero filiæ ſuæ (ecce prædictas diſpoſitiones repudiatas, nam ſi ad eas reſpexiſſet, potius contuliſſet gratiam baptiſmi filio filiæ ſuæ quam filio adulteræ) ille quippe ad baptiſmum neſcio qua proviſione pervenit, iſte repentina morte non pervenit (ecce cauſam voluntatis, ſeu permiſſionis divinæ, quia repentina morte ſublatus eſt, & noluit Deus hunc naturalem rerum ordinem invertere, ut haberet baptiſmum iſte parvulus) atque ita Deus in cujus poteſtate ſunt omnia, (poteſtate ſcilicet extraordinaria & abſoluta: Nam ibi ordinaria nulla

eſt, cum repentina morte ſublatus ſit parvulus: quod clare indicat voluntatem permittentem, & non voluntatem decernentem, quæ clare appareret, ſi parvulus viveret, & aqua præſens eſſet, & tamen Deus prohiberet, aut impediret infundi: Sed cum iſta abſint omnia, nihil ibi apparet niſi voluntas Dei permittens, & nolens facere miraculum, ut baptiſmus huic detur) facit eſſe in Chriſti conſortio, quem formavit in diaboli domicilio, & non vult eſſe in regno ſuo quem formavit in templo ſuo (hîc rejiciuntur prædictæ diſpoſitiones) aut ſi vult, cur non facit quod vult (cum ſcilicet illi parvuli non habeant velle aut nolle quo reſiſtant Deo volenti, ut adulti, prout volebant Pelagiani, unde & ſequitur) non enim quod ſoletis de majoribus dicere, Deus vult, & parvulis non vult, &c. Ibi ergò ſolùm negat Deum habere reſpectum ad diſpoſitiones prævias in danda gratia, non autem negat Deum habere bonam voluntatem de ſalvandis omnibus, quantum in ſe eſt, ſecluſis viis extraordinariis, & ad voluntatem communem, & generalem non pertinentibus.

Aliud exemplum eſt ex lib. de dono perſever. cap. 14. ubi ait Auguſtinus: Quid dicam, quod parvulus aliquando, antequam illi per miniſterium baptiſantis ſuccurri poſſit, expirat: (ecce permiſſionem divinam ut ſupra) plerumque feſtinantibus parentibus (ecce diſpoſitiones rectas) & paratis miniſtris, ut baptiſmus parvulis detur, Deo tamen nolente (id eſt permittente ut ſupra) non datur, qui eum paululum in hac vita non tenuit (ſed non debuit ~~poteſt~~ cum hoc non poſſet fieri ſine miraculo in quo eſt ſola permiſſio) ut daretur: Quid eſt quod aliquando parvulis infidelium filiis potuit ne irent in perditionem, & filiis fidelium non potuit baptiſmate ſubveniri (ecce adhuc diſpoſitiones rejectas ad gratiam ſuſcipiendam.)

Aliud exemplum affert ex ſupra allata Epiſtola ad Vitalem, ſed ſupra jam illud declaratum eſt: Cui addit & hæc verba Auguſtini, quæ omnino favent noſtræ interpretationi, & clare detegunt mentem Auguſtini. Unde manifeſtum eſt eos qui huic reſiſtunt tam perſpicuæ veritati, non intelligere omnino, qua locutione ſit dictum, quod omnes homines vult Deus ſalvos fieri, cum tam multi ſalvi non fiant; non quia ipſi, ſed quia Deus non vult, quod ſine ulla caligine manifeſtatur in parvulis. At quæ eſt illa tam perſpicua veritas cui reſiſtunt Pelagiani: de qua loquitur hîc Auguſtinus, & ſcopus totius exempli? Hæc eſt illa quam paulo ante declaraverat, & quam hîc indicat, ſcilicet: Quomodo dicitur omnes homines eam (gratiam) fuiſſe accepturos, ſi non illi quibus non donatur (ſcilicet illa prima gratia) eam ſua voluntate reſpuerent (ſcilicet nolendo quærere, petere, & pulſare ad habendam illam cum poſſent per meum ſuum arbitrium, ut volebant Pelagiani) quoniam Deus vult omnes ſalvos fieri: cum multis non detur parvulis, & ſine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem. Id eſt quomodo dicitur (ſcilcet falsò) quod ex vi verborum Apoſtoli,

quibus

quibus dicit Deum velle omnes ſalvos fieri, omnes homines eſſent primam gratiam accepturi, niſi illam reſpuerent, nolendo illam quærere, aut petere per arbitrium: cum tam multi parvuli non accipiant illam, licet eam non reſpuant, cum nondum habeant voluntatem, qua quærere, aut reſpuere eam poſſint. Et hæc eſt illa veritas perſpicua, quam proſequitur in prædictis exemplis, ex qua infert Auguſtinus, non quod Deus non velit ſalutem omnium, quantum eſt ex ſe, ut contendit Janſenius, ſed quod non reſpicit ad merita, & diſpoſitiones hominum, in danda vel neganda eis prima gratia, ut volebant Pelagiani: Unde cum dicit Auguſtinus Deo nolente, aut Deus non vult, idem eſt ac ſi diceret, Deo non reſpiciente, & attendente ad hominum merita, ſed ad ſuam voluntatem, qua aliquãdo dat illam indigniſſimis, ut patet in parvulis ex adultera natis ante mortem baptiſatis, & negat eam iis, qui aliquo modo eâ digni videbantur ob parentes ſanctos, & juſtos, quos tamen noluit diutius tenere in hac vita, cum potuiſſet ſi voluiſſet, ſed permiſit eos mori ante gratiam baptiſmalem non obſtantibus ſuis meritis. Quod & clarius & preſſius oſtendit lib. 2. ad Bonifacium, cap. 6. his verbis: Dicite, inquit, nobis quicumque baptiſati in Chriſto parvuli, de corpore exierunt, hoc tam ſublime donum; quibus *pracedentibus meritis acceperunt:* Si dixeritis; hoc *parentum pietate meruiſſe*: Reſpondebitur vobis, cur aliquando piorum filiis negatur hoc bonum & filiis tribuitur impiorum (facit vim Janſenius in hoc verbo, *negatur*, quaſi diceret & ſignificaret decretum expreſſum. Sed reſpondemus apud Auguſtinum verbum iſtud paſſim uſurpari pro, non dari, cum promiſcue utatur, mox hac, mox illa voce Auguſtinus in eadem materia. Deinde reſpondetur quod ibi bene habet locum verbum negari ſecundum mentem Auguſtini: Quia cum quæſtio ibi ſit de diſpoſitionibus & meritis, quæ videbantur hanc gratiam poſtulare, & tamen non dabatur; ideo bene poteſt dici quod negabatur) nonnunquam enim de Religioſis orta proles, in tenera ætate atque ab utero recentiſſimo *pravenitur morte, antequam lavacro regenerationis abluatur*, & infans natus ex inimicis Chriſti miſericordia Chriſtianorum baptiſatur in Chriſto: Plangit baptiſata mater, non baptiſatum proprium, & ab impudica expoſitum baptiſandum caſta fœtum colligit alienum: Hîc certe *merita parentum vacant*, vacant, vobis fatentibus, ipſorum etiam parvulorum. Et infra: Quæ cauſa (id eſt meritum) huic parvulo baptiſmum procuravit, illi negavit: Et adhuc infra: Reſpondete de parvulorum *meritis*, cur alii baptiſati, alii non baptiſati de corporibus exeant: nec parentum meritis, vel polleant, vel careant, tam excellenti bono, ut fiant filii Dei ex hominum filiis, nullis parentum, nullis meritis ſuis: Nempe reticetis.

Hæc ergo cauſa fuit cur tantis oppugnaverit locum prædictum Apoſtoli in prædictis locis Auguſtinus, non quod non admitteret bonam illam voluntatem generalem, de qua ſupra, circa ſalutem omnium; ſed quia volebat tollere abuſum Pelagianorum, qui ex hoc textu volebant

ſtatuere merita hominum ante gratiam: Unde cum dicit, quod Deo nolente aliqui parvuli baptiſma non receperunt, aut quod non vult eis dari: Non vult per hoc dicere quod Deus excludat aliquos à ſua generali bonitate, qua vult omnes ſalvos fieri: Sed vult dicere quod non attendit ad merita hominum, in danda, vel neganda prima gratia, cum ſi ad hoc attenderet non permitteret filium adulteræ baptiſari, & filium mulieris ſanctæ non baptiſari ante mortem, cum totum potius inverteret rerum ordinem, quàm huic debito deeſſe & injuſtitiam illam committere.

Meritum quod aſtruebant Pelagiani, reſpectu primæ gratiæ importabat debitum: unde ſecundùm illos Deus injuſtus fuiſſet, ſi ei gratiam illam negaſſet: Sed ſæpe ſæpius rejicit illud Commentum Auguſtinus, per hæc verba Apoſt. Non eſt iniquitas apud Deum; & per hæc alia: Gratia jam non eſt gratia, ſi meritis redditur.

Sed etſi hæc explicatio noſtra vera non eſſet, nequidquam tamen nobis prædicta præjudicarent: quia nempe in iis omnibus locis agitur ſolùm de gratiis efficacibus, ut patet, cum agatur de actuali collatione baptiſmi, ſeu de actuali applicatione illius, quæ eſt vera gratia efficax parvulorum, ſicut actualis converſio eſt gratia efficax adultorum: At non dicimus quod Deus habeat voluntatem efficacem ſalvandi omnes, ſeu dandi omnibus gratiam efficacem ad ſalutem: ſed tantum dicimus quod habet voluntatem complacentiæ, & affectivam ſalvandi omnes, quantum eſt in ſe, ſeu dandi omnibus gratiam vere ſufficientem ad ſalutem, pro conditione, & ſtatu hominum; qualis eſt reſpectu parvulorum illa quæ conſiſtit in diligentia parentum, & miniſtrorum: quæ in his etiam textibus aſſeritur non deficere, licet per accidens non habeat effectum, propter impedimenta naturalia, ſeu accidentia naturæ, quæ non tenetur Deus removere, per quotidiana miracula ob voluntatem ſuam generalem de ſalute omnium procuranda: Ex quibus manifeſtum eſt, quod licet noſtra interpretatio vera non eſſet, prædicta tamen non officerent bonæ voluntati, quam Deus habet pro parvulis, æque ac pro adultis generaliter ſalvandis; cum hæc ſint tantum de gratia efficaci, nos autem loquimur de ſufficienti, quam ſolam importat bona illa Dei voluntas de ſalvandis omnibus generaliter, de qua loquimur: Sed vere putamus noſtram interpretationem eſſe ad mentem D. Auguſtini, tum ex conjecturis ſupra factis, tum ex eo quod ſatis declarat alibi bonam illam Dei voluntatem erga omnes parvulos ſalvandos, cum toties dicat Chriſtum eſſe pro illis mortuum, ſanguinem fudiſſe, & quod pro omnibus illis mortuus eſt Chriſtus, æque ac illi omnes in Adamo mortui ſunt: ubi omnes, ut per ſe patet, non ſumuntur pro generibus ſingulorum, aut pro multis, ſed pro omnibus & ſingulis: Cum certum ſit, quod omnes omnino homines, ne uno quidem excepto (niſi Beata VIRGINE) mortui ſunt in Adamò, & per hoc certum ſit ſecundum Auguſtini ratiocinationem, quod Chriſtus eſt mortuus pro omnibus, & ſingulis hominibus, & proinde pro omnibus, & pro ſingulis parvulis: Quem ſenſum Auguſtini ingenue agnoſcit Eſtius in cap. 5. 2. ad Corinth. commentans hæc verba: Æſtimantes hoc quoniam, &c. Unde hi loci in quibus hæc dicit Auguſt. juncti cum eo quem ſupra adduximus ex lib. de Spir. & Litt. c. 33. reddunt omnino certum,

Lib. 1. de bapt. parvulorum c. 27. & lib. 20. de Civitate Dei c. 6. & lib. 6. contra Julian. c. 4. Et lib. 24. operis imperfecti contra Jul. c. 40. & cap. 175.

& indubitatum quod iſta eſt Auguſtini ſententia, nempe quod Deus vult omnes & ſingulos homines ſalvos fieri, parvos & magnos, & ad agnitionem veritatis venire, quantum in ſe eſt, communicando eis gratias, pro ſtatu, & conditione eorum, vere ſufficientes, & omnino neceſſarias.

PUNCTUM V.

Quo ſenſu dixerit Auguſtinus non omnes Deum velle ſalvos fieri.

RESTAT ergo dicere cur Auguſtinus loquens de illo textu Apoſtoli, Deus vult omnes ſalvos fieri, explicat illum de multis, & non de omnibus & ſingulis, imo negat intelligi de omnibus & ſingulis: quod videtur eſſe contra prædicta.

Sed reſpondeo, Auguſtinum id non dixiſſe ad dandam veram hujus loci interpretationem: ſed ad diſſolvendam pravam interpretationem, quam dabant huic textui Pelagiani, & Semipelagiani dicentes, Ideo Deum non omnes ſalvos facere etſi velit, quia ipſi nolebant ſalvi fieri, ut patet ex lib. 4. contra Julian. cap. 8. ubi ait Auguſtinus ad Julianum: Sed ponis Apoſtolicum teſtimonium, & ab eo dicis pulſantibus aperiri, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, ut videlicet intelligamus docentibus vobis, ideo non omnes ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, quia ipſi nolunt petere, cum Deus velit dare; nolunt quærere, cum Deus velit oſtendere; nolunt pulſare, cum Deus velit aperire. Ex qua prava interpretatione videbat Auguſtinus duo oriri incommoda, contra fidem Catholicam, quæ oportebat diſſolvere; unum erat directe contra doctrinam gratiæ, cum ibi ſupponerent eſſe in poteſtate hominis velle ſalvari, priuſquam Deus daret ei hanc poteſtatem & voluntatem: quod erat ponere actionem arbitrii ante gratiam, & facere quod gratia daretur illi tanquam debita, ſeu propter ejus meritum, ut ait Auguſtinus ibidem, his verbis: Ibi vos, ut video, ponere jam cœpiſtis merita gratiam præcedentia, quod eſt petere, quærere, pulſare, ut his meritis debita illa reddatur, ac ſic gratia inaniter nuncupetur. Et hoc erat primum inconveniens diſſolvendum ab Auguſtino; alterum erat contra omnipotentiam divinam, & ſimul contra gratiam, quia ideo hanc dabant iſti errantes illi textui interpretationem, quia non credebant poſſe Deum convertere averſa & adverſa corda, ſeu averſas voluntates hominum per gratiam aliquam prævenientem ſine eo quod imponeret eis neceſſitatem; ſed credebant neceſſarium eſſe ut homo haberet ex ſe aliquod initium bonæ voluntatis, & bene ſe haberet ad Deum, petendo, quærendo, pulſando ut poſtea gratia adveniens, ſalvos illos faceret, libere, & connaturaliter, aliter rem non poſſe libere fieri; Et hoc ipſum eſt quod dicit ibidem Au-

Pro infra dicendis, vide D. Fulgentium de Incarnat. cap. 29 & D. Proſperũ in Epiſt. ad Rufinum, exponentes locum prædictum Apoſtoli.

Nota valde intentionem D. Auguſtini, ut per hoc agnoſcas quo ſenſu ipſe negavit, omnes in prædicto loco ſumi pro ſingulis.

guſtinus contra eos: Fruſtraque, inquit, ſit ſcriptum, miſericordia ejus præveniet me: Fruſtra etiam nos pro inimicis noſtris jubeat orare, ſi non eſt ejus averſa & adverſa corda convertere: Unde & ipſi Pelagiani dicebant Auguſtinum per ſuam gratiam prævenientem fatum inducere, ut ipſemet refert Auguſtinus lib. 2. ad Bonifacium cap. 6. Itane, inquit, filii ſuperbiæ, inimici gratiæ Dei, ô novi hæretici Pelagiani! quiſquis dicit gratia Dei omnia præveniri bona hominis merita, nec gratiam Dei meritis dari, ne non ſit gratia, ſi non gratis datur: Sed debita merentibus redditur: fatum vobis videtur aſſerere? Et hæc igitur erant incommoda, quæ debebat Auguſtinus diſſolvere, confutando prædictam prauam quam Pelagiani dabant interpretationem huic loco Apoſtoli, Deus vult omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Nota, voluntatem efficacem aliter ſumptam fuiſſe à Pelagianis, & ab ipſo Auguſtino, quã nunc à ſcholaſticis; nam illi ſumebãt eam pro voluntate quæ ſemper habebat effectum niſi reperiret obſtaculum invincibile.

At noluit Auguſtinus diſputare; qualis illa voluntas eſſet, an complacentiæ, & conditionata, an vero abſoluta (quia mos illius erat novas quæſtiones non excitare, ſed ſubortas compeſcere & diſſolvere, quam breviſſime poterat, * ut infra notabimus, cum loquemur de quæſtionibus incidentibus reſpectu Auguſtini) ſed manendo in eorum ſuppoſitione, ſcilicet quod voluntas illa eſſet abſoluta: Oſtendit etiam hoc admiſſo eorum conſequentiam non eſſe neceſſariam: ſcilicet, quod ideo Deus non ſalvat aliquos, quia ipſi nolunt ſalvari, ſeu quia nolunt petere, quærere, & pulſare, ut ſalventur: Et ratio ejus erat, quia per τὸ omnes, non eſt neceſſe intelligere omnes omnino homines, ſed ſufficit intelligere omnes qui ſalvantur, non autem etiam eos qui actu non ſalvantur: Præterea per τὸ omnes, poteſt intelligi omnes genus hominum, quia ex omni gente, conditione & ætate hominum, ſunt aliqui qui ſalvantur: Præterea quia τὸ omnes, poteſt ſumi pro multis, quod probat etiam aliquibus textibus Scripturæ, ubi τὸ omnes ſumitur pro multis: Et tandem ait, Ipſam Dei voluntatem de qua ibi, poſſe ſumi pro ea, quæ inſpirat ſanctis ut velint, ſeu quæ efficit ut ſancti velint omnes homines ſalvos fieri: Sicut, inquit, miſit ſpiritum Filii ſui clamantem, Abba Pater, id eſt nos clamare facientem: & ita per diverſas illas interpretationes quas oſtendebat, textum illum poſſe recipere, probabat eis interpretationem illorum non eſſe neceſſariò veram; & ſic infringebat hæreticas eorum conſequentias ſupranotatas, contra gratiam Chriſtianam mere gratuitam, & contra omnipotentiam divinam, † quod erat totum illius intentum; non autem dare veram & germanam loci illius interpretationem, ut clare patet ex duobus locis, in quibus magis urget illas interpretationes Auguſtinus. Quorum primus eſt Epiſt. 107. ad Vitalem Semipelagianum, ubi ſic ait: Sicut illud quod dictum eſt, Omnes in Chriſto vivificabuntur, cum tam multi æterna morte puniantur; ideò dictum eſt, quia omnes quicumque vitam æternam percipiunt, non percipiunt niſi in Chriſto: Ita quod dictum eſt: Omnes homines vult Deus ſalvos fieri, cum tam multos nolit ſalvos fieri (id eſt nolit abſoluta voluntate in ſenſu adverſariorum) ideo dictum eſt, quia omnes qui

** Auguſt. ideo negavit prædictum textum intelligi de omnibus & ſingulis, quia voluit eum ſolvere in ſenſu adverſariorũ, qui explicabant illum de voluntate Dei abſoluta & efficaci, in quo ſenſu nemini dubiũ eſt, quod Deus non vult omnes ſalvos fieri: ſed tantum multos, ſeu omne genus hominum, ut dicebat Auguſtinus.*

† In ſuppoſitione Aug.

ſalvi fiunt, niſi ipſo volente non fiunt, *& ſi quo alio modo* illa verba Apoſtolica intelligi poſſunt, ut tamen huic apertiſſimæ veritati in qua videmus tam multos (intelligit parvulos de quibus ante locutus fuerat) volentibus hominibus, ſed Deo nolente ſalvos non fieri, contraria eſſe non poſſint. Ubi manifeſte apparet, per hæc verba: Et ſi quo alio modo verba Apoſtolica intelligi poſſunt, ut tamen huic apertiſſimæ veritati (quæ eſt de gratia mere gratuita) contraria eſſe non poſſint, Auguſtinum ibi non quærere, nec velle dare verum ſenſum illius loci (quandoquidem non curat quomodo intelligatur, & relinquat eum cuivis interpretandum, modò non ſit contrarius veritati illi quam defendit, quæ eſt de gratia Chriſti mere gratuita) ſed tantum velle illum locum defendere contra ~~illam~~ pravas adverſariorum interpretationes, & conſequentias, quibus gratiam mere gratuitam oppugnabant.

Hæ omnes interpretationes ſupra datæ, erant bonæ. Quia cum ſupponeret illum textum eſſe de voluntate efficaci, & abſurdum eſſet dicere quod Deus vellet efficaciter ſalvare aliquos, & non poſſet eos ſalvare, cum nihil ſit quod poſſit impedire omnipotentiam divinam, quin faciat quicquid vult, tunc bene confugiebat ad ſenſus improprios & remotos, juxta regulam communem, quæ admittit ſenſus improprios, quando ſimplex & obvius involvit abſurdum, aut aliquam contradictionem.

Alter ſancti Doctoris locus eſt, ex Enchiridio cap. 103. ubi cum varie, ut ſupra relatum eſt, interpretatus eſſet verba ſupradicta Apoſtoli, ſic ait: *Et quocumque alio modo intelligi poteſt.* Dum tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum voluiſſe fieri, factumque non eſſe: qui ſine ullis ambiguitatibus, ſi in cælo & in terra, ſicut & veritas cantat, Omnia quæcumque voluit, fecit, profecto facere noluit (ſcilicet abſolutâ voluntate ut ſupra notatum eſt) quodcumque non fecit. Et ſic patet adhuc ex iſto loco Auguſtinum noluiſſe ibi dare veram interpretationem iſtius loci Apoſtolici, ſed tantum dare ſolutiones ad repellendam pravam adverſariorum interpretationem contra eum, oſtendendo illam non eſſe neceſſariam, cùm prædictus locus poſſit alias interpretationes recipere: Per hoc enim quod liberum relinquit cujuſvis arbitrio locum illum aliter interpretari, modo nihil contineat quod ſit contrarium omnipotentiæ Dei, qua contendit Auguſtinus contra adverſarios poſſe Deum per gratiam prævenientem averſa & adverſa corda convertere, & homines ex nolentibus volentes facere: Satis demonſtrat ſe nulli prædictarum interpretationum à ſe datarum adhærere, ſed tantum per illas voluiſſe locum illum eripere è manibus adverſariorum, ne quid concluderent contra illum, & contra gratiam prævenientem quam defendebat contra illos.

Nulli interpretationum datarum, quibus negat prædictum locum intelligi de omnibus & ſingulis adhæret Auguſtinus, ſed tantum adducit illas ut ſolutiones quæ poſſunt dari non excludendo alias.

Is enim, ut dixi, erat mos & mens Auguſtini in ejuſmodi quæſtionibus incidentibus, dicere ſolùm breviter quod neceſſarium erat ad confutandum errorem, & non quæ neceſſaria erant ad ſolvendam quæſtionem, ut ipſe fatetur lib. de dono Perſever. cap. 11. ubi loquens de modo quo tractaverat aliquas quæſtiones incidentes, cum ageret contra Manichæos, ſic ait: Quæſtiones operoſiſſimas incidentes *enucleate ſolvere nolui* (nota valde) ne nimiùm longũ opus eſſet, ubi me adverſus tam perverſos

adverſarios teſtimoniorum divinorum non adjuvabat authoritas,&poteram ſicut feci, quodlibet eorum verum eſſet,quæ non definite interponebam, certa tamen ratione concludere in omnibus Deum eſſe laudandum *ſine ulla neceſſitate credendi* duas, ſicut illi volunt, coæternas boni & mali permixtas eſſe ſubſtantias: Et infra: In his, inquam, libris(ſcilicet de libero arbitrio contra Manichæos) ita multa diſſerta ſunt, ut *incidentes nonnullæ quæſtiones quas vel enodare non poteram, vel longam ſermocinationem in præſenti requirebant*, ita differrentur, ut ex utraque parte, vel ex omnibus earumdem quæſtionum partibus, in quibus non apparebat quid potius congrueret veritati, ad hoc ratiocinatio noſtra concluderetur ut quodlibet eorum verum eſſet, laudandus crederetur, vel etiam oſtenderetur Deus. Et libro de prædeſtinatione Sanct. cap.9. ſic ait de ſimili aliqua quæſtione incidenti: Illud autem quod in opuſculo meo quodam contra Porphyrium, ſub titulo de tempore Chriſtianæ Religionis me dixiſſe recolitis; ita dixi, *ut hanc diligentiorem & operoſiorem diſputationem de gratia præterirem*, non ſane omiſſa ſignificatione, quod eam loco illo explicare noluiſſem quæ poſſet aliàs vel ab aliis explicari. Et poſtquam adduxit locum illum prolixiſſimum, ſic ait: Cernitiſne me ſine præjudicio latentis conſilii Dei aliarumque cauſarum hoc de præſcientia Chriſti,**dicere voluiſſe, quod convincendæ Paganorum infidelitati,qui hanc objecerant quæſtionem,ſufficere videretur.* Quid enim eſt verius quam præſciſſe Chriſtum, qui & quando & quibus locis in eum fuerant credituri, ſed utrum prædicato ſibi Chriſto à ſeipſis habituri eſſent fidem, an Deo donante ſumpturi, id eſt utrum tantummodò eos præſcierit, an etiam prædeſtinaverit Deus, *quærere, ac differere tunc neceſſarium non putavi*, proinde quod dixi, &c...... Sed quoniam ſi ita diceretur, Lectorem faceret intentum ad ea requirenda, quæ tunc ex admonitione Pelagiani erroris,neceſſe eſt copioſius & laborioſius diſputari: Viſum mihi eſt *quod tunc ſatis erat breviter eſſe dicendum, excepta ut dixi altitudine ſapientiæ & ſcientiæ Dei, &* † *ſine præjudicio aliarum cauſarum de quibus non tunc, ſed aliàs opportuniùs diſputandum putavi.*

Et ſic manifeſtat Auguſtinus,quomodo ipſe ſe habebat ad quæſtiones incidentes in ſuis ſcriptis, ſcilicet deſignando eas, quantum fieri poſſet rationabiliter, & non enucleate ſolvens illas, ſed tantum dicens ea quæ ſufficerent ad ſolvendam principalem quæſtionem,idque quantùm poterat breviſſime, dimittendo ſibi, aut aliis aliquando de illis plura dicere, ſi neceſſarium foret. Et hoc eſt profectò quod fecit in prædictis ſolutionibus loco Apoſtolico ſupradicto datis contra Pelagianos & Semipelagianos: Noluit namque movere hanc quæſtionem an ibi loqueretur Apoſtolus de voluntate Dei abſoluta, an de voluntate complacentiæ & conditionata; ſed manens in eorum ſuppoſitione, quod ſcilicet eſſet abſoluta, dixit ea quæ neceſſaria erant ad ſolvendam eorum falſam interpretationem contra gratiam: ſine præjudicio tamen veræ in-

Hoc ſimile eſt huic, quod ſupra dicto in 2. loco: Dum tamen non cogamur credere aliquid omnipotentem Deum voluiſſe. factumque non eſſe. Sic operoſiorem quæſtionem: de qua ſcilicet voluntate. ageret ibi Apoſtolus, an de volũtate complacentiæ, an de efficaci & abſoluta hic præteriit Auguſt.

** Sic ſine præjudicio prædictæ voluntatis complacentiæ, dixit quæ ſufficerent ad repellendam pravam interpretationem adverſariorum ſumendo cum illis illam voluntatem ut abſolutã.*

† Potes etiã videre, ſi libet, aliud exemplum quæſtionis incidentis lib. 1. de re-

terpretationis, quæ eſt de voluntate complacentiæ & conditionata: nam ea quæ ibi dicit de voluntate Dei efficaci, non contrariantur iis quæ ipſe dixit lib. de Spir. & Litt. c. 33. & quæ dicenda forent de voluntate complacentiæ, ſeu conditionata, cum bene ſtet quod Deus nolit efficaciter ſalvare aliquos propter eorum ſcelera, & tamen habeat voluntatem affectivam & complacentiæ ad illos ipſos ſalvandos, & omnes generaliter: Unde Auguſtinus, dicendo quod Deus noluit omnes efficaciter ſalvare, nihil præjudicat ſanæ doctrinæ, quæ eſt de voluntate complacentiæ, & affectu ſalvandi omnes, quam ipſemet loco mox citato tradiderat, quandoquidem illæ voluntates non ſunt ſibi invicem oppoſitæ, cum ſint in diverſo genere, & in diverſa ſuppoſitione: Per hoc tamen infringebat Auguſtinus prædictas pravas & falſas adverſariorum conſequentias contra gratiam: Nam cum ibi ſupponeret omnes ſumi ſolum pro multis, & non pro omnibus & ſingulis, & ſumi ſolum pro ſalvandis, & non etiam pro non ſalvandis: Non bene amplius inferebatur ex prædicto loco Apoſtoli, quod Deus vellet abſolute ſalvare eos qui non ſalvabantur: quod ſolum inferebatur ex univerſalitate propoſitionis, quæ videbatur omnes complecti, & proinde nec etiam bene inferebatur ideò Deum non ſalvare eos qui non ſalvabantur, quia ipſi nolebant ſalvari, ſeu quia nolebant quærere, petere, & pulſare, prout neceſſarium erat ſecundum eos ad hoc ut libere converterentur, & ſalvarentur: quia nempe ipſi non amplius continebantur in prædicta propoſitione: Et ſic per iſtas ſolutiones funditus evertebat & evacuabat inanes eorum argutias contra prævenientem gratiam, quod principaliter intendebat Auguſtinus; imo verò totaliter: Cum idcirco non curaret quæ interpretatio daretur huic textui, & paratus eſſet quaſlibet admittere, modo huic gratiæ ſuæ prævenienti non præjudicarent, ut patet evidenter ex his verbis: Et ſi quo alio modo illa verba Apoſtolica intelligi poſſunt, ut tamen huic apertiſſimæ veritati (quæ eſt de gratia præveniente) contraria eſſe non poſſint, aut ut ait in altero loco: Et quocumque alio modo intelligi poteſt (ſcilicet prædictus Apoſtoli locus) dum tamen credere non cogamur, &c.

tractat. 3. 17. ubi eodem modo loquitur, ac de prædictis, his verbis: Quæri poteſt cur dixerim, &c. ſub finem capitis.

Ex quibus manifeſtum eſt, Auguſtinum per prædictas diverſas ſuas ſolutiones, vel interpretationes, quæ ſunt de voluntate Dei abſoluta & efficaci, nullomodo voluiſſe præjudicare veræ interpretationi, quæ eſt de voluntate complacentiæ & conditionata, circa omnes omnino homines; ſed tantum voluiſſe repellere pravam adverſariorum interpretationem contra gratiam, & oſtendere illam interpretationem non eſſe neceſſariam, cum etiam in eorum ſuppoſitione, ſcilicet quod illa voluntas, de qua loquitur ibi Apoſtolus, eſſet abſoluta & efficax, aliæ poſſent intepretationes afferri: Non enim abhorret ab Auguſtino, quod multæ & diverſæ legitimæ, ſeu congruæ expoſitiones, poſſint dari uni & eidem loco ſacræ Scripturæ, ut patet ex lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 27. circa initium.

Sed dicam adhuc amplius, ſcilicet non ſolùm in illis locis non præjudicare Auguſtinum noſtræ intepretationi, quæ eſt de omnibus & ſingulis, ſed eam potius admittere, cum admittat illam omnem, quæ non contraria eſt ſuæ gratiæ prævenienti: At noſtra nullomodo ei contraria eſt, ſed maxime ei congruit, cum ſupponat gratiam eſſe ante actionem arbitrii, & ſic illam prævenire arbitrium: Et ſupponat etiam omnipotentem Deum poſſe averſa & adverſa corda convertere, & ex nolentibus volentes facere, cum nullũ ſupponat in homine diſpoſitionẽ neceſſariam ante gratiam, ut volebant Pelagiani, per quam quærat, petat, aut pulſet ante gratiam; ſed fateatur, ipſam gratiam prævenire arbitrium, & proprium illius eſſe diſponere & præparare corda & voluntates hominum, excitando & alliciendo eas ad Dominum, ut convertat & ſanet eas. Nam quod reprehendebat Auguſtinus in interpretatione adverſariorum, id omnino erat, quod volebant, ſeu dicebant ſequi ex prædicto textu, quod arbitrium humanum inciperet, per ſe quærendo, petendo & pulſando: Et Deus poſtea ſanaret, & non poſſet ſalvare eos, qui non ſic inciperent, ut ſupra declaratum eſt: At nos è contra dicimus Deum ipſum incipere per iſtam bonam voluntatem generalem circa omnes omnino homines ſalvandos, dando eis gratias vere ſufficientes, quibus ſi cooperentur & conſentiant cum gratia adjuvante eis ab eo parata, tunc Deus ſalvabit eos efficaciter: Non ſic tamen (ut bene ait Auguſtinus) ut adimat eis liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes juſtiſſime judicentur.

Breviter itaque reſpondeo ex dictis, objectioni allatæ: Dicendo quod ideo negavit Auguſtinus in prædictis locis textum illum. Apoſtoli, Deus vult omnes ſalvos fieri; intelligi de omnibus & ſingulis; quia ibi reſpondit ſecundum mentem adverſariorum, ſumendo illam voluntatem, de qua ibi Apoſtolus, pro abſoluta & efficaci, nos autem ſumimus eam ut complacentiæ, unde non contrariantur. 2. quod nullam ſuarum interpretationum dedit ut veram & certam, ſed tantum ut probabilem, relinquens libentiſſime locum aliis, modò non eſſent contrariæ veritati gratiæ, quam defendebat contra Pelagianos, ut patet ex his verbis ſupra relatis: Et ſi quo alio modò verba Apoſtolica intelligi poſſunt, ut tamen huic apertiſſimæ veritati non ſint contraria: Et ex his aliis: Et quocumque alio modo, dum non cogamur, &c. per quæ verba dicimus non ſolum non excludi noſtram interpretationem, ſed potius includi, cum illa non ſit contraria, ſed valde congruens Auguſtinianæ gratiæ omnia opera prævenienti, ut ſupra explicatum eſt; illam tamen Auguſtinum non attuliſſe, quia noluit illam quæſtionem incidentem movere: qualis ſcilicet eſſet illa Dei voluntas de qua loquebatur Apoſtolus, an complacentiæ & conditionata; an vero abſoluta & efficax: quia nempe aliâ viâ expeditiori, & manendo in ſuppoſitione adverſariorum, poterat ſufficienter ſolvere falſam eorum interpretationem, ut ſupra etiam declaratum eſt; Unde non eſt mirum quòd hanc viam potius elegerit,

Nota, quid ſit ſecundum Auguſt. ex nolentibus volentes facere, eſſe non expectare ut homo ſit volens ad hoc ut det ei Deus gratiã quemadmodum volebant Pelagiani: ſed eſt dare gratiam quæ excitet hominem ad volendum, pro quo non eſt neceſſarium ut gratia ſit prædeterminans, aut neceſſitans ad volẽdum prout commiſcũtur aliqui.

elegerit, quàm aliam ſecundùm morem ſuum, & conſuetudinem ſupra declaratam: qua quæſtiones illas incidentes declinabat, ut citius & expeditius ad ſuum principale convolaret. Unum exemplum dabo pro corollario iſtius noſtræ ſolutionis, in quo Auguſtinus negat Dei voluntatem in aliquo caſu, de quo negari non poteſt ſecundum Fidem Catholicam, quia nempe ſumebat voluntatem illam pro voluntate abſoluta & efficaci, occaſione prædictæ difficultatis; Scriptura autem ſumebat pro voluntate complacentiæ, in quo non erat contrarius Scripturæ: Iſtud exemplum eſt in Enchiridio cap. 97. ubi & agitat noſtram quæſtionem, & prædictum locum Apoſtoli; ubi ſic ait: Dominus in Euangelio compellans impiam civitatem. Quoties, inquit, *volui* colligere filios tuos, ſicut gallina pullos ſuos, & noluiſti: Tanquam (inquit Auguſtinus) Dei voluntas ſuperata ſit hominum voluntate, & infirmiſſimis nolendo impedientibus, non potuerit facere Potentiſſimus quod volebat (ibi videtur negare Scripturam) & ubi eſt illa omnipotentia quæ in cælo & in terra omnia quæcumque voluit fecit, ſi colligere filios Hieruſalem voluit, & non fecit; an potius & illa quidem filios ſuos ab ipſo colligi noluit, ſed ipſa quoque nolente filios ejus collegit ipſe, quos voluit. Ibi diceres Auguſtinum negare id quod dicit Scriptura, imo & aſſerere omnino oppoſitum: Unde & aliqui reprehendunt eum, ſed immerito, quia ille negabat de abſoluta voluntate, (de qua ibi agebat contra Pelagianorum errores) quod Scriptura aſſerebat de voluntate complacentiæ, quæ non ſunt inter ſe contraria. Quiſquis ergo recte voluerit Auguſtinum interpretari, non attendat ſolum ad nuda illius verba, ſed ad mentem & intentionem ipſius.

Maldonat. in illum locum Matth.

Et hæc de bona voluntate Dei circa ſalutem omnium, ſecundùm Auguſtinum.

Punctum VI.

Eadem ratio authoritate D. Thomæ defenditur.

NUNC vero ſecundum D. Thomam ſic probatur, nam primò D. Thomas lib. 3. contra Gentes cap. 59. dicit quod Deus, quantum eſt in ſe, paratus eſt omnibus gratiam dare, quia vult omnes homines ſalvos fieri. Quod maxime probat & commendat bonam illam voluntatem: Secundò, idem D. Thomas in 4. diſt. 46. qu. 2. ad 1. ait: Quod Deus quantum in ſe eſt, miſeretur omnium, & ab ea miſericordia ſolos excludit damnatos, & per hoc omnes alios comprehendit, & illos ipſos damnatos ante damnationem ſuam, quia illos ſolùm excludit poſt damnationem ſuam, quo tempore ſe fecerunt illa miſericordia indignos. Tertiò, in Summa 1 p. qu. 49. A. 2. ad 3. ait: Quod Deus non deficit in agendo quod neceſſarium eſt ad ſalutem: Quod ſpectat ad reprobos æque ac ad prædeſtinatos: cum objectio ſit de utriſque. Et tandem 1. p.

Ita refertur ab Eſtio in cap. 2. 1 ad Timoth. in hæc verba: Qui vult omnes ſalvos fieri. Totus locus ſupra allatus eſt in 10. argum. ex Script. in margine.

qu. 19. A. 6. in corp. Item in 1. diſt. 46. qu. 1. in corp. & in Comment. ſuper hæc verba: Deus vult omnes ſalvos fieri, 1. ad Timoth. 2. Lect. 1. dicit Deum velle ſalutem omnium voluntate antecedente, quæ coincidit cum ea quam vocamus complacentiæ & conditionatam: ut infra clarius demonſtrabitur.

Sed contra hæc ſeſe opponunt Eſtius, & Janſenius.

Eſtius quidem in Commentario in hunc locum Apoſtoli; Deus vult omnes ſalvos fieri, dicit contra primum textum allatum quod licet D. Thomas id dixerit in illo loco: Tamen in ſua Summa ubi exactius loqui ſolet, abſtinuit ab iſta phraſi, nolens cuiquam cauſam errandi præbere.

Sed dico primò quod debebat Eſtius probare quod in hoc erraverit D. Thomas: & quod non ipſemet erraverit Eſtius, negando gratias ſufficientes pro omnibus cum Janſenio, qui propter hoc à ſancta Sede Apoſtolica condemnatus eſt. *In quinta propoſitione.* Secundò dico, quod hæc probatio eſt ab auctoritate negativa, quæ nullius eſt ponderis & conſiderationis apud doctos. Tertiò dico, quod omnia quæ alibi dixit, non repetiit in ſua Summa D. Thomas, cum hoc ſit contra rationem Summæ quæ breviat omnia, & hoc putavit ſatis intelligi in voluntate Dei antecedente pro ſalute omnium, quam admittit in ea D. Thomas, cum per illam voluntatem, intelligat eam qua Deus paratus eſt omnibus gratiam dare, quia vult omnes ſalvos fieri: ut ipſemet in prædicto loco fatetur Eſtius. Quartò & ultimo dico, quod id ſatis indicavit & expreſſit etiam in Summa ſua, in loco præallegato 1. p. qu. 49. A. 2. ad 3. cum dixit, quod Deus non deficit in agendo quod eſt neceſſarium ad ſalutem: Nam quid hoc ſibi vult, niſi hoc ipſum quod eſt Deum eſſe paratum dare omnibus gratiã, quia vult omnes ſalvos fieri, niſi forte quidpiã dicat amplius: Cum dicat quod Deus agit (quod eſt quodammodo quidpiam amplius quam eſſe paratum ad agendum) & quod non deficit in agendo, id quod eſt neceſſarium ad ſalutem, nempe dans gratias ſufficientes & neceſſarias ad ſalutem, excitando & alliciendo ad bona opera, ad obſervanda mandata, ad perſeverandum in bono, & ſimilia: Unde nihil video quod nobis ſit pertimeſcendum ne contrahamus errorem ſequendo doctrinam D. Thomæ in prædicto loco traditam, cum tam orthodoxa & ſana ſit, ut eam ipſam confirmet, imo & ampliet in ſua Summa, ubi exactiora ſunt omnia ſecundùm ipſum Eſtium.

Præterea videtur Eſtius loco ſupracitato dicere cum Janſenio lib. 3. de gr. Salv. cap. 20. §. Nam quid pro iſta, &c. quod voluntas illa antecedens D. Thomæ, eſt tantùm ea quæ antecedit omne peccatum, etiam Adami, & peccatum originale cujuſque, in quo ſtatu dicit Deum habere bonam iſtam voluntatem pro omnibus, & re vera fuiſſe cauſam gratiæ ſufficientis datæ primis parentibus: At vero poſito peccato Adami, non amplius Deum habere bonam illam voluntatem antecedentem pro omnibus, ſed tantum quandam velleitatem, quæ nihil magis confert hominibus viatoribus, quam dæmonibus & damnatis.

Reſpondeo: iſtos Authores longe recedere à mente D. Thomæ, qui clare in præællegatis locis indicat iſtam voluntatem antecedentem, eſſe etiam poſt peccatum Adæ, & omnia originalia, & tantum antecedere actualia, & mortem in illis: Quod facile probatur ex ipſamet explicatione D. Thomæ, qua conſiderat per voluntatem antecedentem, omnes ſub una communi ratione, & per conſequentem diverſas circumſtantias quæ faciunt differre unum ab alio: Sic enim ait: 1. parte qu. 19. A. 6. ſupracitato in corp. Deus antecedenter vult omnem hominem ſalvari, ſed conſequenter vult *quoſdam* damnari ſecundum exigentiam ſuæ juſtitiæ: Neque tamen id quod antecedenter volumus, ſimpliciter volumus (id eſt efficaciter) ſed ſecundum quid (id eſt conditionate) quia voluntas comparatur ad res, ſecundùm quod in ſeipſis ſunt, in ſeipſis autem ſunt in *particulari*: Unde ſimpliciter volumus aliquid ſecundum quod *volumus* illud conſideratis *omnibus circumſtantiis particularibus*, quod eſt conſequenter velle.

Ubi manifeſte oſtendit D. Thomas ſe per voluntatem antecedentem intelligere ſolùm illam quæ antecedit conditiones particulares cujuſque, conſequentem autem eſſe illam quæ omnes illas complectitur: At conſiderare homines poſt peccatum Adæ, & poſt peccatum originale, non eſt conſiderare illos cum circumſtantiis particularibus, ſed eſt conſiderare eos ante illas;cum tunc nondum differant inter ſe, ſed ſint omnes æqualiter in peccato, & æqualiter omnes rei damnationis æternæ: quandoquidem certum eſt quod peccatum originale non eſt magis in unis, quam in aliis: Ergo voluntas antecedens ſecundum D.Thomam non reſpicit homines ante peccatum Adæ, vel originale; ſed reſpicit illos etiam poſt illud peccatum, & ſola excludit peccata particularia, ſeu actualia, & mortem in illis.

Et confirmatur ex ſpecialiori voluntatis conſequentis explicatione quam tradit D. Thomas in 1. diſt. 46. qu. 1. ſupracitata in corp.ubi ait: Conſideratis autem *omnibus circumſtantiis perſonæ*,ſic non invenitur de omnibus bonum eſſe quod ſalventur: bonum enim eſt eum qui ſe præparat, & conſentit,ſalvari per largitatem gratiæ divinæ,nolentem vero & reſiſtentem non eſt bonum ſalvari;quia injuſtum eſt: Ubi ponit illas circumſtantias ultimas conſenſus aut diſſenſus dati gratiæ pro voluntate conſequente, ergo ſi illæ excludantur,nondum eſt voluntas conſequens: ſi non eſt conſequens, ergo eſt antecedens, quia illa oppoſita ſunt immediata: Ergo bene ſequitur, quod voluntas antecedens eſt poſt peccatum Adæ, & omnia originalia: & ſola excludit actualia in adultis, & mortem in peccato originali pro parvulis,cum per illam ſolam differant, & ſit illa ultima circumſtantia quæ eſt in illis: Et ſic manifeſtum eſt D. Thomam admittere bonam illam voluntatem antecedentem in Deo, poſt peccatum Adæ, & poſt originale cujuſque, & ſolum ante peccata particularia, ſeu actualia, & mortem in illis,quæ ſunt ultimæ conditiones & circumſtantiæ ſpectantes ad voluntatem conſequentem.

Jam vero quod illa voluntas antecedens, ſecundùm D. Thomam, non ſit velleitas aliqua æque ſterilis in hominibus viatoribus ac in dæmonibus & damnatis, ut vult Janſenius ubi ſupra, patet primò ex his quæ ſupra diximus ad objectionem ſolius Eſtii, ubi oſtendimus D. Thomam illi voluntati tribuere quod det gratias ſufficientes omnibus hominibus: Et præterea probatur ex hoc quod dicit D. Thomas in 2. teſtimonio ſupra allato, ſcilicet quod Deus miſeretur omnibus, quantum in ſe eſt, à qua miſericordia ſolos excludit dæmones & damnatos, quæ proinde non poteſt eſſe niſi gratia ſufficiens ad ſalutem, cujus de via ordinaria ſoli incapaces ſunt dæmones & damnati: Præterea probatur ex his quæ dicit D. Thomas in 1. diſt. 46. qu. 1. A. 1. ſupracitato in corp. ubi ait: Hujus voluntatis (ſcilicet antecedentis) effectus eſt ipſe ordo naturæ in finem ſalutis, & promoventia in finem omnibus communiter propoſita, tam naturalia quam *gratuita*, ſicut potentiæ naturales, & præcepta Legis & hujuſmodi: per quod intelligit cætera ad ſalutem neceſſaria, tam interna quam externa, quæ vere ſunt gratuita. Denique probatur ex comparationibus quas affert ad explicandam illam voluntatem antecedentem, quæ ſane non indicant illam eſſe ſterilem & infœcundam in mediis & gratiis ſufficientibus: Una eſt quam profert 1. p. qu. 19. A. 6. in corp. juſti judicis reſpectu rei quem vult ſalvum voluntate illa antecedente; quid enim non facit bonus & juſtus judex pro reo ſalvando & liberando, audit teſtes, diligenter eos examinat, teſtimonia confert inter ſe, an convenientia ſint, jura quæ ad cauſam pertinent, attente perpendit, & ſi obſcura ſunt, ea interpretatur in favorē rei, reo favet potius quam actori; denique nihil omittit (aut ſane non eſt juſtus) quod juſte poteſt ſpectare ad ſalutem rei ante illius condemnationem: Ergo illa voluntas non eſt ſterilis in mediis rationabiliter ſufficientibus pro ſtatu & tempore in quo reus ille eſt.

Altera comparatio eſt ea quam profert in Commentario ſupracitato in illum locum, Deus vult omnes ſalvos fieri: Et eſt mercatoris volentis illa voluntate antecedente ſervare merces ſuas in periculo ſubmerſionis; quid enim non facit ille mercator ut ſalvet merces ſuas, & non teneatur projicere illas in mare? quæ media, quas induſtrias, quas diligentias, & circumſpectiones meditatur, & inquirit ut ſervet eas? certe nulla cognoſcit media ſufficientia, quin ad eas ſervandas ea adhibeat. Unde manifeſtum eſt & per illas comparationes, & per ſupradicta, D. Thomam non putaſſe voluntatem Dei antecedentem quoad ſalutem omnium, nihil magis operari circa homines viatores quam circa dæmones & damnatos; ſed vere putavit eis parare & dare gratias ſufficientes, ut ſalventur per eas, ſi cooperari ipſi voluerint: Et hæc ex D.Th. quoad illam bonam Dei voluntatem circa ſalutem omnium.

Sed ad majorem firmitatem & ſtabilimentum prædictæ voluntatis Dei circa ſalutem omnium, diſſolvendæ nobis ſunt objectiones adverſariorum, v.g. Eſtii, Janſenii, & ſimilium contra locos Scripturæ à

nobis initio hujuſce rationis allegatos, quibus contendunt illos non ſic intelligi ad litteram prout eos interpretamur de illa ſcilicet voluntate Dei circa ſalutem omnium.

PUNCTUM VII.

Locus Apoſtoli, ubi dicitur quod Deus vult omnes ſalvos fieri, contra calumnias adverſariorum de novo aſſeritur.

QUOAD primum ergo locum, ſcilicet, Deus vult omnes ſalvos fieri, dicunt noſtram interpretationem non convenire ſcopo Apoſtoli, qui hortabatur ad orandum pro hominibus, ut ſalvi fierent; at ſi haberent ad id gratias ſufficientes, fruſtra oraretur Deus pro ipſis, ut ſalvi fierent, cum ipſe jam partes ſuas impleſſet dando eis auxilium ſufficiens; ſed monēdi tantum eſſent homines ut auxilio ſibi dato uti velint: ut quid enim, inquiunt, dari petas quod ſemper præſto eſt, imo jam datum eſt, & poſitum in hominis poteſtate? Quid ſtultius, ut inquit Auguſtinus, quam orare ut facias quod habes in poteſtate? Hoc enim dicimur habere in poteſtate quod poſſumus facere ſi volumus, qui eſt proprius effectus gratiæ ſufficientis: Denique multum obſervant Apoſtolum dicere, quod Deus vult omnes ſalvos fieri, non vero quod velit omnes ſalvos facere, quod longe diverſum eſt, cum primum ſit paſſivum, alterum vero activum, & ſi Deus vellet omnes ſalvos facere, omnes ſalvi fierent.

tanſ.lib.3.de grat. Salv. cap. 1. §. Quantoquia ſale, &c.

Reſpondeo, noſtram interpretationem nullomodo diſconvenire ſcopo Apoſtoli, cum non impediat orationes fiendas ad quas hortabatur Apoſtolus pro ſalute eorum, de quibus ibi loquebatur: Nec enim bene ſequitur ex eo quod homines habeant gratias ſufficientes ad ſalutem, quod non debeat orari pro illis ut ſalventur: Et ratio eſt, quia gratiæ ſufficientes habent latitudinem ſeu intenſionem; nam aliæ aliis ſunt efficaciores, aliæ efficaciſſimæ, & pro his habendis poterat fieri oratio prudentiſſime: Nam quis habens adverſarium & potens habere vires ſuperiores ab aliquo, velit tantum habere æquales: Certe quiſque conatur habere vires quantas poteſt maximas ad vincendum adverſarium: Et ſic hortatur Apoſtolus Fideles, ut obtineant pro perſonis commendatis vires efficaciſſimas ad vincendas tentationes, ad obſervanda mandata, & alia ejuſmodi. Unde D. Hieron. Epiſt. ad Cteſiph. quæ eſt contra Pelagium ſcripta, ſic ait: Peto ut accipiam, & cum accepero, rurſus peto: Avarus ſum ad accipienda beneficia Dei, nec ille deficit in dando, nec ego ſatior in accipiendo, quanto plus bibero, tanto plus ſitio: Ille habebat gratias ſufficientes; nam paulo ante dixerat, velle & currere meum eſt (id eſt, eſt in mea poteſtate) & tamen non obſtante hoc petit Hieronymus, & poſtquam accepit rurſus petit, nec ſatiatur. Ergo habere gratias ſufficientes, non impedit orationem.

circa med.

Præterea aliquæ gratiæ ſunt ſufficientes tantum remote, aliæ proxime; certum autem eſt quod proximæ ſunt favorabiliores, & proinde ad has habendas poterat rationabiliter oratio fieri.

Præterea Deus in providentia ſua ſcit quæ gratiæ ſunt vere ſufficientes, & tamen effectum nequaquam habituræ; & ſcit etiam quæ ſint aliæ gratiæ vere ſufficientes, & ſimul effectum habituræ, ſi dentur: has vero habere nemo dubitat quin longe favorabilius ſit quam habere alias: Ergo ad habendas illas recte potuit oratio fieri: & re vera videtur Apoſtolus ſpectaſſe ad illas potius quam ad alias, cum ibi non hortetur ad orandum ut quietam & tranquillam vitam agere poſſimus, quod ſpectat ad gratias ut ſic ſufficientes: ſed ut quietam & tranquillam vitam agamus, quod ſpectat ad gratias efficaces, ſeu effecturas.

Denique obſervandum eſt quod Apoſtolus non tantum hortatur ad orandum pro ſalute illorum (de quibus ibi loquitur) qualitercumque habenda; ſed pro illa habenda modo perfectiſſimo, ad quod non extenditur illa voluntas communis & generalis Dei quoad omnes & ſingulos, ſed ſolùm quoad ſingulares quaſdam perſonas, quas ſpeciali proſequitur amore. Sic enim ait Apoſtolus: Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes.... pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui ſunt in ſublimitate, ut quietam & tranquillam vitam agamus, *in omni pietate & caſtitate.*

At nihil eſt in perfectione Chriſtiana, quod non includat hæc oratio, cum omnem pietatem pro anima, & caſtitatem pro corpore poſtulet: Ergo non ibi ſolum oratur pro ſalute habenda, ſed etiam pro perfectione habenda, quod ſpectat ad voluntatem ſpecialem & magnificam, & non ad communem & generalem, de qua loquimur: & per conſequens gratiæ communes per illam voluntatem conceſſæ, non vetabant alias ſingulares & excellentes pro omnibus hominibus, pro Regibus & aliis depoſci: Et ſic noſtra interpretatio non diſconvenit ſcopo Apoſtoli.

Quantum autem ad id quod refertur ex Auguſtino, ſcilicet quod nihil ſtultius eſt quam orare ut facias quod habes in poteſtate: Reſpondeo, id habere ſenſum longe diverſum ab eo quem ei tribuit ibi Janſenius.

Loco ſupra citato in margine.

Loquebatur ibi Auguſtinus de iis qui putabant habere à ſeipſis ſolis quod bene agerent, & non à Deo excitante, & eos præveniente ſua gratia, & dicebat eos non advertere ad Orationem Dominicam quæ commonebat nos petere à Deo, ut ne inferamur in tentationem, & per hoc diſceremus id non habere à nobis ſolis, quia aliter ſtulta eſſet iſta oratio. Ecce verba Auguſtini de Pelagio ipſo ibi loquentis: ut adjuvetur ne peccet (ſcilicet Pelagius) nuſquam dixit, non hîc legi, mirum de hac re omnino ſilentium: Cum Oratio Dominica utrumque petendum eſſe commoneat, & ut dimittantur nobis debita noſtra, & ut non inferamur in tentationem: Illud, ut præterita expientur, hoc ut futura vitentur: quod licet non fiat niſi voluntas adſit, tamen ut fiat, *ſola* non ſufficit (ut volebat Pelagius) & ideo (quia ſola non ſufficit, ſed

Id innuit D. Auguſt. in diverſis locis. Nam lib. de perfectione juſtitiæ c. 10. ſic ait: Hoc utique orat (ſcilicet Pſalmiſta) ut præcepta Dei faciat,

requiritur gratia Dei) pro hac re, nec ſuperflua, nec imprudens Domino immolatur oratio. Nam quid ſtultius quam orare ut facias quod habes in poteſtate (ſcilicét tua ſola, ſine indigētia divini auxilii, ut patet ex mox dictis) & ex multis aliis locis in margine notatis brevitatis gratia; ergo vituperabat tantum per hæc ſanctus Doctor eos qui dicebant habere ſolùm à ſeipſis quod bene agerent, & tamen petebant ab aliis ſcilicet à Deo. At nos non hoc dicimus, ſed omnino contrarium: Dicimus enim & prædicamus, nos non habere à nobis ipſis quod bene agamus, aut peccatum vitemus, ſed à Deo, qui dat nobis gratias ſufficientes ad utrumque, & ad faciendum bonum, & ad vitandum malum: Sed cum inter gratias illas ſufficientes, aliæ aliis ſunt efficaciores, aliæ fortes, aliæ debiles, aliæ proximæ, aliæ remotæ, aliæ effectum habituræ, aliæ non habituræ, ideo ex iſtis omnibus poſcimus potiores, cum ab eo mere pendeat dare quaſlibet ex illis, & ideo male applicat de more ſuo dictum Auguſtini Janſenius, cum ſit tantum contra hæreticos qui dicebant habere à ſe ſolis quod bene agerent, & malum vitarent, & non contra orthodoxos qui utrumque fatentur ſe habere à Deo, & ideo cum ab eo omnino pendeat ut habeant majores aut minores vires ad utrumque, rectè dicunt cum Auguſtino, quod pro hac re, nec ſuperflua, nec imprudens Domino immolatur oratio.

quæ ut fierent, nec juberetur, ſi ubilibi noſtra voluntas ageret, nec oraretur ſi ſola ſufficeret. Et lib. 2. de peccat. meritis, & remiſſ. cap. 6. Quis autem optat quod in poteſtate ſic habet ut ad faciendum nullo indigeat adjumento. Et libro de Gr. & liber. arb. cap. 13. Hoc (ſcilicet, & ne nos in-

inferas in tentationem) dicimus ut peccata caveantur, quod à Patre qui in Cælis eſt, nulla ra-
tione peteremus, ſi virtute voluntatis humanæ hoc poſſemus efficere. Et infra eodem cap. Quod
utique vaniſſime fieret, ſi ad illa agenda (ſcilicet præcepta) ſine divino adjutorio voluntas humana
ſufficeret. *Et lib. de dono Perſever. cap. 2. Cur autem perſeverantia iſta poſcitur à Deo: An & iſta*
irriſoria petitio eſt, cum id ab eo petitur quod ſcitur ipſum non dare, ſed ipſo non donante eſſe in
hominis poteſtate, &c. Et in Epiſt 89. qu. 2. ad Hilarium, ſic ait: Fruſtra enim rogantes Deum
dicimus, ne nos inferas in tentationem: Si hoc in noſtra ſic poſitum eſt poteſtate, ut nullo illius ad-
jutorio, id valeamus adimplere. *Et paulo infra. Ut quid hoc dixit Deum facere (id eſt liberare à*
tentatione) ſi hoc ſine ipſius adjutorio in ſola noſtra eſt poteſtate, *& certum eſt quod hæreſis quam*
impugnabat Auguſtinus, nullam admittebat gratiam in voluntate ante bonum opus, ut patet ex his
quæ ſcribit eidem Hilario Epiſt. 94. ubi ait: Nova hæreſis inimica gratiæ Chriſti contra Eccleſiam
Chriſti conatur exurgere...... Hominum ſcilicet qui tantum audent infirmitati humanæ tribuere po-
teſtatis, ut hoc ſolum ad Dei gratiam pertinere contendant, quod cum libero arbitrio, & non pec-
candi poſſibilitate creati ſumus, & Dei mandata quæ à nobis implerentur, accepimus. Cæterum ad
eadem mandata ſervanda & implenda, nullo divino adjutorio egere...... *Cavendis autem futu-*
ris vincendiſque peccatis, omnibuſque tentationibus virtute ſuperandis ſine ullo deinceps adju-
torio gratiæ Dei naturali poſſibilitate humanam ſufficere voluntatem. *Hæc ibi Auguſtinus, quod*
valde notandum eſt contra corruptelam Ianſenianam, quæ vult illos hæreticos admiſiſſe gratiam
prævenientem in voluntate qua uti poſſent ſi vellent, aut eam rejicere: Auguſtinus vero ibi ait,
nullam omnino admiſiſſe: Quod & ubique ſimiliter fatetur ſcilicet ante operationem arbitrii petentis,
orantis, & per ſe pulſantis, quod & infra latius proſequemur in object. 13. à ratione.

Denique quoad illam obſervationem, qua dicunt, Apoſtolum non dixiſſe Deum velle omnes ſalvos facere, ſed tantum velle omnes ſalvos fieri: Dico illam obſervationem eſt valde inutilem, cum in hac re idem ſit Deum velle id facere, & Deum velle id fieri, cum id non niſi ab illo eſſe poſſit: Nam cum certum ſit quod nemo ſalvari poteſt niſi à Deo, cum tota noſtra ſalus à Deo ſit, hinc eſt quod Deus non poteſt

velle aliquem ſalvum fieri niſi à ſeipſo: Sed Deum velle aliquem ſalvum fieri à ſeipſo, & velle eum ſalvum facere, unum & idem eſt: niſi quod diverſi ſunt modi dicendi, & exprimendi eandem rem, ut ſi diceres, volo hunc amari à me, & volo hunc amare: Volo hunc juvari à me, & volo hunc juvare: Unum & idem ſunt realiter, & ſolis verbis differunt; unde D. Fulgentius lib. de Incarn. c. 31. circa initium, pro eo quod dicit Apoſtolus, Deum velle omnes ſalvos fieri; dicit Deum velle omnes ſalvos facere, & ipſe in eodem tract. cap. 29. 30. & 31. Item D. Auguſt. ſupracitatus in Enchiridio, & D. Proſper in Epiſtola ad Ruf. non aliter intelligunt hunc locum, quam ſi diceres Deum velle omnes ſalvos facere, cum ex hoc arguant Pelagianos & Semipelagianos, ut de omnipotentia divina detrahentes, eo quod exciperent ab illa generalitate voluntatis divinæ (quam ſupponebant abſolutam & efficacem) illos omnes qui nollent ſalvos fieri, ſeu quod idem eſt, eos omnes qui non cuperent, peterent, & quærerent ſalutem ex ſeipſis, quaſi Deus non poſſet homines ſalvos facere, niſi cuperent, & peterent ex ſe ſalutem, & ad hoc teneretur Deus expectare eorum voluntatem, antequam daret eis gratiam, qua converterentur, & ſalvi fierent: Unde non video quid in his diſtinguendum ſit, cum illa diverſitas tota ſit in verbis, & non in rebus.

PUNCTUM VIII.

Locus Apoſtoli ubi dicitur, quod Chriſtus eſt Salvator omnium, contra calumnias adverſariorum, pro noſtra ſecunda ratione aſſeritur.

CONTRA ſecundum locum, qui eſt ex 1. ad Timoth. 4. ubi dicit quod Chriſtus eſt ſalvator omnium, maxime autem fidelium; dicunt Chriſtum, ibi dici ſalvatorem omnium, quoad vitam corporalem, quia ut dicitur Act. 17. Dat omnibus vitã, & inſpirationem, & omnia: ſed maxime fidelium, quia præter vitam corporalem, dat eis etiam vitam ſpiritualem gratiæ. Vel aliter: Eſſe ſalvatorem omnium, quia poteſt omnes ſalvos facere, eo modo quo Medicus in civitate dicitur Medicus omnium exiſtentium in illa civitate, non quod ſanet omnes, ſed quia poteſt eos ſanare: & ſic nihil id ſpectare ad bonam voluntatem de ſalvandis omnibus quam aſtruimus.

Ad primam explicationem reſpondeo iſtos confundere rationem conditoris, ſeu creatoris, cum propria ratione ſalvatoris: Ad rationem enim conditoris pertinet dare vitam corporalem eamque conſervare: Ad rationem autem propriam ſalvatoris, pertinet dare, aut aliquid conferre ad vitam ſpiritualem; unde cum in Scripturis ſanctis ſit mentio de ſalute, aut de ſalvatione ſimpliciter, ſemper intelligitur de ſalute ſpiritali, niſi aliud omnino ſuadeat ſubjecta materia, ut in his locis:

Homines,

Homines, & jumenta ſalvabis Domine: Ibi eſt ſermo de ſalute corporali: nam cum jumenta de quibus ibi fit mentio cum hominibus, ſint prorſus incapacia ſalutis ſpiritalis, hinc ſatis apparet ibi ſermonem eſſe de ſalute corporali, & non de ſpiritali.

Item, in illo loco ubi dicebant Judæi Chriſto in Cruce pendenti: Salvum fac temetipſum deſcendens de Cruce: Et in illo: Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere: Certum & evidens eſt quod hoc intelligendum eſt de ſalute corporali, ut patet ex ſubjecta materia, cùm loquerentur ibi Judæi de vita Chriſti temporali quam non poterat, ut putabant, ſalvam facere à morte, quomodo ſalvarat à morte Lazarum, & alios quos ſuſcitaverat à mortuis. At alibi paſſim, præſertim in Novo Teſtamento, ex quo hic locus ſumptus eſt, niſi per ſe repugnet ſubjecta materia, ſemper intelligitur de ſalute ſpiritali: Ut Matth. 10. Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit: Et cap. 19. Quis ergo poterit ſalvus eſſe? Et Marci cap. 10. Quis poteſt ſalvus fieri: Et cap. 13. Qui autem ſuſtinuerit in finem, hic ſalvus erit: Et Joannis 5. Hæc dico vobis ut ſalvi ſitis: Et Act. 2. Quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit: Et infra: Dominus autem augebat qui ſalvi fierent: Et cap. 4. Nec enim aliud nomen datum eſt hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri: & alibi paſſim in Novo Teſtamento: Forte quia Dominus noſter JESUS CHRISTUS venerat ut daret ſalutem & vitam ſpiritalem, ideo communiter fit mentio de illa, & non de alia in illius Teſtamento: Unde & ſequitur quod locus noſter, qui ex illo Teſtamento depromptus eſt, ſimpliciter intelligendus eſt de ſalute, ſeu de vita ſpiritali, cum non ſolùm non repugnet ſubjecta materia, ſed potius id innuat; ut facile perſpiciemus, ſi textum integrum perpendamus: Dicit enim ibi Paulus: Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, in hoc enim laboramus, & maledicimur, quia ſperamus in Deum vivum, qui eſt ſalvator omnium hominum, maxime Fidelium. At vero quid ad virtutem ſpei, de qua ibi loquitur, & cujus objectum eſt ipſe ſalvator omnium hominum, pertinet conſiderare Deum ut ſalvatorem vitæ corporalis hominum, non magis quam pecudum? An dicemus quod Paulus propter hoc quod ſperat in Deum iſtius vitæ corporalis & animalis ſalvatorem, ideo (ut ibi dicitur) maledicitur à Gentibus, cum Gentes ipſæ ſicut & ille, agnoſcerent & venerarentur Deum vitæ iſtius corporalis & animalis authorem & ſervatorem? Præterea an hæc proteſtatio quod Deus eſt ſalvator vitæ corporalis & ſenſualis, eſt ſermo omni acceptione dignus (ut ibi dicitur) & quem infra vult præcipi & doceri? Certe iſta repugnant nimis iſti interpretationi, tam materiali & ſenſuali, & ſoli proprie conveniunt ſpirituali & intellectuali, quam dedimus: præcipue cum Paulus prædicaret ſalutem ſpiritualem Gentibus, & non corporalem & animalem.

Quantum autem ad ſecundam explicationem. Reſpondeo, non ſufficere ad rationem ſalvatoris, ut nec ad rationem redemptoris, poſſe

ſalvare & redimere, ſed oportet vel actu redimere & ſalvare, vel ſaltem quidpiam conferre ad ſalvandos, vel redimendos captivos: Aliàs dicerentur Reges Galliæ & Hiſpaniæ ſalvatores & redemptores omnium captivorum qui ſunt apud Turcas, quia poſſunt eos ſalvare & redimere, etiam ſi ad id nihil omnino conferrent, quod eſt falſum. Ad comparationem autem petitam ex Medico. Reſpondeo, non convenire quia nomen Medici nomen eſt officii & conditionis, quæ poſtulat tantum aptitudinem, & non actum: At vero nomen ſalvatoris & redemptoris, eſt nomen agentis, concurrentis & conferentis aliquid, ut eſt nomen creatoris, factoris, authoris, & ſimilium: Unde poſtulat habere, aut habuiſſe actionem & concurſum actualem: & hinc eſt quod cum Chriſtus magis concurrat ad ſalutem ſpiritualem Fidelium, quibus dedit Fidem, Spem, & Charitatem, quam ad ſalutem ſpiritualem infidelium, quibus dat tantum gratias ſufficientes ad perveniendum ad fidem: Ideo hîc dicitur maxime ſalvator Fidelium, minus vero infidelium. Quia concurſus actualis, ſive præſens, ſive præteritus, eſt intrinſecus qualitati ſalvatoris & redemptoris, & ideo ab eo petitur, quod quis dicatur magis, vel minus ſalvator ſecundum concurſum majorem, vel minorem quem præſtitit ad ſalvandum, quod non convenit qualitati Medici, qui non eſt minus Medicus, non agendo quam agendo: & ideo non eſt ſimile. Et ſic, ut illæ interpretationes ſunt invalidæ, ita & non obſunt noſtræ.

Si ratio ſalvatoris conſiſteret tantum in potentia ſalvandi, non poſſet dici Chriſtus magis ſalvator Fidelium, quam infidelium, cum non ſit minus potens ſalvare omnes infideles quam Fideles.

PUNCTUM IX.

Locus Apoſtoli ubi dicitur, quod Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, contra calumnias adverſariorum pro noſtra ſecunda ratione aſſeritur.

TANDEM contra tertium locum ex 2. ad Cor. 5. ubi Apoſtolus dicit Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum, dicunt ibi non aſſeri Chriſtum eſſe pro omnibus omnino hominibus mortuum, ſed tantum pro iis, de quibus ante locutus fuerat Apoſtolus: iis ſcilicet qui vitam ſuam, & omnia immolarant ipſius gloriæ: & ſic pro iis ſolis, & non pro omnibus & ſingulis eſſe mortuum Chriſtum.

Reſpondeo, Apoſtolum non eſſe in antecedentibus locutum de ullis ſeipſos immolantibus pro Chriſto, niſi de ſeipſo: de quo dixerat quod etſi ſecundum propriam inclinationem magis optaret ire ad Dominum, tamen propter voluntatem Dei, & propter fratres ſuos libenter volebat peregrinari à Domino, & ſic ſe immolare pro Chriſto: Unde poſt quandam excuſationem de quadam gloriola quæ ſibi poſſet hinc imputari, ait: Charitas Chriſti urget nos, id eſt, Charitas Chriſti cogit nos ad iſta facienda & dicenda, & ad renunciandum propriæ incli-

nationi & exiſtimationi : Æſtimantes hoc , Græce κρίνοντες τοῦτο , judicantes , vel ſtatuentes hoc : Quod ſi unus (ſcilicet Chriſtus) pro omnibus mortuus eſt , ergo omnes mortui ſunt : quod dupliciter intelligi poteſt : Quilibet tamen ſenſus infert Chriſtum eſſe pro omnibus, & pro ſingulis mortuum : Primus eſt ejuſmodi : Si Chriſtus pro omnibus mortuus eſt , ergo omnes mortui ſunt per peccatum , propter quod in omnibus delendum ipſe Chriſtus eſt mortuus ; & hic ſenſus clare demonſtrat Chriſtum eſſe pro omnibus , & pro ſingulis mortuum, cum omnes & ſinguli mortui ſunt per peccatum, & eſt ſenſus Auguſtini ſupracitati, & indicatur à D. Thoma Comment. in hunc locum.

Alter ſenſus magis proprius , qui eſt & D. Thomæ mox citati , eſt ejuſmodi : Si Chriſtus pro omnibus mortuus eſt , ergo omnes debent ſe reputare ut mortuos, vitæ ſcilicet veteri in vitiis enutritæ, propriæ etiam inclinationi & exiſtimationi , imo & vitæ naturali , quaſi nullum amplius jus habentes ad iſta omnia quæ debent immolari Chriſto ut victimæ illi debitæ , & omnino ei acquiſitæ , propterea quod ipſe pro omnibus mortuus eſt , ut ſequitur in textu : Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus (id eſt , ideo pro omnibus mortuus eſt Chriſtus) ut qui vivunt (verba ſunt Apoſtoli) non jam ſibi vivant , ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt : id eſt , ut jam nullus ſit hominum , qui debeat vivere , ſeu vacare propriæ inclinationi, exiſtimationi , vel commodo proprio ; ſed omnino ſecundum voluntatem ejus qui pro iis mortuus eſt, ambulare, cogitare, loqui , operari , & omnia facere, quandoquidem iſta omnia ei debentur ut victimæ : Unde tantum abeſt ut loquatur Apoſtolus de quibuſdam in particulari (excepto ſeipſo) qui immolaſſent ſeipſos propter Deum, ut innuit objectio , quin potius loquitur de omnibus omnino hominibus, qui debent ſemetipſos immolare Deo , propterea quod Deus pro ipſis mortuus eſt : Nam quis neget omnes omnino homines debere ſe immolare pro Chriſto , qui pro ipſis omnibus mortuus eſt ? Ergo tam certum eſt ſecundum Apoſtolum , pro omnibus prorſus hominibus, nullo excepto, mortuum eſſe Chriſtum , quam certum eſt omnes omnino, ne uno quidem excepto, debere ſe immolare pro Chriſto. Unde prædicta objectio & interpretatio contraria noſtræ , omnino inanis eſt.

Ex quo etiam eliditur altera interpretatio à nobis diverſa, qua dicunt Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus , non quia mors ejus pro ſalute omnium impenſa eſt ; ſed quia fuit capax impendi & ſatisfacere pro ſalute omnium : Nam quæ obligatio hinc redundaret in omnes homines immolandi ſeipſos pro Chriſto , ut contendit ibi Apoſtolus , ſi mors Chriſti non eſſet impenſa pro ipſis , & ſi non omnes fructum aliquem ex ea percepiſſent , nulla auxilia ad ſalutem ſufficientia, nulla beneficia, nullas gratias : Certe non majorem gratiam haberemus ipſi pro tali morte admiſſa , nec magis teneremur gratias ipſi agere pro tali morte , quam captivi apud Turcas tenentur reddere gratias Regibus Galliæ & Hiſpaniæ , eò quòd habeant magnam vim pecuniarum capacem & ſufficien-

Cumulatiſſimum per illius ſanguinem pre-

num pro totius mundi ſalute impenſum *eſt. Et infra: Qui ſolus ſuper omnes eſt omnium causâ mortē perpeſſus ſolus* pro omnibus ſatiſfecit. *Cyrillus in Conc. Epheſ apud Binium, tomo 1. Concil. in part. 1. illius Concilii.*

tem pro liberandis illis omnibus, ſi tamen actu non redimerent, nec pecuniam ad id ullam impenderent.

Et licet D. Proſper, ut innuit Eſtius in Commentario prædicti loci, dicat in reſponſione ad primam objectionem Vincent. quod ſanguis Chriſti eſt redemptio totius mundi, quoad magnitudinem & potentiam pretii: non tamen per hoc determinat illam nullo modo eſſe impenſam pro omnibus, ſed tantum negat eſſe ita impenſam pro omnibus, ut omnibus daret gratias proximas ad ſalutem, qualis eſt baptiſmus in parvulis, & fides per dilectionem operans in adultis, de quibus ibi loquitur, ut patet ex his illius verbis: Cum itaque propter unam omnium naturam, & unam omnium cauſam à Domino noſtro in veritate ſuſceptam, recte omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captivitate ſunt eruti. Ecce quod negat, ſcilicet quod talis redemptio redimat omnes actualiter à captivitate peccati per collationem baptiſmi in parvulis, & fidei actualis per dilectionem operantis in adultis, quod ſolùm proprie redemptionem appellat, ut patet ex iſtis conſequentibus illius verbis. Redemptionis proprietas haud dubie penès illos eſt, de quibus Princeps mundi miſſus eſt foras (ſcilicet per gratiam ſanctificantem actu receptam in baptiſmo, aut Sacramento Pœnitentiæ actualiter recepto) & jam non vaſa diaboli, ſed membra ſunt Chriſti: cujus mors non *ita* impenſa eſt humano generi. (Ergo non negat eſſe impenſam pro omnibus, ſed tantum non eſſe ita impenſam pro omnibus, ut omnes reciperent actu baptiſmum & gratiam ſanctificantem) ut ad redemptionem ejus (ſcilicet qualem jam ſupra deſcripſit per actualem receptionem gratiæ ſanctificantis) etiam qui regenerandi non erant (per baptiſmum) pertinerent; ſed ita ut quod per unicum exemplum geſtum eſt pro univerſis, per ſingulare Sacramentum (baptiſmi) celebraretur in ſingulis: Poculum quippe immortalitatis quod confectum eſt de infirmitate noſtra, & virtute divina, habet quidem in ſe ut omnibus proſit, (ſcilicet per præparationem gratiarum ſufficientium) ſed ſi non bibitur non medetur. (id eſt actu non ſanat tollendo peccata, & dando gratiam ſanctificantem, quæ eſt ſanitas animæ, de qua ſola ibi loquitur.)

Quod autem ipſe D. Proſper gratiam ſufficientem admiſerit pro omnibus omnino hominibus, patet ex toto libro 2. de vocat. Gent. præcipue cap. 13. 16. 23. 25. 29. & 31. quod ſatis demonſtrat eum longe abfuiſſe ab iſta explicatione adverſariorum, qua dicunt eum putaſſe mortem Chriſti fuiſſe tantum capacem redimendi omnes, & nihil præterea omnibus contuliſſe: Et hæc de tertio textu Scripturæ initio adducto.

†
I H S

PUNCTUM X.

Diverſa Ianſenii contra prædictam rationem præjudicia refelluntur.

NIHIL ergo reſtat amplius ad plenam & perfectam hujus voluntatis generalis Dei erga ſalvandos omnes homines probationem, quam breviſſime refellere ex prædictis nonnulla Janſenii præjudicia, quæ affert ipſe lib. 3. de gratia Salv. cap. 20. contra illam.

Primum eſt quod Pelagiani & Semipelagiani, eòdem modo quo expoſuimus ſupradictam bonam Dei voluntatem, & ipſi expoſuerunt.

Reſpondeo id eſſe falſum, ut patet ex ſupradictis de ſententia & ſenſu Auguſtini quoad illam bonam voluntatem, ubi ſatis declaravimus ſenſum iſtorum hæreticorum fuiſſe talem, ut ante gratiam Dei volentis omnes ſalvos facere, prærequirerent aliquam in arbitrio humano diſpoſitionem, & meritum mere humanum, ob quod Deus ſalvaret eos: quod valide rejicit Auguſtinus: Nos autem dicimus contrarium, & fatemur ipſam bonam Dei voluntatem, nihil in nobis prærequirere, ſed omne bonum & meritum in nobis ponere & incipere, quod ſolum contendebat & poſtulabat Auguſtinus.

Secundum præjudicium eſt quod genuini defenſores gratiæ, expoſitionem illam tanquam diſſonantem à veritate reprobarunt, ſcilicet Auguſtinus, Fulgentius, & Proſper.

Reſpondeo, ſenſum illum eos reprobaſſe quem mox declaravimus eſſe illorum errantium, & non noſtrum.

Tertium eſt, quod ab Auguſtino refellitur gravibus argumentis.

Reſpondeo idem quod præcedentibus præjudiciis, ſcilicet refelli in alio ſenſu quam noſtro: Pro verificatione autem iſtarum reſponſionum, vide, ſi lubet, D. Auguſtinum ſupracitatum lib. 4. contra Julian. Pelagianum, cap. 8. & in Epiſt. 107. ad Vitalem Semipelagianum. Item, Fulgentium lib. de Incarn. & Grat. c. 29. & ſequentibus. Item, D. Proſperum in Epiſt. ad Ruf. & videbis ſenſum iſtorum errantium omnino à noſtro diverſum. His ergo crede potius quam quibuſdam Commentariis incertorum Authorum, quos allegat ibi Janſenius, qui neſciuntur an fuerint Pelagiani, cum tribuantur Authoribus valde orthodoxis, Hieronymo ſcilicet & Ambroſio. Sed licet illi Commentarii fuerint Authorum Pelagianorum, non tamen ſequitur quod id omne quod continent, ſit Pelagianum: At certum eſt quod id omne quod impugnarunt Auguſtinus, Proſper, & Fulgentius agentes contra Pelagianos & Semipelagianos, fuit Pelagianum, aut Semipelagianum: Mirum autem eſſet quod ſupradicti Authores incerti Pelagiani, melius ſciviſſent ſecretum Pelagianiſmi & Semipelagianiſmi, quam ipſe Pelagius, Celeſtius, Julianus, Vitalis, & Caſſianus, quos prædicti Patres impugnarunt, ut utriuſque hæreſeos Principes & Patriarchas, qui tamen numquam ita locuti ſunt: quamquam & illi textus quos ibi allegat Janſenius ex illis Author. incertis poſſint habere ſenſũ Pelag. Primus eſt quod Deus

vult omnes ſalvos facere,&ad&c.ſi ipſi tamẽ vocăti Deo cõſentire voluerint:poteſt enim hoc exponi de vocat.externa prędicat.Euang.ſeu de grat. ſola intellectus, quam admittebant Pelag. ante fidem. Secundus autẽ,ſcilicet,vult Deus omnes ſalvos fieri;ſed ſi accedant ad eũ,&c.poteſt exponi, ut S.Auguſt.exponit dicta Iul.in l.4.ſupracit.contra iſtũ Pelag.c.8.ſcilicet ſi accedāt priores petẽdo,quærendo,pulſando, quibus poſtea tanquā merentibus Deus det gratiā,qui eſt ſenſus Pelag.longiſſime à noſtro diſſitus.

PUNCTUM XI.

Ex dictis elicitur prædeſtinatio ad gloriam poſt præviſa merita, & quibuſdam oppoſitionibus reſpondetur.

HAc itaque probata, & omnino demonſtrata bona Dei voluntate quoad ſalutem omnium, facile eſt oſtendere quod prædeſtinatio ad gloriam, nullo modo facta eſt ante præviſa merita, ſed tantum poſt præviſa merita. Ratio hujus illationis eſt, quia incompoſſibilis eſt illa bona voluntas Dei de ſalvandis omnibus hominibus generaliter, quantum eſt in ſe, cum hac voluntate ſingulari abſoluta, & nihil ante ſe præſupponente, volo hos ſalvare efficaciter, & nolo hos ſalvare efficaciter: quæ eſt prædeſtinatio ante præviſa merita. Et ratio eſt quia prima illa voluntas erat de ſe indifferens ad ſalvandos hos, vel illos efficaciter, & nullos excludebat à benevolentia ſua; nec erat in ea ratio cur hos potius quam illos, ſeu hos & non illos ſalvaret efficaciter, cùm ex ſe vellet ſalvare omnes, nullo excepto, haberetque ſinceram & veram complacentiam circa ſalutem omnium. Si ergo rebus eodem prorſus modo ſe habentibus, & nulla facta ſuppoſitione præviſionis alicujus extrinſeci, poſtquam Deus habuit bonam illam voluntatem de ſalvandis omnibus, quaſi de repente concipiatur velle ex ſe, & ex mero beneplacito ſuo, & ſine alio reſpectu, hos ſalvare, & non illos, hos admittere in Regnum ſuum, & illos excludere: Quis non videat manifeſtam contradictionem inter utramque voluntatem, cum per primam velit omnes ſalvos facere, per ſecundam non omnes: Per primam nullum vult excludere, nec excludit, per ſecundam vult excludere aliquos, & excludit: Per primam,quantum eſt de ſe,vult omnibus ſalutem;per ſecundam non amplius ex ſe vult ſalutem omnibus, ſed tantum aliquibus: Certe ſatis ex ſe apparet iſtarum contradictio voluntatum,quandoquidem omnibus eodem prorſus modo ſe habentibus, prima voluntas ex ſe vult unum, & ſecunda voluntas ex ſe non vult illud amplius.

Sed dices, illæ duæ voluntates non ſibi invicem contrariantur, quia prima eſt ſimplicis complacentiæ, & non efficax, altera vero eſt efficax, & non ſimplicis complacentiæ: Velle autem unum inefficaciter & nolle illud efficaciter non repugnant;quod & tenentur ædmittere ii qui tenent prædeſtinationem poſt præviſa merita, cum in ea dicatur quod Deus vult omnes ſalvos fieri, voluntate ſcilicet complacentiæ, & non efficaci, & poſtea velle reprobare & excludere aliquos efficaciter à ſalute, ſeu poſſeſſione gloriæ,

Reſpondeo, iſtas duas voluntates non repugnare, quãdo interutramque concipitur advenire de novo aliquid, & fit aliqua mutatio ab extrinſeco, vel aliqua ſuppoſitio, qua poſita rationabile eſt, ut unum velit inefficaciter, & idem nolit efficaciter, ut v.g. quiſpiam Rex optimus poteſt per complacentiam & inefficaciter velle omnes ſuos ſubditos vivere beate & fœliciter, & efficaciter nolle aliquos eorum ita vivere, nempe latrones & homicidas, quibus juſte decernit ſupplicia & necem: Quia nempe ibi eſt aliqua ſuppoſitio & conditio (de novo adveniens) in illa voluntate quæ reddit illam ſecundam voluntatem rationabilem, & cum prima compoſſibilem, quandoquidem prima conſiderabat ſubditos ut à furtis & homicidiis alienos; ſecunda vero conſiderat eorum aliquos ut nocentes & criminoſos, & ſic ſupplicio dignos: Unde diverſa poteſt velle ab alia, idque compoſſibiliter & rationabiliter: At vero ſi eadem remanerent omnia, non poſſet, quia ſibi contradiceret. Quapropter cum ſupponant adverſarii in opinione ſua, quod eadem remanent omnia cum Deus vult omnes ſalvos fieri, & cum vult aliquos excludere à ſalute, ipſi ponunt incompoſſibilia, & contradicentia in eadem voluntate & per hoc ſupponunt falſa & repudianda.

Nec vero dicendum eſt quòd una iſtarum voluntatum eſt efficax, altera vero inefficax: Nam hoc non impedit contradictionem quam inferimus quæ in hoc tota ſita eſt, quod in prima voluntate beneplacitum ſit Deo, ex ſe & ex mera voluntate ſua ſalvare omnes nullo excepto: & in ſecunda voluntate beneplacitum ſit Deo ex ſe, & ex mera ſua voluntate non ſalvare omnes, ſed tantum aliquos, quod videtur involvere in ſe contradictionem, cum una voluntas ponat beneplacitum & altera neget illud. Nam diverſitas actuum præciſe ut ſic, non impedit contradictionem, ut patet in eo qui vellet, & ſimul nollet eamdem rem eodem tempore, & ſecundum eadem omnia: licet enim diverſi eſſent actus, haberent tamen in ſe contradictionem; quia ponerent rem & negationem rei ſimul. Ita velle per complacentiam ſalutem omnium, & nolle efficaciter ſalutem aliquorum, nulla facta mutatione in aliquo, eſt contradictorium: quia ponunt beneplacitum, & negant illud ſimul; ponunt Deum, quantum eſt in ſe, velle ſalvare omnes, & ponunt Deum quantum eſt in ſe, nolle ſalvare omnes, ſed tantum aliquos; quod aperte eſt contradictorium: Quod ſic clarius explicatur; nam licet aliquis poſſit abſolute, & per complacentiam velle aliquid inefficaciter, & ſimul nolle illud idem efficaciter propter aliquas rationes extrinſecas, & aliunde quam ex mero beneplacito ſuo deſumptas: tamen ſi reſpiciat ad ſolum beneplacitum ſuum, non poteſt velle illud inefficaciter, & ſimul nolle illud efficaciter, quia tunc una & eadem res ſecundùm idem tempus, ſecundùm idem motivum, & ſecundùm reliqua omnia (excepta diverſitate actus quæ ut dixi & oſtendi, non impedit contradictionem) ſibi placeret & non placeret, ſeu etiam diſpliceret: Placeret quidem ſecundum ſuppoſitionem noſtram, cum velit eam per complacentiam, &

tamen ſimul diſpliceret, quia ex ſe non vult & rejicit eam;quod eſt ſignum quod non placet, imo quod & diſplicet cum id fiat ſimpliciter, & nullo habito reſpectu quam ad meram ſuam voluntatem: Nam ſi ſi quis tunc quæreret cur rejicit & repudiat eam, cito reſponderet quia non placet, quia diſplicet; hoc enim eſt unicum motivum volitionis cum eſt a mera voluntate aliqua: Si ergo Deus ex mera voluntate ſua, & nullo habito reſpectu ad merita, vellet tantum hos & illos ſalvare, & non alios, poſtquam noſtro modo concipiendi habuiſſet voluntatem complacentiæ de ſalvandis omnibus hominibus generaliter, ſibi ipſi contradiceret; & per ſecundam voluntatem retractaret primam, in quantum per ſecundam tolleret generale ſuum beneplacitum quod habebat circa ſalutem omnium, & reſtringeret illud ad paucos ex mero beneplacito ſuo, & ex mera voluntate ſua,cum prius habuiſſet ad omnes ex eodem mero beneplacito ſuo, & ex mera voluntate ſua. At vero non ſic in opinione noſtra: Nam cum in ſecunda voluntate ſupponat prævifa merita, quæ non erant prævifa in prima: per hoc evitat contradictionem,cum ibi ponat diverſa motiva ſibi ſuccedentia, ſcilicet in prima meram complacentiam propter quam Deus vult ſalutem omnium, in ſecunda vero quandam diſplicentiam actualem ob agnita peccata, quæ non erant nota in prima. Unde diverſitas illa voluntatum bene compatitur in noſtra ſententia, propter diverſas illas ſuppoſitiones quas admittit: Quas cum non admittat oppoſita ſententia, ideo diverſitas illa voluntatum non bene compatitur in illa, & proinde eſt falſa.

PUNCTUM XII.

Quibuſdam aliis in contrarium oppoſitionibus occurritur, & oſtenditur per illas negari gratias vere ſufficientes pro reprobis.

VERUM contra objicies, & dices quod in ſententia eorum qui tenent prædeſtinationem ante prævifa merita, fit aliqua etiam ſuppoſitio: Dicunt enim illius opinionis aſſertores quod Deus reſpiciendo ad miſericordiam ſuam,vult omnes ſalvos fieri, poſtea vero reſpiciens ad juſtitiam ſuam vult aliquos ſalvos non fieri, ut in iis eluceat juſtitia illius, & ſic ponunt ex una parte miſericordiam, quæ per complacentiam vult omnes ſalvos fieri, & ex altera juſtitiam quæ vult aliquos punire, & vindictam exercere.

Reſpondeo, id non ſufficere ad evitandam ſupradictam contradictionem: Et ratio eſt, quia miſericordia & juſtitia ſunt ſimultaneæ in Deo, & una non concipitur prior, aut poſterior altera; at vero requiritur ut poſt generalem voluntatem de ſalvandis omnibus concipiatur in Deo, aliquid quaſi de novo adveniens, propter quod generalis illa voluntas, ſeu generale beneplacitum quod habuit de ſalvandis omnibus, rationabiliter reſtringatur,& coarctetur ad aliquos per voluntatem particularem

ſubſequentem,

ſubſequentem, quod ſolùm poteſt fieri per prævisionem operum, quaſi de novo conceptam in Deo poſt generalem prædictam voluntatem de ſalvandis omnibus hominibus, propter quam prævisionem rationabiliter Deus decernat & determinet ſalvare ſolùm aliquos, cum prius vellet ſalvare omnes: ad quod conſideratio ſupradicta miſericordiæ & juſtitiæ, nihil omnino prodeſt, cum illæ ſint in Deo ſimultaneæ, & una non ſit prior, aut poſterior altera ad effectum reſtringendi & coarctandi generalem illum affectum & complacentiam Dei circa omnes ſalvandos, ad aliquos ſolos ſalvandos, & non ad alios.

Præterea ſi conſideres ſolam miſericordiam ſecundum ſe, vult quidem omnes ſalvos fieri; ſed ſi etiam conſideres juſtitiam ſecundum ſe, vult omnes punire, & nullos ſalvos fieri, quia omnes rei ſunt per peccatum originale: Et per conſequens quærendum nobis eſt aliquid aliud quod velit tantum ſalvare aliquos, & non velit damnare omnes; quod certe non aliud recte ſtatueris, niſi prævisionem operum; nam cum in quibuſdam mala ſint opera, ideo Deus rationabiliter decernet punire illos, ſine præjudicio tamen præcedentis ſuæ voluntatis de ſalvandis omnibus, quia nondum tunc concipiebatur prævidiſſe illa opera propter quæ nunc rationabiliter vult damnare aliquos: Sola ergo conſideratio miſericordiæ & juſtitiæ non ſolvit difficultatem, ſed neceſſario debet ſupponi prævisio operum, bonorum & malorum, ad hoc ut voluntas de ſalvandis tantum aliquibus non contradicat præcedenti voluntati de ſalvandis omnibus; ſed bene conciliet primam miſericordem in omnes cum altera juſta & ſevera in aliquos; ponendo primam eſſe ex mero beneplacito, & complacentia Dei circa ſalutem omnium, propter quam vult ſalvare omnes quantum eſt in ſe, alteram vero ex odio & ex diſplicentia malorum operum poſtea prævisorum, propter quæ vult punire aliquos eorum, & excludere illos à ſalute: non vero ponendo utramque ex ſolo & mero beneplacito Dei, ut volunt adverſarii, in quo uno ſita eſt tota contradictio.

Sed dices, quidquid ſit de illa ſuppoſitione, quæ valde curanda non eſt, ſi aliunde probemus quod duæ prædictæ voluntates in Deo ſunt compoſſibiles, cum hoc ſit noſtrum præcipuum intentum: Satis validum videtur eſſe argumentum ad demonſtrandum duas illas voluntates eſſe in Deo compoſſibiles, etiam in ſententia tenentium prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante prævisa merita, quod etiam poſt electionem efficacem, & particularem horum & illorum, & non aliorum ante prævisa merita ſalvandorum: Perſeverat adhuc voluntas illa generalis & complacentiæ in Deo de ſalvandis omnibus hominibus, nullo excepto, cum ex vi illius voluntatis generalis, Deus det gratias ſufficientes, etiam ipſis reprobis non electis, ad ſalutem eorum procurandam; Nam hoc, ſignum manifeſtum eſt, quod illa voluntas generalis perſeverat adhuc in Deo, cum hunc iſtum habeat effectum in Deo dandi gratias ſufficientes, qui non poteſt tribui voluntati particulari & efficaci, cum é contra

illa particularis & efficax excludat eos à Regno; ergo ſoli illi generali tribuendus eſt, ergo illa voluntas generalis perſeverat adhuc in Deô poſt electionem ad gloriam ante præviſa merita.

Reſpondeo negando quod illa voluntas generalis circa ſalutem omnium (quam ſupra probavimus debere eſſe veram & ſinceram in Deo, & maxime affectivam) vere perſeveret adhuc in Deo poſt electionem efficacem horum & illorum, & non aliorum ante præviſa merita: Et ratio eſt, quia illa diſcretio non electorum ab electis mere voluntaria, & ante præviſa opera facta, arguit neceſſario quoddam odium intrinſecum in Deo, & ſecretam malevolentiam Dei in illos qui non electi ſunt, cum ob non electionem illam tandem aliquando damnet eos: Quod clare apparet in illis reprobis; qui aliquando à peccato originali mundati ſunt, quorum non obſtante remiſſione illa peccati ſui originalis, & ſæpiſſime etiam actualium in baptiſmo, vel Sacramento Pœnitentiæ recepta, nullus tamen eorum ne unus quidem licet pluſquam millia millium ſuperent, unquam ſalutem conſecutus eſt: Quod certe non poteſt eſſe, nec procedere niſi à ſecreto quodam odio & averſione latente, quæ fuit cauſa non electionis eorum; quæ deinde non electio fuit cauſa latens & ſecreta æternæ damnationis eorum, ut ſupra probatum eſt in primo teſtimonio ex Scripturis ſub finem: Unde nullo modo dici poteſt quod prædicta bona Dei voluntas circa ſalutem omnium perſeveret adhuc erga omnes, cum non perſeveret erga eos qui non electi ſunt, quibus tam funeſta eſt illis iſta non electio, ſeu reprobatio negativa, ut non obſtantibus poſtea multis reconciliationibus in Sacramentis Baptiſmi, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, Extremæ-unctionis, etiam contritionibus, & dilectionibus Dei ſemper ſemper illi miſeri deplorandi, lamentandi, lugendi, miſerrimê deploratiſſimeque damnati ſunt, ne uno quidem excepto, quomodocumque id eveniat.

At enim reſpondebis: Illos omnes habere gratias ſufficientes, quibus poſſunt ſalvari, quod arguit perſeverantem Dei in illos bonam voluntatem generalem.

Reſpondeo, hoc eſſe valde dubium quod illi habeant gratias vere ſufficientes ad ſalutem. Unde enim id probabis? Cum tam vehemens ſit præſumptio in contrarium ex illa eorum non electione, ſecreto & occulte deducente eos in damnationem, cui videntur contrariæ eſſe illæ gratiæ, cum illæ gratiæ arguant ſaltem voluntatem non repugnantem ſaluti illorum, iſta autem non electio arguit voluntatem repugnantem, & contradicentem ſaluti iſtorum non electorum, quandoquidem, ut docent adverſarii, per illam non electionem, ſeu reprobationem negativam, non ſolum Deus non vult ſalvare illos; ſed etiam vult non ſalvare illos, quod eſt nolle eorum ſalutem, & ſic habere voluntatem repugnantem & contradicentem ſaluti iſtorum miſerorum.

Certe nulla ſuppetit vera ratio quæ nos deducat in cognitionem iſtarum gratiarum illis à Deo conceſſarum in ordine ad ſalutem: cum non

poſſint probari, neque à priori, neque à poſteriori; non à priori, quia voluntas Dei quæ eſt fons & origo gratiarum omnium, tam infenſa eſt eis, & ab eis averſa, ut jam mere voluntarie repudiaverit eos à ſua electione, probe ſciens & noſcens quod ex illa non electione ſequeretur eorum damnatio, quod eſt ſignum magni odii. Et præterea tenetur ex vi non electionis iſtius efficere, ut hi non ſalventur, ne decretum ſuum de non ſalvandis illis ſit falſum & erroneum. Ecquis ergo poſtea præſumet Deum velle dare illis gratias ſufficientes ad ſalutem, cum ex ſe nolit eos ſalvare, & teneatur etiã eos non ſalvare, & cavere ne ſalventur. Certe ſi poſt hæc concedat eis quaſdam gratias, eſt potius ad illudendum eis, quam ad ſalvandos illos: cum jam mere voluntarie noluerit eos ſalvare, & teneatur cavere ne ſalventur. Ergo non probabis iſtud à priori.

Neque etiam probari poteſt à poſteriori, ſeu ab affectu; cum nullus iſtorum non electorum unquam ſalvatus ſit, à quo poſſit argui poteſtas ſalutis conſequendæ in aliis: Unde neſcio qua ratione, vel quo fundamento dici poſſit quod illi habeant tales gratias: Nos vero magnum & ſolidum fundamentum habemus negandi illas, & dicendi quod ſi habeant aliquas, non ſunt vere ſufficientes; ſed plane illuſoriæ, & omnino ſuperfluæ, cum Deus nolit ſalvare illos, ſed mere voluntarie velit excludere eos à ſalute, & aliquo modo etiam damnare, cùm hoc infallibiliter ſequatur ex eorum non electione, ſeu reprobatione negativa, omnino Deo voluntaria, & illi beneplacita ſine prævisa eorum mala voluntate, & operatione.

Sed etſi concederemus, illas gratias eſſe aliquo modo ſufficientes, & non plane illuſorias, non tamen inde bene arguerent adverſarii ſinceram in Deo voluntatem ſalvandi hos non electos, cum facile ſit judicare, quod non tam illis dedit illas gratias animo ſalvandi illos, quam animo ſeducendi eos, & deducendi eos minus dure, & non ſine aliquo prætextu ad damnationem ſaltem virtualiter eis in ſua non electione præfinitam: Nam quis non videat Deum illas gratias ſtudioſe pro illis ſelegiſſe, quæ non eſſent in eis effectum ſalutis habituræ, ad hoc ut non ſalvarentur, & ut ſic decretum ſuum de non ſalvandis illis factum ante præviſa eorum peccata non falleretur? Quis non videat in hoc ſpeciale ſtudium, & curam ſingularem de ſeligendis illis gratiis nunquam effectum ſalutis habituris in illis, cum hoc tam conſtanter & tam certo adveniat, quod non ſalvent non electos, ut nihil ibi vir prudens poſſit ſuſpicari accidentarium, & non potius ab intellectu ſtudioſiſſimo & ſagaciſſimo ordinatum, ut non ſalvent: Nam proprium accidentarii & contingentis eſt aliquando advenire, aliquando abeſſe: è contra vero proprium ordinati, & curioſe diſpoſiti eſt ſemper eodem modo ſe habere, nunquam deficere, & falli: Præſertim ſi ſit (ut hic eſt) ab infinita poteſtate emanatum & ordinatum. Cum ergo nunquam fiat, ut ſalventur hi non electi per has gratias, & nunquam viſum ſit, nec unquam

videndum ſit, quod quis non electus ſalvetur per has gratias; quis non videat illas eſſe ſtudioſe ſelectas, ut effectum non habituras,licet habere poſſint: Et per hoc quis non videat fallaciam & inſinceritatem illius voluntatis in Deo præſumptæ quæ vult ſanare omnes etiam non electos, & tamen pro his ſeligit tales gratias quibus nunquam fiet ut ſalventur: Numquid iſtud eſt potius velle ficte,& vere nolle,quam vere velle ſalutem illorum non electorum,cum videatur velle extrinſece per illas gratias eorum ſalutem, & tamen callide & occulte per remotionem auxiliorum efficacium, & per collationem mere ſufficientium curet eos nunquam ad ſalutem pervenire. Cum ergo depellenda ſit à Deo omnis fallacia & inſinceritas quæ prorſus indigna eſt illius veracitate infinita, ideo rejicienda eſt iſta ſententia, quæ tam falſa & inſincera cogitur Deo veriſſimo & ſinceriſſimo attribuere; & fatendum contra illam, quod ex vi prædictæ voluntatis Dei de ſalvandis omnibus, non potuit aliquos ex ſe & ex mera voluntate ſua excludere à gloria, nec proinde facere prædeſtinationem ante præviſa merita, cum hæc prædeſtinatio non poſſit eſſe ſine illa excluſione (quæ eſt reprobatio negativa) ut ſupra demonſtratum eſt.

Argum. 8. ex Auguſt.

PARAGRAPHUS TERTIUS.

Ratio tertia proponitur, & firmatur.

TERTIA ratio fundatur in eodem principio ſuprapoſito in quo & fundatur præcedens,ſeu ſecunda; ſcilicet,in illa bona Dei voluntate generali circa ſalutem omnium, de qua hucuſque tam prolixe, ſed non ſine gravi ratione diſſeruimus, cum ſit fundamentum plurimarum rationum. Hæc autem tertia ratio ſic formatur: Generalis voluntas Dei circa ſalutem omnium, eſt virtualiter conditionata, & conditio quam continet, ſeu potius quam poſtulat ad hoc ut tranſeat in efficacem, & fiat voluntas efficax dandi gloriam aliquibus, eſt perſeverantia in gratia uſque in finem, quæ perſeverantia ſupponit in adultis opera, ſeu merita: Ergo prædeſtinatio ad gloriam eſt ob illa opera, ſeu præviſa merita.

Antecedens probatur quoad primam ſuam partem, ſcilicet quod illa generalis voluntas Dei circa ſalutem omnium, eſt virtualiter conditionata: Et ſic probatur: Actus voluntatis complacentiæ, qui eſt maxime affectivus, ſeu ipſa voluntas affectiva ita ſe habet ad effectum quem reſpicit, ut ſi certa quædam conditio quam poſtulat,poneretur; ipſa efficaciter vellet effectum: cum ob hanc ſolam negationem conditionis requiſitæ, ſuſpendatur illius actus, & impediatur ne protinus effi-

caciter illum velit. Sed actus ille complacentiæ, quo Deus vult omnes ſalvos fieri, eſt maxime affectivus: Ergo ita ſe habet ille actus complacentiæ, ſeu voluntas Dei affectiva ad effectum quem reſpicit, ſeu ad ſalutem omnium: ut ſi certa quædam conditio poneretur, ipſa vellet efficaciter ſalutem omnium: Unde ille actus eſt virtualiter conditionatus.

Major patet ex ipſo ſenſu communi, & ab ipſamet experientia: Nam quando valde affecti ſumus erga aliquid, & non tamen ferimur efficaciter in illud, vel habendum, vel ponendum, vel concedendum; ſi quis petat à nobis cur non illud proſequimur, aut ponimus, aut concedimus: nequaquam ſimpliciter dicimus, quod ideo eſt quia illud ſolùm nobis placet, ſed cito certam rationem proferimus ob quam ſuſpendimus, aut impedimus noſtram proſecutionem, ut v. g. quia res difficilior eſt, vel quia remotior, vel quia humilior & abjectior: quod eſt dicere, quod major facilitas deſideraretur, major approximatio, major ſplendor & gloria ad hoc, ut eam proſequeremur efficaciter: Et ſic fatemur latentem conditionem quam requirimus ad efficacem illius rei proſecutionem, quæ conditio ſi poneretur, cito ad inquirendam illam, vel faciendam, vel concedendam efficaciter & ex corde incumberemus: Et ſic patet, quod illa voluntas eſt conditionata & ſuſpenſa, quoad efficacem illius rei proſecutionem, propter aliquid abſens quod requirit, parata ſemper agere, & proſequi ſitum objectum ſi conditio illa poneretur, propter inclinationem in illud. Quod & admittit D. Thomas, ſcilicet quod illa voluntas ſit conditionata & importans aliquam conditionem in 1. ſent. diſt. 46. qu. 1. A. 1. ad 2. ubi loquens de illa voluntate complacentiæ, ſub nomine voluntatis antecedentis, ſic ait: Ad ſecundum dicendum quod voluntas antecedens poteſt dici *conditionata*, nec tamen eſt imperfectio, &c. quod erat major noſtra propoſitio probanda. Probatur vero minor, ſcilicet quod ille actus complacentiæ quo Deus vult omnes ſalvos fieri, eſt maxime affectivus: Probatur, inquam, ex illis Scripturæ locis, quos adduximus circa initium præcedentis rationis in hunc finem: ut Matth. 23. Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, &c. quoties volui congregare filios tuos, &c. Et Lucæ 19. Videns civitatem, flevit ſuper illam, dicens: Si cognoviſſes, &c. Et Apocal. 3. Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: Et Ezechielis 18. ait ad populum ſuum: Et quare moriemini domus Iſraël? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, & vivite. Et ſic paſſim in Scripturis videmus affectivam illam complacentiam Dei circa ſalutem peccatorum, quantumcumque ei reſiſtentium & rebellium, quanto magis erit affectiva circa ſalutem aliorum illi voluntarie obſequentium.

Unde nullomodo dubitari poteſt quin voluntas illa ſit maxime affectiva, & valde parata ad agendum, & reipſa ageret, niſi eſſet conditionata, & quodammodo ſuſpenſa quoad actum ſuum efficacem propter conditionem aliquam quam requirit, & quæ non adeſt, ut pro-

rumpat in effectum: Unde patet concluſio ſyllogiſmi, ſcilicet quod voluntas illa complacentiæ Dei circa ſalutem omnium eſt virtualiter conditionata: quod etiam confirmatur ex D. Thoma ubi ſupra: Ubi loquens ſpecialiter de illa voluntate Dei complacentiæ, ſub nomine ſupradicto voluntatis antecedentis, reſpondendo objectioni quæ dicebat illam voluntatem eſſe imperfectam, eo quod illa eſſet conditionata: Dicit illam eſſe quidem conditionatam; ſed tamen non imperfectam, his verbis: Ad ſecundum dicendum, quod voluntas antecedens poteſt dici *conditionata*, nec tamen eſt imperfectio ex parte voluntatis divinæ; ſed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumſtantiis, quæ exigantur ad rectum ordinem ad ſalutem: Hæc ibi D. Thomas; & ſic manet prima pars ſupradicti antecedentis probata.

Hæc conditio non eſt ſimplex conditio, ſine qua non; ſed eſt conditio, ſeu cauſa movens ad volendum efficaciter ſuum objectum: Ei enim tribueretur voluntas efficax, ſi daretur tãquam ſuo motivo.

Probatur vero ſecunda pars, ſcilicet, quod conditio quam continet illa bona Dei voluntas circa ſalutem omnium, eſt perſeverantia in gratia uſque in finem, quod probari poſſet infinitis Scripturæ locis; ſed tantum his tribus contenti erimus, ſcilicet, Matth. 10. 22. Qui autem perſeveraverit uſque in finem, ſalvus erit. Et cap. 24. 13. idem repetitur: Et Rom. 11. 22. ſic ait Apoſtolus: Vide autem benignitatem Dei in te, *ſi* permanſeris in bonitate, alioquin excideris. Et Apocalypſis 2. 10. Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Qui textus ſatis indicant perſeverantiam illam eſſe conditionem requiſitam ad habendam ſalutem per complacentiam volitam in prædicta voluntate generali contentam. Et probatur etiam ab effectu: Nam ſcimus quod poſita illa perſeverantia, cito datur gloria; & ea non poſita non datur; quod eſt ſignum manifeſtum quod perſeverantia illa erat conditio requiſita ad habendam gloriam à voluntate illa generali. Et ſatis innuitur in Scripturis, quod etiam ipſi reprobi, & in æternum damnati, conſecuti eſſent gloriam ſi perſeveraſſent in bono, cum Chriſtus eos condemnans Matth. 25. nullam aliam afferat rationem excluſionis eorum à gloria, quam quia non habuerunt opera, nec perſeverarunt in illis; quod etiam indicat D. Proſper in Reſp. 12. ad object. Vinc. ubi ſic ait loquens de reprobis: Eſſent autem prædeſtinati ſi eſſent reverſuri, & in ſanctitate manſuri. Ex quo manifeſtum eſt quod conditio illa neceſſaria, quam poſtulabat bona illa Dei voluntas ad concedendam hominibus efficaciter gloriam, erat perſeverantia in gratia, quæ ſupponit in adultis opera, & merita: Reſtat ergo probanda conſequentia ſupradicti entimematis, ſcilicet quod exinde ſequitur prædeſtinationem ad gloriam eſſe poſt præviſa merita, quæ ſic probatur: Prædeſtinatio ad gloriam nihil eſt aliud quam ipſamet illa voluntas complacentiæ Dei, de qua locuti ſumus ut tranſita in voluntatem abſolutam & efficacem, poſita ſua conditione requiſita: Nam proprium ejuſmodi voluntatum conditionatarum eſt tranſire in abſolutas & efficaces, poſitis conditionibus quas requirunt: Atqui voluntas illa complacentiæ, ut ſic tranſita in voluntatem abſolutam & efficacem eſt tantum poſt præviſa merita; ergo

prædeſtinatio ad gloriam eſt tantum poſt prævisa merita: Minor per ſe clara eſt, cum voluntas illa complacentiæ ſupponat merita tanquam conditionem requiſitam, ut tranſeat in efficacem, & ſic non eſt efficax niſi videat merita. Major vero probatur ſic: Prædeſtinatio nihil eſt aliud quam voluntas efficax dandi gloriam; ſed voluntas prædicta complacentiæ ut tranſita per poſitionem ſuæ conditionis in abſolutam & efficacem, eſt voluntas efficax dandi gloriam, ut per ſe patet, cum non diceretur tranſiſſe in efficacem niſi facta eſſet efficax de danda gloria: Ergo illa voluntas eſt ipſamet prædeſtinatio ad gloriam: ergo ut illa voluntas ſupponit merita prævisa, ita & ipſa prædeſtinatio.

Dices aliud eſt, eſſe voluntatem efficacem dandi gloriam: & aliud eſt, eſſe talem voluntatem efficacem dandi gloriam, quæ orta ſit à præcedenti complacentia: Primum poteſt habere rationem prædeſtinationis ad gloriam, non neceſſario ſecundum, unde non ſequitur quod ſit poſt prævisa merita.

Reſpondeo, voluntatem efficacem ortam ab illa complacentiæ, eſſe veram prædeſtinationem, cum per illam vere & efficaciter deſtinentur homines ad gloriam, vere & efficaciter decernatur eis gloria, antequam ipſi exiſtant, quod eſt id omne quod requiritur ad notionem prædeſtinationis: vel ergo dicendum eſt quod duplex eſt communis modus prædeſtinandi homines ad gloriam, vel unicus: Non duplex, quia huc uſque non eſt auditus, nec ullum illius indicium apparet in Scripturis: Ergo eſt unicus, ſcilicet communis; nam de illo alio ſingulari quo dicunt aliqui Beatam VIRGINEM, & paucos alios fuiſſe ſingulariter prædeſtinatos, non loquimur, cum ſermo nobis ſit ſolùm de communi & ordinario: Si ergo unicus eſt communis, profecto non eſt alius quam is quem dicimus, cum is certus & indubitatus ſit, ut ſupra demonſtratum eſt: Ergo neceſſario conſiſtit in illa voluntate efficaci dandi gloriam orta à præcedenti complacentia contra præcedentem objectionem, & ſic eſt poſt prævisa merita.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Tres aliæ rationes proponuntur, ſcilicet 4. 5. & 6.

QUARTA ratio fundata in eodem principio, eſt ejuſmodi: voluntas ſupradicta complacentiæ Dei circa ſalutem omnium, eſt ſufficiens ad conſtituendam prædeſtinationem ad gloriam ſine alia nova & ab hac independente: Ergo omnis alia eſt ſuperflua, & proinde rejicienda, quæ eſt prædeſtinatio ante prævisa merita. Probatur antecedens: Prædeſtinatio ad gloriam nihil aliud requirit quam voluntatem efficacem dandi gloriam aliquibus; ſed voluntas prædicta complacentiæ id habet, ergo per ſe ſufficiens eſt ad conſtituendam prædeſtinationem illam. Major patet, patet & minor cum voluntas illa complacentiæ poſita conditione requiſita tranſeat in efficacem & fiat voluntas efficax dādi gloriam: Unde ſufficiens eſt ad conſtituēdam prædeſt. ad gloriam: Unde ſequitur quod alia omnis eſt ſuperflua, & proinde rejicienda, quæ eſt prædeſtinatio ante prævisa merita, cum hæc ſit poſt prævisa merita.

Quinta ratio fundata in eodem illo principio, eſt ejuſmodi: Impoſſibile eſt velle dare gloriam ſine meritis, & velle dare gloriam ſub conditione meritorum, cùm primum denotet independentiam à meritis, alterum vero dependentiam, quæ ſunt inter ſe contradictoria: Et conſequenter incompoſſibilia: Atqui voluntas prædicta complacentiæ, vult dare gloriam ſub conditione meritorum, ergo impoſſibilis eſt alia voluntas in Deo quæ velit dare illam ſine meritis, ergo prædeſtinatio ad gloriam eſt poſt prævisa merita.

Illi loci ſunt tam frequentes in Scriptura, ut non neceſſarium ſit eos huc referre.

Sexta ratio fundatur in iis Scripturæ locis, in quibus gloria dicitur actu dari propter merita: ſupra quod ſic arguo: Eodem modo ſe habet actualis collatio gloriæ ad intentionem conferendi gloriam, quæ eſt ipſa prædeſtinatio, quomodo ſe habet actus externus ad internum: nihil enim eſt actualis collatio gloriæ quam actus externus intentionis dandi gloriam, eo modo quo actualis largitio eleemoſynæ eſt actus externus intentionis dandi eleemoſynam: Atqui actus externus ita ſe habet ad actum internum, ut habeat idem motivum, & ſit in eadem ſpecie, in genere moris, ac ipſe actus internus, ut docet D. Thomas 1. 2. qu. 20. A. 3. toto, & 2. 2. qu. 32. A. 1. in corpore, & cum eo communiter omnes Theologi: Ergo conſequens eſt, quod actualis collatio gloriæ habeat idem motivum, & ſit in eadem ſpecie ac intentio efficax dandi gloriam; ſeu quod idem eſt: conſectaneum eſt, quod actualis collatio gloriæ, & intentio dandi illam habeant idem motivum, & ſit utraque in eadem morali ſpecie: ſed actualis collatio gloriæ, habet pro motivo meritum hominis prævisum, & eſt in ſpecie morali juſtitiæ: Ergo conſequens eſt, quod intentio dandi gloriam habeat idem

motivum,

motivum, & ſit in eadem quaſi ſpecie morali juſtitiæ, & ſic quod prædeſtinatio ad gloriam, quæ eſt ipſa intentio dandi gloriam ſit ex præviſis meritis, & ſic actus juſtitiæ.

Quod confirmatur maxime ex illo Apoſtoli 1. ad Timoth. 4. ubi loquitur Apoſtolus eodem modo de ipſa intentione dandi gloriam, quæ eſt ipſa prædeſtinatio ac de ipſa collatione gloriæ; nam poſtquam commendaſſet ſua bona opera, his verbis: Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, ait; in reliquo repoſita eſt mihi corona *juſtitiæ*, quam *reddet* mihi Dominus in illa die *juſtus* judex; ubi vides intentionem dandi gloriam, ſeu prædeſtinationem ipſam per hæc verba ſignificatam; Repoſita eſt mihi corona *juſtitiæ*, ut ſupra probatum eſt in loco 6. ex Scripturis, habere idem motivum, & poni in eadem ſpecie juſtitiæ, ac ipſamet illius executio, ſeu futura illius collatio, per hæc verba ſignificata, ſcilicet, quam *reddet* mihi Dominus in illa die *juſtus* judex: Ergo certum & indubitatum eſt quod ſicut collatio actualis præſens, vel futura gloriæ, eſt actus juſtitiæ, eſt propter prævisa merita; ita & intentio dandi gloriam, ſeu prædeſtinatio ipſa ad gloriam eſt actus juſtitiæ, & propter prævisa merita.

PARAGRAPHUS QUINTUS.

Ratio ſeptima proponitur, & confirmatur.

SEPTIMA ratio eſt ejuſmodi: Certum eſt quod cum Deus elegit efficaciter, & determinate hos & illos ad gloriam, habuit aliquam intentionem ſpecialem, & aliquod ſpeciale motivum, quo illos efficaciter eligeret ad gloriam, ſeu prædeſtinaret ad gloriam, cum nemo rationabiliter agens, agat ſine intentione, & motivo ſpeciali: Vel ergo motivum illud fuit mera miſericordia, vel mera juſtitia, vel utraque ſimul & mixta: Nam Scriptura non agnoſcit in Deo alia motiva ſuorum operum quàm illa duo, nempe ejus miſericordiam, vel ejus juſtitiam: Ergo motivum illius actus, vel fuit miſericordia, vel juſtitia, vel utraque ſimul, & mixta: At non fuit mera miſericordia, quia cum illa excludat merita, non potuiſſet poſtea Deus exigere ab hominibus, ut haberent merita, ad hoc ut daret illis gloriam, cum ex vi illius intentionis puræ & gratuitæ haberent jus ad gloriam ſine merito poſſidendam, cum certū ſit quod quicumque habet gloriam, habet illam ex vi decreti, divini & non aliunde: Unde cum illud decretum fuiſſet omnino gratuitum, ſeu ex mera miſericordia, habuiſſent illi jus ad poſſidendam gloriam, ex mera Dei gratia & miſericordia, & ſic non potuiſſet Deus rationabiliter exigere ab eis merita, ad hoc ut conſequerentur gloriam, cum jam haberent jus ad illam ſine meritis poſſidendam ex ele-

ctione nempe illius mere liberali, & gratuita quæ excludit merita & opera ut neceſſaria; quod tamen eſt falſum, ut patet ex Scripturis, & ex Fide Catholica: ergo & illud unde ſequitur: ſcilicet quod electio illa ſit mere gratuita,& ex mera miſericordia. Cum ergo non ſit ex mera miſericordia; reſtat ut ſit vel ex mera juſtitia, vel ex juſtitia ſimul & miſericordia: Sed ſive ſit ex mera juſtitia, ſive ſit ex juſtitia ſimul & miſericordia, ſemper præſupponit merita cum ſint motivum illius, vel totale & adæquatum, ſi nempe illa ſit ex mera juſtitia, vel partiale, & inadæquatum ſi ſit ex juſtitia ſimul & ex miſericordia; ergo noſtra prædeſtinatio eſt poſt præviſa merita, cum ſit ex mera juſtitia, vel ex juſtitia ſimul & ex miſericordia.

Reſpondent adverſarii, electionem illam non habuiſſe aliud motivum quàm meram miſericordiam, & ſic illam eſſe ex mera miſericordia: Quia nempe non tenebatur Deus eos eligere, ſed poterat eos omnes relinquere in maſſa perditionis, non tamen dicendum eſſe quod teneatur Deus eis dare gloriam gratis, quia aliud eſt gratis eligere aliquem ad gloriam, & aliud eligere aliquem ad gloriam gratis poſſidendam: Primum enim non excludit merita, ſed ſecundum.

Reſpondeo, non hîc quæri quomodo Deus fecit hanc electionem, an libere, an neceſſariò, an gratis, an mercede conductus, aut ab aliqua alia ſuperiori poteſtate ad eligendum coactus, quod eſt id totum quod innuit illa reſponſio: Nam gratis eligere,prout ſumitur in objectione,eſt eligere libere,& ſine ulla obligatione; & ut ibi dicitur, non teneri ad eligendum, eo modo quo quis volens vendere equum ſuum, poteſt huic potius vendere ſuum equum quam illi, & hoc gratis, & libere, quia non tenebatur illi potius vendere equum ſuum, quàm alteri; imo poterat omnino non vendere, & ſic efficere ut nulli eorum illum haberent: Et tamen hoc non obſtante, cum decernit vendere equum ſuum huic potius quàm illi, actus ille non eſt actus meræ liberalitatis, & gratiæ; ſed eſt actus juſtitiæ, cum ſit ſubſtantialiter venditio, cum non velit dare equum ſuum, ſive huic, ſive illi,niſi ſub conditione & onere emptionis. Unde ille actus non eſt actus meræ gratiæ, ſed eſt actus juſtitiæ, vel meræ, vel mixtæ: Nam quod velit huic potius vendere, quàm illi,non tollit rationem oneris & venditionis, nec proinde juſtitiæ: Ita & in propoſito caſu Deus non tenebatur ulli dare gloriam, fateor; ſed hinc non ſequitur quod cùm deſtinat illam aliquibus, faciat illud ex motivo miſericordiæ: Potuit enim ad hoc moveri ex meritis eorum præviſis, & ſic deſtinare illis gloriam ex juſtitia: Unde hæc conſideratio quod non tenebatur eam dare, non ſufficit ad oſtendendum motivum miſericordiæ: cùm bene ſtet quod non teneatur dare, & tamen decernat illam dare ſub conditione meritorum, quod eſt actus juſtitiæ.

Ad diſtinctionem autem illam qua dicitur quod aliud eſt gratis eligere aliquem ad gloriam, & aliud eligere aliquem ad gloriam gratis obtinendam. Reſpondeo eſſe æquivocationem in illo verbo, gratis; nam

ſi per illud verbum intelligis libere & ſine neceſſitate : Fateor iſtam diſtinctionem eſſe bonam : ſed tunc non eſt ad propoſitum, cùm non ſit hîc quæſtio ; an libere Deus nos elegerit, an vero neceſſario : ſed an ex motivo gratiæ, an vero juſtitiæ, ad quod diſtinctio illa non pertinet, ut ſupra monſtratum eſt : Si autem per gratis eligere, intelligis electionem fieri ex motivo gratiæ & liberalitatis : tunc reſpondeo, nihil diſtingui inter eligere ad gloriam gratis, & eligere ad gloriam gratis poſſidendam : cùm illa electio facta ex motivo gratiæ, liberalitatis, & miſericordiæ, importet collationem liberalem & gratuitam gloriæ & non oneroſam, aliàs non eſſet electio mere gratuita de qua loquimur, cum objectum electionis mere gratuitæ debeat eſſe mera gratia ; qualis non eſſet tunc gloria, ſi ad eam obtinendam requirerentur merita ; ſed eſſet aliquo modo oneroſa ; & ſic diſtinctio prædicta eſt nulla; cum ſic, gratis eligere ad gloriam, idem ſit ac eligere ad gloriam gratis obtinendam : vel ſi eſt quid aliud, eſt quidpiam oneroſum, quod reddit illam diſtinctionem adverſariis inutilem. Nam vel in illa electione ſubauditur aliqua conditio ſub qua ſit, vel non : ſi non : tunc eſt quidem mere gratuita, ſed ad poſſeſſionem gloriæ non poteſt amplius requiri onus, vel nova conditio, ſine retractatione prioris decreti, cum eſſet abſolutum : Hæc autem conditio faceret illud conditionatum, quod non placet adverſariis. Si aliqua ſubauditur conditio ; ergo non eſt mere gratuita, & ſic motivum illius non fuit mera gratia, ſed vel mera juſtitia, vel mixta ex gratia, quæ ſupponit merita, & ſic erit poſt præviſa merita.

Dices, nullam ibi fuiſſe conditionem ſubauditam, ſed tunc non fuiſſe determinata media, quibus hæc electio, ſeu decretum abſolutum executioni mandaretur : quod factum eſt in ſequenti decreto executionis, in quo determinata ſunt merita, ut media quæ procuraret Deus his qui electi fuerant ad conſecutionem gloriæ.

Reſpondeo, hanc reſponſionem continere tria falſa, & per conſequens eſſe rejiciendam. Primum falſum eſt quod in prædeſtinatione duplex ſit decretum, unum intentionis, alterum executionis, quod ſupra rejectum eſt : Secundum eſt, quod merita ſunt media, ſeu inſtrumenta, quibus Deus dat gloriam, non vero eſſe motiva intentionis dandi gloriam, quod ibidem rejectum eſt. Tertium falſum eſt quod Deus procuret electis merita potius quam aliis: quod nullibi reperitur in Script. & eſt contra generalem illam voluntatem quam ſupra late probavimus, quam Deus habet omnes ſalvandi, quantum eſt ex ſe, non verò ex ſe hos ſalvandi, & non alios ; unde hæc reſponſio eſt falſa.

In 1 argum. ex Script.

In argum. 2. è ratione.

PARAGRAPHUS SEXTUS.

Ratio octava proponitur, & confirmatur.

OCTAVA ratio eſt ejuſmodi: Omnis ordinate volens, prius vult ea quæ ſunt propiora fini ſuo primario, ſeu quaſi omnium primo: Dein quæ ſunt remotiora, dein quæ ſunt remotiſſima. V. g. finis hominum primarius, & quaſi omnium primus, eſt beate vivere: Itaque quicumque ordinate volet, prius volet ea quæ propiora ſunt fini illi, qui eſt beate vivere, v. g. virtutem, ſcientiam, pecuniam, honores, prout quilibet ſibi perſuaſerit ſe per illa immediatius, & directius vitam fœlicem & beatam conſecuturum, quam alia media, quibus hæc acquiruntur, & hoc eſt per ſe certum, & quaſi lumine naturali notum, de quo ne dubitare quidem licet: Atqui finis Dei primarius, & quaſi omnium primus eſt ejus honor & gloria, prout teſtatur Scriptura, per hæc verba: Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, id eſt, propter honorem ſuum & gloriam: Ergo prius volet ſecundum noſtrum modum concipiendi, ea quæ ſunt propiora fini illi, ſcilicet ſuo honori & gloriæ; dein remotiora, & tandem remotiſſima: Jam ergo ſubſumo ſic: Atqui in materia prædeſtinationis, rebus poſitis ut ſunt, merita hominum propiora ſunt honori, & gloriæ Dei, quæ eſt finis illius primarius, & omnium primus, quàm glorificatio noſtra, ſeu poſſeſſio gloriæ: Ergo prius voluit noſtra merita, quàm glorificationem noſtram, ſeu poſſeſſionem gloriæ, quod eſt dicere prædeſtinationem noſtram eſſe poſt præviſa merita: Probatur ſubſumptum, ſcilicet quod in materia prædeſtinationis merita hominum propiora ſunt honori & gloriæ Dei, quam glorificatio noſtra, ſeu poſſeſſio Regni cæleſtis: Nam medium quod immediate eſt ordinatum ad aliquem finem conſequendum, propius eſt fini illi, quam aliud quodvis medium, quod eſt tantùm ordinatum ad conſequendum illud, ut per ſe manifeſtum eſt: Atqui noſtra merita immediate ordinata ſunt ad gloriam Dei procurandam; noſtra autem glorificatio, ſeu poſſeſſio gloriæ eſt tantum medium ad ſollicitanda prædicta merita, ut glorificetur Deus in eis: Ergo merita hominum prius fuerunt in mente Dei prædeſtinantis, quàm glorificatio noſtra, ſeu poſſeſſio gloriæ. Probatur minor quoad illam partem, ſcilicet quod gloria eſt tantum medium, ſeu eſt tantum inſtituta à Deo ad ſollicitanda opera noſtra, ſeu merita: Quod probatur multis Scripturæ locis: Et 1. ex iis in quibus gloria proponitur ut merces operantibus, & ut coronæ & bravium certantibus pro gloria

Dei, quos ſupra citavimus in prima ratione. Secundò, ex iis in quibus illa promittitur ſub conditione operum, ut Joann. 13. Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea. Et 14. Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Et Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Et 24. Qui perſeveraverit uſque in finem (ſcilicet in bonis operibus) ſalvus erit. 3. ex iis locis ubi dicitur parata gloria bonis operibus: 1. Corinth. 2. Oculus non vidit, nec, &c. quæ præparavit Deus diligentibus ſe. Et Matth. 25. Venite benedicti Patris mei! poſſidete paratum vobis Regnum; eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare; ſitivi, &c. Tandem probatur ex iis locis ubi Deus minatur pœnam æternam, ſeu privationem gloriæ iis qui non habebunt opera, ſeu merita, quod oſtendit magnam intentionem. Matth. 3. & 7. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur: Et 25. Servum *inutilem* ejicite in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium: Et infra: Ite maledicti in ignem æternum; eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare; ſitivi, &c. Et Judæ 1. Arbores autumnales *infructuoſæ* ...... quibus procella tenebrarum in æternum ſervata eſt, &c. quæ omnia clare demonſtrant, quod Deus inſtituerit & ordinaverit gloriam cæleſtem ad ſollicitanda noſtra opera, ut glorificetur Deus in eis: quod erat prima pars noſtræ minoris probanda.

Probatur vero ſecunda pars, ſcilicet quod Deus ordinavit opera noſtra, immediatè & directe in gloriam ſuam: Quod ſimiliter probatur multis Script. locis: Matth. 5. Videant opera veſtra bona, ut glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt. 1. ad Corinth. 6. Glorificate & portate Deum in corpore veſtro (id eſt, in mortificationibus & laboribus corporis veſtri) 1. Petri 2. Converſationem veſtram inter Gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis. Et 2. ad Theſſ. 1. Deus noſter impleat omnem voluntatem bonitatis & opus fidei, ut clarificetur nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti in vobis. Et præcipiens Apoſtolus proprium finem bonorum operum, ait ad Coloſſ. 3. Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti (id eſt ad laudem & gloriam Jeſu Chriſti) facite: Et ipſum exemplar noſtrum Jeſus Chriſtus omnia quæcumque fecit, ad hunc finem immediate retulit, dicens Joannis 8. Ego gloriam meam non quæro, ſed honorifico Patrem (ſcilicet in operibus meis). Ex quibus omnibus patet quod omnia opera noſtra & merita, immediate & directe debent referri ad Deum ſicut & glorificatio noſtra ſeu vita ipſa æterna refertur immediate & directe ad ipſa opera & merita: Unde concludendum eſt quod cum media quæ ſunt primario fini propiora, ſunt priora remotioribus in mente illius qui intendit finem: Ideo merita noſtra quæ ſunt propiora fini Dei primario qui eſt ejus honor & gloria, debent eſſe priora in mente Dei quàm glorifica-

tio noſtra, & proinde quod prædeſtinatio noſtra ad gloriam non eſt facta ante, ſed tantum poſt præviſa merita, cum merita noſtra ſint prius in mente Dei, quam glorificatio noſtra, ut patet ex ſupradictis.

Verum objicies, & dices: quod ſi ita eſt ut ordinate volens prius debeat velle media propiora fini, quàm alia remotiora: merita autem noſtra propiora ſunt fini Dei primario, qui eſt ejus honor & gloria, quàm glorificatio noſtra: Sequitur quod nequidem potuit Deus aliter prædeſtinare homines quam propter merita, cùm non poſſit quicquam non ordinate velle: At hoc abſurdum; ergo & illud unde ſequitur.

Reſpondeo; negando ſequelam, ſcilicet quod prædeſtinatio noſtra non potuit aliter fieri quàm propter merita noſtra: Et ratio eſt, quia argumentum noſtrum procedit tantum de potentia ordinaria, & non de abſoluta, ſeu, ut diximus, eſt tantum poſitis rebus ùt ſunt, & ut declarantur nobis in Scripturis, non autem nulla ſuppoſitione facta; ſed tantũ procedit, ſuppoſitis his quę diſcimus ex Scripturis: in quibus legimus, Deũ ordinaſſe glorificationem noſtram ad ſollicitãda noſtra merita: ipſa autem noſtra merita ordinaſſe immediate ad ſuum honorem & gloriam, qui eſt finis ſuus primarius: Unde conſequens eſt ut merita noſtra priora ſint in mente Dei, quàm ipſa glorificatio noſtra: in quantum his ſuppoſitis propiora ſunt fini illius primario, qui eſt illius honor & gloria, quam ipſa glorificatio noſtra. At poterat aliter res ordinare & facere ut glorificatio noſtra nullum haberet ordinem ad noſtra merita, ut poſſe ſi decreviſſet illam nobis dare mere gratis & voluntarie, nullo habito reſpectu ad noſtra merita: tunc enim gloria æque immediate ſpectarę ad ejus finem primarium, qui eſt ejus honor & gloria, ac ipſa merita noſtra; & ſic non eſſet in illius mente poſt ipſa noſtra merita, nec proinde propter illa: Et ſic patet quomodo ſtante noſtra ratiocinatione, potuit aliter fieri prædeſtinatio noſtra, quàm poſt præviſa merita; ſed quod non ita facta eſt.

PARAGRAPHUS SEPTIMUS.

Ratio nona proponitur, & confirmatur.

NONA ratio eſt ejuſmodi: Ille modus prædeſtinandi Deo eſt attribuendus, qui ſecundùm modum noſtrum concipiendi, convenientior eſt illius gloriæ, & noſtræ ſimul utilitati, propter quas prædeſtinatio facta eſt. Eſt enim perpulchra Auguſtini regula ratiocinandi in rebus divinis, quam habet libro 3. de libero arbitrio cap. 5. ubi ſic ait: Quicquid tibi vera ratione melius occurrerit, ſcias feciſſe Deum tanquam bonorum omnium conditorem: At modus homines prædeſtinandi, qui ſecundum veram rationem melior occurrit, & videtur omnium conve-

nientiſſimus, eſt is quem defendimus qui fit propter præviſa merita, ergo. Major patet, quia finis ultimus prædeſtinationis eſt gloria Dei, finis autem proximus & minus principalis eſt noſtra utilitas: Unde patet quod modi prædeſtinandi convenientia debet ſumi per ordinem ad fines iſtos. Minor probatur quoad primam ſui partem, ſcilicet quod is modus ſit convenientiſſimus gloriæ Dei: Nam per hunc modum prædeſtinandi, ſumma Dei bonitas & clementia, maxime commendatur, in quantum per hoc oſtendit quod vult bonum gloriæ, quantum eſt de ſe, omnibus communicare, omneſque à maſſa damnationis eripere: Et nullum velle, quantum eſt ex ſe, hoc bono fruſtrari, & in maſſa perditionis remanere, cum præbeat omnibus, in hoc modo prædeſtinandi, gratias vere ſufficientes ſecundum uniuſcujuſque ſtatum & conditionem, quibus ad vitam æternam pervenire poſſint, imo & debeant, ſi ſint rationis capaces & adulti. Maxime item commendatur illius juſtitia quæ tantilla ſuæ creaturæ merita, quorum etiam meliorem partem ipſe confecit, per gratias ſuas excitantes & adjuvantes velit tanto bono compenſare: Ipſis autem reprobis nullam vel minimam excuſatiunculam relinquere de ſua infœliciſſima damnatione & perditione, cum non steterit per eum quominùs illam evitarent, & ſalutem æternam ſibi acquirerent, & ſic bonitas illius & juſtitia maxime per hunc modum commendantur. *Vniverſa via Domini miſericordia & veritas Pſal. 24.*

Probatur vero eadem minor quoad ſecundam ſuam partem, ſcilicet quod is modus prædeſtinandi ſit utilitati noſtræ convenientiſſimus: Nam hinc ſatis apparet, quam magna ſit in illo modo noſtra utilitas, quod omnes omnino homines, ne uno excepto, poſſunt poteſtate omnino expedita, & nullis extrinſecis, vel intrinſecis impedimentis implicata, ad gloriam illam pro libito pervenire: & non tantum pervenire, ſed maximos hinc ſtimulos ad properandum ad illam, adhiberi; quod ſciant illam adeptionem ſibi ipſis relinqui, nullis decretis præviis, ſicut in oppoſita ſententia, illigatam: & tandem ad amandum Deum hinc fortius animari quod in illa liberrima ſua prædeſtinatione facienda, qua poterat hos & illos pro libito eligere, nulla operum, aut voluntatum habita ratione: tamen maluerit eorum quaſi voluntates potius quam ſuam conſiderare: Unde patet quod nihil ſecundum veram rationem melius occurrere, vel excogitari potuiſſet convenientius gloriæ Dei, & noſtræ ſimul utilitati, quàm hic modus prædeſtinandi: Unde non eſt dubium quin is modus prædeſtinandi juxta ſupra laudatam D. Auguſtini regulam & ſententiam ſit admittendus, & Deo attribuendus ut pote omnium convenientiſſimus, & per hoc vera ratione optimus.

†
IHS

PARAGRAPHUS OCTAVUS:

Ratio decima proponitur, & confirmatur.

DECIMA ratio eſt ejuſmodi: Impoſſibile eſt quod ſumma Dei ſapientia decernat aliquid temere & inconſiderate, & de cujus eventu ipſa non certa ſit: hoc enim eſt per ſe clarum, & lumine naturæ notum: Atqui rebus poſitis ut ſunt, ſi prædeſtinatio ad gloriam ſit ante præviſa merita, Deus decernit aliquid temere & inconſiderate, & de cujus eventu certa non eſt, ergo impoſſibile eſt, quod ſic decernat & prædeſtinet ante præviſa merita: Major patet, minor probatur: Nam rebus poſitis ut ſunt, nemo debet ſalvari quin habeat merita, & nemo debet damnari quin habeat peccata, & moriatur in illis.

Hoc ergo poſito: quæro quomodo Deus poteſt eſſe certus, quod omnes illi quos elegit ad gloriam, ſine præviſis eorum operibus, morientur omnes in gratia, & non in peccato: cùm aliqui eorum aliquando diu vivant in peccato, quod frequentiſſime contingit etiam inter Fideles & Chriſtianos, quorum aliqui impii, & libertini tardiſſime, & fere ſub finem vitæ convertuntur: Contra vero quomodo poteſt certus eſſe quod omnes non electi, ne uno quidem excepto morientur in peccato, & non in gratia; cum aliqui eorum diutiſſime vixerint in gratia, & in bonis operibus, ut frequentiſſime accidit inter Fideles & Chriſtianos, quorum aliqui boni ſunt & pii, quorum vita diu vere eſt ſancta, innocens & immaculata, qui tamen omnes debent mori in peccato, cum non electi ſunt: Quomodo, inquam, id ſcire poteſt ſine præviſione futuri, cùm hæc omnia ſint contingentia & libera, & omnino in voluntate hominum poſita: Scio quod adverſarii, quantum ad electos conabuntur aliquo modo effugere vim argumenti, dicendo quod Deus procurat bona eorum opera, & quod ita gubernat eos ut in gratia moriantur. Sed reſpōdeo hoc eſſe falſum, ut patet ex dictis in 1. loco ex Scripturis circa medium, propter rationem ibi tactam, ſcilicet quia ſi Deus procuraret opera & merita electorum ad hoc ut conſequerentur gloriam ſibi prædeſtinatam, tunc illa opera & merita non eſſent motiva reſpectu Dei prædeſtinantis, ſed tantum media & inſtrumenta, quibus exequeretur decretum ſuum, quod ibi oſtenſum eſt eſſe omnino falſum: Et ſic patet quod effugium iſtud eſt nullum: Sed etſi hoc admitteretur, quod tamen non admittimus, quid ſaltem dicent de non electis, qui omnes debent mori in peccato? Et tamen Deus non poteſt procurare peccata eorum, nec etiam mortem in illis ſecundum Fidem Catholicam, ut bene ait Proſper in Reſponſione ad 15. Gallorum objectionem n. 3. his verbis: Qui dicit quod non prædeſtinati ad vitam, etiamſi fuerint

fuerint in Chriſto baptiſmate regenerati (de quibus hîc præcipue loquimur, & in his vim facimus) & pie juſtéque vixerint, nihil eis proſit, *ſed tamdiu reſerventur, donec ruant : nec ante eos ex hac vita quàm hoc eis contingat, auferri*; tanquam ad *conſtitutionem Dei* talium hominum ruina referenda ſit : *non eſt Catholicus*. Et infra, n. 7. qui dicit quod Deus quibuſdam filiis ſuis quos regeneravit in Chriſto, quibus fidem, ſpem, dilectionem dedit, *ob hoc perſeverantiam non dederit, quia à maſſa perditionis præſcientia Dei, & prædeſtinatione non ſint diſcreti : ſi hoc vult firmare quod Deus hujuſmodi homines in bonis quæ donaverat, noluerit permanere, & ipſe eis cauſa averſionis extiterit, contra juſtitiam Dei ſentit* : Quamvis enim omnipotentia *Dei potuerit vires ſtandi præbere lapſuris*, gratia tamen ejus *non prius eos deſeruit, quàm ab eis dereretur* (quod non poteſt intelligi de peccato originali ; ſed de actuali, per quod ſolum, Deum aſſumptum deſerimus) & *quia hoc ipſos voluntaria facturos defectione previdit, ideo in prædeſtinationis electione illos non habuit.* Certe, hoc ſuppoſito (quod negare non poſſunt adverſarii cum ſit à defenſore ipſo ſancti Auguſtini) non video quomodo dicere audeant Deum ſine præcedente præviſione futuri, eſſe certum de morte futura non electorum in peccato, præſertim illorum qui aliquandiu Chriſtianè vixerint, cum hoc valde contingens ſit, & aliunde ipſe nihil, ad id conferat per quod de hoc eventu certus, aut ſecurus ipſe fiat.

Quod ſi dicas Deum non concurrere ad illorum non electorum peccata poſitive, ſed tantum negative per ſubſtractionem ſcilicet gratiarum efficacium ad perſeverandum in bono ; Et ſic eſſe certum de eorum morte in peccato.

Reſpondeo, quod hoc dicendo tripliciter peccas : 1. contra bonitatem & ſinceritatem divinam, dicendo quod per certas & obliquas vias præcipitat iſtos miſeros in mortem æternam. 2. contra veritatem Scripturæ, quæ dicit quod Deus non vult mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat. 3. contra doctrinam Auguſtinianam quæ prorſus oppoſita eſt iſti crudelitati & ſævitiæ, ut ſupra declaratum eſt in 8. argumento ex Auguſtino ſub finem, & in loco mox allegato D. Proſperi illius diſcipuli, & etiam defenſoris egregii.

Quod ſi inſtes dicendo quod hi omnes non electi, erant in peccato originali, quando ſic ab electione Dei excluſi ſunt, & proinde quod merebantur mortem æternam : Unde illis eam procurare non eſt crudeliter, ſed juſte cum eis agere.

Reſpondeo quod ſi omnes illi in peccato iſto permanerent, & non per baptiſmum illud à ſe depellerent, poſſet concedi quod eſſet juſtitia procurare eis mortem æternam, ſed cum multi ex illis ab hoc peccato mundati ſint, & in gratiam Dei redierint ; cur hi damnabuntur propter peccatum iſtud originale, quod amplius in eis non eſt, & per ſacramentum baptiſmi deletum eſt, præcipue cum dicat Apoſtolus, & poſt Rom. 8.

illum Concilium Tridentinum Oecumenicum, quod nihil damnationis ſit iis qui vere conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſma in mortem: Et cum etiam nulla ſit vera ratio, cur dicatur illud peccatum adhuc perſeverare per modum cujuſdam pœnalitatis in illis potius quam in electis, cum in utriſque idem baptiſmi Sacramentum illud deleuerit, & omnino conſumpſerit.

Concludendum ergo eſt, quod ſicuti Deus nihil poteſt abſolute decernere, de cujus eventu non ſit certus & ſecurus, quia aliàs ageret temere & inconſiderate, quod eſt omnino impoſſibile: ſic non potuit abſolute decernere de danda, aut neganda his aut illis vita æterna, ſine præviſione futuri: Quandoquidem ſine illa præviſione, Deus prorſus incertus eſt de morte in peccato non electorum, de qua tamen debet eſſe certus ad hoc, ut prudenter & non temere excludat eos à regno, cùm rebus poſitis ut ſunt, non poſſint actu privari hoc regno, ſeu carere hac gloria, niſi moriantur in peccato. Et ſic manifeſtum eſt quod rebus poſitis ut ſunt, prædeſtinatio ad gloriam facta eſt poſt præviſa merita, & non ante præviſa merita.

PARAGRAPHUS NONUS.

Proponitur undecima Ratio ſumpta ab inconvenientiis quæ ſequuntur ex oppoſita ſententia.

PUNCTUM PRIMUM.

Tria priora inconvenientia proponuntur, & probantur.

VNDECIMA Ratio continet multas alias, & ſumitur ex multis inconvenientiis & incommodis quæ reperiuntur in oppoſita ſententia, & non inveniuntur in noſtra. Plurima jam ſparſim notavimus in decurſu diſputationis: ut quod ſequatur ex ea Deum non vere & ſincere velle ſalutem omnium, contra illud Apoſtoli 1. ad Tim. 2. Deus vult omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Item, quod non det reprobis gratias vere ſufficientes, vel quod ſtudioſe ſeligat pro eis gratias incongruas ut non ſalventur, quia noluit eos eligere: & alia ejuſmodi quæ in præcedentibus argumentis annotari potuerunt, nunc autem addimus aliqua.

Primum eſt quod illa ſententia inducit homines ad contemptum ſalutis, & bonorum operum: quia cum homo videat ſalutem ſuam nullo modo pendere à ſua diligentia & labore, quantum ad futuritionem ejus; ſed à ſolo efficaci propoſito Dei ſalvandi, vel non ſalvandi quos voluit

nulla habita ratione ſuorum operum ; ideo negligit & deſpicit bona opera : Ait enim intra ſe , vel ſum prædeſtinatus , vel non ſum : ſi ſum prædeſtinatus,nihil curare debeo: Deus enim ne fallatur in propoſito ſuo efficaci , tenetur mihi procurare veram contritionem in articulo mortis, ad quem omnino me remitto : Et interim volo frui bonis , & indulgere voluptatibus , cogere divitias per fas & nefas , &c. & nullo modo ſtudere virtuti, nec incumbere bonis operibus , quia iſta triſtiora & difficiliora ſunt quam ut his poſſim attendere. Quod ſi non ſum prædeſtinatus , quamlibet diligentiam afferam ut ſalvus fiam , nunquam tamen ſalvabor , quia nempe decretum Dei abſolutum & efficax , non poteſt falli,nec effectu ſuo fruſtrari ; ergo ſtultitia eſt mihi , velle contra illius inevitabilem veritatem & certitudinem niti : Et ſic contemnunt homines ſuam ſalutem propter iſtam opinionem.

Sed non ſolùm contemnunt ſuam ſalutem , ſed etiam honorem & cultum Deó debitum : Nam cum homines maxime quærant quæ ſua ſunt , & vix niſi propter bonum proprium quidquam agant , videntes quod quidlibet agant in honorem Dei, nihil tamen quicquam proficient pro ſalute animæ ſuæ;quandoquidem omnia ſtatuta ſunt independenter a prævisione ſuorum operum , omnino cultum Dei deſpicient , utpote nihil ad ſe pertinentem ; & ſic iſta opinio funditus evertit non ſolùm ſtudium omne ſalutis, & bonorum operum ; ſed etiam honoris & cultus Deo debiti.

Non ſic autem opinio noſtra pernicioſa eſt noſtræ ſaluti & cultui divino , ſed è contra maxime accendit, & auget iſtud ſtudium , cum per eam ſciat homo Deum nihil quicquam decreviſſe ante prævisionem ſuorum operum ; ſed omnia ei reliquiſſe per cooperationem ſuam peragenda , cum gratiis Dei prævenientibus ſibi ſemper paratis , & ita ſalutem ſuam , & bona opera , & ſuam ipſius prædeſtinationem in ſua manu eſſe relicta : Unde magna cum libertate & alacritate cooperando dictis gratiis,ſectatur bona opera , mala magno ſtudio devitat, & ſedulò cultui divino incumbit , ut per hæc tandem ad gloriam ſibi promiſſam perveniat.

Verum objicies : Eodem modo Semipelagiani objiciebant Auguſtino, quod ex prædeſtinatione , quam ipſe ſtatuebat , ad perſeverantiam , inducebatur torpor in bonis operibus : dicebant enim in Epiſtola Proſperi, hanc prædeſtinationem lapſis curam reſurgendi adimere , & ſanctis occaſionem teporis afferre : eò quòd utráque parte ſuperfluus labor ſit, ſi neque rejectus ulla induſtria poſſit intrare , neque electus ulla negligentia poſſit excidere: Et infra : Removeri omnem induſtriam,tolli virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates,& ſub hoc prædeſtinationis nomine fatalem quandam induci neceſſitatem. Quibus tamen reſpondet Auguſtinus negando id ſequi ex ſua doctrina de prædeſtinatione.

Hæc Epiſt. eſt in tom. 7. Auguſt ante lib. de prædeſt. Sanct.

Errabant iſti hæretici putantes Auguſt. ſumere perſeverantiam pro quodam habitu neceſſitante ad agendum: At non ſic ſumebat Auguſtinus , ſed pro inſtanti mortis

advenientis in gratia præciſe ut fiet quod longe aberat ab habitu neceſſitante, vel determinante ad agendum cum nequidem eſſet habitus: Vide object. 16. ex Auguſtino infra.

Reſpondeo, bene & optime id reſpondiſſe Auguſtinum, cùm illius doctrina longe diverſa eſſet ab ea quam ei tribuebant iſti hæretici: Nam talem volebant Auguſtinum inducere perſeverantiam, quæ antecedentem neceſſitatem bene agendi imponeret eam habentibus; ita ut impudentiſſime mentirentur Auguſtinum dixiſſe quod qui haberent iſtud donum (quod falſo putabant eſſe habitum inclinantem voluntatem ad agendum) *non poſſent declinare*, non poſſent aliud velle, aut ut etiam patet ex ſupradictis in objectione, non poſſent ulla negligentia excidere: de quo ne cogitaverat quidem Auguſtinus. Dixerat quidem Auguſtinus, quod cum dono perſeverantiæ non niſi perſeverantes erant illi, quibus illud donum tribuebatur, quia nempe ſumebat perſeverantiam pro inſtanti mortis advenientis in ſtatu gratiæ, ut videre eſt in lib. de dono perſeverantiæ cap. 1. & 6. Unde cum illud inſtans non poſſit eſſe ſimul in gratia & in peccato, & ſtatim poſt illud inſtans ſequatur mors, in qua neque, bene neque male operari quiſquam poteſt, propter quod mereatur donum illud amittere: Ideo bene dicebat quod qui habebant illam perſeverantiam, non poterant illam amittere, quia non poterant eam amittere eodem inſtanti quo habebant, nec ſtatim poſt, cum cum immediate mors ſequeretur: Quod tantum indicabat neceſſitatem conſequentem; qua, res dum eſt, non poteſt non eſſe: Non vero neceſſitatem antecedentem quæ neceſſitet ad agendum, & cui non poſſit reſiſti, ut volebant illi hæretici. Unde cum male intepretarentur Auguſtini doctrinam, & illi falſa tribuerent iſti hæretici, non eſt mirum quod prædicta inconvenientia quæ ei tribuebant, ſequi negaret Auguſtinus ex doctrina ſua, cum illa longe diverſa eſſet ab ea quam illi attribuebant iſti hæretici. Tantum autem aberat Auguſtinus à tali doctrina quæ neceſſitatem imponeret humano arbitrio, ut ad illam evitandam ſemper præſupponeret præſcientiam ad prædeſtinationem, & nullam contenderet eſſe majorem difficultatem (ut re vera non erat major) in ſua prædeſtinatione quam in ſimplici præſcientia, prout oſtendimus in argumento 3. ex Auguſtino probatione 6. particulari. Unde cum doctrina Auguſtini longe diverſa ſit à doctrina adverſariorum, qui nullam admittunt præſcientiam ante prædeſtinationem, non eſt quod per illam ſe tueantur ab inconvenientiis & incommodis quæ eis objicimus: Nihil enim expoſtulamus ab eis niſi ut admittant cum Auguſtino præſcientiam ante prædeſtinationem, quod ſi non admittant illam, dicimus quod per pravam eorum doctrinam inducunt homines in contemptum ſuæ ſalutis, & etiam cultus divini, ut jam ſupra probatum eſt: & quod non poſſunt aut debent ſe tueri contra hæc inconvenientia, quæ eis objicimus, ex authoritate D. Auguſtini, quandoquidem admittebat ipſe præſcientiam ante prædeſtinationem, illi autem non admittunt: in quo uno totus ſitus eſt punctus noſtræ difficultatis.

Idem *tribuit Auguſt. Ianſenius in Parallelo nota 44. in fine.*

Pro his impoſturis Semipel. vide Epiſt. Hilarii ad Auguſt. paulo poſt med.

Secundum inconveniens eſt quod illa ſententia tollat ſpem Chriſtianam : Nam ſi credo quod electio Dei eſt mere gratuita, jam video manifeſte quod non poſſum ſperare ſalutem conſequendam per collaborationem, & cooperationem meam cum auxiliis divinis mihi collatis, quandoquidem certo ſcio quod electio mere gratuita, & ante præviſa opera facta non habet reſpectum ad meum laborem, & cooperationem meam; ſed ad meram Dei voluntatem quæ non eſt in poteſtate mea, & quam non poſſum mereri, nec precibus flectere cum non habeat reſpectum ad iſta; ſed ſit ante præviſionem & exiſtentiam iſtorum omnium: Fruſtra ergo eſt ſpes Chriſtiana, fruſtra contendit ad ſalutem, cùm id nullo modo pendeat à noſtro labore cum gratia; ſed à ſola Dei electione gratuita, nulla præviſione præmiſſa.

Tertium inconveniens eſt quod facit promiſſiones & comminationes divinas omnino mendaces, & illuſorias : Cum illæ promittant gloriam ſub conditione operum, hæ vero minentur privationem gloriæ, ſi non habeamus opera: Et tamen Deus in decernenda ipſa gloria, vel in excludendo à gloria, non reſpexit ad opera; ſed ad ſuam meram voluntatem non reſpicientem ad opera, nec ad eas conditiones quæ continentur in promiſſis, & comminationibus ſuis : Sed mere voluntarie, & ex mero beneplacito ſuo decrevit hos ſalvare, illos autem nunquam ſalvare; quid autem magis ridiculum eſt quam promittere alicui vitam, ſi bene agat; & minari ei mortem ſi male agat, cum tamen & vita & mors illius æterna, ſeu excluſio à gloria prædeſtinatæ ſint independenter ab eo quod agat, aut non agat, nonne hoc eſt illudere hominibus, talia promittendo & minando ſi hæc agant, vel non agant; cum omnino independenter ab eo quod acturi ſunt, vel non acturi ſunt ſtatutum jam ſit quod futurum eſt.

PUNCTUM II.

Poſteriora duo inconvenientia proponuntur, & probantur.

QUARTUM inconveniens eſt quod faciat ſalutem in non electis, ſeu reprobis prorſus impoſſibilem : Et ratio eſt, quia illud eſt impoſſibile alicui, cui conditio omnino neceſſaria ad illud ponendum, vel habendum ita deeſt, ut non ſit in ſua poteſtate illud ponere, vel habere : quod patet hoc exemplo : Nam licet haberem v. g. ignem & ſtuppam; ſi tamen in mea poteſtate non eſſet illa approximare ad invicem, ſeu illam conditionem omnino ad comburendum neceſſariam ponere, ut ſi v. g. eſſem paralyticus, vere non poſſem ſtuppam illam comburere, etiamſi reliqua omnia adeſſent, quia non poſſem ponere conditionem, ſine qua combuſtio eſſe non poteſt : Atqui ſecundùm adverſarios non electis, ſeu reprobis ita deeſt illa conditio ad ſalutem neceſſaria, & ſine qua ſalus eſſe non poteſt, quæ eſt electum eſſe, ut non poſſint illam ponere, vel impetrare, cum illa ſit ante præviſionem om-

nium operum & orationum: Ergo evidentiſſimum eſt quod illorum ſententia facit ſalutem in non electis impoſſibilem, cùm illam conditionem prorſus neceſſariam ad eſſe ſalvum, quæ eſt electum eſſe, ita denegec illis, ut non poſſint illam habere, etiamſi velint. Quod autem illa conditio, quæ eſt electum eſſe, ſit conditio neceſſaria ad ſalutem in ſententia adverſariorum, patet ex eo quod ipſi fatentur quod nullus qui non fuerit electus ante præviſa merita, ſalvabitur: Unde clarum eſt conditionem illam, quæ eſt electum eſſe á Deo, prorſus eſſe neceſſariam ad ſalutem, ſecundùm illos, quandoquidem ſine illa nullus prorſus ſalvabitur, & eſt requiſita ante præviſa merita: cum ergo illa non ſit in non electis, ſeu reprobis, & non poſſint illam habere, ut ſupra probavimus, ſequitur quod per iſtam adverſariorum ſententiam, quæ vult prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante præviſa merita: Salus illorum non electorum, ſeu reproborum redditur impoſſibilis, quod eſt inconveniens maximum.

Et confirmatur, quia quando reperitur tale impedimentum circa aliquid faciendum quod quis non poteſt removere, tunc illud dicitur illi ſimpliciter eſſe impoſſibille, ut patet per inductionem nimis frequentem: Sed ibi reperitur impedimentum non electo inamovibile; ergo ſua ſalus eſt illi impoſſibilis. Quod eſt autem iſtud impedimentum? eſt ſolùm non eſſe electum, quandoquidem nihil videmus in non electis, ſeu reprobis, quod impediat illorum ſalutem, niſi illam ſolam non electionem, cum habeant liberum arbitrium, item & gratias excitantes in re, & adjuvantes in præparatione, & eas ſæpe abundantiſſimas, ut patet in Chriſtianis multis, qui ſunt de numero reproborum, qui habuerunt gratias abundantiſſimas, ut Judas Iſcariotes, & ejuſmodi: & tamen omnes ad unum damnati ſunt. Quid, quæſo, illos impediit ne ſalvi fierent: & quomodo ex tot millionum millionibus qui non lecti ſunt, & qui jam defuncti ſunt; nullus eorum ſalvatus eſt: & reliquorum qui nondum defuncti ſunt, nullus etiam ſalvabitur; niſi quia eſt aliquod ſecretum impedimentum quod obſtat eorum ſaluti, & obligat Deum ad providendum ut pereant, vel ad cavendum ne ſalventur: Nam quare nunc prophetant adverſarii, & certo aſſerunt, quod nullus eorum qui non electi ſunt, ſalvabitur, niſi quia ſupponunt non electionem eorum eſſe incompoſſibilem cum ſalute eorum: At ſi eſt incompoſſibilis cum ſalute eorum, cum ſit antecedens omnem præviſionem futurorum operum; quis dubitat illam habere aliquam moralem cauſalitatem vere removentem, & impedientem ſalutem eorum, cum non aliter (ſuppoſito, ut dixi, quod antecedat præviſionem operum) poſſit eſſe cum ſalute illorum incompoſſibilis. Scimus enim duplicem tantum eſſe incompoſſibilitatem, ſicut & neceſſitatem: una eſt extrinſeca, quæ coincidit cum neceſſitate conſequente, & conſiſtit in mera illatione, ut v.g. Deus prævidit Petrum peccaturum, ergo peccabit: incompoſſibile enim eſt quod Petrus non peccet, cum Deus prævideric eum

eſſe peccaturum: Sed hoc extrinſece, & illativè, quia nempe Deus non prævidiſſet Petrum peccaturum, niſi aliunde peccaturus eſſet; unde nihil Deus influit in peccatum Petri. Altera vero incompoſſibilitas eſt intrinſeca, & coincidit cum neceſſitate antecedente, quia illa nempe influit aliquid, vel phyſice, vel moraliter in perniciem rei oppoſitæ, quod facit iſtam incompoſſibilitatem, ut lux in tenebras, ut ſummum frigus in ſummum calorem, & cætera ejuſmodi: At incompoſſibilitas illa quæ eſt in non electione reſpectu ſalutis non electorum, non eſt extrinſeca, cum non ſit ex præviſione futuri, quam omnino rejicit, & antecedit: Ergo eſt intrinſeca, & influit aliquid quod eſt in perniciem ſalutis non electorum, non quidem phyſice, cum ſit mera negatio, ſed moraliter, ſeu quaſi moraliter, permovendo ſcilicet, vel quaſi permovendo Deum ad removendas à non electis gratias efficaces, & congruas ne ſalventur; ſed pereant, & ſic ſatisfaciat ſuo decreto de ſalvandis ſolis electis, & non ſalvandis aliis, quod fecerat ante præviſionem futuri: Hic enim modus prædeſtinandi, qui eſt ante præviſionem futuri, obligat eum neceſſariò & indiſpenſabiliter ad iſtam providentiam & ſollicitudinem futuri pro certitudine ſui decreti, ne aliquid aliter eveniat, quam decrevit fieri ante ullam præviſionem.

Sed dices: Aliud eſt non habere conditionem ad actu agere, & aliud non habere conditionem ad poſſe agere: At hæc conditio quæ eſt electum eſſe, eſt quidem requiſita ad ſalvari actualiter, non autem ad poſſe ſalvari: Similiter non electio eſt quidem impedimentum ad actu ſalvari, ſed non ad poſſe ſalvari: Unde non redditur ſalus illorum non electorum impoſſibilis; quod etiam patet quia habent gratias ſufficientes ad ſalutem.

Reſpondeo, omnem conditionem quæ eſt ad agere, eſſe etiam ad poſſe agere; ſed diverſimode, ſeu ſub diverſo reſpectu: Nam ut agatur actualiter, requiritur ut habeatur; at ut poſſit agi, requiritur tantum ut poſſit haberi: Nam in hoc differunt conditiones, ſine quibus non, á potentiis, quod ſi has non habeamus actualiter, non dicimur potentes & ſufficientes ad effectum ponendum, vel habendum: Illæ autem licet non habeantur, modò tamen poſſint haberi, ſufficiunt, ut v.g. ad hoc ut poſſim comburere ſtuppam, non eſt neceſſe ut actu approximem ignem ad ſtuppam; ſed ſufficit ut poſſim approximare: non ſic de potentiis; nam ſi non habeo potentiam viſivam, etſi poſſim illam habere, non dicor poſſe videre: Item, ſi non habeam potentiam motivam, etſi poſſim illam habere, non dicor poſſe moveri: Cum ergo illa non electio de qua agimus, non ſit potentia, ſed conditio ſine qua nemo ſalvatur, ad hoc ut quiſpiam poſſit ſalvari requiritur ut ab eo poſſit haberi; & ſi non poſſit haberi, manifeſtum eſt quod non poteſt ſalvari: Cum ut ſupra notatum eſt, ita ut ad actu agere, requiritur quod actu habeatur conditio requiſita ad agendum, ita ad poſſe agere requiritur, ut illa poſſit haberi. Cum ergo non electi non poſſint habere illam con-

ditionem requiſitam ad ſalutem , quæ eſt electum eſſe ; ſequitur evidenter quod non poſſunt ſalvari, & quod eorum ſalus eſt prorſus eis impoſſibilis.

Quantum autem ad alteram partem reſponſionis , quæ eſt de impedimento , in quo ſimiliter diſtingunt de actu agere , & de poſſe agere; Reſpondemus quod etſi admitteremus quod illa non electio impedit tãtum ne non electus actu ſalvetur;non autem quod poſſit ſalvari,tamen ſatis magnum eſſet iſtud inconveniens admittere , quod Deus ſumme bonus & miſericors voluntarie, & pro libito, & ex mera ſua voluntate, ponat impedimentum ad ſalutem actualem illorum miſerorum;licet non ponat illud ad poſſe ; quid enim mihi præſtat Deus faciendo , ut poſſim ſalvari per ſuas gratias actuales , imo & per habitus ſupernaturales Fidei , Spei , & Charitatis : Si aliunde ponat impedimentum ne ſalver actualiter? Melius ſane eſſet non poſſe ſalvari, quam ſic non ſalvari: cum in hoc ſita ſit magna pœna damni quod cum ſalutem conſequi potueris, non tamen conſecutus ſis: Sed oſtendo quod per hoc quod ponit impedimentum ad ſalvari , ponit etiam ad poſſe ſalvari : Nonne is qui impedit ne carcer aperiatur, non tantum impedit per non apertionem illam , ne cerceratus actu exeat , ſed etiam ne poſſit exire , cum non poſſit exire , niſi carcer aperiatur. Nunquid impediendo ne compedes alicujus infringantur , impedit per non fractionem illam compedum , non ſolùm ne ligatus currat , ſed etiam ne poſſit currere ? Res iſta clarior eſt , quam ut probari indigeat. Cum ergo Deus ponat impedimentum ad ſalutem , non electis inamovibile , ſuam ſcilicet non electionem : ſatis per hoc oſtendit ſe non tantum ponere impedimentum ad actu ſalvari ; ſed etiam ad poſſe ſalvari , cum impedimentum quod non poteſt tolli , ſeu amoveri ; tollat etiam potentiam ad id faciendum , quod ipſum vetat fieri : Unde eadem hîc eſt impotentia quæ ſupra ; nam ut ſupra dicebamus quod non electus non poteſt ſalvari , quia non poteſt ponere conditionem neceſſariam ad ſalvari : ita hîc dicimus quod non electus non poteſt ſalvari , quia non poteſt tollere impedimentum ſuæ ſalutis : Si non poteſt;ergo eſt impotens : ergo habet impoſſibilitatem : ergo contraria nobis ſententia facit ſalutem in non electis impoſſibilem.

Quintum inconveniens eſt quod illa ſententia ſoli Deo tribuat quod pauci electi ſunt ad ſalutem , infiniti autem non electi : cùm dicat Deum ex mera ſua voluntate , quos vult eligere, & quos non vult,non eligere: quod maximum inconveniens eſt , contra ſummam Dei bonitatem & clementiam : Nam cum certum de fide ſit quod Deus ſciat infallibiliter quod ii ſoli ſalvabuntur , quos elegerit ad ſalutem , & quod ii omnes damnabuntur , quos non elegerit : ſequitur in ſententia adverſariorum, quod cum Deus paucos elegit , paucos ſalvare voluit ; & cum infinitos non elegit , infinitos damnare voluit : Quod valde adverſatur ſummæ Dei bonitati , & clementiæ , & eſt attribuere ei magnam propenſionem in cru-

in crudelitatem, & ſævitiam: cùm ex merâ ſuâ voluntate, tam multos reliquerit ad ſupplicium, & tam paucos elegerit ad præmium: Et eſt etiam contra Scripturam ſacram, quæ dicit: Perditionem noſtram eſſe ex nobis, & non ex Deo. Quod Deus voluit congregare filios ſuos, quemadmodum gallina pullos ſuos ſub alas ſuas, & noluerunt. Quod non eſt voluntatis ſuæ mors impii, ſed ut magis convertatur, & vivat. Quod ei vocanti, & invitanti ad ſalutem reſiſtimus.

Oſeæ 13. Matth. 13. Ezech 18. Act. 7.

Unde Oſeæ 2. deſcribitur quaſi pugna, & colluctatio inter Deum & hominem: Deum ſalvare volentem, & hominem nolentem: Vadam (inquit ibi anima peccatrix) poſt amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, & lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum: {Sed ecce quid reſpondet Dominus adamator animarum:] Propter hoc (inquit) ecce ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria,& ſemitas ſuas non inueniet, Et ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos, & quæret eos, & non inveniet, & dicet: vadam, & revertar ad virum meum (id eſt Deum amatorem ſuum) priorem, quia bene erat tunc, quam nunc: Nunquid illa eſt pulchra pugna, & Deo digna: Dei volentis ſalvare, & hominis volentis ſe perdere; ſed Dei victoris, & hominis fœliciter devicti? Et vos dicitis, quod Deus multos negligat, & quod mere voluntarie, & ex mero beneplacito ſuo, relinquat pene infinitos in maſſa perditionis, quorum proinde ſi aliqui ad gratiam baptiſmi perveniant,neceſſarium eſt ſecundum vos, ut inſidietur eorum ſaluti, & per ſecretas, & cæcas vias, & hominum ſimplicitati incognitas, eorum æternam perditionem procuret, ut ſatisfaciat ſuo decreto facto ante præviſa eorum opera, propter quæ tamen debent damnari, ne contingat decretum ſuum, ſua infallibili certitudine & veritate fruſtrari: in quo forte ponitis altitudinem ſcientiæ & ſapientiæ Dei, & incomprehenſibilitatem judiciorum ejus: Quo ſane nihil indignius, & Scripturis ſacris, ſeu bonitati, & clementiæ Dei, in illis Scripturis nobis revelatæ, & in præallegatis textibus explicatæ, injurioſius inveniri, aut excogitari poteſt. Quapropter cum hæc ſententia undique ſcateat incommodis, & inconvenientiis contra Deum & homines, quia non admittit præſcientiam ante prædeſtinationem ad gloriam; noſtra autem, hæc omnia evitet, admittendo illam præſcientiam ante prædeſtinationem prædictam: Conſequens neceſſario eſt, quod illa ſententia ſit falſa, & proinde rejicienda, noſtra autem ſit vera, & proinde amplectenda.

SECTIO VIII.

Probatio ultima ex ſenſu Eccleſiæ in Conciliis, vel aliter nobis apparente.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Senſus Eccleſiæ pro noſtra ſententia, petitus ex Conciliis, proponitur, & confirmatur.

In Conciliis nihil expreſſum & formale reperio, quod aſſerat prædeſtinationem ad gloriam, eſſe ante vel poſt prævisa merita; aliqua tamen in eis invenio, quæ non obſcure omnino indicant prædeſtinationem ad gloriam eſſe poſt prævisa merita: Nam in Concilio Valentino 3. ſub Leone IV. anno 855. celebrato: Video quod Concilium loquens de cauſa prædeſtinationis ad vitam, non tribuit eam immediate gratiæ, ut faciunt adverſarii: ſed tantum mediante opere, dicens capite 3. In electione ſalvandorum miſericordiam Dei præcedere meritum bonum. Quod eſt dicere quod gratia præcedit meritum gloriæ, non autem electionem ipſam immediate. Quod eſt aliquo modo innuere quod gratia non eſt cauſa immediata prædeſtinationis ad gloriam, ut volunt adverſarii, ſed ſolum operis & meriti ad illam conſequendam prædeſtinati: Quod etiam ex duabus conjecturis ſic elicio: Prima eſt, quod iſtud Concilium valde eſt Auguſtinianum, ut facile patet legentibus: Senſus autem Auguſtini de gratuitate gloriæ, non erat alius, niſi quod gloria, ſeu vita æterna in tantum erat gratia, ſeu gratuita, in quantum erat à meritis quæ conferebat gratia, ut ſupra probavimus in argumento 15. ex Auguſtino: Conjiciendum ergo eſt, quod in hoc ſenſu locutum eſt Concilium, cùm loqueretur ex Auguſt. & ita quod voluit prædeſtinationem ad gloriam non eſſe proprie, & ſecundum ſe gratuitam, ſed tantum improprie, & ratione alterius, nempe ratione prædictorum meritorum, & operum à gratia profectorum, quæ concurrebant ad illam, cum facta eſſet propter illa.

Secunda conjectura eſt, quod loquens ibi Concilium de cauſis prædeſtinationis ad mortem, & prædeſtinationis ad vitam, ſeu gloriam, cauſam prædeſtinationis ad mortem tribuit immediate, & directe merito malo, ſeu peccato; cauſam vero prædeſtinationis ad vitam non tribuit directe & immediate gratiæ, ut ſane facere debuerat, ſi gratia fuiſſet cauſa immediata ipſius: ut poneret gratiam cauſam immediatam electionis, ſicut ponit meritum malum cauſam immediatam dam-

nationis; ſed declinat & divertit ab iſta directa locutione, ut tranſeat ad mediatam: Non aliam certe ob rationem, niſi quia gratia non eſt cauſa immediata electionis, ſed tantum mediata: id eſt mediante merito & opere, ut à gratia profecto: ſic enim ait ibi Concilium: Fidenter fatemur prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem: ***In electione tamen ſalvandorum miſericordiam Dei precedere meritum bonum*** (non dicit electionem) in damnatione autem periturorum meritum malum præcedere juſtum Dei judicium. Ubi vides hanc diverſitatem ſupradictam, ſcilicet quod meritum malum immediate præcedit damnationem periturorum, ſeu quod idem eſt, juſtum Dei judicium: At in electione ſalvandorum, ſeu prædeſtinatione ad gloriam miſericordia, ſeu gratia immediate & directe, præcedit actum ſeu meritum, non vero ipſam electionem ad vitam, ſeu gloriam. Ex quo facile colligere eſt, quod Concilium non cenſuit prædeſtinationem ad gloriam, eſſe vere & directe ex gratia, ſed potius ex meritis, quæ contulit ipſa gratia. Quod omnino conſonat cum iis quæ habet Concilium Arauſicanum II. cap. 18. ubi dicitur, quod nullis meritis gratiam prævenientibus debetur merces bonis operibus ſi fiant; ſed gratia quæ non debetur, ***precedit ut fiant***. Quod eſt dicere: quod gratia immediate præcedit opera, non electionem ad gloriam: Nec ſane aliam gratiam unquam noverunt Auguſtinus, aut ea Concilia, quæ pòſt ipſum celebrata ſunt quàm eam quæ eſt ad hæc opera & merita, & proinde non noverunt eam, quam adverſarii aſtruunt ſpecialiter & directe ad electionem ad gloriam, cum de eâ non tacuiſſent, quandoquidem id videbatur poſtulare contextus ſermonis in prædicto Concilio Valentino ſupranotati: Et præterea quia illa longe major eſt eâ quæ eſt ſolùm ad opera.

Hoc Concil. eſt omnino Auguſtin. conſtans Auguſtini ſententiis.

Ibi gratia ſumitur pro gratuitate.

Præterea idem Concilium Valentinum, apèrte rejicit reprobationem negativam: Ergo etiam rejicit prædeſtinationem ad gloriam ante præviſa merita: Conſequentia patet, quia illa prædeſtinatio nullo modo poteſt conſiſtere ſine reprobatione negativa, ut ſupra demonſtravimus in argument. 8. ex Auguſtino initio. Probatur autem antecedens adducendo textum illius Concilii: Nam cap. 2. loquens de reprobis, ſeu de non ſalvandis, ſic ait: nec ex ***præjudicio*** ejus (ſcilicet Dei) aliquem, ſed ex merito propriæ iniquitatis credimus condemnari. At quid eſt iſtud præjudicium quod negat Concilium, niſi reprobatio negativa, quæ non ſolum eſt verum præjudicium, cum jam ex hoc quod iſti non electi ſunt, infallibiliter damnandi ſunt; ſed eſt quidpiam amplius: Cùm illa reprobatio etiam moveat Deum ad quærendas vias cæcas & obliquas, ut illi miſeri decedant in peccato mortali, ut poſtea juſte damnentur, & ſic Deus ſatisfaciat decreto ſuo de non ſalvandis illis, quod fecerat ante peccata eorum præviſa, ne temere illud feciſſe videatur: Deinde proſequitur Concilium, & ait; Nec ipſos malos perire (id eſt excludi à vita æterna, peritio

enim proprie eſt excluſio à vita æterna, ut ſalvatio eſt poſſeſſio vitæ æternæ: Unde communiter ſumit Scriptura peritionem pro excluſione: ut Exodi 12. Peribit illa anima de Iſraël, de cœtu Iſraël: Levitici 7. Peribit de populis ſuis: Num. 19. Peribit ex Iſraël: Pſalmo 2. Ne pereatis de via juſta: Pſalmo 9. Peribunt à facie tua: & ſic communiter in Scripturis) quia boni eſſe non potuerunt; ſed quia boni eſſe *noluerunt*: Ubi excluſio illa, ſeu ut ita dicam peritio, refertur ad ſolam perverſam voluntatem pereuntium, & non ad voluntatem divinam, prout referri deberet, ſi excluſio illa eſſet ante præviſa merita, ut volunt adverſarii, quandoquidem iſta excluſio, ſeu non electio, ſeu reprobatio negativa, ſi daretur, eſſet prima radix, & origo peritionis eorum: Peccata autem eorum eſſent tantum executio illius, facta à Deo per denegationem gratiarum efficacium ad finem, ut caderent, & damnarentur: quod ſatis probavi & oſtendi in primo loco è Scripturis ſub finem. Sed proſequitur adhuc Concilium, & ait: *Suoque vitio* (id eſt negligentia, vel ignorantia culpabili: loquitur enim ibi de adultis, cum dixerit eos perire, quia ſalvari noluerunt, quod non convenit parvulis, ſed ſolum adultis) in maſſa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali (ſuperaddito) permanſerunt: Ubi adhuc vides, illorum reproborum peritionem tribui eorum vitio, ſeu negligentiæ, & non voluntati divinæ, prout tribuenda eſſet, ſi reprobatio negativa admitteretur. Quod confirmatur ex eodem Concil. cap. 5. ubi ait: Reprobos *non pervenire* ad vitam, ſeu gloriam, quia *noluerunt* permanere in ſalute fidei. Ubi eodem tenore, & conſtanter aſſerit, reprobationem illorum eſſe à ſola voluntate eorum, non autem à voluntate Dei, prout aſſerunt adverſarii; & præcipue Janſenius, qui exerte dicit lib. 3. de gratia Salvat. cap. 20. §. Hæc igitur: Accommodatis ſibi verbis Auguſtini, & etiam truncatis ut melius ſuæ perverſæ opinioni deſervirent: Qui (ſcilicet Deus) hominibus dat gratiam, quibus vult, quoniã miſericors eſt: & non dat quibus non vult: Quod intelligit Janſenius de ſalute æterna (de qua ſola agit in illo capite) tam reſpectu adultorum, quam reſpectu parvulorum, ut ipſe ait in eodem loco: Quamvis verba Auguſtini ſint tantum de prima gratia contra Semipelagianos.

Præterea ſupracitatum Concilium Arauſicanum II. habet aliquid quod non mediocriter favet noſtræ opinioni, hæc dicens cap. 25. ſub finem: Hoc etiam ſecundum Fidem Catholicam credimus, quod accepta per Batiſmum gratia, omnes baptiſati, Chriſto auxiliante & cooperante quæ ad ſalutem pertinent, poſſint, & debeant, *ſi fideliter laborare voluerint*, adimplere: Ubi notanda ſunt hæc verba: Si fideliter laborare voluerint: quæ denotant noſtram ſalutem non pendere à ſolo Dei decreto; ſed etiam ab operibus noſtris, cum illa particula, *ſi*, denotet dependentiam: Ex quo evidens eſt quod ſalus noſtra non eſt prædeſtinata ante præviſa merita, ſeu ante præviſam cooperationem noſtram liberam, cum ipſa pendeat à noſtris meritis, ſeu à prædicta cooperatione

Ibi ſermo eſt de ipſa reprobatione negativa cum exprimatur verbis importantibus ſolum excluſionem à gloria.

Textus integer eſt hujuſmodi: Qui hominibus dat gratiam, quibus vult, quoniã miſericors eſt: Quod & ſi non det juſtus eſt: *& non dat quibus nõ vult, ut notas faciat divitias gloriæ ſuæ in*

noſtra libera: Quod ſane peremtorium eſt contra Janſenium: qui lib. 9. de grat. Salv. cap. 14. vult ideo Angelos (& idem ſentit de primis hominibus, ut patet ex cap. 10. §. Sed de beatis) eſſe tantum prædeſtinatos poſt prævisa merita, quia habebant talem gratiam cui conſentirent *ſi vellent*: Et ecce Concilium dicit, quod talem habemus gratiam, ut *ſi* cum ea fideliter laborare *voluerimus*, omnia quæ ad ſalutem ſunt requiſita, adimplebimus: Unde conſectaneum eſt, quod ſicut ipſe vult quod Angeli ſancti ob eam rationem prædeſtinati ſunt ob prævisa merita: ita & ipſe debet admittere, quod homines lapſi, ob eandem rationem debuerunt ſolùm prædeſtinari poſt prævisa merita. Sed & id contra ipſum etiam eſt quod ait ſupracitato cap. 20. lib. 3. de gr. Salv. §. 2. ſcilicet, Quod dicere; Deum velle omnes homines ſalvos fieri, *ſi ipſi velint*, eſt contrarium ſinceritati divinæ gratiæ: cùm ecce Concilium à toto orbe Chriſtiano receptum ut omnino orthodoxum, & etiam totum Auguſtinianum, cum totum fere conſtet Auguſtini ſententiis: quod ait, omnes fideles poſſe adimplere ea omnia quæ pertinent ad eorum ſalutem, *ſi* fideliter laborare *voluerint*. Quod idem eſt ac ſi diceret, ſi velint: Quam ob rem nullatenus dubitandum eſt quod cum ſalus noſtra pendeat à noſtro labore, & merito ſimul cooperante gratiâ, ideo illa nobis tantum prædeſtinata eſt poſt prævisa merita.

vaſa miſericordiæ. lib. de done perſ. cap. 12. inst. r eſcidera autem hæc verba Janſenius: Et ſi non det juſtus eſt: Quia erant contraria meræ Dei voluntati, quam ſtatuere volebat in denegatione ſalutis periturorum, cùm illam tribuerent juſtitiæ.

Tandem Concilium Cariſiacum admittit Deum velle omnes ſalvos fieri ſine ulla exceptione, & etiam Chriſtum eſſe pro omnibus omnino mortuum: ex quibus principiis ſupra elicuimus prædeſtinationem ad gloriam eſſe poſt prævisa merita. Sic enim loquitur Concilium capitulo 3. Deus omnipotens omnes homines *ſine exceptione* vult ſalvos fieri, licet non omnes ſalventur; quod eſt dicere, Deum velle omnes omnino homines, nullo excepto, ſalvos fieri, voluntate complacentiæ: voluntate autem efficaci, ſolos eos qui ſalvantur; quod tam multis ſupra probare conati ſumus. Et cap. 4. ait Chriſtus Jeſus Dominus noſter, ſicut *nullus homo fuit, vel erit*, cujus natura in illo aſſumpta non fuerit: *ita nullus eſt, fuit, vel erit homo pro quo paſſus non fuerit*, licet non omnes paſſionis ejus myſterio redimantur (id eſt fidem non recipiant, juxta ſenſum Proſperi, cujus poſtea verba refert: Unde vult dicere, quod quidem omnes homines ex vi illius Paſſionis recipiant gratias ſufficientes quibus ad fidem perveniant, ſi velint; ſed tamen non omnes accipere efficacem qua credant actu, & fideles fiant: Quod etiam patet ex his ſequentibus verbis: Quod vero omnes Paſſionis ejus myſterio non redimantur (id eſt ad fidem non perveniant) non reſpicit ad magnitudinem, & pretii copioſitatem (id eſt non eſt id tribuendum parvitati pretii & gratiarum parcitati) ſed ad infidelium & non credentium ex Fide, quæ per dilectionem operatur, reſpicit partem, quia poculum humanæ ſalutis (verba ſunt Proſperi à Concilio relata) quod confectum eſt de infirmitate noſtra, & virtute divina: *Habet quidem in ſe, ut omnibus proſit*; ſed ſi non bibitur, non medetur; (id eſt non ſanat

Hoc Concilium fuit celebratum anno 848. ſub Leone IV.

actu, niſi voluntarie recipiatur, licet ſanare poſſit omnes per gratias quas confert, ſi eis conſentiretur.) Et hæc tradunt nobis prædicta Concilia, quæ ita ſatis nobis innuunt prædeſtinationem ad gloriam eſſe poſt prævisa merita.

PARAGRAPHUS SECUNDUS:

Senſus Eccleſiæ pro noſtra ſententia, petitus ex aliis indiciis, proponitur, & confirmatur.

EX Orationibus & cæteris quæ canuntur in Eccleſia, recte poteſt colligi ſenſus ejus; ac ſatis in eis demonſtrat, quam pie & benigne ſentiat de bonitate Dei, quoad prædeſtinationem hominum ad gloriam, & quam longiſſime abſit ab illa opinione; quæ vult Deum aliquos mere voluntarie excluſiſſe à bonitate ſua in æternum liberatrice & redemptrice ſua miſericordia: Nam in aliqua Oratione quæ dicitur in benedictione Cinerum, maxime commendat charitatem, & propenſionem Dei in ſalutem hominum; dicens: Deus qui non mortem, ſed *pœnitentiam deſideras peccatorum.* Ubi verbum iſtud, *deſideras*, eſt maximi ſignificativum affectus.

Item, in quadam Oratione Feriæ VI. in Paraſceve pro hæreticis, ſic ait: Omnipotens ſempiterne Deus, *qui ſalvas omnes* (ſcilicet per voluntatem complacentiæ) *& neminem vis perire.* Et infra, in Oratione pro Paganis: Omnipotens ſempiterne Deus, qui non mortem peccatorum, ſed *vitam ſemper inquiris*: Per quæ ſatis ſignificat Deum habere bonam illam voluntatem de ſalvandis omnibus, quantum eſt ex ſe: ex qua ſupra argum. ſcilicet 2. ex ratione, elicuimus prædeſtinationem ad gloriam, eſſe poſt præviſa merita. Et alibi ſæpe agnoſcit Chriſtum eſſe omnium hominum redemptorem. Unde ſic affatur eum in quodam Hymno qui canitur in die Nativitatis Domini: Chriſte, *Redemptor omnium*: Et in Hymno Dominicæ Paſſionis, idem confirmat, dicens: Ipſe lignum tunc notavit, *damna ligni ut ſolveret*: Et in Benedictione cerei Paſchalis, ſic ait: O certe neceſſarium Adæ peccatum quod Chriſti morte deletum eſt! ô fœlix culpa quæ *talem ac tantum meruit habere Redemptorem*! Et in quodam Hymno Dominicæ in Albis, ſic affatur adhuc Chriſtum, dicens: Dediſti tuum ſanguinem noſtræ ſalutis pretium: Per hæc omnia innuens Chriſtum per mortem ſuam plene ſatisfeciſſe pro peccatis noſtris, & totam deleviſſe peccati Adæ malignitatem, gratiaſque quas ipſe Adam nobis per peccatum ſuum ſuſtulerat ad ſalutem neceſſarias, ipſum Chriſtum per mortem ſuam nobis reddidiſſe, & ita omnes redemiſſe, ut omnino libere & expedite omnes ſalvari poſſent, ſine ullis præjudiciis, & reprobationibus nega-

tivis antecedentibus, quibus volunt adverſarii ſalutem reproborum ligari, & teneri, ita ut tandem illi omnes damnentur licet ſæpe ſæpius Deo reconciliati ſint, & diutiſſime etiam bene vixerint.

Sed maxime commendat eadem Eccleſia in Orationibus ſuis prædeſtinationem ipſam ad gloriam poſt prævisa merita, præcipue in duabus Orat. quas dicit in quotidianis Miſſis totius Quadrageſimæ, quarum prima ſic habet: Omnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum dominaris ſimul & mortuorum, *omniumque miſereris, quos tuos fide & opere futuros eſſe præcoſcis*: Ubi vides Eccleſiam miſerationi, ſeu prædeſtinationi divinæ præmittere prænotionem, ſeu præſcientiam meritorum fidei & operum, tanquam rationem ob quam voluit Deus per infinitam bonitatem ſuam, noſtri in æternum miſereri, ſeu nos prædeſtinare ad gloriam: Nam certum eſt quod ibi eſt ſermo de prædeſtinatione ad gloriam, & non de prædeſtinatione ad primam gratiam, cum illam prædeſtinationem, de qua loquitur, antecedant fides, & opera: quod non poteſt dici de prædeſtinatione ad primam gratiam, quam non antecedunt fides & opera; ſed potius è contra ipſa antecedit fidem & omnia opera meritoria, quæ ab illa ipſa ſunt, tanquam à ſuo fonte & origine.

Unde certiſſimum eſt quod ibi eſt ſermo de prædeſtinatione ad gloriam, eaque facta ob prævisa merita, cum ſic prædeſtinatos vocet Eccleſia, Dei futuros, ſeu futuros divinæ gloriæ conſortes ex fide & operibus bonis, ſeu propter fidem & opera bona, non vero ex mera liberalitate & miſericordia: Cum non dicat, quos tuos tua gratia futuros eſſe feciſti: quod dicere ſane debuiſſet, ſi prædeſtinationem illam ad gloriam ex mera Dei gratia, & ante prævisa noſtra merita factam eſſe credidiſſet: ſed ait, quos tuos fide & opere futuros eſſe prænoſcis: Per hæc innuens Deum in illa prædeſtinatione habere rationem fidei & operum per præſcientiam cognitorum: Et per hæc ſe credere, prædeſtinationem illam ad gloriam factam eſſe ex meritis, tam fidei quam operum per præſcientiam cognitis: Quod mihi tam clarum & evidens eſt, ut nihil mihi impræſentiarum occurrat circa hoc difficultatis, niſi quod aliquis Neotericus, ſibi objiciens hunc textum quaſi eſſet contra prædeſtinationem ad gratiam, miram affert ſolutionem: Quæ quia eſt etiam contra nos, ideo & ipſam diſſolvemus. Ait enim ſenſum prædictorum verborum hunc eſſe, ſcilicet, quod eorum temporaliter miſeretur Deus quos ab æterno ſuos eſſe prænoſcit; quaſi dicat, quod miſereatur electorum: Sed non video quod iſte Neotericus bene ibi aſſecutus ſit ſenſum Eccleſiæ. Nihil enim aliud ibi vult eccleſia, quam precari Deum per ſuam Omnipotentiam qua vivorum dominatur ſimul & mortuorum, & per miſericordiam illam ſuam qua prædeſtinavit eos, quos per fidem & opera futuros ſuos eſſe prænovit, ut det veniam delictorum, iis ſeu vivis, ſeu defunctis pro quibus orare intendit: Is enim eſt totus ſenſus Orationis, in quo nequidem eſt minimum veſtigium ſupradicti ſenſus Neoterici; non enim ibi orat Eccleſia pro electis, ut eorum

In prædeſt. poſt prævisa merita, eſt miſericordia ſimul & juſtitia: Cum Deus non

miſereatur temporaliter; ſed ſupponendo ſecuritatem in illis de gloria conſequenda, orat pro iis qui ſibi commendati ſunt, ſeu electis, ſeu reprobis; non enim novit eos, ſed tales quales ſunt commendat eos Deo, ut per Omnipotentiam illam ſuam, qua vivorum ſimul dominatur & mortuorum, & per illam miſericordiam ſuam qua prædeſtinavit ad gloriam eos, quos fide & opere ſuos futuros eſſe prænovit, det illis ſibi commendatis veniam ſuorum delictorum, ſeu ut ejus utar verbis, ut illi ſibi commendati delictorum ſuorum veniam conſequantur. Quod ſi putavit Neotericus ille quod in prædeſtinatione illa ad gloriam, quæ fit ex præviſis meritis, nulla interveniat miſericordia per quam illum rationabiliter obſecremus, næ ille valde fallitur; cum in ea prædeſt. magna ſit miſericordia Dei: tum quia merita illa ob quæ prædeſtinata eſt illis gloria fiunt ex Dei gratia & miſericordia: tum quia gloria illis prædeſtinata longe ſuperexcedit illa merita: Unde hoc ſuppoſito, nihil amplius video in hac noſtra explicatione difficultatis.

teneretur ſic prædeſtinare homines, nec ob tantilla opera, nec illa opera gratia efficere cum hominibus. Ibi autem meminit Eccleſia ſolius miſericordiæ, quia illa potior eſt, & longe ibi ſuperat juſtitiam, ut ſæpiſſime infra demonſtrabimus.

Altera Oratio de qua locuti ſumus, & in qua commendat adhuc Eccleſia prædeſt. ad gloriam poſt præviſa merita, eſt illa quæ dicitur in iiſdem Miſſis quotidianis Quadrageſimæ, & ſic incipit: Deus, cui ſoli cognitus eſt numerus electorum in ſuperna fœlicitate locandus, &c. In cujus fine hæc habentur: Univerſos quos in oratione commendatos ſuſcepimus, & omnium fidelium nomina beatæ *prædeſtinationis liber aſcripta retineat.* Ubi orat Eccleſia Deum, non ut liber in quo ſcripta ſunt nomina electorum, ea nomina retineat, & non ſinat ea deleri, cum hoc fruſtraneum eſſet orare, quandoquidem non poteſt non retinere illa nomina, ſicut Deus non poteſt non permanere in decreto ſuo, ſeu in prædeſtinatione jam facta, cum alioquin argueretur levitatis, & falſitatis: Sed orat ut illi quos ipſa commendatos ſuſcepit, ponantur in libro illo, id eſt, ita pie & ſancte vivant, ut digni habeantur reponi in illo libro; quod nihil eſt aliud quam prædeſtinari ex meritis. Ex quo manifeſtum eſt quod ibi Eccleſia aſtruit prædeſtin. ad gloriam factam eſſe poſt præviſa merita, cum ſic fruſtra oraret ſi ipſa crederet quod prædeſt. illa facta eſſet ante præviſa merita; ad quid enim orare ut aliquid fiat quod jam factum eſt ante præviſam orationem tuam, & alia omnia; an ad hoc ut Deus ſatisfaciat decreto ſuo, an ut meminerit officii ſui, an ut exequatur quod ipſemet ſtatuit exequi, quæ omnia ridicula ſunt: Præterea in Orat. Dominicæ V. poſt Pentecoſt. ſic ait: Deus, qui *diligentibus te, bona inviſibilia præparaſti.* Ubi ponit dilectionem Dei (quæ eſt in electis) objectum prædeſtinationis ipſorum, ſeu præparationis bonorum æternorum & proinde facit eam priorem prędeſtinatione eorum. Quæ cum ita ſint, concludendum eſt Eccleſiam non credere prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante præviſa merita. Sed eam potius propendere in illam noſtram ſententiam, quæ tenet prædeſtinationem illam ad gloriam factam eſſe poſt præviſa omnia merita noſtra ſupernaturalia, ut diximus initio diſputationis.

Eſt Periphraſis pro eo quod diceretur: Et omnium fidelium nomina in beatæ prædeſtinationis libro ſcribantur, id eſt, digni habeantur ibi ſcribi.

SECUNDA

SECVNDA PARS,

COMPLECTENS OBIECTIONES contra præcedentem doctrinam cum Solutionibus ſuis.

SECTIO PRIMA.

Objectiones ex Scripturis Sacris.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Objectio prima proponitur.

PRIMUM argumentum petitur ex capite 12. Lucæ, nbi Chriſtus dicit Diſcipulis ſuis: Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum: Ex quo inferunt adverſarii gloriam decerni ex mero Dei beneplacito: quia nempe dicit Chriſtus, quod ſibi complacet dare gloriam electis; Verbum enim complacere ſignificat meram gratiam.

PUNCTUM PRIMUM.

Prima Reſponſio profertur, & confirmatur.

RESPONDEO primò, hunc locum non eſſe de voluntate efficaci dandi gloriam, nec proinde eſſe de prædeſtinatione ad gloriam, quæ eſt voluntas efficax; ſed de voluntate quadam complacentiæ,

conditionata, & inefficaci dandi gloriam ſub conditione meritorum.

Quod patet primò ex illo verbo, complacere, quod maxime ſignificat complacentiam, quæ complacentia ſignificat communiter voluntatem inefficacem & non efficacem, & abſolutam. Secundò ex hoc quod non omnes illi diſcipuli quibus loquebatur, erant prædeſtinati, ut patet in Juda Iſcariote, qui fuit proditor & filius (ut ait ipſa Scriptura) perditionis: & proinde non poterat illa complacentia eſſe voluntas efficax quæ ſemper impletur in omnibus iis quos reſpicit; ſed tantum inefficax, & conditionata pendens à futuro rerum eventu, ut habeat effectum. Tertiò denique ex hoc quod omnia quæ ibi ponuntur ante & poſt textum, illum ſonant laborem, ſonant meritum, tanquam conditionem ad præcedentem voluntatem requiſitam ad hoc ut ipſa ſit efficax, & habeat effectum; & per conſequens indicant quod eſſet mere conditionata, & non efficax & abſoluta: Nam circa initium capitis hortatur CHRISTUS illos ad martyrium, & ad contemnendam vitam ſuam pro illo, his verbis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & poſt hæc nihil habent amplius quod faciant. Poſtea excitat illos ad contemnenda temporalia, & nimiam victus & veſtitus ſollicitudinem, ad hoc ut transferant mentem ſuam ad conquirendum Regnum Cælorum; his verbis: Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori quid induamini; anima plus eſt quam eſca, & corpus quam veſtimentum..... Quærite primùm Regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis. Sed quia ejuſmodi homines quibus loquebatur, erant viles & abjecti, ut pote è fæce plebis educti, & propter hoc parum idonei ad concipiendam tantam ſpem, & ad tam magna, & ardua præmia aſpirandum: Ideo erigit eorum animos per conſiderationem ſui erga illos amoris, à quo jure poterant tantum bonum ſperare, ſi præceptis ejus obſequentes, & in bonis operibus fideles ſe exhiberent; dicens eis illa verba quæ ſunt in objectione poſita, ſcilicet; Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum: Quaſi diceret, nolite attendere ad vilitatem, & indignitatem veſtram, reſpectu tanti præmii; ſed ad bonum affectum mei erga vos amoris, qui paratus eſt dare vobis illud Regnum, modò obediatis præceptis meis: Unde eis conſequenter dicit: Vendite quæ poſſidetis, & date eleëmoſynam, facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in Cælis: Per hoc oſtendens eis conditionem requiſitam ad obtinendum illud Regnum, ſcilicet eſſe, dare eleëmoſynam, & alia opera miſericordiæ, & cætera ejuſmodi opera bona facere. Unde etiam premit eos ad iſta cito præſtanda ex conſideratione brevitatis & incertitudinis hujus vitæ, dicens eis: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando revertatur à nuptiis: ut cùm venerit, & pulſaverit, confeſtim aperiant ei..... Et vos igitur eſtote parati, quia qua hora non putatis Filius Hominis veniet. Ubi duo vides; unum eſt opera requiri

Volũtas conditionata, poſita conditione, tranſit in efficacem & abſolutam.

Ita eſt in Græco, Et vos igitur: καὶ ὑμεῖς οὖν.

ut neceſſaria ad conſequendum illud Regnum, de quo tamen dixerat eis, quod ſibi complacebat illud dare illis: Quod ſi verba iſta clare & perſpicue deſignaſſent voluntatem efficacem dandi illis gloriam ex mera gratia, & miſericordia; quid cogitare poterant illi Diſcipuli, videntes poſtea requiri laborem & opera, ut omnino neceſſaria ad illius conſecutionem? Sane nihil poterant aliud cogitare, niſi quod contradictoria, & inter ſe pugnantia Chriſtus diceret cum conditiones, & onera requireret ad poſſidendam illam gloriam, quam eis ſine conditione & onere promiſiſſet; niſi forte dicamus quod tam ſubtiles jam eſſent piſcatores illi Apoſtoli, ut jam diſcernere valerent inter decretum intentionis, & decretum contrarium executionis; & ſic interpretarentur ſupradicta Chriſti verba in objectione poſita de decreto intentionis, antecedentia vero & conſequentia de decreto executionis: Sed nondum, ut opinor, ſatis docti erant iſti plebeii homines, ut tam ſubtilia caperent quæ vix multi docti nunc capiunt.

Alterum eſt quod erat adhuc incertum, an gloriam iſtam omnes illi poſſeſſuri eſſent, cum premeret eos ad eſſe ſemper paratos; ne forte imparatis illis Filius Hominis, veniret, & pertranſiret illos. Quod ſi prædicta verba in objectione poſita, clare & perſpicue, ut dixi, deſignaſſent voluntatem Dei abſolutam & efficacem dandi illis gloriam, de qua voluntate nefas eſſet dubitare, an effectum habitura eſſet; quid poterant cogitare iſti homines quos etiam ibidem Chriſtus vocat incredulos, ſeu puſillæ fidei; & de iſta contraria incertitudine de qua monebat eos, niſi quod etiam ibi contradictoria, & per hoc incredibilia loqueretur.

Dicendum ergo eſt quod illa voluntas Chriſti, quam explicuit per hæc verba: Complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum; non fuit abſoluta & efficax; ſed tantum conditionata, & inefficax, & meræ complacentiæ promittentis gloriam ſub conditione meritorum. Quandoquidem monet illos de hac conditione neceſſaria ad conſequendam illam gloriam, & etiam de incertitudine aſſecutionis illius.

Punctum II.

Reſponſio ſecunda profertur, & alicui alteri textui Reſpondetur.

Respondeo ſecundò quòd ſi illa voluntas fuit efficax, & abſoluta; non fuit tamen meri beneplaciti, ſed beneplaciti in ratione fundati, ſcilicet in prævifione meritorum. Unde Hugo Cardinalis in illum locum fundat iſtam complacentiam, ſeu beneplacitum Dei de danda illis gloria, ſuper humilitatem eorum; Putat enim cum Beda in eundem locum: Gregem illum vocari puſillum ob humilitatem eorum, & ſic decerni eis gloriam ob humilitatē eorum: Et ſic explicat locum illum Cardinalis ille:

Complacuit Patri veſtro vobis dare Regnum: Vobis, inquit, & veſtris ſimilibus, id eſt humilibus: Ubi & in confirmationem iſtius explicationis adducit textum illum Matth. 19. Sinite parvulos (id eſt humiles) venire ad me; talium eſt enim Regnum Cælorum. Certe verbum Græcum non ſignificat merum beneplacitum; ſed placitum, ſeu decretum à prævio & præcedente ortum judicio: Eſt enim in Græco, εὐδόκησεν, à verbo δοκέω, quod eſt opinor, æſtimo, cenſeo: unde δόγμα, id eſt placitum decretum, & δόξα, id eſt ſententia, opinio: quod denotat judicium: Unde Arias Montanus pro eo quod vulgata vertit illud verbum εὐδόκησεν, ponendo complacuit, ipſe ponit, bene viſum eſt quod denotat actum judicii, & non merum actum voluntatis, ſeu beneplaciti. Et ſane ſi verbum iſtud complacuit, ſignificaret merum Dei placitum ſine prævìſis meritis, non minus dicendum eſſet, quod prædeſtinatio eſſet mere gratuita in executione, quàm in intentione: Cum tota ſententia non minus, imo magis indicet executionem quam intentionem, cum dicatur, complacuit Patri veſtro *dare* vobis Regnum, quod eſt exequi prædeſtinationem; non vero, complacuit Patri veſtro eligere vos ad gloriam, quod ſignificat intentionem: At vero non puto adverſarios velle admittere quod gloria detur mere gratis in executione; ergo nec deberent dicere ſaltem ex hoc loco quod gloria ſit mere gratuita in intentione: cùm executio in hoc loco non minus, imo magis deſignetur quàm intentio.

Rariſſime & difficillime (inquit Auguſtinus l. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 4.) inveniri poteſt ambiguitas in propriis verbis, quãtum ad lib. divinarum Script. ſpectat, quam non, aut circumſtantia ipſa ſermonis, quâ cognoſcitur ſcriptorum intentio, aut interpretum collatio, aut præcedentis linguæ ſolvat inſpectio, quam regulam, & nos obſervavimus in exponendis textibus Scripturæ, nobis objectis, ut videbis in ſequentibus.

Quantum autem ad hoc quod dicunt verbum complacuit, dicere meram gratiam: Reſpondeo hoc eſſe falſum: ſufficit enim quod indicet aliquam gratiam in ſubjecto, quod eſt objectum complacentiæ: At in prædeſtinatione ad gloriam ex meritis, eſt etiam maxima gratia, & miſericordia: tum quia Deus proponit gloriam acquirendam per merita, his qui propter peccatum originale, nihil merebantur, niſi ſupplicia æterna: tum quia parvis meritis proponitur merces ampliſſima, & maxime ſuperexcedens labores & onera, tum etiam quia per gratias excitantes & adjuvantes ita efficaciter Deus concurrit ad illa ipſa merita, ut illa potius donare & conferre quam recipere videatur. Unde propter iſta recte dici poteſt quod complacuit Patri noſtro dare vobis Regnum propter merita, cum potius ſic donet illud quàm commutet cum meritis: Et ſic patet apertiſſime quod hic locus non eſt contra prædeſtinationem ad gloriam poſt prævìſa merita.

Proponitur & alius textus in eundem ſenſum ex Matth. 11. ſcilicet, Confiteor tibi Pater Domine, Rex Cæli & Terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & revelaſti ea parvulis; ita Pater, quia ſic fuit placitum ante te.

Reſpondeo hunc textum non eſſe de prædeſtinatione ad gloriam; ſed vel de vocatione efficaci ad fidem, de qua Chriſtus àntea locutus fuerat; vel de collatione quorumdam donorum gratuitorum, nempe revelationis myſteriorum Dei, ut patet ex ipſo textu, ubi habetur quod

Deus revelavit ea parvulis: Unde hic textus nihil habet contra nos.

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

Objectio ſecunda proponitur.

SECUNDUM argumentum petitur ex cap.13. Joan. ubi dicit Chriſtus Diſcipulis ſuis: Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea, non de omnibus vobis dico: Ego ſcio quos elegerim. Ubi Chriſtus innuit Judam ideo non fore beatum, quia non electus eſt: alios vero Apoſtolos fore beatos, quia electi ſunt: Unde inferunt electionem ad gloriam eſſe ante præviſa merita.

PUNCTUM PRIMUM.

Tres Reſponſiones proponuntur.

RESPONDEO primò, ibi perperàm dici quòd verba Chriſti innuant Judam ideo non fore beatum, quia non electus eſt, cum ſupra viderimus ex Auguſtino & Proſpero, quod nemo excluditur à gloria, ob non electionem; ſed ſolùm ob peccata & vitia ſua. *Argum. 8. ex Auguſt.*

Reſpondeo ſecundò, ibi ſermonem non eſſe de cauſalitate electionis, vel non electionis in beatitudinem, vel non beatitudinem Diſcipulorum: ſed tantum de perfectione, & excellentia ſcientiæ Chriſti, per quam intimè noverat eos quos elegerat, ita ut noſſet quid facturi & futuri eſſent antequàm eos eligeret: ut mox declarabimus expreſſiſſime.

Reſpondeo tertiò, ibi magis innui prædeſtinationem ad gloriam eſſe poſt præviſa merita, quam ante præviſa merita, ut patet ex his verbis: Beati eritis, *ſi feceritis ea*: Ubi gloria promittitur Apoſtolis ſub conditione meritorum & operum. Unde & Auguſtinus Tract. 59. in Joan. explicat ea de electione & reprobatione poſt præviſa opera, ut latè deduximus in argum. 17. ex Auguſtino. Et ſatis patet id ex antecedentibus & conſequentibus, ubi hortatur Chriſtus Diſcipulos ſuos ad bona opera, per exemplum datum humilitatis, cum laviſſet pedes eorum, dicens eis: Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis: Et per alia verba exhortatoria, quæ ibi continentur: Unde ſenſus verborum iſtorum, Ego ſcio quos elegerim, non eſt is quem prætendunt adverſarii: ſcilicet quod ideo undecim beati erunt, quia electi ſunt: quaſi electio iſta eſſet cauſa futuræ beatitudinis eorum, & non merita: & quod Judas non erit beatus, quia non electus eſt: Cùm ibi non eſſet ſermo de electione, ut cauſa beatitudinis in electis, ſeu negationis ejus in aliis; ſed de ipſis operibus, ut quibus promiſſa erat

beatitudo, ſeu ut cauſis ob quas concederetur, ipſa beatitudo ſi exiſterent: & negaretur, ſi non exiſterent; prout verba iſta clare demonſtrant: Beati eritis *ſi feceritis ea*: Ubi conditionalis illa (ſi) demonſtrat dependentiam intrinſecam beatitudinis concedendæ, aut negandæ, à bonis illorum operibus, & non ab electione.

Punctum II.

Vera textus expoſitio proponitur, & defenditur ex D. Auguſtino & D. Thoma.

Sensus ergo verus loci iſtius eſt: Bene novi eos quos elegi in Apoſtolos & Diſcipulos, & quid ipſi meditentur, & quid facturi ſint, & quid futuri. Idcirco moneo vos, quod non omnes beati eritis, quia nempe non omnes vos facietis opera quæ ego conſulo vobis, ſed [Unus veſtrum tradet me, & ut ait Scriptura, levabit contra me calcaneum ſuum] procurando ſcilicet mortem meam [Amodo dico vobis priuſquam fiat, ut cùm factum fuerit credatis, quia ego ſum] in quibus ultimis verbis vera ratio continetur cur dixerat eis; Ego ſcio quos elegerim: ut ſcilicet per hæc cognoſcerent illum habere in ſe Spiritum divinum, ſeu Spiritum cognoſcendi futura & interiores cogitationes hominum, & per hoc illum eſſe Deum: quod erat principale intentum illius (ut patet ex verbis prædictis, eſt enim quaſi diceret: Amodo dico vobis priuſquam fiat, ut cum factum fuerit credatis, quia ego ſum Deus, qui futura prædico, & occulta cordis manifeſto, quod eſt proprium Dei) Non vero ut cognoſcerent quod ii quos elegerat ad gloriam, ex vi iſtius electionis eſſent beati futuri, ii vero quos non elegerat, non eſſent beati futuri: tum quia id non bene conveniebat ſcopo illius, cum illa electio nimis abſtruſa & abſcondita ſit, quam ut eos deduceret ad cognitionem illius: tum quia hæc erant contraria verbis illius, cum ibi clarè referat beatitudinem ad bona opera, & non ad electionem, per hæc verba: [Beati eritis *ſi feceritis ea*] & negationem beatitudinis ad mala opera, & non ad non electionem, per hæc verba: Qui manducat panem mecum ***levavit contra me calcaneum ſuum***: quæ verba ibi adducit ut cauſam negationis beatitudinis in Juda: unde Auguſtinus in ſupracitato tractatu in Joann, clare oſtendit illius non electionem tribui peccatis ejus, non vero meræ voluntati divinæ, dicens: Beati eritis ſi feceritis ea, hoc non de omnibus dicit, eſt enim quos ad ſocietatem beatitudinis hujus ***elegerit*** (ubi nota, hìc ſermonem eſſe de electione, & per conſequens negationem ſequentem eſſe de illa electione) ***non eſt ex his iſte*** (id eſt non eſt electus iſte ut alii ad gloriam, ſed quare hoc?) qui panem illius ſic edebat, ***ut ſuper eum levaret calcaneum***: id eſt, quia peccatum, & proditionem peſſimam meditabatur: Illud enim relativum, qui, habet rationem cauſalis, eo modo quo in hac propoſitione, Beata quæ credidiſti: Idem enim eſt ac ſi diceret, Beata

es quia credidiſti; & ita ſimilem locum exponit Auguſtinus lib. de dono perſeverantiæ cap. 18. Ubi enim dicit Apoſtolus: Non repulit Deus plebem ſuam *quam* præſcivit; ſic reddit Auguſtinus non repulit, *quia* præſcivit, & ita debet intelligi in præſenti caſu. Et ratio eſt, quia ibi ſuperflue diceretur, quod ille levaverat calcaneum ſuum, poſtquam dictum eſt, quod non eſt de electis ad gloriam, niſi redderetur per hoc ratio priorum, ſcilicet cur non eſſet de electis illis; quandoquidem ad nihil aliud id referri poteſt. Sed & D. Thomas ita explicat textum illum Expoſitione in Joan. c. 13. lect. 3. ubi ait: Non de omnibus vobis dico, Ego ſcio quos elegerim. Primò (inquit) proponit exceptionem: (exceptio autem illa ſecundùm D. Thomam, nihil aliud eſt quàm non electio Judæ: in hoc enim à generali regula Judas excipitur, quia omnes alii Apoſtoli ſunt electi, ipſe autem non eſt electus, & per hoc ab electione aliorum eſt exceptus) Secundò (inquit) aſſignat exceptionis (id eſt non electionis) *rationem*: ibi: ſed ut impleatur Scriptura, *qui* manducat panem mecum levabit contra me calcaneum ſuum (in quo manifeſte aſſignat ut Auguſtinus peccatum Judæ ut cauſam, & rationem non electionis illius, contra noſtros adverſarios, qui ponebant non electionem Judæ eſſe cauſam, ſeu quaſi cauſam peccati & damnationis illius, eo modo quo explicant, ſcilicet per ſubtractionem gratiarum efficacium) Tertiò (inquir) aſſignat rationem quare ponit exceptionem ibi: Amodo dico vobis priuſquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis quia ego ſum. Quod eſt idipſum quod dicebamus ſupra, ſcilicet quod ratio cur dixit Chriſtus, Non de omnibus vobis dico, ego ſcio quos elegerim, non eſt, ſicut volunt adverſarii; ut oſtenderet quod ii quos elegerat, forent ſalvi ex vi electionis iſtius, & quos non elegerat, non forent ſalvi: ſed ut declararet eis divinitatem ſuam, oſtendendo eis quod ut Deus penetrabat intima cordis humani, & eorum quos elegerat in ſocios. Sic enim ait ibi D. Thomas interpretans prædicta verba: Dico vobis; id eſt manifeſto antequam fiat, ut credatis, quia ego ſum qui futura prædico, & occulta cordis manifeſto, quod eſt proprium Dei: Et ſic patet quod intepretatio noſtra valde conſonat cum interpretatione D. Thomæ, imo & D. Auguſtini.

Punctum III.

Eadem expoſitio confirmatur rationibus.

HÆc autem interpretatio noſtra confirmatur inſuper duabus rationibus, ſeu conjecturis: Prima eſt quod illa noſtra interpretatio, valde connaturalis eſt, & conveniens textui: Nam quid connaturalius eſt quam exponere, ut expoſuimus, illa verba (Beati eritis ſi feceritis ea) de prædeſtinatione ad gloriam ob prævisa merita, cùm ibi proponatur acquirenda beatitudo, ſeu gloria, ſub conditione meritorum,

& operum. Item, quid connaturalius eſt quàm exponere verba illa Chriſti: Non de omnibus vobis dico, ego ſcio quos elegerim: de penitiſſima cognitione Chriſti, quam habebat de omnibus his quæ pertinebant ad Diſcipulos ſuos, ſive eſſent præſentia, ſive futura; ſive eſſent externa, ſive eſſent intima, & in eorum cordibus abſcondita, cùm ſequentia verba etiam id indicent: [Amodo dico vobis priuſquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis quia ego ſum:] Nempe, Deus cum ſic revelaverim vobis futura, & ea quæ in intimo cordis hominum erant abſcondita, quod revelare ad Deum ſolum pertinet. Quid tandem connaturalius eſt, quam exponere verba illa: [Ut impleatur Scriptura, qui manducat panem meum levabit contra me calcaneum ſuum] de peccato Judæ, ut de vera cauſa & ratione exceptionis, ſeu non electionis illius: cùm clare reddant rationem iſtorum verborum antecedentium: [Non omnibus vobis dico, ego ſcio quos elegerim] In quibus continetur illa exceptio, ſeu non electio illius. At vero quam diſtorta ſit contraria adverſariorum expoſitio, patet ex eo quod non poſſint interpretari illam exceptionem, [Non de omnibus vobis dico, ego ſcio quos elegerim, ſed ut impleatur Scriptura, qui manducat panem mecum levabit contra me calcaneum ſuum] niſi attribuendo Deo, ſeu non electioni illius, peccatum Judæ, & damnationem illius, quod eſt omnino intolerabile, & in ſchola Auguſtiniana prorſus abominabile: Nam quod teneantur id admittere patet: quia ex vi interpretationis eorum, dicunt ſequi quod Judas ideo non ſalvabitur, quia non eſt electus; ergo ſimiliter tenentur admittere quod peccabit finaliter, & damnabitur, ex eo quod non ſit electus: cum hæc ſequantur ex non electione ante prævisa merita, æque ac non ſalvatio: ut late probavi in primo loco ex Scripturis, ſub finem.

Secunda ratio eſt quia noſtra interpretatio maxime congruens eſt ſcopo Chriſti, qui per hæc maxime volebat invitare Diſcipulos ſuos ad bona opera facienda, per ſpem vitæ æternæ conſequendæ; ad quod valde bona erat diſpoſitio, oſtendere eis, quod illa vita, ſeu gloria æterna, prædeſtinabatur propter illa opera prævisa: Per hoc enim valde accendebantur ad quærenda & facienda illa opera, ut per illa ad gloriam ſperatam, ſeu vitam æternam deſideratam, promoverentur.

At vero è contra, peſſima erat ad id diſpoſitio, declarare illis quod mere gratis gloria decernebatur, & ſine intuitu operum, ut volunt adverſarii: cùm per id maxime incitarentur ad contemptum operum, ut pote inutilium ad ſuam prædeſtinationem, à qua tamen omnino pendebat conſecutio, & adeptio gloriæ, ad quam ibi à Chriſto invitabantur.

Quapropter confitendum eſt prædictum textum vere & naturaliter intelligi de prædeſtinatione ad gloriam poſt prævisa merita, & non ante prævisa merita, ut contendebant adverſarii: pro cujus clariori cognitione breviter notandum eſt, quod illud verbum, *ſcio*, in hac propoſitione [Ego ſcio quos elegerim] ſumitur pro mera ſcientia ſpeculativa interioris cordium; cum ex hac ſcientia, quæ ſolum ad Deum pertinet, Chriſtus

Chriſtus probet quod Deus eſt, ut vidimus etiam ex D. Thoma; & ſic iſta propoſitio nihil aliud vult dicere, niſi quod Chriſtus bene videbat quod undecim Apoſtoli eſſent facturi quod dixerat, & per hoc quod beati eſſent futuri: Judam autem non eſſe id facturum, & per hoc non futurum beatum: Quod nihil dicit pro prædeſtinatione ad gloriam ante præviſa merita, cum iſta cognitio ſit mere ſpeculativa. Secundò, quod aliud eſt dicere, Scio quos elegerim: Et aliud dicere, Sanctifico quos elegerim: Unde valde errant adverſarii qui unum ſumunt pro alio. Tertiò, quod illa verba: Non de omnibus vobis dico; non reſpiciunt primario non electionem, ſed defectum operum, cùm ſint exceptiva iſtius ſententiæ, Beati eritis ſi feceritis ea: Ubi opera primarium locum tenent, ut fundamentum promiſſionis, ſeu prædeſtinationis: Quod ſatis clare indicat illa opera eſſe fundamentum non electionis, cum non ſunt, & electionis, cum ſunt; ſeu cum prævidentur eſſe futura in aliquo.

PARAGRAPHUS TERTIUS.

Objectio tertia proponitur, & confutatur.

TERTIUM argumentum ſumitur ex Joan. 15. ubi ait Chriſtus ad Diſcipulos ſuos: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos ut eatis, & fructum afferatis: Unde inferunt quod Chriſtus eligit ſuos ex mera miſericordia, & ut bene operentur, non vero quia bene operati ſunt.

Reſpondeo, hunc locum non poſſe intelligi de prædeſtinatione ad gloriam: tum quia unus ex Diſcipulis ſuis quibus loquebatur Chriſtus, non erat ſic prædeſtinatus, ſed reprobus, nempe Judas proditor: tum quia paulo infra loquens de eadem electione, ſeu prædeſtinatione, dicit illã eſſe cauſam cur mundus eos odio habeat: Elegi, inquit, vos de mundo, propterea odit vos mundus: At mundus non poterat eos odiſſe ob prædeſtinationem ad gloriam, cum eam non cognoſceret; ergo neceſſe eſt quod loqueretur de alia electione, quam mundus cognoſcebat, ſcilicet, vel de electione ad Apoſtolatum, vel ad Fidem Chriſtianam, quam palàm profitebantur: Quod etiam patet, quia finis iſtius electionis eſt finis Apoſtolatus, & Fidei Chriſtianæ, ſcilicet ut habeantur opera: Ut eatis, inquit, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat: Unde Eſtius in hunc locum explicat illum textum ad litteram de electione ad Apoſtolatum. D. Auguſtinus autem, & D. Thomas in eundem locum explicant illum de electione ad fidem, ſeu primam gratiam: Ubi Auguſtinus multa habet contra Semipelagianos, qui volebant initium Fidei eſſe à nobis, & non à prædeſtinatione Dei mere gratuita, & frequenter illum locum repetit contra eoſdem, præcipue lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 17. Unde cum hic locus non ſit de prædeſtinatione ad

D. Th. in Ioan. c. 6. lect. 8. approbat hanc electionis explicationẽ ex Chryſoſt.

D. Auguſt. lib. de corre-

ptione & grat. cap. 12. explicat illum locum de prædeſtinatione ad juſtitiam, & ad perſeverantiam.

gloriam ſaltem ſolitarie ſumptam, de qua ſola agimus, nihil habet contra nos.

** Ibi etiam explicat Auguſtinus hanc electionem de electione temporali ad ſocietatem ſuam, dicens: Elegit ergo eos de mundo, cum hic ageret in carne; ſed jam electos in ſeipſo.*

PARAGRAPHUS QUARTUS.

Objectio quarta proponitur, & confutatur.

QUARTUM argumentum petitur ex Matth. cap. 24. ubi ait Chriſtus: Niſi breviati fuiſſent dies illi (ſcilicet ultimæ omnium perſecutionis) non fieret ſalvâ omnis caro, ſed propter electos breviabuntur. Cùm ergo, inquiunt adverſarii, Deus breviet dies illos propter electos: ſequitur quod illi ſunt electi ante præviſa opera; nam ſi præviſi eſſent perſeveraturi antequam illos prædeſtinaſſet, non erat neceſſe dies hos propter illos breviare, cum jam in ſecuro eſſent, & omnino perſeveraturi: ſed ad hoc breviantur dies illi, ut perſeverent, & ſalventur.

Hæc interpretatio ſæpiſſime probabitur in ultima objectione ex Script. quæ eſt de prædeſtinatis, & prædeſtinationibus.

** Etiam tempore D. Auguſtini, boni Chriſtiani vocabantur electi: Lib. 7. de Civitate Dei cap. 1.*

Reſpondeo ibi Electos non ſumi pro prædeſtinatis ad gloriam, ſed pro fidelibus & Chriſtianis, ſeu pro prædeſtinatis ad gratiam: Nam familiariſſimum eſt Scripturis, vocare fideles, Electos, Sanctos, & dilectos: Electos nempe ad fidem, ſeu Religionem Chriſtianam: Sanctos autem & dilectos, per gratiam ſanctificantem: Sic 1. Petri 1. D. Petrus ſcribens fidelibus, ait: * *Electis*, advenis, &c. Et cap. 2. ait: Vos autem genus *Electum*, regale Sacerdotium, gens *Sancta*, populus acquiſitionis: Et D. Paulus ad Coloſſ. 3. Induite ergo vos ſicut *electi Dei ſancti, & dilecti*; viſcera miſericordiæ: Et 2. ad Theſſalonic. 2. ait: Nos autem debemus gratias agere Deo pro vobis ſemper, quod *elegerit* vos, primitias in ſalutem, in ſanctificatione Spiritus, & fide veritatis, in quam vocavit vos per Euangelium noſtrum. Et ad Titum 1. ait: Paulus ſervus Dei, Apoſtolus Jeſu Chriſti ſecundum fidem *electorum* Dei, & agnitionem veritatis. In quibus locis Petrus & Paulus, vocant fideles, electos ad gratiam: Non enim poteſt dici quod illi populi Theſſalonicenſium, Coloſſ. & aliorum quibus ſcribebant, vel de quibus loquebantur illi Apoſtoli, eſſent omnes & ſinguli efficaciter electi ad gloriam, cum nequidem Apoſtoli omnes & ſinguli eſſent ejuſmodi electi, & prædeſtinati ad gloriam, ut patet in Juda proditore qui fuit filius perditionis: Sed quia omnes erant fideles, & Chriſtiani; ideo bene nuncupantur, ad fidem & gratiam Chriſtianam, Non ſolum vocati, ſed etiam electi: Unde communiter in iis locis fit mentio de fide, de ſanctitate, de veritate, de Euangelio, quæ omnia indicant electionem ad fidem &

gratiam Chriſtianam: Vix autem ibi reperies quicquam quod neceſſariò ſpectet ad gloriam: Unde concludendum eſt, quod electi in Scripturis ſumuntur communiter pro prædeſtinatis ad fidem, & gratiam Chriſtianam, & non pro prædeſtinatis aut electis ad gloriam: Et per conſequens quód ſenſus prædicti textûs eſt, quod propter fideles, ſeu in favorem credentium & fidelium, breviabuntur dies illi, ne fides eorum nimis concutiatur, & pereat: Et ſic etiam interpretatus eſt hunc locum D. Hieronymus, hîc dicens: Abbreviati dies intelliguntur ne temporum morâ concutiatur *fides credentium*. Ubi vides Hieronymum vocare credentes, quos Scriptura vocat electos, quia nempe omnes fideles, ut ſupra dictum eſt, ſunt vocati & electi ad fidem & gratiam Chriſtianam. Eodem modo explicat D. Chryſoſtomus hunc locum: Verum, inquit, propter electos decurtabuntur dies illi, *electos dicit fideles*, qui in ipſorum (ſcilicet Judæorum) medio concluſi erant.

Et certe hic locus nullo modo poteſt intelligi de electis efficaciter ad gloriam ſine præviſis meritis, prout volunt adverſarii; quia aliàs iſta propoſitio, [Niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro] eſſet omnino falſa: Quia etiamſi breviati non fuiſſent dies illi, tamen omnes electi, ex vi decreti efficacis Dei ante præviſionem operum facti, abſolute ſalvarentur, cùm non poſſit decretum Dei abſolutum, & efficax effectu ſuo fruſtrari: ex vi enim decreti illius dediſſet Deus eis gratias ita efficaces, ut non ceſſiſſent tentationi, vel ſi illo permittente, ceſſiſſent, ſaltem effeciſſet Deus, ut antequam morerentur, actum contritionis, vel amoris elicerent, & ſic ſalvarentur, non obſtantibus temporibus his difficillimis. Quapropter melius & connaturalius intelligitur locus ille juxta prædictum ſenſum D. Hieronymi, & Chryſoſtomi, non de electis ad gloriam; ſed de fidelibus & Chriſtianis, ſeu de electis ad gratiam, quos ſcilicet tantopere diligit Deus, ut ne velit quidem illos tam graviter tentari, & ideo avertit ab eis tempora illa periculoſa ne labantur, & pereant. Aliqui tamen putant hunc locum melius ad litteram intelligi de ſalute temporali, & corporali, quàm de ſalute ſpirituali: Quia, inquiunt, ibi agebat Chriſtus de vaſtatione Hieroſolymæ ſub Veſpaſiano & Tito, non vero de extremis temporibus: Unde inferunt, quod non loquebatur ibi de ſalute ſpiritali, quæ omnino impertinens erat ad illam hiſtoriam; ſed de corporali, quam etiam expoſitionem approbant D. Hilarius in Matth. can. 25. D. Chryſoſtomus & D. Thomas in illum locum, & noviſſime Janſenius Epiſcopus Gandavenſis, in ſua Concordia Euangelica cap. 132. quam etiam latè explicat ut litteralem: Quapropter hæc verba ſecundum hunc intellectum, ſic exponuntur: Niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro; ſed propter electos breviabuntur: Id eſt, niſi breviati fuiſſent dies illi, omnes qui ſunt in Hieruſalem, & in Regionibus illius, corporaliter perirent: ſed propter orationes & merita Sanctorum qui in illa ſunt, vel propter fideles qui ex ea Regione orientur, vel in fa-

vorem fidelium, breviabuntur dies illi, ſeu brevi finiet illa perſecutio, & occiſio temporalis; & ſic longe eſt hic textus ab intento, & à ſenſu adverſariorum.

PARAGRAPHUS QUINTUS.

Objectio quinta proponitur.

QUINTUM argumentum ſumitur ex iis locis, ubi electi dicuntur dati Chriſto à Patre: ut Joannis 6. & 17. & aliis. Unde inferunt Patrem non reſpexiſſe ad eorum merita, ſed abſolute datos eſſe Chriſto, ut ad vitam æternam certo & infallibiliter perducendos.

PUNCTUM PRIMUM.

Eidem objectioni reſpondetur.

RESPONDEO primò, generaliter loquendo hoc eſſe falſum quod ibi dati ſint prædeſtinati ad gloriam, ceu certo & infallibiliter ſalvandi: Nam Auguſtinus aliquando ſumit illos datos pro credentibus in Chriſtum, aliquando pro humilibus & piis viris. Sumit pro credentibus in Chriſtum, ſcilicet Tract. 106. in Joan. in hæc verba: Manifeſtavi nomen tuum hominibus quos *dediſti* mihi: Ubi omnes datos illos homines, vult eſſe omnes Apoſtolos, Juda non excepto. Imo etiam ait quod potuit dici de omnibus futuris fidelibus ſpecie perfecta, cum adhuc eſſent tantum futura. Sumit autem pro humilibus & piis viris Tract. 25. in Joann. in hæc verba: [Hæc eſt autem voluntas ejus qui miſit me, &c.] Illi, inquit, *datus eſt qui ſervat humilitatem*, hoc accipit: qui non ſervat humilitatem, longe eſt à magiſtro humilitatis. Et D. Thomas in Joann. cap. 6. in hæc verba: [Ut omne quod dedit Pater non perdam ex eo] per iſtos datos intelligit omnes credentes, tam non prædeſtinatos ad gloriam, quam alios: Dicendum, inquit, quod ex illis qui *dati ſunt ei per præſentem juſtitiam*, perduntur: Non autem de illis qui dati ſunt per æternam prædeſtinationem. Ubi vides diverſos ei dari ſcilicet, non prædeſtinatos per præſentem juſtitiam, prædeſtinatos autem per æternam prædeſtinationem, ſcilicet ad gloriam.

Toletus, & Maldonatus exponũt hunc locum de credentibus, & non

Reſpondeo ſecundò examinando ſingulariter locos illos: in quibus ſatis cernetur quod illi dati, non dicuntur dati à Patre, quia omnes prædeſtinati ſunt ad gloriam; ſed quia prædeſtinati ſunt ad fidem, & ad gratiam: Primus ergo locus eſt Joan. 6. ubi ait Chriſtus: [Hæc eſt voluntas ejus qui miſit me Patris, ut omne quod dedit mihi Pater non perdam ex eo.] Jam vidimus ex Auguſtino & D. Thoma hunc locum

non intelligi de ſolis prædeſtinatis ad gloriam, ſed ſecundum D. Auguſtinum de omnibus iis qui ſervant humilitatem, quales ſunt omnes pii, & boni viri: Et ſecundum D. Thomam de omnibus juſtificatis, etiamſi numquam conſecuturi ſint gloriam: ſed ſatis perſpicietur ex ſequentibus verbis quod non ita ſtricte accipienda ſunt verba illa Chriſti, ſcilicet ut omne quod dedit mihi Pater non perdam ex eo, ut per hoc debeat intelligi, quod nullus eorum abſolute perditur; ſed tantum quod nullus eorum perditur culpa Chriſti, negligentia Chriſti: ſed tantum eorum culpa & negligentia qui perduntur: Sic enim ſe habent verba ſequentia: Hæc eſt autem voluntas Patris mei qui miſit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Nunquid omnes qui viderunt Filium, & crediderunt in eum, habuerunt vitam æternam? Certe non; nam Judas, & alii multi viderunt Chriſtum, & in eum crediderunt; & tamen vitam æternam non ſunt conſecuti.

perdam, exponunt per nõ ejiciam, non repudiabo; ſed quantum eſt in me, adjuvabo ne perdantur. Quod cõvenit cum eo, quod prius dixerat Chriſtus: Et eum qui venit ad me, non ejiciam foras: Nam ſi Deus nos ejiceret, & non adjuvaret, periremus omnes: Unde non perdere eſt non ejicere, ne perdantur.

Ergo ut id ita ſtricte non eſt intelligendum, ut debeamus dicere quod omnes qui viderunt Chriſtum, & crediderunt in eum, conſecuti ſunt vitam æternam: ita nec illud quod dixit Chriſtus, [Ut omne quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo] ita ſtricte debet intelligi ut debeamus dicere quod nullus eorum abſolute ſit perditus, ſed tantum quod nullus ex culpa Chriſti, & negligentia perditus eſt, nec privatus fuit vita æterna: Quod eſt dicere, datos illos non eſſe omnes prædeſtinatos ad gloriam, ſed ſolum ad fidem, & gratiam Chriſtianam: Quod etiam clarius apparebit ex ſolutione loci ſequentis.

Secundus locus eſt, Joan. 17. ubi Chriſtus ait: Quos dediſti mihi, ego cuſtodivi, & nemo ex iis periit, niſi filius perditionis: Ecce Chriſtus cuſtodit omnes ſibi datos, & tamen unus ex iis periit: Ergo manifeſtum eſt quod illi omnes dati non ſunt prædeſtinati ad gloriam, ut volunt adverſarii; ſed tantum prædeſtinati ad fidem, & gratiam Chriſtianam, quos ita Chriſtus cuſtodit, ut non ſinat ſua culpa, aut negligentia quemquam eorum perdi, ſed tamen aliqui eorum perduntur propria eorum culpa, Chriſto eis juſte permittente uti libero eorum arbitrio contra bonam Patris voluntatem, qua vult omnes ſalvos fieri, quantum eſt ex ſe, ut ait D. Thomas Comment. in Joan. 6. cap. [Hæc eſt voluntas Patris mei qui miſit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. [Ratio, inquit, quare vult quod non perdam ex eo quod dedit mihi, eſt quod *voluntas Patris eſt vivificare ſpiritualiter homines*, quia ipſe eſt fons vitæ, & quia æternus eſt, *quantum eſt de ſe* voluntatis ejus eſt, ut omnis qui venit ad me, habeat vitam æternam. Et ſic Pater & Filius, quantum eſt de ſe, volunt omnes ſalvare, & nolunt quemquam perire: ſed ipſi homines volunt perire, unde eorum eſt culpa quod pereant, & non Dei: & ipſi potius ſe perdunt, quam Deus aut Chriſtus perdat eos.

†
I H S

PUNCTUM II.

Alicui inſtantiæ Eſtii ſatisfit.

SED contra hæc objicit Eſtius Comment. in prædictum locum Joannis 17. dicens illum locum non comprehendere Judam tanquam Chriſto datum, ſed tantum alios Apoſtolos, & ſenſum illius eſſe: Nemo ex iis periit quos dediſti mihi, ſed tantum periit Judas, quem non dediſti mihi; ſed erat filius perditionis: Impropria (inquit) locutio eſt, ſed Hæbræis perquam familiaris: Ita 4. Regum 5. c. dicit Naaman Syrus: Non faciet ultra ſervus tuus holocauſtum, aut victimam diis alienis, niſi Domino: id eſt tantum Domino: Non enim ſignificare vult Dominum unum eſſe de alienis: Et Apocal. 21. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni: Et Matth. 5. Ad nihil valet ultra, niſi ut mittatur foras: Hæc ibi Eſtius.

Reſpondeo, hanc interpretationem eſſe contra omnium communiter interpretantium ſenſum, imo contra ipſum ſenſum communem, cùm hæc verba tam clara ſint, ut Commentario nullo indigeant. Unde non debuit Eſtius illa verba aliter interpretari quàm ſonant, contra communem regulam interpretand Scripturas ab omnibus receptam, juxta quam illæ debent ſimpliciter intelligi, quando nihil involvunt abſurdum: at non eſt abſurdum quod Deus dederit aliquos Chriſto per fidem & juſtitiam præſentem, qui tamen poſtea voluntarie, & propriâ eorum culpâ perditi ſunt, ut vidimus ex Auguſtino & D. Thoma: Ergo non debuit Eſtius exponere prædictum textum per Hæbraïſmum, & per impropriam interpretationem; ſed debuit illum intelligere ſimpliciter ut ſonat, de filio perditionis qui datus eſt Chriſto à Patre; licet ipſe filius perditionis Judas per propriam culpam ſe perdiderit. Præterea neſcio quo fundamento putet hìc Eſtius Hæbraïſmum eſſe, tum quia D. Joannes non ſcripſit ſuum Euangelium Hæbraïce, ſed Græce; nam quamvis Hæbræus eſſet, non tamen ſequitur ut ſcribens Græce ſecutus ſit communiter modum loquendi Hæbraïcum, ut nec bene ſequitur quod Gallus ſcribens Latine ſequatur modum loquendi Gallicum. Præterea etſi in prædicto textu eſſet aliquid quod haberet aliquam ſimilitudinem cum Hæbraïſmo, quod aſſerit Eſtius non tamen cito ſequitur quod vere ſit Hæbraïſmus, cum multi ſint alii loci huic omnino ſimiles in Scripturis, qui tamen exponuntur propriè, & ſimpliciter, & non per Hæbraïſmum, & impropriè: ut Marci 5. cum Chriſtus vellet intrare domum Archiſynagogi, ut ſanaret ejus filiam, dicitur quod non admiſit quemquam ſe ſequi, niſi Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem Jacobi: quod non exponitur per Hæbraïſmum, quaſi Petrus & Jacobus & Joannes non eſſent de iis, de quibus prius generaliter locutus erat, quos excepit poſtea: ſed exponitur de eis ut vere contentis in præcedenti propoſitione.

Similes ſunt hi loci Matt. 13. Non eſt propheta ſine honore, niſi in patria ſua. Et Marci 6. Non poterat ibi ullam

virtutem facere, niſi paucos .... curavit.

generali, quos poſtea excepit per propoſitionem particularem: Item, Lucæ 17. Cum ex decem leproſis mundatis, unus rediiſſet gratias agens Chriſto; ſic ait ibi Chriſtus: [Decem mundati ſunt, & novem ubi ſunt? non eſt inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena: Quod non exponitur per Hæbraiſmum, quaſi hic alienigena non eſſet ex decem, aut eſſet alius aliquis de turba; ſed exponitur de illo ut uno ex decem, prout fatetur ipſe Eſtius in illum locum. Unde fateatur neceſſe eſt quod etiam Judas, ſeu filius perditionis erat unus ex datis Chriſto, cum ſimilis modus loquendi in utroque reperiatur: quandoquidem in uno dicitur quod nemo ex iis periit, niſi filius perditionis: In altero autem dicitur, quod non eſt inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena.

Et ſane longe diverſus eſt ſenſus locorum illorum, quos adducit Eſtius in exemplum prætenſi Hebraïſmi ab eo loco de quo loquimur: Nam in primo, ſcilicet: [Non faciet ſervus tuus holocauſtum, aut victimam diis alienis, niſi Domino] Satis oſtendit ſubjecta materia quod locus ille non debet exponi proprie, & ſimpliciter, ſed improprie, & per Hæbraïſmum, cum certum ex ſe ſit quod Dominus non eſt unus ex diis alienis, ſed ſit verus & proprius: In ſecundo ſcilicet, Non intrabit in eam, aliquid coinquinatum niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ, ſatis adhuc oſtendit ſubjecta materia quod non debeat proprie & ſimpliciter exponi, ſed improprie tantum, cum certum ex ſe ſit quod omnes qui ſcripti ſunt in libro vitæ, ſint incontaminati, & immaculati: Et per conſequens, quod non ſunt de iis quos vocat coinquinatos, qui non intrabunt in illam civitatem magnam & ſanctam, de qua loquitur Apoſtolus: Quantum autem ad tertium locum non eſt modus loquendi peculiaris Hæbræis, ſcilicet: Ad nihil valet ultra, niſi ut mittatur foras: Dicimus enim idem Gallice: *Cela ne vaut rien qu'à jetter au fumier.* Unde non erat quod Eſtius inter Hæbraïſmos enumeraret eum, quantum ſpectat ad præſentem ſenſum, qui in quæſtione eſt: Præterquam quod iſte loquendi modus non eſt ſecundùm intentum Eſtii, qui præcipuè vult ſubjectum poſterioris partis propoſitionis non comprehendi in priore: ſcilicet filium perditionis non comprehendi in iis qui dati fuerant Chriſto: Nam in hoc textu, ad nihil valet ultra niſi ut mittatur foras: ſal quod eſt ſubjectum poſterioris partis, de quo enuntiatur quod valet ut mittatur foras, comprehenditur in priore, in qua enuntiatur de illo quod ad nihil valet: Unde hic locus non eſt ad propoſitum.

Reſpondendo ergo ad duos priores locos dicendum eſt, quod cum in illis, ſubjecta materia demonſtet, quod illi non debent intelligi in ſenſu proprio & ſimplici, quia aliàs ſequeretur abſurdum, ſcilicet in priore, quòd Dominus Deus eſſet Deus aliennus: Et in poſteriore: Quod ii qui ſcripti ſunt in libro vitæ eſſent coinquinati; non eſt mirum quod ibi recurratur ad improprias interpretationes, ut habeatur verus illorum ſenſus: At vero cum in noſtro caſu nihil ſequatur hujuſmodi, ut ſupra

notatum eſt, cum nullum ſit abſurdum dicere quod aliquis datus ſit Chriſto qui propria culpa, & non Chriſti negligentia factus eſt filius perditionis, conſequens neceſſario eſt, quod prædictus locus debeat exponi ſimpliciter & proprie prout ſonat, & non improprie, & per Hæbraiſmum, ut volebat Eſtius: Et ſic peculiariter expoſuerunt illum D. Auguſtinus, & D. Thomas, quos hic ſequimur. Ille Tractatu 106. in Joann. paulo poſt initium; ubi ait illud magis urget quod paulo poſt ait (ſcilicet Chriſtus) [Cùm eſſem cum eis ego ſervabam eos in nomine tuo: quos dediſti mihi cuſtodivi, & nemo ex iis periit niſi filius perditionis, ut Scriptura adimpleatur] Judam ſignificans qui tradidit eum: *ex iſto quippe denario numero Apoſtolorum ſolus periit.* Et D. Thomas in Joan. c. 6. in hæc verba: [Ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo] ſic ait: Sed contra eſt quod dicitur Joannis 17. [Nemo ex iis] ſcilicet [quos dediſti mihi periit, niſi filius perditionis] ergo aliqui eorum qui dati ſunt ei per æternam prædeſtinationem, perduntur: Sed dicendum eſt *quod ex illis qui dati ſunt ei per præſentem juſtitiam, perduntur*; non autem de illis qui dati ſunt per æternam prædeſtinationem. Ubi manifeſte declarat ſanctus Thomas, filium illum perditionis fuiſſe datum Chriſto per præſentem juſtitiam: Licet non per prædeſtinationem ad gloriam, quod & repetit aliis verbis c. 3. in Joan. in hæc verba: Ego ſcio quos elegerim. Dicendum, inquit, quod eſt duplex electio (ibi eligere idem eſt ac dare) una eſt *ad præſentem juſtitiam, & ad hanc electus fuit Judas*: Alia electio eſt ad finalem gloriam, & ſecundum hanc Judas non fuit electus. Ubi clare agnoſcit D. Thomas Judam fuiſſe electum, & proinde Chriſto datum per præſentem juſtitiam.

Punctum III.

Alteri inſtantiæ Eſtii ſatisfit.

Ex quo confutatur etiam Eſtius, qui ſcribens in Joan. cap. 6. in hæc verba [Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus eſt] ait quod Judas nunquam vere credidit in Chriſtum; quod eſt dicere, quod non fuit electus ad gratiam: Sed ecce D. Thomas qui clare agnoſcit, eum electum fuiſſe per præſentem juſtitiam, quæ fit per collationem gratiæ ſanctificantis. Et ſane rationes Eſtii ibi allatæ leviſſimæ ſunt. Nam quod affert ex Euangelio Joan. capite citato, ubi cùm multi non crederent verbis Chriſti de veritate corporis ſui in Euchariſtia diſſerentis, dicit Euangeliſta quod [Sciebat ab initio Jesus qui eſſent non credentes, & quis traditurus eum eſſet] hoc non ſignificat quod Judas non eſſet credens ab initio ſuæ vocationis: ſed quod ipſe, & aliqui alii, qui aderant huic ſermoni, non erant credentes; ſed diſcredentes ab initio illius ſermonis: Et ex quo cœperant contra Chriſtum murmurare, ut bene notat Maldonatus in illum locum ex Chryſoſtomo, Leontio, & Euthymio:

Euthymio: & longe probabilius eſt quam quod ibi dicit Eſtius: Quandoquidem ibi notatur incredulitas Judæ, ut communis cum aliis Diſcipulis qui credebant in Chriſtum; ſed audito quod vellet dare ſuam carnem ad manducandum, & ſanguinem ſuum ad bibendum: dixerunt durus eſt hic ſermo, & tandem ab eo receſſerunt, id eſt amplius non crediderunt. Nec majoris momenti eſt, quod ibi ait, ſcilicet: quod Scriptura nihil uſquam boni refert de Juda: Quod argumento eſt, inquit, eum ab initio quo electus eſt, malum fuiſſe.

Nam reſpondeo id bene non ſequi, quia bona illius opera ſuppreſſit Scriptura, in deteſtationem execrandæ illius proditionis, & finis ſeu mortis illius horribilis: Et præterea, quamvis nihil boni exterius egiſſet, ut cæteri Apoſtoli, non ſequitur tamen quod fidem & gratiam in ſua vocatione non recepiſſet, ſed quod paulo poſt amiſiſſet, & non diu illas ſervaſſet: Unde D. Auguſtinus in Pſal. 108. manifeſte agnoſcit, illum recepiſſe gratiam adoptionis; ſed eam non tenuiſſe, id eſt in eâ non perſeveraſſe. Nam in illum verſiculum [In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conſpectu Domini, & peccatum matris ejus non deleatur] ſic ait: An intelligendum eſt ut reddantur ei peccata etiam parentum ſuorum: *Ei quippe non redduntur qui fuerit mutatus in Chriſto, & cœperit eſſe non filius iniquorum non imitatus mores illorum:* Quod paulo poſt applicans Judæ, ſic ait: Si ergo Judas *teneret illud ad quod vocatus eſt*, nullo modo ad eum, vel ſua præterita, vel parentum iniquitas pertineret; ſed quia non *tenuit adoptionem in familia Dei*; ſed iniquitatem vetuſti generis potius elegit, *rediit* iniquitas patrum ejus in conſpectu Domini, ut in eo etiam ipſe puniretur, & peccatum matris ejus non deleretur: Ubi manifeſte agnoſcit Auguſtinus, Judam habuiſſe gratiam adoptionis in familia Dei; ſed in ea non perſeveraſſe, & iniquitatem ejus quæ deleta fuerat in illius converſione, poſtea rediiſſe in ejus perverſione. Ex quo eliditur alia inſtantia Eſtii, qua vult probare ex Auguſtino qu. 117. ſuper Geneſ. quod Judas non fuit electus ad gratiam, ex eo quod ibi dicat Auguſtinus: Hæc verba Chriſti [Nonne ego vos duodecim elegi] eſſe dicta per ſynecdochen ſumendo partem pro toto, & ſic excludens Judam. *Ibidem.*

Nam reſpondeo, quod duplicem agnovit Auguſtinus electionem, ſicut & D. Thomas, ut & infra latius probabimus: Sumendo ergo ibi electionem pro electione ad gloriam, bene negat Auguſtinus Judam ad illam electionem pertinere: At vero ſumendo illam electionem ut ad gratiam, non negaret illam pertinere ad hanc electionem, ut evidens eſt ex mox allato ejus teſtimonio, & ex eo quod adduximus initio hujus argumenti: Et aperte etiam id admittit Tract. 27. in Joannem, his verbis: Poteſt & ſic intelligi quod ait (ſcilicet Chriſtus) duodecim elegi; quia ſacratus eſt numerus (ibi manifeſte comprehendit Judam inter electos: nam ſine eo non eſſet ille numerus ſacratus, ſeu duodenarius) Non enim quia periit *inde* (id eſt ex illo numero duodenario)

In ult. generali objectione ex Scripturis.

Hic eſt idem locus de quo differens Auguſt. qu. 117. ſuper Geneſ negat Iudam eſſe unum ex duodecim.

electis, & hic aſſerit eſſe unum ex iis: Propter ſcilicet diverſam electionem; ſecundum unam eſt ex iis, ſecundũ alteram non eſt ex iis.

unus (ſcilicet Judas) ideo illius numeri honor demptus eſt: Nam in *locum* pereuntis alius ſubrogatus eſt. Et infra: Se exterminavit Judas non duodenarium numerum violavit, ipſe deſeruit præceptorem, nam Deus appoſuit illi ſucceſſorem: ubi ſemper comprehendit Auguſtinus Judam in illo formali duodenario numero electorum: & ſic conſiderat eum ut electum, & datum Chriſto; non quidem ut datum per æternam prædeſtinationem ad gloriam, ſed ut datum per præſentem juſtitiam, ſeu prædeſtinationem ad gratiam, ut admittit etiam D. Thomas, ubi ſupra.

PUNCTUM IV.

Similis præcedentibus locus explicatur.

SIMILIS præcedentibus eſt locus ille Joannis 10. ubi Chriſtus loquens Judæis incredulis, ait: Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis: Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea: Ex quo colligunt adverſarii, omnes qui dati ſunt Chriſto, eſſe electos ad gloriam, quia eſſe ovem Chriſti, & eſſe datum Chriſto idem eſt.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia vere & litteraliter intelligitur locus iſte de prædeſtinatis ad gratiam, & non de prædeſtinatis ad gloriam. Senſus enim loci illius eſt: Ideo non creditis, quia non eſtis ex iis, quos mihi dedit Pater in Fideles & Chriſtianos: Non vero: Ideo non creditis, quia non eſtis de prædeſtinatis ad gloriam; & ſenſus per ſe clarus eſt, modò littera tota afferatur [Cùm ambularet JESUS, inquit Euangeliſta, in porticu Salomonis, circumdederunt eum Judæi, & dicebant ei: Quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam] Reſpondit ei JESUS [Loquor vobis, & non creditis; opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me; ſed vos non creditis (ſcilicet id quod opera illa mea teſtantur, me nempe eſſe Chriſtum) quia non eſtis ex ovibus meis] id eſt non quia illa opera ſufficientia non ſint, ad adducendos vos ad fidem, & ad credendum me eſſe Chriſtum; ſed quia non vultis eſſe de ovibus meis, ſeu de Fidelibus meis, quia indurati, quia rebelles, quia Spiritui ſancto, & veritati reſiſtentes: Unde bene annotavit hîc Janſenius Epiſcopus Gandavenſis, in ſua Concordia Euangelica, c. 93. in interrogatione illorum Judæorum perverſam illorum voluntatem, cùm dicerent Chriſto [Si tu es Chriſtus dic nobis palam] Non enim, inquit, bona mente iſtud quærunt, ſed ſubdole: ut ſi fatetur aperte eſſe Chriſtum, propriis oris ejus verbis accuſare poſſent apud Pilatum; opera enim ejus incuſare non valentes, captionem quandam ex verbis ejus invenire cupiebant. Unde cum tam perverſo in Chriſtum eſſent animo, nullo modo erant parati & diſpoſiti ad credendum, & ad eſſe ejus oves & diſcipulos: Et

ideo dicit eis [Mihi non creditis, quia non eſtis de ovibus meis] id eſt, non habetis docilitatem ovium mearum, imo vero lupi eſtis, quærentes devorare & perdere ipſum paſtorem ovium : Unde & ſequitur [Oves meæ vocem meam audiunt] id eſt, non reſiſtunt, ſicut vos, verbis meis, gratiis meis, quibus eas invito ad fidem; ſed facile acquieſcunt veritati, quam ego annuntio vobis: Unde non tantum ſunt oves hi qui credunt actu, ſed etiam hi qui credituri ſunt in Chriſtum, ut ipſemet Chriſtus ſuperius dixit in eodem capite [Alias oves habeo quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, &c.] quæ, oves non poſſunt eſſe niſi Gentiles, per verbum Apoſtolorum aliquando credituri; non tamen adhuc credentes: Et ſic patet quod locus hic eſt ſolum de prædeſtinatis ad Fidem & ad gratiam, & non de prædeſtinatis ad gloriam: Cùm prædeſtinatio ad Fidem magis ſpectet ſcopum Chriſti afferentis rationem cur illi Judæi non crederent, quam prædeſtinatio ad gloriam. Nam illi potuiſſent eſſe prædeſtinati ad gloriam, & tamen tunc non credere, non autem poterant eſſe prædeſtinati ad Fidem præſentem, ſeu ad credendum tunc, quin actu tunc crederent. Neque huic expoſitioni obſtant verba ſequentia, quibus videri poſſet Chriſtus innuere illas oves eſſe homines prædeſtinatos ad gloriam, cùm dicit [Vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea] Non enim verba illa debent ſumi abſolute, ſed ſub hac conditione: Si velint conſentire verbis meis, gratiis meis, & obedire præceptis: Nec enim Deus quemquam cogit ad ſalutem; ſed tantum invitat, & vocat ut libere, & voluntarie conſentiant, ad idque ſuas gratias excitantes, ſeu prævenientes ſubminiſtrat eis, ut libere & expedite conſentiant, à nulloque tam intrinſecùs quàm extrinſecùs impediri poſſint, quominus conſenſum ſuum illi præſtent. Unde valde notanda ſunt illa verba [Non rapiet quiſquam de manu mea] per quæ explicat verba præcedentia, ſcilicet [vitam æternam do eis, & non peribunt] per hæc enim vult dicere quod ita muniet illos gratiis ſuis, & auxiliis divinis, ut nec homo per terrores & ſupplicia, nec diabolus per tentationes internas, poterit eos perdere in gehennam, niſi ipſi ſponte ſua contra gratiam conſenſerint: Ubi enim manus ſecundùm Auguſtinum Tract. 48. in Joan. ſignificat poteſtatem, & ſequens textus Scripturæ clare indicat ibi agi de poteſtate, & non de actu, cùm pergit Chriſtus dicere [Pater meus quod dedit, majus omnibus eſt, & nemo *poteſt* rapere de manu Patris mei. Ego & Pater unum ſumus] Ubi quod prius dixerat de actu, dicit ibi de poteſtate, nemo *poteſt* rapere: Et de eâdem poteſtate, cùm dicit, ego & Pater unum ſumus. Unde ſenſus eſt quod ita muniet illos ſuis gratiis, & auxiliis, ut nemo poſſit abducere eos ab illo, niſi ipſi conſenſerint, niſi ipſi voluerint: ita quod culpa ſit illius qui perditur, qui ſinit ſe rapi è manu protegentis, non vero illius qui eum ſic protegit.

Locus iſte non poteſt ad litteram intelligi de prædeſtinatis ad gloriam: aliàs ratiocinatio Chriſti eſſet invalida, quod abſit.

Poſt medium.

Quemadmodum ſi quis confugiſſet ad domum cujuſdam Principis; & dixiſſet ei Princeps, nemo te rapiat de manu mea. Certe ſi is qui ita confugit, poſtea ſponte exiret, & dederet ſe hoſtibus, non poſſet

Princeps arguit culpæ, aut mendacii: Quia ſenſus illorum verborum non eſt quod abſolute nemo eum rapiet, ſed quod nemo rapiet eum invitum: ita & in propoſito caſu. Et ipſum verbum, rapiet, id ſignificat: Non enim dicitur rapi qui voluntariè ſe dat inſequentibus; ſed qui invito, ſeu involuntariè abſtrahitur: Et idem ſignificat verbum Græcum, ἁρπάζω, in originali Græco poſitum.

Itaque ibi ſubaudienda eſt illa conditio, ſi velint conſentire, & cooperari gratiis, & auxiliis meis: Quomodo & in alio loco ubi dicit Euangeliſta [Sic Deus dilexit mundum ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam] Hæc enim propoſitio abſolute ſumpta, eſt falſa [ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat, &c.] Multi enim crediderunt in eum etiam fide formata, & tamen perierunt, nec habuerunt vitam æternam: ſed ſubaudiendum eſt, modo utantur perſeveranter auxiliis, & gratiis, quas eis Chriſtus meruit per paſſionem & mortem ſuam. Item, & in illo alio loco (de quo ſupra) ejuſdem Euangeliſtæ; ubi Chriſtus dicit Patri [Quos dediſti mihi ego cuſtodivi] ſubaudiendum eſt aliquid, ſcilicet quantum eſt de me: nam ſi cuſtoditi nolint perſeveranter cooperari gratiis datis, & ipſi peribunt, ut conſequenter dicitur de Judâ [Et nemo ex iis periit, niſi filius perditionis] quia nempe fideliter & perſeveranter non eſt cooperatus gratiis datis, quæ erat conditio ſubaudita, & requiſita, ad hoc ut illa cuſtodia haberet effectum ſalutis in illis: Ratio ergo generalis eſt, quia neminem Deus cogit ad ſalutem, ſed liberum cuique relinquit, vel ſalvari cum gratiis datis, conſentiendo ipſis: vel non ſalvari non conſentiendo ipſis: Et ſic plerique loci videntur in Scriptura abſolute intelligendi, qui tamen ſubaudiunt aliquam conditionem, ut ſæpe etiam notat Auguſtinus in Tractatibus in Joannem.

Ioan. 3. 16.

Ioan. 17.

Punctum V.

Alicui difficultati quæ fieri poſſet ex Auguſtino occurritur.

Verum contra objicies, & dices: Quod Auguſtinus intellexit hunc textum, ſcilicet [Non eſtis de ovibus meis, &c.] de ſolis prædeſtinatis ad gloriam: Dicit enim Tractatu 48. in Joan. Quod oves vita æterna perfruendo ſunt, & dein reddens rationem cur ii quibus loquebatur Chriſtus, non eſſent ex ovibus ſuis; ait: Quia videbat eos ad ſempiternum interitum damnatos, non ad vitam æternam ſui ſanguinis pretio comparatos: Quod indicio eſt eum intellexiſſe, ſeu ſumpſiſſe oves illas, pro ſolis prædeſtinatis ad gloriam.

Reſpondeo, D. Auguſtinum ibi multipliciter ſumere nomen ovium, ut patet ex his verbis ex eodem loco deſumptis: Oves, inquit, credendo ſunt (& ſic ſumit pro fidelibus) oves paſtores ſequendo ſunt (& ſic ſumit pro juſtificatis) oves paſtorem non contemnendo ſunt: oves per oſtium intrando ſunt, oves exeundo & paſcua inveniendo ſunt, oves vita æterna perfruendo ſunt: Cùm ergo ibi dicit; oves vita æterna

perfruendo ſunt, ſumit illud nomen excellenter, & non pro eo quod ſonat ſimpliciter: tum quia ibi multas ſignificationes ovium dedit, tum quia ibidem aſſerit ſe prius illius nominis veram ſignificationem tradidiſſe, his verbis: Jam, inquit, ſupra didiciſtis quæ ſunt oves: ſupra autem (ſcilicet Tract.45.) ſumit oves pro Catholicis. Si Catholici, inquit, Fideles erant, oves erant: Et in ipſo loco in objectione allegato, manifeſte oſtendit eſſe aliquas oves quæ pereunt: Quid poteſt, inquit, lupus? quid poteſt fur, & latro? Non perdunt niſi ad interitum prædeſtinatos: De *illis* autem ovibus de quibus dicit Apoſtolus: Novit Dominus qui ſunt ejus, &c. de ovibus *iſtis* nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit. Ubi manifeſte diſtinguit illas oves à præcedentibus quæ pereunt, & ſic ſumit nomen ovium ſimpliciter, pro prædeſtinatis ad gratiam: Quorum aliqui pereunt; aliqui vero non pereunt, ſed vita æterna perfruuntur; & hi ſunt quos vocat oves per excellentiam, & nos cum ipſo: Nec enim negamus locum illum Scripturæ pertinere ad oves illas excellentes, & prædeſtinatas ad gloriam; ſed negamus ad eas ſolas pertinere: Sed dicimus pertinere etiam ad alias, ut aſſerit ipſe Auguſtinus ubi ſupra: Nam inter prædeſtinatos ad gratiam, ſunt alii aliis perfectiores, & ſic potuit Auguſtinus loqui de illis, non præjudicando cæteris, maxime cum in illis Tractatibus quos habebat ad populum, non tam attenderet litteræ, quam utilitati & ædificationi audientium.

Eodem modo ſumit etiã nomen oviũ in libro de ovibus: præcipue c. 1 & 16. Quod autem, inquit, Chriſtiani ſumus & nos vobiſcum oves ſumus: Item & l. 4. contra duas Ep. Pelag. c. 6.

Quantum autem ad illam conſequentiam, quam infert Auguſtinus ex his verbis, non eſtis ex ovibus meis; ubi ait quod Chriſtus id dixit quia videbat illos ad ſempiternum interitum damnatos, & non ad vitam æternam comparatos. Reſpondeo quod id intelligit manendo in ſua explicatione, de illis excellentibus ovibus, de quibus immediate antè locutus fuerat, dicendo: oves vita æterna perfruendo ſunt: Unde bene ait quod cùm videret Chriſtus aliquos eſſe damnandos, bene negabat illos eſſe de talibus ovibus, quæ aliquando vita æterna perfruerentur. Et totum quod ſequitur in illo loco Auguſtini huic innitur explicationi de illis ovibus excellentibus, & beatis futuris: Quapropter nihil ibi eſt contra nos, qui non negamus prædeſtinatos ad gloriam eſſe oves excellentes & ſingulares Chriſti, ſed tantum eſſe ſolas; quod non aſſerit Auguſtinus.

PUNCTUM VI.

Alia generalis ſolutio præcedentibus textibus adhibetur.

SED etſi locus ille Scripturæ intelligeretur de ſolis prædeſtinatis ad gloriam, nihil tamen hinc poſſet inferri contra nos, cum illa omnia, ſcilicet vitam æternam do eis, & non peribunt, & non rapiet eas quiſquam de manu mea: tam bene procedant in prædeſtinatione poſt prævisa merita, & ex certitudine præſcientiæ, prout bene notat Gordonus in illum locum, quam in prædeſtinatione ante prævisa merita. Quod

etiam dicendum eſt de duobus antecedentibus locis Scripturæ, qui ſunt de datis Chriſto.

Nam etiamſi intelligerentur de prædeſtinatis ad gloriam, non tamen minus recte intelligerentur de prædeſtinatis ad gloriam poſt præviſa merita, quam de prædeſtinatis ante præviſa merita: Potuit enim Pater æternus dare ſingulariter Filio ſuo, eos quos praeviderat per gratiam ſuam recte victuros, & proinde gloriam merituros, æque ac alios quorum procuraſſet merita, imo vero melius eos qui jam merituri gloriam prævidebantur, cum donum illud tanto debebat eſſe filio charius, & gratius, quanto erat illo jam dignius. Unde forte dicitur Apoc.3. [Ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt] ſed noluimus ita explicare locos illos, quia licet forte ita recte explicari poſſint in ſenſu morali & myſtico, non tamen in litterali, cum littera nihil aliud ſignificet,*quam quod Pater dedit Filio ſuo omnes credentes, quos ſingulariter paſſione & morte ſua promeruit, ut eos quantum eſt de ſe, & ſuppoſita eorum cooperatione libera, perduceret ad Regnum: Ita quod ſi non adipiſcerentur illud, eorum imputaretur pervicaciæ, & non filii negligentiæ: Unde ſupra dicebat Jesus [Nemo ex iis periit niſi filius perditionis] id eſt qui ita addictus erat ſuæ perditioni, ut noluerit unquam gratiis ſibi datis licet potentiſſimis, imo ipſi gratiarum authori ſibi loquenti: Amice ad quid veniſti? Juda oſculo Filium Hominis tradis, unquam acquieſcere, ut ſalvaretur.

Sed & non dubito dicere quod ſi loci illi intelligantur de prædeſtinatis ad gloriam, debent ſecundum Auguſtinum intelligi de prædeſtinatione illa poſt præviſa merita: cum in illis datis (& idem eſt de ovibus) ſupponat merita, antequam Filio dentur: ut patet ex illo loco Tract.25. in Joan. ſub finem, ubi ait in hæc verba [Hæc eſt autem voluntas ejus qui miſit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo] Ipſe, inquit, *illi datus eſt qui ſervat humilitatem:* Hoc accipit; qui non ſervat humilitatem, longe eſt à magiſtro humilitatis, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo: Sic non eſt voluntas in conſpectu Patris veſtri, ut pereat unus de *puſillis iſtis*: de tumentibus poteſt perire, de *puſillis* nihil perit, quia niſi fueritis ſicut *puſillus* iſte, non intrabitis in Regnum Cælorum: Ubi manifeſtiſſime ſupponit opera humilitatis in iis qui Chriſto dantur: Et per conſequens ſupponit ea etiam ante prædeſtinationem illorum ad gloriam, ſi nempe dati illi ſumuntur pro prædeſtinatis ad gloriam.

Ita videtur illum locum intellexiſſe Auguſt. l. de corrept. & grat. cap. 9. cum ait: Hi ergo intelliguntur dari Chriſto qui ordinati ſunt in vitā æternam. Nā illi ſuppenūtur ordinati, ſeu apti facti ad vitam æternam, priuſquam Chriſto dentur.

* *Pſ. 2. Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Supra quod dicit Auguſt.* ut ſcilicet Gentes nomini Chriſtiano copulentur, *atque ita à morte redimantur & poſſideantur à Deo earum ad ſalutem. Vbi particula, ita, deſignat in tantum Gentes ei datas eſſe, in quantum Chriſtiano nomini copulandæ erant.*

PARAGRAPHUS SEXTUS.

Objectio ſexta proponitur.

SEXTUM argumentum ſumitur ex Act. 13. ubi dicitur: Crediderunt quotquot erant præordinati in vitam æternam. Ex quo inferunt adverſarii præordinationem illam eſſe prædeſtinationem ante præviſa merita, in quantum indicat illam præordinationem eſſe cauſam Fidei, cæterorumque mediorum conducentium ad vitam æternam.

PUNCTUM PRIMUM.

Eidem objectioni reſpondetur.

RESPONDEO hunc locum ſumptum ut jacet, nihil habere quod faveat prædeſtinationi ante præviſa merita, aut quod ſit contrarium prædeſtinationi poſt præviſa merita: Video enim in hoc textu præordinationem ad vitam æternam, ſed non video quod illa præordinatio ſit ante præviſa merita: Nam particula illa, præ, quæ ibi ponitur ante ordinationem, non dicit in illa præordinatione, ut nec in prædeſtinatione, anteceſſionem decreti prædeſtinantis ad præviſionem rei: Sed tantum ad illius rei exiſtentiam, prout tenent omnes Theologi, in explicatione illius termini, prædeſtinatio. Unde nihil magis dicit hic textus, quam ſi ita poneretur: Crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam, priuſquam exiſterent: quod ſane non dicit, aut innuit præordinationem illam factam eſſe ante vel poſt præviſa merita, ſed abſtrahit. Unde D. Chryſoſtomus Homil. 30. in hæc verba Actuum Apoſtolorum [Indignos judicatis vos] non dubitavit dicere præſcientiam præceſſiſſe illam iſtam præordinationem de qua loquimur, & de qua ibi loquitur ipſe. Et certum eſt quod illa præceſſio, nullo modo repugnat prædeſtinationi poſt præviſa merita: Cùm homines potuerint æque bene prædeſtinari poſt præviſa merita, ac ante præviſa merita. Ubi & notandum eſt quod verbum Græcum τάσσω, à quo, τεταγμένοι, quod hîc ponitur, pro eo quod eſt in Latino præordinati, proprie ſignificat ordino, diſpono, colloco, quod ordinarie ad melius eſſe, ſupponit præviſionem, cum melius ordinentur ea quæ præviſa ſunt, quam quæ non præviſa: Unde in hac ſuppoſitione præviſionis ante prædeſtinationem, videtur loqui Auguſtinus de ipſa prædeſtinatione libro de dono perſeverantiæ, cap. 17. cùm ait: Iſta igitur ſua dona quibuſcumque Deus donat, procul dubio ſe donaturum eſſe *præſcivit*, & *in ſua præſcientia præparavit*. Et paulo poſt: *In ſua*, inquit, *quæ falli* mutarique non poteſt *præſcientia*,

opera ſua futura diſponere, id omnino nec aliud quicquam eſt, prædeſtinare. Ubi videtur præſupponi præſcientia ad meliorem præparationem, & ordinationem & diſpoſitionem rerum prædeſtinandarum: Unde ex iſto verbo prædicti textus potius colligeretur quod prædeſtinatio ad gloriam facta eſt poſt præviſa merita, quam ante præviſa merita: certe contrarium non poteſt ex eo colligi.

Ad id autem quod dicunt præordinationem illam, ſeu prædeſtinationem ad gloriam, ibi deſignari ut cauſam fidei.

Reſpondeo id eſſe falſum: Cùm nullam ibi videamus particulam cauſalem, quæ deſignet cauſalitatem, ſed merum & nudum contextum hiſtoricum, narrantem eventum rei, & non reddentem cauſam illius: ut patet ex his ipſius textus verbis: Crediderunt, inquit Euangeliſta, quotquot erant præordinati ad vitam æternam: Ecce narratur quod eventum eſt: nec dicitur unum eſſe cauſam alterius; & ſenſus eſſe poteſt: Quod crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam: ſive illa præordinatio eſſet cauſa fidei & meritorum, ſive non.

Punctum II.

Quibuſdam inſtantiis ſatisfit.

Sed quæres: ſi nulla ſit cauſalitas prædeſtinationis in fidem credentium; cur credentes vocat Euangeliſta prædeſtinatos ad vitam.

Reſpondeo primò, ibi forte Euangeliſtam ſumere vitam æternam, pro fide & gratia: prout aliquando ſumitur in Scripturis, ut bene notat Maldonatus in Joannem cap. 17. ubi ad illa verba Chriſti [Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum] vult ibi vitam æternam ſumi pro fide; & etiam id autumat D. Auguſtinus Tractatu 105. in Joannem paulo poſt initium, & indubitanter vita æterna ſumitur pro fide; Joan. 3. ubi hæc habentur: Qui credit in filium habet vitam æternam. Et 1. Joan. 3. ſumitur pro gratia: Cùm dicat ibi quod omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem, id eſt gratiam in ſe manentem. Et ſic explicat locum illum Menochius, alioqui nobis contrarius. Loquitur, inquit, de prædeſtinatione non completa, quæ eſt ad gloriam; ſed de incompleta, quæ eſt ad fidem & gratiam juſtificationis. Et ſenſus eſt, credidiſſe eos, quibus erat præordinatum ut daretur auxilium efficax ut crederent.

Secundò reſpondeo ita illos forte vocaſſe, ſecundum modum loquendi ſatis communem, ſecundum quem vocamus eos prædeſtinatos, quos videmus pie, ſanctèque vivere: Unde Auguſtinus ait lib. de corrept. & gratia cap. 9. Appellamus eos & *electos* Chriſti diſcipulos, & Dei filios: *Quia ſic appellandi ſunt, quos regeneratos pie vivere cernimus:* Sed tunc vere ſunt quod appellantur, ſi manſerint in eo, propter quod appellantur: Quod ſi Auguſtinus vult electos & prædeſtinatos appellari omnes pios, ſeu fideles cum ſanctè pieque vivunt: Quanto magis poterat

poterat ſanctus Lucas ita vocare primitivos illos, & ferventes Chriſtianos, quandoquidem tanta erat iſtorum novorum Fidelium ſanctitas & perfectio: ut quis non imprudenter poſſet conjicere illos eſſe prædeſtinatos ad gloriam, quos videret credere, & efficaciter vocatos eſſe ad fidem: Unde cum iſta denominatio fundata eſſet in meritis iſtorum Credentium, tantum abeſt ut per hæc vellet innuere prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante præviſa merita, ſeu eſſe cauſam fidei & meritorum: quin potius voluit innuere illam prædeſtinationem eſſe poſt præviſa merita, ſeu ex præviſis illis meritis, in quibus fundabat iſtam denominationem.

Et ſane non poterat ſanctus Hiſtoricus, ſeu Euangeliſta, certò & indubitanter aſſerere quod illi Credentes eſſent prædeſtinati ad gloriam, ſi tantum fundatus fuiſſet ſuper cauſalitate prædeſtinationis in fidem, etiam admittendo quod prædeſtinatio ad gloriam eſſet cauſa fidei in prædeſtinatis. Et ratio eſt, quia prædeſtinatio ad gloriam, etiam in illa opinione, non eſt cauſa adæquata fidei, cum fides etiam reperiatur in reprobis, & non ſit bona illa conſequentia: hic habet fidem, ergo eſt prædeſtinatus ad gloriam: Nec etiam iſta; ille eſt prædeſtinatus ad gloriam, ergo habet fidem, cùm prædeſtinatus ad gloriam diutiſſime poſſit eſſe ſine fide, etiamſi audiat verbum Dei: Unde manifeſtum eſt quod non poterat ſanctus Hiſtoricus certò & indubitanter aſſerere, quòd illi Credentes erant prædeſtinati ad gloriam, ex eo quod prædeſtinatio eſt cauſa fidei in prædeſtinatis: cùm etiam aliquando credant reprobi, & è contra prædeſtinati aliquandiu non credant, ut v. g. in prima, vel ſecunda, vel tertia auditione verbi Dei: Unde tantum id dicere potuit probabiliter, & ſecundum communem modum loquendi de probis & piis viris, quos præſumptivè vocamus prædeſtinatos ob bonam illorum vitam. Ex quo facile conjicere eſt, quod potius indicavit ibi prædeſtinationem ad gloriam eſſe poſt præviſa merita, quam ante præviſa merita, cùm illam prædeſtinationem fundaverit ſuper merita. Quod ſi dicas ſanctum Lucam ibi quidem fundare illam prædeſtinationem ſuper merita, ſed ut media ad executionem illius, & non ut cauſam aut motivum illius.

Reſpondeo primò id gratis dici.

Reſpondeo ſecundò quod ſatis ſupra oſtenſum eſt, merita noſtra nullo modo eſſe media ad executionem prædeſtinationis; & proinde illam prædeſtinationem non potuit inferre ex meritis illis, ut mediis.

Reſpondeo tertiò id petere principium, & ſupponere id quod controvertitur: cum idem ſit dicere Deum exequi prædeſtinationem per merita tanquam media, & dicere prædeſtinationem eſſe ante præviſa merita. Quod hîc controvertitur.

Reſpondeo quartò quod etſi daretur, quod potuit iſtam conſequentiam ſic inferre ex meritis tanquam ex mediis ad executionem prædeſtinationis jam factæ; non tamen hoc ſufficit, niſi probetur, cum etiam

illa eadem conſequentia, non minus recte, imo longe connaturalius potuerit inferri ex meritis tanquam ex cauſis & motivis iſtius prædeſtinationis, ut ſupra notatum eſt. Ex quo manifeſtum eſt quod argumentum iſtud nil concludit contra nos.

PUNCTUM III

Alteri inſtantiæ ſatisfit, & textui objecto alia reſponſio adhibetur.

QUOD ſi dicas id certò potuiſſe ſcire ex revelatione ſpeciali. Reſpondeo primò, quod iſtud eſt divinare, cùm nihil ibi S. Lucas teſtetur de revelatione, nec ea conjici poſſit ex modo loquendi illius, qui eſt ſimpliciſſimus & communiſſimus: neque etiam illa neceſſaria fuit, ſive pro gloria Dei, ſive pro commendatione verbi divini: cùm utrumque tam bene eluceat in fide non prædeſtinatorum, quam in fide aliorum; imo vero veriſimile ex objecto illius eſt, nullam prorſus extitiſſe; cùm, utbene ait Tirinus ad locum illum, Non ſit credibile, hos omnes, & ſolos perſeveraſſe in fide & gratia, eſſeque ſolos ſalvatos: cùm conſtet multos alios poſtea crediſſe, nec veriſimile prorſus eſt illos omnes poſteriores periiſſe: Quod tamen neceſſarium foret dicere ex modo loquendi S. Lucæ, ſic dicentis: [Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam] Nam ex iſta propoſitione ſequitur quod ii ſoli erant prædeſtinati ex illa civitate qui tunc crediderunt, & conſequenter quod omnes alii erant reprobi, licet poſtea crediderint: quod nullo modo eſt veriſimile, nec proinde poteſt eſſe objectum revelationis.

Reſpondeo ſecundò quod etſi concederetur S. Lucam habuiſſe ſpecialem de illorum prædeſtinatione revelationem: tamen nihil hinc haberetur contra prædeſtinationem ad gloriam poſt præviſa merita: tam bene enim ei potuit fieri iſta revelatio prædeſtinationis, ut ex meritis, quam ut ſine meritis: cùm neutrum determinet in ſua propoſitione, neque formaliter, neque virtualiter, ut patet ex ſupradictis.

Tandem poſſet addi & hæc interpretatio, quæ eſt Cornelii à Lapide, Menochii, & Tirini: ſcilicet quod crediderunt qui erant tunc prædiſpoſiti per gratiam ad vitam æternam inquirendam: Quæ interpretatio fundatur in illo verbo Græco, τεταγμένοι, quod idem eſt ac ordinati, diſpoſiti, in ordine collocati: ita quod ſenſus ſit, quod ii qui erant tunc diſpoſiti per gratiam ad quærendum Regnum Cælorum, crediderunt: alii vero qui non erant tunc diſpoſiti, ſed erant rebelles gratiæ eos excitanti, & invitanti ad fidem, non crediderunt, licet poſtea eorum aliqui crediderint: ita quod particula illa, præ, quæ eſt in illo verbo, prædiſpoſiti, non dicat anteceſſionem unius diſpoſiti, ad fidem ſuam conſequentem: Sed dicat anteceſſionem unius diſpoſiti, ad alios nondum diſpoſitos ad quærendum Regnum Cælorum: Et ſenſus erit quod

dociliores ex illo populo tunc crediderunt, & conſenſerunt gratiæ eos invitanti ad fidem & ad Regnum Cælorum inquirendum: alii vero minus dociles tunc non crediderunt, licet poſtea aliqui eorum crediderint: In quo, ut evidens eſt, eſt aliquis ordo priorum & poſteriorum: priorum dociliorum & diſpoſitorum per gratiam ad quærendum Regnum Cælorum, qui crediderunt: & poſteriorum minus docilium, vel indiſpoſitorum, & rebellium qui tunc non crediderunt; licet aliqui eorum poſtea crediderint in ſuo tempore & ordine, quod bene reſpondet verbo illi, τεταγμένοι, quod ſignificat ordinem cuique proprium, & proinde aliquam ordinationem prioris & poſterioris, non vero prædeſtinationem, cum iſte terminus nullibi reperiatur in Novo Teſtamento, (quod ut plurimum Græce conſcriptum eſt) ſumptus pro prædeſtinatione, aut præfinitione; ſed tantum utatur Scriptura in iſta ſignificatione prædeſtinationis, verbis ὁρίζω, vel, προορίζω, vel, προχειροτονέω. Unde cùm hic textus non ſit de prædeſtinatione, nullo modo poteſt nobis præjudicare: quod etiamſi eſſet de prædeſtinatione, neque nobis præjudicaret, imo vero faveret, ut ſupra declaratum eſt.

τεταγμένως ordinate, ſervato certo ordine, ſtato tempore. Lexicon Scapula.

PARAGRAPHUS SEPTIMUS.

Objectio ſeptima proponitur, & multipliciter eidem reſpondetur.

SEPTIMUM argumentum ſumitur ex illo ad Rom. 6. Stipendium peccati mors, gratia autem vita æterna. Unde inferunt quod ſicut mors æterna eſt propter ſolum peccatum, ita & gloria eſt propter ſolam Dei gratiam, & miſericordiam. Ad cujus confirmationem adferunt illud Pſal. 102. Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus. Ubi ſola miſericordia, & miſeratio laudatur in coronatione juſtorum.

Reſpondeo me in his duobis locis nullam advertere particulam excluſivam meritorum: ut ſi diceretur, vita æterna eſt ſolùm gratia, vel mera gratia, vel mera miſericordia. Sed video ibi quidem laudari gratiam; non vero excludi meritum, vel præmium: Et per conſequens hoc non repugnat prædeſtinationi poſt præviſa merita. Præterea non video illos textus potius pertinere ad prædeſtinationem quam ad executionem; cùm in primò ſermo tantum ſit de vita æterna, quæ eſt indifferens ad prædeſtinationem, & ad executionem: In ſecundò tantum ſermo ſit de coronatione actuali, quæ potius ſpectat ad executionem quam ad prædeſtinationem: At vero adverſarii non admittent prædeſtinationem ad gloriam ſecundum executionem eſſe ſine meritis: Ergo nec ex locis iſtis habent quod prædeſtinatio ad gloriam ſit ſine præviſis meritis.

Dicendum ergo eſt ad primum textum qui eſt Apoſtoli, ſcilicet [Sti-

pendium peccati mors; gratia autem vita æterna] quod ſenſus illius eſt: Non eodem modo vitam æternam reddi noſtris meritis, ſicut mors æterna redditur noſtris peccatis : mors enim æterna redditur peccatis, ut merum ſtipendium, cum ſolus homo concurrat ad peccatum : At vero vita æterna, non redditur noſtris meritis, ut merum ſtipendium, ſed potius ut gratia, quia gratia Dei eſt principale principium meritorum noſtrorum, ſeu actionum noſtrarum quibus redditur gloria : In quo nihil de prædeſtinatione ſecundum intentionem, quæ interpretatio patet ex antecedentibus : Nam ibi dicebat Apoſtolus novis Chriſtianis à peccato converſis quibus ſcribebat : Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem : ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem : Ecce commendat bona opera, non ſane ſine ordine ad gloriam : Cùm enim, inquit, *ſervi* eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ : quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis (ſcilicet peccatis) in quibus nunc erubeſcitis : Nam finis illorum mors eſt (ecce ſtipendium peccati cujus tunc hi ſervi fuerant) nunc vero liberati à peccato (per gratiam Dei) ſervi autem facti Deo (per ejuſdem gratiam) habetis fructum veſtrum in ſanctificationem : finem vero vitam æternam (quam ſcilicet debetis expectare, ut ab operibus gratiæ; unde & ſequitur) Stipendia enim peccati mors, gratia autem Dei vita æterna : Quæ eſt directa concluſio præcedentium, quandoquidem in iis oſtenderat Apoſtolus mortem eſſe finem peccati, vitam autem æternam finem gratiæ ad bona opera nos excitantis & adjuvantis. Unde bene nunc concludit quod mors eſt ſtipendium peccati, ut effectus illius: vita autem æterna eſt gratia, quia eſt effectus gratiæ per quam acquiritur, & per quam etiam homo liberatur, & fit ſervus juſtitiæ, quæ eſt cauſa vitæ æternæ: Et ſic explicat textum illum Auguſtinus lib. de corrept. & Gratia cap. 13. quoad illam partem controverſam, quæ eſt de vita æterna ut gratia. Veruntamen, inquit, quia & ipſa vita æterna, quam certum eſt bonis operibus debitam reddi, à tanto Apoſtolo gratia Dei dicitur, cum gratia non operibus reddatur: ſed gratis detur, ſine ulla dubitatione confitendum eſt, ideò gratiam vitam æternam vocari, *quia his meritis redditur quæ gratia contulit homini.* Et ita etiam explicat D. Th. hunc locum in Comment. Lect. 4. ubi ait : Quantum autem ad bona, dicit [Gratia Dei vita æterna] quia enim dixerat juſtos homines habere vitam æternam, quam certum eſt non poſſe haberi, niſi per gratiam: Ideo hoc ipſum quod bona operamur, & *quod opus noſtrum eſt dignum vita eterna, eſt à gratia Dei.* Ubi explicat S. Thomas, ſicut & S. Auguſtinus vitam æternam ibi dici gratiam, quia eſt ab operibus quæ ſunt à gratia? Quod valde diverſum eſt ab eo quod inferebant adverſarii, ſcilicet prædeſtinationem ad gloriam eſſe mere gratuitam : cùm ibi nullam faciant S. Auguſtinus, & S. Thomas de prædeſtinatione mentionem, ſed tantum de executione quam hi ſancti Doctores vocant etiam gratuitam. Et ſane verbum Græcum χάρισμα ibi poſitum pro gratia, ut

Idem habet in Epiſt. 105. & in Enchiridio c. 107. & lib. de Libero arb. c. 8.

vertit noſter interpres, potius ſignificat executionem, quam prædeſtinationem: Significat enim id quod aliquis gratificando donavit; unde Arias Montanus vertit donationem: & per conſequens, cùm ibi ſit ſermo de collatione gloriæ, & non de prædeſtinatione, aut præparatione illius, procul dubio non debet hic locus intelligi de mera gratia: quod non eſſet Catholicum; ſed de eo quod aliquo modo eſt gratia, & aliquo modo eſt præmium, ſeu juſtitia, eo modo quo dicimus gloriam eſſe gratiam etiam in collatione: tum quia datur ob actiones à gratia donatas, ut ait Auguſtinus ubi ſupra: tum etiam quia longiſſime ſuperat meritum, ita quod ſi comparetur excellentia, & ſupereminentia gloriæ, tenuitati & pene nullitati noſtrorum meritorum, potius & ſub hac comparatione habeat rationem gratiæ, quam mercedis & præmii, non vero quod ſit mera gratia quæ excludat merita: Imo D. Auguſtinus teſtatur Apoſtolum ibi potuiſſe vocare vitam æternam ſtipendium. Ubi, inquit, *cùm poſſes dicere, & recte dicere, ſtipendium autem juſtitiæ vita æterna*: Maluit dicere, gratia autem Dei vita æterna, ut hinc intelligeremus non pro meritis noſtris Deum nos ad æternam vitam, ſed pro ſua miſeratione perducere: De quo in Pſalmo dicit homo ejus animę ſuę: * Qui coronat te in miſeratione & miſericordia: Nunquid corona bonis operibus redditur; ſed quia ipſa bona opera ille in nobis operatur: de quo dictum eſt [Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate] ideo dixit Pſalmus: Coronat te in miſeratione & miſericordia, *quia ejus miſeratione bona operamur quibus corona redditur*. Hæc ibi Auguſtinus, clare negans meram gratiam in illa vita æterna, de qua loquitur Apoſtolus; ſed agnoſcens in ea rationem ſtipendii ſeu mercedis & præmii.

Lexicon Scapulæ.

Lib. de gr. & Lib. arb. cap. 9. quod & latius tractat in Epiſt. 105. Vide argum. 13. ex Auguſtino.

* Pſal 102.

Quantum autem ad ſecundum locum quem afferunt ex Pſalmo 102. in confirmationem ſuæ explicationis; Reſpondeo quod hic locus non reſpicit gloriam, ſed omnia beneficia quæ jam acceperat Dauid à Deo, pro quibus generaliter reddit Deo gratias: ut patet ex antecedentibus, ubi ait: Benedic anima mea Domino, & noli obliviſci omnes retributiones ejus: Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas: Qui redimit de interitu vitam tuam: Et tandem habet hæc verba: Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus; quæ verba explicat Genebrardus hìc: Te undique cingit & cumulat miſericordia: Quia, inquit, coronare eſt undique circumdare. Et hoc eodem modo explicat locum illum Janſenius Epiſcopus Gandavenſis in illum Pſalmum: ubi nihil de prædeſtinatione ad gloriam. Sed etſi daremus hunc locum reſpicere gloriam cæleſtem: Nihil tamen efficeret contra prædeſtinationem ad gloriam poſt præviſa merita: tum quia verbum illud, *coronat*, deſignat merita, æque ac cætera verba deſignant gratiam, cùm corona non detur niſi his qui legitime certaverint: tum etiam quia cum hoc verbum ſit de actuali coronatione, ut patet per ly, coronat te, non vero de intentionali, potius reſpiceret gloriam in ipſa ſui.

Eodem modo D. Proſper ſcribens in illum Pſal. exponit illũ locum de collatione gloriæ gratuita, dicẽs: Per eandem miſericordiã dari coronas meritorum, per quam data ſunt merita coronarum.

collatione, quam in ipſius prædeſtinatione, prout etiam ſupra explicuit illum locum Auguſtinus, & adhuc explicat ſcribens in illum Pſalmum, dicens ad illum verſum: Ecce adjuvabar cum luctarer, finito certamine *coronabor*: Jam nulla reſidua erit inimica ſuggeſtio, vel corruptio, cum qua lucter; ſemper enim in hac vita luctamur cum corruptione iſta: Sed quid ſcriptum eſt [Abſorpta eſt mors in victoriam] tunc ergo erit victoria, tunc corona: poſt certamen ergo *coronabor*: Ubi omnia ſunt de executione, ſeu collatione ipſa gloriæ, & non de prædeſtinatione ſecundum intentionem. At non diffitentur adverſarii gloriam in executione dari ex meritis, & ergo hic locus ſemper reſpicit merita, & ſic nihil efficit contra nos.

PARAGRAPHUS OCTAVUS:

Objectio octava proponitur.

OCTAVUM argumentum ſumitur ex cap. 8. ad Rom. ubi habentur hæc verba: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti: Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui; quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: & quos juſtificavit, hos & glorificavit: Ex quibus inferunt prædeſtinationem ad gloriam eſſe ſine prævifis meritis, quia illa cauſa eſt gratiæ, ſcilicet vocationis & juſtificationis, & proinde meritorum.

PUNCTUM PRIMUM.

Reſponſio prima proponitur, & exponitur.

RESPONDEO hunc textum ſecundum litteram ſumptum non eſſe de prædeſtinatione ad gloriam, ſed de ſola prædeſtinatione ad gratiam ſanctificantem: Unde poſtremum hoc verbum, *glorificavit*, quod magis videtur innuere prædeſtinationem ad gloriam, litteraliter explicatum, non ſignificat gloriam cæleſtem; ſed magnificationem quandam extrinſecam gratiæ iſtorum juſtificatorum, vel per adjunctas ei gratias gratis datas, v.g. donum linguarum, interpretationẽ ſermonum, gratiam miraculorum, & alias ejuſmodi quæ tunc temporis valde erant frequentes, vel alio quodam ſplendore & magnificatione extrinſeca, qua etiam in antiqua Lege celebres aliquando reddidit Deus ſuos amicos, v.g. Moyſen, Joſue & alios: Unde pro hoc verbo glorificavit, in multis manuſcriptis Codicibus, ut notat Eſtius hic, imo & in quibuſdam Bibliis Impreſſis, ut ego ipſe notavi, eſt verbum magnificavit. Et hoc

Haymo, & Titelmãnus habent magnificavit, pro glorificavit.

maxime ſecundum litteram, quia verbum Græcum ἐδόξασε; quod ibi ponitur proprie ſignificat honorabiles, claros, & celebres reddidit: quod non ſpectat ad gloriam cæleſtem quæ nos potius reddit beatos & fœlices, quàm claros & celebres: Unde notat ibi Eſtius, quod ita legunt Liranus, D. Thomas, Hervæus, Lombardus: & Author Gloſſæ ordinariæ, & Rupertus in Apocalypſim 21. & his omnibus antiquior Comment. Ambroſ. ſcilicet magnificavit pro glorificavit: Eſtque veriſimile veterem interpretem ita vertiſſe qui pro eodem habuerit glorificare, & magnificare: Hæc ibi Eſtius. Et ego ipſe adverti prædictum verbum Græcum in vulgata verti frequentiſſime per verbum magnificare, ut per hoc innuatur nihil ibi eſſe de gloria cæleſti, ſed tantum de temporali quadam gloria, & magnificatione gratiæ extrinſeca: Nec bene, ut opinor, ſuſpicatus eſt * Eſtius in loco allegato, hoc verbum magnificavit, eſſe correctum ab Hieronymo, quandoquidem hæc mutatio non eſt correctio, ſed tantum aſſumptio unius ſynonimi, pro alio ſynonimo, quandoquidem verba magnificavit, & glorificavit, ſunt ſynonima reſpectu verbi Græci, ἐδόξασε, quod ibi ponitur. Et forte Hieronymus habuit diverſa exemplaria, quorum aliqua habebant magnificavit, alia glorificavit, & ipſe aſſumpſit quod libuit, cum utrumque aptum eſſet ad ſignificandum gloriam, honorem, ſplendorem & claritatem ſignificata per verbū δοξάζω, quod ſignificat celebro, æſtimo, &c. Certe videmus in Novo Teſtamento correcto ab Hieronymo, verbum δοξάζω promiſcuè ſumi pro magnifico, & glorifico. Quapropter non video ullum ſolidum fundamentum interpretandi illum verbum, glorificavit, de gloria cæleſti, potius quam de gloria quadam temporali & extrinſeca: præcipue cum ipſe fateatur Eſtius quod duo præcipui Græci intepretes, ſcilicet D. Chryſoſtomus & Theophylactus exponant locum illum de adoptione filiorum, & largitionibus donorum, non vero de prædeſtinatione ad gloriam: Quod magno indicio eſt hunc locum debere intelligi de prædeſtinatione ad gratiam, & non de prædeſtinatione ad gloriam; ſed ego inſuper id probo triplici ratione.

Vide Biblia Impreſſa Lugduni, in Officina Iacobi Mareſchal, anno Domini decimo nono, ſupra milleſimum decimo. ſeptimo Kal. Novembr. Ita reperi ſcriptum in ea; ibi videtur eſſe error in annorum numero: Nō enim tam antiqua Impreſſionis inventio eſt. Sed videtur debere poni 1519. pro 1017. cum Impreſſio inventa fuerit poſt annum 1430. & aliam ibidem Impreſſam per Magiſtrum Nicolaum de Benedictis, anno 1512. die 30. Ianuarii.

**Nullam ibi affert Eſtius rationem de ſua illa divinatione.*

PUNCTUM II.

Eadem reſponſio multiplici ratione probatur.

PRIMA petitur ex ipſius textus terminis qui nihil aliud innuunt quàm gratiam juſtificantem: prima verba ſunt: Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: Illa dilectio de qua hîc, manifeſte ſonat gratiam juſtificantem, quæ eſt ſignum amoris divini, & quæ ſemper & infallibiliter comitatur noſtrum amorem, ſeu dilectionem noſtram in Deum; per quam omnia noſtra opera nobis cooperantur in bonum, id eſt redduntur meritoria vitæ æternæ, quæ eſt ſummum bonum hominum. Verba autem ſequentia idem omnino ſignifi-

cant; nam diligentibus Deum, & vocatis ſecundum propoſitum, nihil aliud indicant quam gratiam ſanctificantem, cum dilectio ipſa nobis inhærens, ſit ipſa ſanctitas ad quam vocati ſumus ſecundum propoſitum, id eſt gratis & efficaciter, ut explicat Primaſius Auguſtini diſcipulus: Propoſitum, inquit, Dei eſt ut ſine operibus legis, vel quibuſcumque aliis meritis, per fidem ſolùm *juſtificaret impios......* Non enim omnes vocati, ſecundum propoſitum ſunt vocati (quia aliqui inefficaciter, ut patet ex hoc quod ſequitur) quoniam multi vocati, pauci electi: Ipſi ergo ſecundum propoſitum vocati qui & electi (ſcilicet efficaciter ad juſtificationem) ante conſtitutionem mundi. Et D. Thomas in eundem locum ſic ait: Quod dicit vocati, ad vocationem pertinet: quod dicit ſancti, ad ſanctificationem; unde ibi tantum ſermo eſt de gratia ſanctificante. Quos autem præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui: Hæc nihil adhuc aliud dicunt quàm gratiam ſanctificantem, cum iſta conformitas de qua hîc, nihil aliud ſit ſecundum D. Thomam, ubi ſupra, quam ipſamet juſtificatio, ſeu adoptio in Filium Dei. Nihil enim, inquit, aliud eſt adoptio filiorum, quàm iſta conformitas: Ille enim qui adoptatur in filium Dei, conformatur vero Filio ejus, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus: Hoc explicat adhuc D. Thomas de gratia ſanctificante, dicens: Sicut Deus ſuam naturalem bonitatem voluit aliis communicare, participando eis ſimilitudinem ſuæ bonitatis, ut non ſolum ſit bonus, ſed etiam actor bonorum: ita Filius Dei voluit conformitatem ſuæ filiationis aliis communicare, ut non ſolum ſit ipſe filius, ſed etiam primogenitus filiorum: & ſic qui per regenerationem æternam eſt unigenitus, ſecundum illud Joan. 1. Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, *ſecundum collationem gratiæ*, ſit primogenitus in multis fratribus, qui eſt primogenitus mortuorum, & princeps Regum terræ: Habet igitur CHRISTUS nos fratres, quia nobis ſimilitudinem filiationis communicavit. Hæc ibi D. Thomas. Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit: & quos juſtificavit, hos & magnificavit, ſeu glorificavit: Quæ nihil aliud innuunt, quam illius executionem prædeſtinationis ad illam celebrem & magnificam horum juſtificatorum gratiam, & ſanctitatem in hoc ſæculo, de qua ſupra. Et ſic ex iis patet quod totus hic locus eſt de gratia ſanctificante.

Eodem modo etiam explicat illum textum 1. p. q. 41. A. 3. c. & 2. 2. q. 45. A. 6. c. & 3. p. q. 39. A. 8. ad 3.

Secunda ratio ſumitur ex iſtius prædeſtinationis objecto, quod nihil aliud eſt, quàm ipſa juſtificatio, ut patet ex his verbis: Quos præſcivit, & prædeſtinavit, conformes fieri imaginis filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus: Nam iſta conformitas, ut mox vidimus ex D. Thoma, nihil aliud eſt quam ipſa juſtificatio per quam ſimus filii Dei, & fratres Chriſti: Ergo objectum iſtius prædeſtinationis eſt ſola juſtificatio, & proinde illa prædeſtinatio eſt ad gratiam, & non ad gloriam,

Punctum III.

Quædam objectio Eſtii ſolvitur.

Verum contra hoc objicit Eſtius in 1.diſt.40.§.8. & dicit illam conformitatem eſſe etiam ad gloriam filii, quam vocat conformitatem perfectam, & proinde illam prędeſtinationem de qua hîc, vult eſſe ad gloriam, & non ſolum ad gratiam. Sed perperàm id reſpondetur: Nam cùm gloria non conſtituat filios Dei, nec fratres Chriſti: ſed id ſupponat, & tantum faciat eſſe conſortes, & ſocios glorię illius, ideo non bene explicatur illa conformitas ſecundum ſe de qua hîc, per conformitatem ad gloriam Filii Dei, ſed debet explicari per conformitatem ad filiationem ejus, quam habemus per gratiam: Cùm hîc ſermo ſit de conformitate qua formaliter ſimus filii Dei, & fratres Chriſti, ut patet ex his verbis [Ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus] at non ſimus filii Dei, & fratres Chriſti per gloriam, ſed tantum per gratiam. Præterea, cùm gloria non faciat ſecundò genitum, nec tertiò genitum, nec proinde fratres Chriſti, ſed ſola gratia ſanctificans, non valeret argumentum Apoſtoli dicentis, ut ipſe ſit primogenitus in multis fratribus, ſi noſtram conformitatem ſumeret, ut ad gloriam, & non ut ad filiationem ejus; cum gloria ut nos non facit genitos, ita nec ejus poſtgenitos, & ſic non valeret argumentum à gloria ad fraternitatem ejus, ſed neceſſario petendum eſt à gratia, per quam conſtituimur filii, & proinde fratres Chriſti eo perfectiores quo gratioſiores. Unde bene vulgata ponit ibi, *conformes*, juxta verbum Grȩcum, συμμόρφους, quod ſignificat ejuſdem ſimul formę: Quod maxime pertinet ad fratres & filios ejuſdem Patris, qui communicat ordinarie in forma & figura. Bene, inquam, poſuit conformes potius quam ſimiles Grȩce ὁμοίους, quod potius pertinet ad quandam ſimilitudinem generalem quam fraternalem, de qua hîc; & per conſequens potius ad gloriam (unde & ſic exprimitur 1. Joan. 3. ἐὰν φανερωθῇ ΟΜΟΙΟΙ αὐτῷ ἐσόμεθα, ὅτι ὀψόμεθα αὐτὸν καθώς ἐστι; id eſt, ſi apparuerit (ſcilicet in gloria) ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt) quam ad gratiam, per quam conſtituimur fratres, & Filii ejuſdem Patris: Unde non dubito, quin ibi conformitas ſit reſpectu gratię potius quam gloriæ: cùm ſit conformitas fraternalis, & filiorum ejuſdem Patris, quæ ſolùm ſit per gratiam, per quam conſtituimur filii Dei, & fratres Jeſu Chriſti, & non per gloriam.

†
IHS

PUNCTUM IV.

Quædam inſtantia Eſtii diſſolvitur, & tertia ratio additur.

SED contra inſtat Eſtius; & ait ibi ſermonem eſſe de eadem adoptione, de qua ſupra locutus fuerat Apoſtolus, per hęc verba [Expectamus adoptionem] quæ nimirum conſiſtit in glorificatione totius hominis, quod etiam confirmat per alios textus aliarum Epiſtolarum Pauli.

Reſpondeo quod ſi in illo loco, ſcilicet [Expectamus adoptionem] loquitur Apoſtolus de adoptione impropria quæ fit per gloriam, quæ eſt ut ait ibi D. Thomas, impletio adoptionis, in quantum eſt traditio hereditatis, cujus jus confertur per adoptionem: In alio loco ejuſdem capitis loquitur Apoſtolus de vera & proprie dicta adoptione, his verbis: [Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater], Quæ adoptio eſt mera gratia, & non gloria; cum jam illa ſupponatur eſſe in viatoribus, quibus loquebatur, aut ſcribebat Apoſtolus. Quæſtio itaque eſt cui duarum iſtarum adoptionum reſpondeat ea, de qua loquimur: At putamus magis reſpondere poſteriori, ſeu veræ & proprie dictæ adoptioni, quàm priori impropriæ, cum ea omnia ei conveniant, quæ veræ & proprie dictæ conveniunt adoptioni, ſcilicet conformitas cum filio Dei naturali, ſcilicet Chriſto, & cum eo fraternitas: Et præterea de ea loquitur Apoſtolus, ut de jam exiſtente, ſicut ibi locutus fuerat de vera: Dicit enim, vocavit, juſtificavit, magnificavit (ſeu) glorificavit, non vero magnificabit, ſeu glorificabit in futuro, quomodo loqui debuiſſet ſi locutus fuiſſet de impropria quæ eſt in ſæculo futuro, ſcilicet gloria: Unde D. Thomas aliter loquitur de illa adoptione in loco in inſtantia Eſtii allegato, & aliter de illa de qua loquitur textus ille quem verſamus: Illam enim vocat impletionem adoptionis, hanc vero adoptionem ſimpliciter, & ita perperam arguit Eſtius ab una ad aliam, cum prorſus diverſæ ſint.

Quantum autem ad alios locos, quos ex aliis Epiſtolis in eundem finem allegat Eſtius, non puto neceſſarium eos examinare: Nam ſi in uno eodemque capite locutus eſt Apoſtolus de duabus diverſis adoptionibus, una propria, altera impropria, quanto magis in diverſis? unde ab illis fruſtra examinandis ſuperſedeo.

Tertia ratio ſumitur ex fine quem intendebat Apoſtolus in hoc capite, qui erat excitare, & animare fideles Romanos ad mortificationem, ad patientiam, ad longanimitatem, ut fatetur ibi Eſtius; & patet ex his verbis ejuſdem capitis [Fratres, debitores ſumus non carni, ut ſecundùm carnem vivamus.] Et infra: [Si compatimur, ut & conglorificemur: exiſtimo enim quod non ſunt condignę paſſiones ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.] Et infra: [Scimus enim quod omnis creatura inge-

miſcit adhuc & comparturit uſque nunc, non ſolùm autem illa, ſed & ipſi primitias ſpiritus habentes, & nos ipſi intra nos gemimus, &c. Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitates noſtras; nam quid oremus ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (id eſt facit nos poſtulare gemitibus inenarrabilibus) in anguſtiis, in preſſuris, &c.] Quæ omnia, ut patet, poſtulant mortificationem, patientiam, longanimitatem, ut æquo animo tolerentur: Unde offert eis motivum, dicens: Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti: Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit, conformes, &c. Per hæc, inquam, offert eis motivum quantum poteſt efficax, ad permovendos eos ad ſectandam mortificationem, patientiam, & longanimitatem, cùm eſſet finis illius: At non erat bonum motivum, aut ſaltem multum efficax, loqui eis de prædeſtinatione eorum ad gloriam, cùm nihil obſcurius, aut incertius illa ſit: quandoquidem multi poſt longam & piam vitam, æternaliter damnati ſunt, quia non perſeveraverunt: Sed optimum erat motivum loqui eis de prædeſtinatione eorum ad gratiam præſentem, ſeu, ut loquar cum Auguſtino, de prædeſtinatione eorum ad fidem, quæ per dilectionem operatur, de qua moraliter certi erant: tum ex ſua bona voluntate, tum ex ſuis bonis operibus, & ex conſideratione tam pretioſi theſauri quem poſſidebant, excitare eos ad toleranda quævis mala pro Chriſto, cum ex iſta dilectione, ſive charitate, ſive gratia certi erant quod omnia cooperarentur eis in bonum, ſeu meritum vitæ æternæ: Item quod Deus eſſet cum eis: quo poſito, nihil timere deberet, cum tunc ſecuri eſſent de auxiliis ſufficientiſſimis ad ſalutem: Juxta illud quod ſequitur [Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?] juxta Græcum, χαρίσεται, donabit, gratis dabit: [Quis accuſabit adverſus electos Dei; Deus eſt qui juſtificat, quis condemnabit? CHRISTUS JESUS?..... etiam interpellat pro nobis.] Item, ex eo quod ipſa charitas, ſeu dilectio illa, de qua eis loquebatur erat invictiſſima, juxta illud quod ſequitur: [Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, &c. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos] id eſt propter charitatem, & per charitatem illius qui dilexit nos. [Certus ſum enim quod neque mors, neque vita, &c. poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.] In quibus omnibus aliud nil commendat Apoſtolus quàm charitatem & dilectionem, ut motivum aptiſſimum ad ſuperandas omnes tribulationes, dolores, & mortes, ad quod hortabatur eos Apoſtolus; Unde cùm in antecedentibus & conſequentibus illius textus nihil appareat quam charitas, & dilectio, non autem prædeſtinatio ad gloriam, non video cur interpretemur ad litteram, & in vero & genuino ſenſu textum illum de prædeſtinatione ad gloriam potius quam

de ſola prædeſtinatione ad gratiam: propter ſcilicet unum verbum æquivocum, glorificabit, quod tam bene poteſt intelligi de magnificatione, & glorificatione gratiæ juſtificatorum, quam de gloria futura electorum ad gloriam, & quod non conſtanter reperitur in omnibus exemplaribus, tam manuſcriptis quam impreſſis; ſed aliquando pro eo legitur verbum, magnificavit: ut vidimus initio hujus Reſponſionis.

Punctum V.

Quædam oppoſitio Eſtii contra prædictam primam reſponſionem noſtram diſſolvitur, & aliquæ aliæ reſponſiones afferuntur.

VERUM contra objicit Eſtius, & ait quod ea quæ dicta ſunt in ſuperioribus verbis Apoſtoli de noſtra conglorificatione cum Chriſto, de futura gloria in nobis revelanda, de libertate gloriæ filiorum Dei, & alia ejuſmodi, ſatis evincunt etiam hunc locum non aliter accipi oportere, quam de gloria futuri ſæculi.

Reſpondeo primò, longe plura Apoſtolum in illo capite dixiſſe de gratia ſanctificante, ut patet ex mox dictis, & etiam ex initio capitis, ubi totus eſt in commendanda gratia ſanctificante; tum ſub nomine juſtificationis Legis Chriſti, tum ſub nomine Prudentiæ ſpiritus, tum ſub nomine Spiritus Chriſti, tum ſub nomine adoptionis filiorum, in qua clamamus Abba Pater, tum ſub nomine heredum Dei, & aliis ejuſmodi, quæ fere mediam capitis partem obtinent.

Reſpondeo ſecundo, quod in iis locis ab Eſtio citatis, loquitur quidem Apoſtolus de gloria cæleſti; ſed non ut de objecto prædeſtinationis; ſed ut de objecto ſpei, ut patet ex his verbis: [Si tamen compatimur, ut & conglorificemur: exiſtimo enim quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis: Nam *expectatio* creaturæ revelationem filiorum Dei *expectat*; nam vanitati creatura ſubjecta eſt, etiam non volens, ſed propter eam qui ſubjecit eam in *ſpe*.] Et infra: [Sed & ipſi primitias ſpiritus habentes, & nos ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum *expectantes* redemptionem corporis noſtri; nam *ſpe* ſalvi facti ſumus, *ſpes* autem quæ videtur non eſt *ſpes*; nam quod videt quis, quid *ſperat*? Si autem quod non videmus *ſperamus per patientiam expectamus*.] Ubi manifeſtum eſt, quod ibi loquitur de gloria, ut objecto ſpei, & non ut objecto prædeſtinationis: cùm etiam eſſet illius principale intentum, excitare fideles ad tolerandas tribulationes, anguſtias, &c. ex ſpe præmiorum æternorum, & ex charitate in Deum: Unde non ſequitur quod poſtea loquens de prædeſtinatione, loquatur potius de prædeſtinatione ad gloriam, quam de prædeſtinatione ad gratiam: cùm conſideratio gratiæ jam habitæ & prædeſtinatæ, non minus, imo longe magis efficax ſit ad ſpem tantorum præmiorum excitandam, quam prædeſtinationis ad gloriam, quæ ut

maxime obſcura & incerta eſt, ita & valde inepta eſt ad excitandam illam ſpem, præcipue ſi ſit, ut volunt adverſarii, ante præviſa merita, ad quam tunc opera nihil conferunt, ſed ſunt ei omnino inutilia.

Quapropter dicendum eſt quod textus in objectione allatus, totus eſt de prædeſtinatione ad gratiam, & non de prædeſtinatione ad gloriam.

Sed etſi textus ille eſſet de prædeſtinatione ad gloriam, nihil tamen efficeret contra nos, cum non ſit de prædeſtinatione ad gloriam nude & ſolitarie ſumptam, de qua ſola hîc agimus: ſed ſit de prædeſtinatione ad gratiam ſimul & ad gloriam, cùm objectum illius ſit conformitas ad filiationem Filii Dei, nos reddens filios Dei, & fratres Chriſti, ut ſupra demonſtravimus: Unde ſaltem gratia quæ vel totaliter ſecundùm D.Thomam, vel partialiter ſecundùm ipſum Eſtium conſtituit iſtam conformitatem, erit unum partiale objectum iſtius prædeſtinationis: Et ſic non eſt illa prædeſtinatio, de qua hîc agimus.

Secunda reſponſio.

De illo textu ſic ſæpe agit Auguſt. ratione gratiæ de qua principaliter, imo & totaliter agebat, cum Pelag. & Semipel.

Et quamvis etiam eſſet illa prædeſtinatio de qua hîc agimus, quæ eſt de gloria nude & ſolitarie ſumpta, tamen nihil adhuc efficeret contra nos, quia illa non excludit, ſed potius includit præviſa merita: Cùm Apoſtolus ibi præſcientiam præponat prædeſtinationi, quæ præſcientia non poteſt eſſe niſi præſcientia meritorum, ſi prædeſtinatio illa ſit ad gloriam: Dicit enim ibi: Quos præſcivit & prædeſtinavit, non vero quos prædeſtinavit & præſcivit, quemadmodum dicere debuiſſet, ſi prædeſtinatio illa eſſet ante præſcientiam, & prævisionem meritorum, cum in opinione tenentium prædeſtinationem ante præviſa merita, illa prædeſtinatio ſit cauſa præſcientiæ, & etiam meritorum, & proinde prior præſcientia, & præviſione meritorum.

Tertia reſponſio.

Et ſic videtur Auguſt. locum illum intellexiſſe lib. de Spir. & Litt. c. 5. ubi ait, quod Deus per Spiritum ſanctum diffundit charitatem in cordibus eorum, quos præſcivit, ut prædeſtinaret: id eſt, quos præſcivit charitate perfectos antequam prædeſtinaret eos, cùm ob hoc eos prædeſtinaret.

PUNCTUM VI.

Quædam evaſio Eſtii præcluditur.

QUAPROPTER bene videns Eſtius nimis apertam iſtam contra illius opinionem conſequentiam ex iſta poſitione præſcientiæ, ante præſtinationem, miram affert expoſitionem, aut potius corruptionem iſtius verbi, præſcivit, quam libet paulo latius expendere, ut videat Lector ad quas anguſtias redigantur adverſarii, ut præconceptam ſuam de prædeſtinatione ante præviſa merita ſententiam quoquo modo tueantur. Dicit ergo Eſtius ex ſententia aliquorum quos tamen non nominat, in hac voce præſcivit plus aliquid ſignificari quàm nudam prænotionem: Ut nimirum, inquit, hac voce, prænotio ſignificetur, non ſola, nec qualiſcunque, ſed cum voluntate bona atque benigna, quam *εὐδοκίαν* Græci vocant, noſtri beneplacitum, conjuncta. Quam autem ob rationem id dicat, aut approbet Eſtius, non obſtante hoc quod Græca

Græce προέγνω prænovit.

& Latina utantur verbis nudam prænotionem, & non cum bona voluntate conjunctam ſignificantibus, ipſe non dicit, quod ſane dicendum fuerat, ne quidpiam talis momenti ſine fundamento certo diceretur: ſed proſequitur dicens: Quod ſane Scripturis Apoſtolicis multo magis eſt conſentaneum: Nam quemadmodum ſimplex verbum ſcire, ſeu noſſe, juxta phraſim Hebraïcam, ſæpenumero in Scripturis ad effectum ſeu voluntatem refertur, ut ſit idem quod approbare, diligere, curare; aut certe ſic agnoſcere, ut approbes, diligas, & cures: unde & ſcita pro decretis apud Latinos: Rurſus quemadmodum neſcire ſumitur pro eo quod eſt improbare; odiſſe, non curare, pro ſuo non agnoſcere: Sic & compoſitum verbum præſcire ſignificat prædiligere, id eſt ante diligere, in bonum præordinare, & præſcientia prædilectionem ac præordinationem in bonum, maxime ubi de electis agitur. Quod deinde conatur exemplis confirmare & elucidare quæ infra examinabimus: Sed prius expedendum nobis eſt, an mox dicta ab Eſtio, poſſint ſufficere pro vera ratione cur verbum, præſcivit, de quo quæſtio eſt, in noſtro textu non ſignificet nudam prænotionem, ſed cum bona voluntate conjunctam: certe non video: Nam dicere quod verbum, ſcire, ſæpenumero in Scripturis ad affectum, ſeu voluntatem refertur, ut ſit idem quod approbare, diligere, curare; hoc ſanè non concludit quod ubicumque reperitur verbum illud ſcire, ſignificet ſemper affectum illum, & idem ſit ac approbare, diligere & curare: Nã poteſt reperiri alicubi verbum illud ſcire, ubi id non ſignificet, ut Marci 1. dicebat dæmon Chriſto: Scio qui ſis ſanctus Dei, credo quod non dicebat id cum bono affectu in Chriſtum, & diligendo eum quem ſumme oderat, & perſequebatur; ergo licet daretur quod ſæpenumero verbum, præſcire, quod vix ſepties reperies in tota Scriptura, ſignificaret ſcire cum bona voluntate; tamen in noſtro textu poterat alium ſenſum habere, & ſic danda erat ratio peculiaris cur id ibi ſignificaret: præcipue cùm hæc non eſſet ejus naturalis & genuina ſignificatio, ſed tranſlatitia, & aliena. Sed hæc levia ſunt: nam tota iſta expoſitio undequaque ſcatet vitiis quæ breviter ſic demonſtro.

Primum eſt quod non ſit ſibi conſtans, ſed ſibi contradicat: Nam initio vult illud verbum, præſcivit, ſignificare præſcientiam cum bona voluntate conjunctam: in fine non amplius ſignificat præſcientiam, ſed ſolam prædilectionem & præordinationem, cùm dicat quod præſcire ſignificet prædiligere, & præordinare in bonum; nec enim ibi inconſulto omittitur præſcientia, cum totus ſcopus expoſitionis ſit abolere præſcientiam, ut clare dicentem & ſupponentem merita ante prędeſtinationem illam, de qua loquitur Scriptura.

Secundum vitium eſt quod tribuat Scripturę ineptiſſimam battologiam dicendo, quod verbum, pręſcivit, ibi ſignificat pręordinavit: Nam cum pręordinare ſecundum ipſos ſit idem ac prædeſtinare; cum ſic explicent illud Act. 5. [Crediderunt quotquot erant pręordinati ad vitam ęternam] ſequitur quod cum dixit Apoſtolus, Quos pręſcivit & prędeſ-

ſtinavit*, ſeu quod idem eſt quos prædeſtinavit, & prædeſtinavit conformes fieri, &c. quæ eſt ineptiſſima & vitioſiſſima repetitio.

* volebat dicere quos præordinavit et prædestinavit

Tertium vitium eſt quod male arguat à verbo ſimplici ad compoſitum; cum ſæpe diverſa ſignificent, ut patet his exemplis: Nam, *eſſe*, ſignificat ſimplicem exiſtentiam, *præeſſe* autem ſignificat authoritatem, & imperium: verbum, mitto, aliquando uſurpatur pro taceo. Unde Cicero 3. verr. ut mittam cætera, &c. At qui ibi pro verbo, mittam, diceret præmittam, omnino diceret contrarium: Item idem verbum ſumitur aliquando pro deponere. Virg. 1. Æneidos, mœſtumque timorem mittite: qui autem pro, mittite, poneret ibi præmittite, omnino contrarium diceret: Item, cedere, ſignificat primum locum dare alicui, præcedere autem omnino contrarium; & per conſequens male arguit Eſtius à verbo ſcire ad compoſitum præſcire, præcipue cùm non ſumat verbum ſcire pro ſua naturali & genuina ſignificatione quæ eſt ſimplex prænotio, ſed in aliena quæ eſt amor & dilectio: Iſtas enim ſignificationes communiter compoſita non ſequuntur.

Quartum vitium eſt quod exempla verbi compoſiti quæ adducit, vel dicunt id quod non debent dicere, vel non dicunt id quod debent dicere ſecundum Eſtium: dicunt id quod non debent dicere, ſi ipſa dicant prædeſtinationem: cum ſupra demonſtratum ſit quod verbum præſcivit non debet ſignificare præordinationem, ſeu prædeſt. quandoquidem verbum quod illud ſequitur, illam ipſam ſignificat prædeſtinationem, ſcilicet prædeſtinavit: Nam ſic, ibi eſſet, ut dicebamus, ineptiſſima battologia, & verbum, prædeſtinavit, ibi eſſet inutile, cum jam contineretur in verbo præſcivit. At multa exempla quæ ibi affert ſunt ejuſmodi, id eſt ſignificant prædeſtinationem, ut mox videbimus. Non dicunt autem id quod debent dicere, ſi non dicunt prædilectionem: id enim ſolum tolerabiliter poteſt prętendere Eſtius ex ſua explicatione; at nullum illorum exemplorum verbi compoſiti, pręſcivit, id dicit aperte & clare; ſed vel nudam pręſcientiam, vel ipſam prædeſtinationem, etiam ſecundum expoſitionem clariſſimorum Patrum & interpretum: Ergo illa exempla, vel non dicunt quod debent dicere; vel dicunt id quod non debent dicere. Minor probatur examinando ſingula exempla, & oſtendendo ea exponi à clariſſimis Patribus & intepretibus vel de ſimplici præſcientia vel de ipſa prędeſtinatione, & non de ſola prędilectione, ut deberent poni in favorem Eſtii.

Primum exemplum eſt ex 11. ad Rom. ubi dicitur: Non repulit (Deus) plebem ſuam quam præſcivit: Qui locus exponitur à Chryſoſtomo, Hieronymo, Ambroſio in illum locum, & Sedulio in eundem locum in Bibliotheca Patrum, de ſimplici præſcientia, & præcognitione, & non de prædilectione: D. autem Auguſtinus lib. de dono perſev. c. 18. Primaſius illius diſcipulus in Bibliotheca Patrum ſuper hunc locum; item D. Thomas, & Lyranus, exponunt illum de ipſa prędeſtinatione, & Bullus eorum de prędilectione.

Secundum exemplum eſt ex 1. Petri 1. ubi dicitur: Electis advenis ſecundum præſcientiam Dei Patris: Qui locus exponitur ab Oecumenio, D. Thoma, & Titelmanno in illum locum, de ſimplici præſcientia: à Lyrano vero, Guilliaudo, Dionyſio Carthuſiano in illum locum, & a Sa, Menochio & Tyrino in Biblia magna, de prædeſtinatione ipſa, à nemine autem illorum de prædilectione.

Tertium exemplum eſt ex eodem capite, ubi Chriſtus dicitur à Deo præcognitus: qui locus exponitur ab Oecumenio de ſimplici præſcientia, à Lyrano vero Guillaudo, Sa, Menochio & Tyrino ſupracitatis de prædeſtinatione ipſa, à D. Thoma, Dionyſio Carthuſ. & Titelmanno in illum locum, de præordinatione ad redemptionem humani generis: A nullo vero illorum de prædilectione illa Eſtii quæ præcedat prædeſtinationem: Unde ſequitur quod illa exempla non probant, cum non ſint clara & aperta pro intentione Eſtii, ſed aliter a clariſſimis Patribus & Script. Sacræ interpretibus exponantur: Nam cum argumentationes debeant procedere a notioribus ut ignotum notum faciant: Exempla autem illa æque incerta ſint de prædilectione, ac locus ille quem verſamus, cum à clariſſimis interpretibus aliter exponantur: ſequitur quod illa non probant, cum & ipſa controvertantur & revocari legitime poſſint in dubium; an prædilectionem ſignificent æque ac locus ille de quo nobis quæſtio eſt.

Quintum vitium eſt quod illa expoſitio recedit à communi & ab omnibus recepta & legitima regula exponendi Sacram Scripturam; quæ eſt, ut ſimpliciter verba Scripturæ Sacræ exponantur, cum nullum involvunt abſurdum: At ſi hoc verbum præſcivit exponatur ſimpliciter de præſcientia ipſa ut ſonat, nullum ſequitur abſurdum, niſi velint adverſarii id omne eſſe abſurdum quod eſt contra illorum opinionem: Ergo debet ſimpliciter exponi de præſcientia ipſa, ut ſonat, & non de prædilectione Eſtii, præcipue cum tot clari & docti Patres & interpretes ita expoſuerint verbum illud, ſcilicet Ambroſius, Oecumenius, Herveus, Caietanus citati ab ipſomet Eſtio: Et preterea D. Thomas, Theophil. Haym. Titelm. Sa, Menochius & Tyrinus in illum locum Pauli, & plerique alii.

Unde concludendum eſt quod etſi locus ille Apoſtoli intelligeretur de prædeſtinatione ad gloriam nude & ſolitarie ſumptam, nihil tamen efficeret contra nos, cum per verbum, præſcivit, præſupponat ante ſe prædeſtinatio illam præſcientiam, quæ, ut jam dixi, nulla alia eſſe poteſt in hoc genere prædeſtinationis, quàm ea quæ eſt meritorum & operum.

PUNCTUM VII.

PUNCTUM VII.

Additur pro corollario generalis totius textus explicatio contra prædeſtinationem ad gloriam ante præviſa merita.

SED etſi vere prædicta ſufficiant ad plenam & perfectam hujus textus ſolutionem, tamen pro pleniori adhuc & faciliori illius declaratione; placet eum enucleare amplius, ſed breviter, oſtendendo manifeſte, quod ex verbis illius textus nihil omnino, rationabiliter inferri poſſit quod tantiſper faveat prædeſtinationi ad gloriam ante præviſa merita, aut noceat noſtræ opinioni, quæ eſt iſti contraria.

Prima itaque verba ſunt hæc: [Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum] Puto nihil eſſe in verbis illis quod ſpectet prædeſtinationem ad gloriam, cum hoc tantum ſpectet gratiam, & dilectionem, per quam formaliter omnia cooperantur nobis in bonum, id eſt ad meritum vitæ æternæ, quod eſt verum bonum hominis: Omnes enim bonæ actiones juſtificatorum ſunt meritoriæ vitæ æternæ, ob gratiam illam & dilectionem quæ eſt in eis. Ubi notanda ſunt verba illa, ſcilicet diligentibus Deum, quæ craſſiſſimi erroris convincunt eos qui hanc hujus textus partem explicant ad litteram de prædeſtinatis ad gloriam; non enim ibi dicitur quod prædeſtinatis ad gloriam omnia cooperantur in bonum, ſed quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, quod ſane convenit omnibus juſtificatis etiam reprobis, quandiu diligunt Deum. Sed nota quod hîc ſolùm reprehendo eos qui ſic illa verba explicant ad litteram, non vero eos qui ſic explicant illa ſecundum ſenſum moralem qui multiplex eſſe poteſt.

Sequentia verba ſunt [His qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti] Propoſitum æque ſpectat juſtificationem ac glorificationem; neque, ut opinor, hoc negabunt adverſarii, cùm certum ſit quòd Deus potuit ſibi proponere & nobis decernere juſtificationem, ſeu converſionē, æque ac noſtram glorificationem. Quare ergo intelligemus verba potius de glorificatione, quàm de juſtificatione, cum æque bene de utravis intelligantur, imo vero melius de gratia quam de gloria, cum ibi nulla verba ſint quæ ſpectent ad gloriam, multa autem ibi verba ſint quæ ſpectant ad gratiam, ut vocatio ad ſanctitatem, & ipſamet ſanctitas, cum dicatur: [Secundum propoſitum vocati ſancti] id eſt efficaciter vocati ad ſanctitatem, ſeu ſanctificationem, ut ait D. Thomas in illum locum. Et ubique paſſim ſic explicat Auguſtinus contra Pelagianos & Maſſilienſes, qui volebant hominem vocari ad primam fidem, & primam ſanctificationem per proprium meritum, & non per proprium Dei beneplacitum: Unde premit iſta verba contra eos lib. de corrept. & gr. cap. 7. dicens: Electi ſunt quia ſecundum propoſitum vocati ſunt; propoſitum autem *non ſuum, ſed Dei*: Et lib. de prædeſtinatione Sanctorum c. 18. ſic ait:

Prædeſtinati autem ſecundum propoſitum, *non noſtrum, ſed ejus qui* univerſa operatur: Iſti autem hæretici non errabant circa prædeſtinationem ad gloriam, eo quod tribuerent illam meritis gratiæ, ſed tantum errabant circa prædeſtinationem ad primam fidem & gratiam, quas tribuebant meritis mere humanis, & non gratiæ Dei; ſeu quod idem eſt in ſenſu Auguſt. & etiam Apoſtoli, quia tribuebant illam propoſito humano, & non divino, quod hic rejicit Apoſtolus, & etiam Auguſtinus: Unde propoſitum ibi ſumitur potius pro propoſito gratiæ, quàm pro propoſito gloriæ ſecundùm Auguſtinum: Sed de his infra uberiùs cum novellas Janſenii inſtantias diſſolvemus, object. 15. ex Auguſtino.

Deinde ſequuntur hæc verba: [Nam quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imagini Filii ejus, ut ipſe ſit primogenitus in multis fratribus] In his verbis, vel nihil eſt quod pertineat ad prædeſtinationem ad gloriam, cum ſupra probaverimus iſtam conformitatem eſſe filiationem Dei adoptivam, per quam conſtituimur filii adoptivi, & fratres Chriſti; vel ſi quidpiam ſit quod pertineat ad illam, certe ſupponit illam eſſe poſt præviſa merita, cùm ibi præſcientia præponatur prædeſtinationi, ut ſupra ſatis demonſtratum eſt.

Vide argumentum ex illo loco deductum ſup. in argum. 7. ex Script.

Reſtant ergo ſolummodò verba iſta, ſcilicet, Quos autem vocavit, hos & juſtificavit; quos autem juſtificavit, hos & magnificavit, ſeu quod idem eſt glorificavit. Sed hæc verba nullam habent difficultatem, cùm non ſint de electione ad gloriam, quandoquidem ibi nulla fit mentio, ſive de electione, ſive de præparatione, ſive de prædeſtinatione, quæ ſunt conſueta verba, quibus Scriptura exprimit ipſam prædeſtinationem: Sed ſunt tantum verba exprimentia executionem prædeſtinationis illius, de qua ibi ſermo eſt, ſive illa prædeſtinatio ſit ad gloriam, ſive illa ſit ad gratiam ſanctificantem, cùm ibi loquatur Apoſtolus de vocatione actuali, & de juſtificatione actuali, quæ ſpectant ad executionem.

Nihil ergo ibi eſt de prædeſtinatione ad gloriam ante præviſa merita; ſed vel de prædeſtinatione ad gloriam poſt præviſa merita, vel quod probabilius cenſeo, totum eſt de prædeſtinatione ad gratiam, ſeu ad juſtitiam Chriſtianam: Unde ſenſum illius textus eſſe exiſtimo: quod poſt quam Deus prævidit, ſeu præſcivit, quibus quiſque eſſet conſenſurus, vel non conſenſurus gratiis reſpectu dilectionis ſuæ, per quam ſimus conformes imagini Filii ſui: tunc prædeſtinavit quos voluit ſecundum propoſitum ſuum, ſeu beneplacitum voluntatis ſuæ ad habendas illas gratias efficaces, & per hoc ad eſſe conformes imaginis filii ſui: ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus; quos autem ſic vocavit, hos & juſtificavit: impertiendo illis gratiam ſanctificantem, ſeu dilectionem ipſam & charitatem: & quos ſic juſtificavit, etiam & magnificavit, ſeu glorificavit ſingularibus donis, tam intrinſecis quàm extrinſecis, quibus clari & celebres fierent apud Deum & homines: Et ſic de illis donis explicat Theophylactus verbum illud ἐδόξασε (quod interpretati ſumus magni-

ficavit, ſeu glorificavit, ſcribens in hunc locum Apoſtoli: Imo & Auguſtinus Serm. 44. de Sanctis, totum illum locum intellexit de ſingularibus donis, quæ data ſunt martyribus, ut pro Chriſto moriantur; ubi & utitur verbo magnificavit. Ipſe enim (inquit) primò vocavit militem ſuum (id eſt martyrem) ipſe juſtificavit, ipſe magnificavit, ipſe dedit ei pugnare, ipſe dedit & vincere. Ubi nihil de gloria quæ ſequitur victoriam, ſed de ſola victoria quæ antecedit gloriam ut certamen coronam ſibi debitam.

Per hanc autem noſtram iſtius textus explicationem plene, ut arbitror, ſatisfit difficultati, quam facit Eſtius ſuper hunc textum, dicens: Quod niſi prænotionem quæ indicatur ibi per verbum præſcivit, exponas prædilectionem textus in hac parte habebit ſenſum imperfectum: Nos enim putamus in illa noſtra expoſitione ſenſum perfectum attuliſſe ſine eo quod loqueremur de iſta conficta prædilectione, quæ eſt propria Eſtii, & non textus Apoſtoli, ut ſupra demonſtratum eſt, & ſine ea recte etiam poteſt intelligi textus ille Apoſtoli de prædeſtinatione ad gloriam, ut ſupra videre eſt in argumento 7. ex Scripturis: Ad hoc autem quod ibidem ait; Apoſtolum non dixiſſe; quos præſcivit bene victuros, aut aliquid ejuſmodi. Reſpondemus quod neque etiam dixit ibi præſcientiam ſignificare prædilectionem, aut ſaltem talem prænotionem, quæ adjunctam haberet bonam illam voluntatem, quam εὐδοκίαν Græci vocant, ſicut ipſe interpretatur: ſed ſimpliciter ibi indicaſſe præſcientiam, quæ cum de natura ſua nihil importet aliud quàm ſimplicem prænotionem, neque etiam quidpiam aliud ibi innuat ex ſubjecta materia, cum ad aliquid prudenter decernendum vel prædeſtinãdum (ad quod ibi adſciſcitur) ſufficiat ſimpliciter præcognoſcere quid debet decerni, aut prædeſtinari. Ideo bene illa præſcientia exponitur & debet exponi de ſimplici prænotione, prout ſonat, & non de prædilectione, aut de tali prænotione quæ adjunctam habeat bonam illam voluntatem, quam εὐδοκίαν Græci vocant, prout mere voluntarie, & ſine rationabili fundamento vult Eſtius, ut ſupra ſatis demonſtratum eſt.

PARAGRAPHUS NONUS.

Objectio nona proponitur.

NONUM argumentum ſumitur ex Epiſtola ad Romanos cap. 9. ubi Apoſtolus ait: Cùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali: ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret; non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt: quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt, Jacob dilexi, Eſaü autem odio habui: Et infra: Ergo non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: Et tandem

loquens de electis, oſtendit manifeſte, eos tales eſſe ex miſericordia, & non ex operibus: cùm dicat eos eſſe vaſa miſericordiæ, quæ Deus præparavit in gloriam. Præparatio enim pertinet ad prædeſtinationem, & illa præparatio eſt ad gloriam, ut patet vel ex ipſis terminis: Ergo prædeſtinatio ad gloriam eſt ex mera Dei miſericordia, & non ex prævisis meritis.

PUNCTUM PRIMUM.

Duæ priores reſponſiones proferuntur, & explicantur.

RESPONDEO primò hunc locum non eſſe de prædeſtinatione, & reprobatione, prout communiter ſumuntur: Nam prædeſtinatio, & reprobatio, prout communiter ſumuntur, reſpiciunt perſonas ſingulares, & non populos: Hic autem locus, prout aſſumitur ab Apoſtolo, reſpicit directe & formaliter populos, per Jacob & Eſaü figuratos, ſcilicet Gentiles, & Judæos, de quibus ibi agebat Apoſtolus, prout videre eſt in lectione capitis.

Reſpondeo ſecundò hunc locum ſi de prædeſtinatione ſit, eſſe de prædeſtinatione ad gratiam, & non ad gloriam ſaltem ſolitarie ſumptam, & ſic explicant locum illum de gratia D. Auguſtinus in Epiſt. 105. Item lib. 1. ad Simplicianum qu. 2. in Enchir. cap. 32. & de prædeſt. Sanct. c. 3. 8. 14. 16. & 19. & lib. 2. ad Bonifacium cap. 7. Magiſter Sent. lib. 1. diſt. 41. cap. 1. D. Thomas in hunc locum: & Primaſius in eundem locum apud Bibliothecam Patrum. Quod ſi D. Thomas aliquando in hoc loco interſerat aliquid quod ſpectet ad gloriam, non eſt quod putet hîc agi de prædeſtinatione ad gloriam nude & ſolitarie ſumptam, prout illam hîc ſumimus; ſed occaſione prædeſtinationis ad gratiam, de qua loquitur, immiſcet aliquid de gloria, ut connaturaliter conſequente juſtificationem, ſeu gratiam juſtificantem; ſed primario & directe agit de electione ad gratiam, ut patet ex his verbis Lect. 1. hujus capitis. Apoſtolus (inquit) ſupra, neceſſitatem & virtutem *gratiæ* demonſtravit; hic incipit agere de origine *gratiæ*, utrum ex ſola Dei electione detur, aut detur ex meritis præcedentium operum, occaſione accepta ex eo quod Judæi, qui videbantur obſequiis divinis mancipati, exciderant à gratia, Gentiles autem erant ad eam admiſſi, qui prius fuerant à Deo alieni. Et Lect. 2. oſtendens ſcopum Apoſtoli, ait: Eſt notandum, quod hoc Apoſtolus inducit contra Judæos, qui reputabant ſe Dei *juſtitiam* adepturos propter merita Patrum. Ubi clarè loquitur de gratia juſtificante, quam vocat juſtitiam. Lege totum caput, & videbis completam expoſitionem de gratia. Et bene ibidem innuit rationem iſtius explicationis: ſcilicet quia directe ſpectat ſcopum Apoſtoli, qui per exemplum iſtud electionis Jacob, & reprobationis Eſaü, antequam quicquam boni aut mali egiſſent, volebat oſtendere Judæis, quod Deus ad nihil aliud reſpiciebat

in electione ad gratiam, de qua illi Judæi diſceptabant cum Gentilibus, quam ad ſuam meram voluntatem & bonitatem, & ideo Judæos male præſumere de operibus ſuis legalibus,quaſi propter illa deberetur eis illa gratia potius quam Gentilibus, qui illa opera non habebant: Contra quos ſic arguit; quid habuit Jacob præ Eſaü antequam naſcerentur, & tamen illum elegit Deus & hunc repudiavit. Ita licet gentiles nihil haberent ante Chriſti adventum, & fidei annunciationem, eſſentque omnium bonorum egentiſſimi, tamen efficaciter vocati ſunt & electi ad fidem & gratiam juſtificantem ex mera Dei miſericordia: vos vero ô Judæi! fuiſtis rejecti, quia nempe ſic voluit Deus,quia non eſt currentis neque volentis,ſed miſerentis Dei eſt hanc gratiam impertiri.Et ſane nihil eſt in toto loco illo, quod non commode, & recte poſſit explicari de gratia: & per conſequens non debeat exponi de illa, quandoquidem is erat ſcopus Apoſtoli.Nam quantum ad hæc verba:[Cum nondum nati fuiſſent aut aliquid boni egiſſent aut mali: ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt quia major ſerviet minori] ſatis hæc verba ſcilicet, non ex operibus, ſed ex vocante, declarant ibi eſſe ſermonem de gratia ad quam directe, & prout communiter intelligitur, ſpectat vocatio: Unde ſic exponit D. Thomas. Poteſt, inquit intelligi figuraliter (prout ſumebat Apoſtolus) ut per majorem intelligatur populus Judæorum, qui primo adoptionem filiationis (id eſt gratiam) accepit: per minorem autem figuratur populus Gentilium,qui poſterius eſt ad fidem vocatus: major ergo populus ſerviet minori,in quantum Judæi ſunt noſtri capſarii cuſtodientes libros, ex quibus noſtræ fidei teſtimonium perhibetur: & ſic explicat textum illum D. Thom. de vocatione ad fidem & gratiam, & etiam Auguſt. lib. de Prædeſt. ſanct. c. 16.& 19. & ſequentia verba Apoſtoli maxime indicant gratiam, ſcilicet Jacob dilexi, Eſaü odio habui: nam dilectio ſpectat ad gratiam, odium vero ad privationem gratiæ, quæ comparatur odio. Quantum autem ad hæc verba: non eſt volentis neque currentis,ſed miſerentis eſt Dei,nequidem ſpectant ad prædeſtinationem,ſed tantum ad concurſum ſeu gratiam Dei actualem in bona opera, ut patet ex hoc verbo currentis, quod ſpectat ad curſum actualem: & ſic explicant D. Auguſt. eodem lib. cap. 8. & D. Th. in Commentario: & 1. p. q. 83. A. 1. ad 2. & 1. 2. qu. 98. A. 1. ad 3. Et ſane verba ſequentia ſatis id indicant, cum ait Apoſtolus, cujus vult Deus miſeretur,in quem vult indurat,non dicit reprobat, ſed indurat, quod importat privationem gratiæ efficacis, & per conſequens miſerationem præcedentem ei oppoſitam eſſe collationem gratiæ efficacis: Cum ergo hæc omnia ſint tantum de gratia, ſequitur quod electio & propoſitum de quibus antea loquutus eſt Apoſtolus, habeant pro objecto adæquato gratiam: & ita ſint de gratia & non de gloria. Reſtant ergo illa verba quæ magis videntur ſpectare ad gloriam quam præcedentia, ſcilicet: vaſa miſericordiæ quæ præparavit Deus in gloriam;ſed & hæc ſumpta ſecundum ſe non

dicunt prædeſtinationē ad gloriam, magis quam prædeſtinationem ad gratiam: nam 1. ii qui recipiunt gratiam, æque bene poſſunt dici vaſa miſericordiæ ac ii qui prædeſtinantur ad gloriam, cum ex mera miſericordia recipiant gratiam, & certū ſit eos ex eadem mera miſericordia prædeſtinari illam; ad gloriam autē non eſt certum; imo, ut multi cenſent, eſt falſum.

Quantum autem ad illa verba : quæ præparavit in gloriam , etiam recte poſſunt exponi de prædeſtinatione ad gratiam. Et ratio eſt quia ibi gloria non ſumitur pro gloria cœleſti ; ſed pro gloria Dei extrinſeca , in quam Deus ordinavit , & præparavit electos ad gratiam, ut clarificaretur & glorificaretur in operibus eorum , ut expreſſe interpretatur Haymo illa verba : quæ præparavit in gloriam : ut in eis inquit glorificetur & laudetur (Deus) Nam verbum Græcum δόξα , quod vertit noſter interpres in gloriam , propriè ſignificat honorem, famam, ſplendorem , & claritatem nominis , non vero proprie beatitudinem ; & ita paſſim uſurpatur in ſcripturis , & in illo ipſo textu quem verſamus , ita ſumitur : nam ubi habet noſter interpres hæc verba: [Ut notas faceret divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ] hæc verba: divitias gloriæ ſuæ : quod eſt amplitudinis ſeu claritatis ſuæ : ſic redduntur Græcè, τὸν πλοῦτον τῆς ΔΟΞΗΣ : eo modo quo ea quæ verſamus, ſcilicet quæ præparavit in gloriam; ἃ προητοίμασεν εἰς ΔΟΞΑΝ : utrobique enim eſt verbum δόξα pro gloria. Unde veriſimile valde eſt , quod cum verbum illud δόξα, in 1. parte textus ſumatur pro amplitudine & claritate Dei, & non pro gloria cæleſti , ita & in 2. Quod etiam confirmatur ex eo quod Eſtius notat hîc , in aliquibus Exemplaribus Græcis legi , εἰς δόξαν αὐτοῦ , ad gloriam ſuam , id eſt ad gloriam Dei: quod expreſſe dicit id totum quod intendimus : Et ſane non ſolet Scriptura gloriam cæleſtem vocare gloriam , ſaltem ſine aliquo addito , quod determinet illud verbum ad ſignificandam gloriam cæleſtem , ſed vel regnum cælorum , vel vitam æternam , vel beatitudinem: Unde cùm ponatur ibi gloria ſine ullo addito , videtur ibi potius ſignificare Antonomaſtice gloriam Dei , quàm beatorum gloriam. Sed præterea habemus Auguſtinum interpretem iſtius textus de gratia lib.2. ad Bonif. cap.7. ubi habet hæc verba [Si autem volens Deus oſtendere iram , & demonſtrare potentiam ſuam , attulit in multa patientia , vaſa iræ quæ perfecta ſunt in perditionem : & ut notas faceret divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ , quæ præparavit in gloriam] Hoc eſt , inquit , *gratia Dei non ſolùm adjutorium* , verum etiam documentum , *adjutorium* ſcilicet in vaſis miſericordiæ : in vaſis autem iræ documentum : in eis enim oſtendit iram , & demonſtrat patientiam ſuam , quia tam potens eſt bonitas ejus , ut bene utatur malis , & in eis notas facit divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ : quoniam quod ab iræ vaſis exigit juſtitia punientis , hoc vaſis miſericordiæ *dimittit* gratia liberantis: ubi totum eſt de adjutorio , ſeu de gratia Dei dimittentis peccata vaſorum miſericordiæ , per collationem gratiæ : Et ita etiam videtur exponere locum illum

Ipſa (inquit Auguſtinus Tract. 100. in Ioan.) quæ Græcè dicitur δόξα, unde dictum eſt verbum, δοξάσει, & claritas interpretatur & gloria : Gloria namque fit quiſque clarus, & claritate glorioſus, ac per hoc quod utroque verbo ſignificatur idipſum eſt.

Sicut autem definierunt antiqui Latinæ Linguæ clariſſimi Authores : gloria eſt frequens de aliquo fama cum laude: Hæc ibi Auguſtinus.

D. Thomas in Commentario. Nam exponens illa verba, vaſa miſericordiæ, ſic ait: Nominat autem bonos vaſa miſericordiæ (ubi nota, quod non dicit prædeſtinatos, ſed bonos, quod indicat ſolùm excellentem gratiam & pietatem) quia utitur eis Deus, quaſi inſtrumentis ad ſuam miſericordiam manifeſtandam (ſcilicet in bona eorum vita & converſatione) tertiò (verba D. Thomæ) ponit actum quem circa eos Deus exercet (at actus ille non eſt prædeſtinatio: Nam non exercetur ad extra, ſed manet in Deo; ergo eſt ipſa collatio ſeu donatio gratiæ) non enim Deus eos ſolùm ſuſtinet, quaſi de ſe aptos exiſtentes ad bonum, ſed eos *præparat, & diſponit vocando* ad gloriam. Unde dicit [Quæ præparavit in gloriam] Ecce ergo quid ſignificat illa præparatio. Secundùm D. Thomam eſt vocatio, eſt ſingularis gratia quam præſtat bonis, quos ſupra intellexit per vaſa miſericordiæ; & ſic explicat textum illum de vocatione ad gratiam, & non de prædeſtinatione ad gloriam. Quod maxime confirmatur ex iis quæ habet initio lectionis ſequentis; ubi ait, loquens de præcedenti textu. Poſt quam oſtendit Apoſtolus quod *Dei gratia datur* hominibus ex diuina electione per quam homines ad gratiam vocantur (ibi nullum verbum de prædeſtinatis ad gloriam, ſed generaliter de hominibus ad gratiam vocatis & electis) hic oſtendit quod prędicta electio, ſeu vocatio non ſolum pertinet ad Judęos, ut ipſi poterant gloriari, propter hoc quod dicitur Deut. 4. Dilexi patres tuos, ſed etiam ad Gentes. Ubi oſtendit quod antecedentia & conſequentia capitis illius ſunt de gratia, ſeu de vocatione ad gratiam, & non immediate ad gloriam, quod maxime favet opinioni noſtræ, quæ tenet totum illum textum in objectione allatum eſſe de prædeſtinatione, ſeu vocatione, ad gratiam, & non de prædeſtinatione ad gloriam.

Hæc explicatio D. Th. eſt valde notabilis, cùm ibi præparare non ſit prædeſtinare; non enim ibi præparatur gloria, quod eſſet prædeſtinare: ſed præparantur homines ad gloriã, quod longe diverſum eſt; cùm hæc præparatio ſit tantum adjutorium Dei, quo diſponuntur homines ad acquirendam gloriam, ut ſupra Auguſtinus explicabat. Et eſt ſimile huic textui toties apud Auguſtinum decantato: Præparatur voluntas à Domino: Non enim voluntas prædeſtinatur, ſed præparatur, & diſponitur ad bonum, per adjutorium gratiæ.

PUNCTUM II.

Cuidam incidenti objectioni occurritur, & tertia reſponſio profertur.

VERUM contra objicies, & dices quod ſaltem illa verba quę pręparavit in gloriam, debent intelligi de prædeſtinatione ad gloriam, & non ad gratiam: Et ratio eſt, quia ibi opponit Apoſt. eos, quos Deus pręparavit in gloriam, iis quos dixerat aptatos in interitum: At hic interitus ſumitur pro morte æterna; ergo gloria ibi ſumitur pro gloria cæleſti, ſeu æterna.

Reſpondeo oppoſitionem non eſſe inter hæc verba, interitus, & gloria: Sed inter iſta ſcilicet ſuſtinuit, & præparavit: ita quod ſenſus ſit, quod malos de ſe aptos ad peccatum, & damnationem, ſuſtinuit mala-

facere, ut poſtea puniret, & ſic oſtenderet potentiam & juſtitiam ſuam, in gloriam ſuam: Bonos vero de ſe ineptos ad bonum præparavit per gratiam ad bene agendum, in laudem & gloriam nominis ſui: itaque utroſque ordinavit in gloriam ſuam, ſed malos indirectè, ſuſtinendo ſcilicet eos in peccatis, ut oſtenderet in eis potentiam & juſtitiam ſuam, eos omnes puniendo: bonos vero directè (in quo eſt oppoſitio) præparando; & diſponendo eos, per gratiam ad bona opera, ut clarificaretur in eis. Et ſic nihil eſt in toto illo textu ſumpto ad litteram, quod importet neceſſariò prædeſtinationem ad gloriam.

Tertia reſponſio. Sed etſi locus hic eſſet de prædeſtinatione ad gloriam: tamen nihil efficeret contra nos, cùm non ſit de prædeſtinatione ad gloriam nude & ſolitarie ſumptam, de quâ ſolâ hîc agimus; ſed ſit de prædeſtinatione ad gratiam, æque ac de prædeſtinatione ad gloriam, cùm multa quæ ſunt in illo textu, exponantur communiter de vocatione ad gratiam, vel etiam de collatione gratiæ, ut vidimus ex Auguſtino & D. Thoma.

Punctum III.

Ultima reſponſio profertur, & late explicatur.

Sed etiamſi locus hic eſſet de prædeſtinatione ad gloriam nude & ſolitarie ſumptam, quod nemo unquam probabit, cùm apertiſſime ibi miſceatur gratia cum gloriâ, ſi tamen ibi gloria reperiatur. Tamen non multum difficile eſt oſtendere ibi indicari prædeſtinationem illam eſſe poſt prævisa merita. Nam D. Fulgentius D. Auguſtini diſcipulus, explicans illa verba Apoſtoli: [Ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam] ait, quod poſſet Apoſtolus, quos dixit vaſa miſericordiæ, potius *vaſa juſtitiæ nuncupare*: quod ſatis oſtendit, illos electos non eſſe electos ſeu prædeſtinatos ad gloriam ſine prævisis meritis, ſed ex prævisis meritis, cùm vocentur à Fulgentio vaſa juſtitiæ; non quidem meritis innixa arbitrii, ſed meritis gratiæ; propter quam bene dicuntur à Paulo vaſa etiam miſericordiæ, non excludẽdo ſcilicet juſtitiam quæ ex Deo eſt, ſed eam quæ eſt ex homine: Unde & ſequitur expreſſa Fulgentii ratio, cur potius eos vocarit Apoſtolus vaſa miſericordiæ, quam vaſa juſtitiæ, licet vaſa juſtitiæ nuncupare potuiſſet: Quia, inquit Fulgentius, ſi vaſa juſtitiæ vocarentur, forſitan ex ſeipſis habere juſtitiam putarentur: nunc autem cum vaſa miſericordiæ dicit, procul dubio quid ipſi fuerint non tacuit, quia quid eis à Deo collatum ſit, evidenter oſtendit. Si enim per ſeipſos eſſent juſti, mercedem (ſcilicet meram) eis Dominus pro operibus ſuis (id eſt arbitrii, & non etiam gratiæ) redderet, non miſericordiam prærogaret. Ex quibus patet Apoſtolum, cùm vocat ibi electos ad gloriam, vaſa miſericordiæ quos Deus præparavit in gloriam, non excluſiſſe ibi merita gratiæ (nec enim vocat eos vaſa meræ miſericordiæ) ſed excluſiſſe tantum merita arbitrii, & ad-

Vide iſtum locum in teſtimoniis ejus.

& admiſiſſe merita præviſa gratiæ, ob quam legitimè vocantur vaſa miſericordiæ, & ob eandem rationem alibi, gloriam ipſam vocat gratiam, ut vidimus ex Auguſtino in objectione 7. ſupra allata.

Sed & multi alii explicant locum illum de prædeſtinatione ad gloriam poſt præviſa merita: Nam Oecumenius, Theophylactus, & D. Chryſoſtomus ità explicant locum illum, ut velint quidem Jacob ad vitam æternam, & coronam dilectum, Eſaü autem in æternum reprobatum, antequam quicquam boni & mali egiſſent actu & reipſa: Sed non antequam eorum opera futura præviſa eſſent.

Et hæc ſententia probari ſic poteſt; nam eodem modo loquitur ibi Apoſtolus de electione Jacob, ac de reprobatione Eſaü: ſi ergo illa repræſentabat electionem ad gloriam; hæc, autem reprobationem à gloria, ſequitur quod eodem modo ſit reprobatio ac illa electio; ſed reprobatio ſit ex præviſis peccatis, ergo & illa electio ſit ex præviſis meritis.

Dices, per reprobationem Eſaü, figurari reprobationem negativam, quæ eſt ſola excluſio gloriæ, & eſt ſine præviſis meritis: non vero poſitivam, quæ conſiſtit in inflictione pœnæ, & eſt ex præviſis meritis.

Reſpondeo per reprobationem Eſaü, non ſolùm figurari reprobationem negativam, ſed etiam poſitivam, quod ſic probatur: Nam decretum illud Dei, Major ſerviet minori; per quod ibi figuratur reprobatio reproborum, non eſt quidpiam mere negativum, ſed etiam poſitivum, & vera inflictio pœnæ, quæ conſiſtebat in ſervitute dura & actuali, quam agnoſcit Eſtius in illum locum, fuiſſe in executione poſitam tempore Dauidis ſuper Idumæos, quia nempe populus quem repræſentabat Eſaü, ſcilicet Idumæus fuit effective & realiter ſervus illius populi quem repræſentabat Jacob, ſcilicet Iſraëlitici: Et ſic veram & poſitivam pœnam paſſus eſt duræ ſervitutis: Unde ſi hic textus figuret reprobationem à gloria, non figurat reprobationem mere negativam, ſed etiam poſitivam, quæ cum ſecundùm fidem ſit ex peccatorum meritis, ita & electio ad gloriam debet eſſe ex bonorum operum meritis, cùm hîc eodem modo conſiderentur: Et revera Scriptura teſtatur Eſaü non eſſe reprobatum, prout hic figura eſt, niſi ob præviſa mala merita: Nam ad Hebr. 12. dicitur: Eſaü propter unam eſcam, vendidit primitiva ſua: ſcitote, enim *quoniam*, & poſtea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus eſt. Ubi nota cauſalem illam, *quoniam*, quæ indicat cauſam ejus reprobationis, ſeu rejectionis fuiſſe peccatum quod commiſit vendendo primitiva ſua: Hoc enim ſecundùm D. Thomam ſic ordinatum fuit à Deo divinitùs inſpirante, & non ab Iſaac humanitùs agente, prout perperàm putavit Eſtius in cap. 9. ad Rom. forte ut eluderet hanc objectionem: Nam & hoc ita interpretantur Theophylactus, Haymo, & Titelmannus, ut D. Thomas, in Epiſt. ad Hebræos, in illum locum.

Præterea tota hæc ratiocinatio confirmatur ex fine capitis iſtius noni

ad Romanos; ubi Apoſtolus applicans iſtam hiſtoriam admiſſionis Jacob & reprobationis Eſaü, admiſſioni Gentilium, & rejectioni Judæorum, de quibus principaliter ibi agebat: Refert hoc infidem & in fidelitatem eorum, ita quod velit Gentiles eſſe electos à Deo quia crediderunt, Judæos vero rejectos quia credere noluerunt; quod eſt admittere præviſionem operum; & per conſequens prædeſtinationem poſt præviſa opera, ſeu merita: Unde aliqui exponentes textum illum in objectione poſitum de prædeſtinatione ad ſolam gratiam, nolunt exponi de vocatione ad fidem, quia hanc nulla omnino præcedunt merita, ſed volunt exponi de prędeſtinatione ad gratiam ſanctificantem, quia hanc præcedunt merita congrua fidei: Et ratio eſt, quia ſecundùm eos hic locus ſupponit aliqua merita, ante prædeſtinationem, de qua facit mentionem.

Cornelius à Lapide hic.

Quantum autem ad hæc verba [Non eſt volentis, neque currentis; ſed miſerentis eſt Dei] & ſimilia, ut cùm dicit ibidem Apoſtolus [Cujus vult miſeretur] & dein [Nunquid dicit figmentum fictori, quid me feciſti ſic?] quæ videntur excludere meritum: Dicendum cum Chryſoſtomo Homil. 16. in illa verba, Hæc omnia dici non ad excludendum meritum, ſed ad excludendam hominis curioſitatem; quaſi diceret Apoſtolus, nos Dei voluntatem in his omnibus debere ſolùm conſiderare, (verba Chyſoſtomi) juſtumque ejus judicium de dignitate electorum, & de indignitate rejectorum debere ſupponere, & non curioſiùs inquirere: Hoc enim facit (inquit) intempeſtivam, nimiamque illius (ſcilicet hominis) curioſitatem compeſcens, frænoque adhibito eundem docens, ſcire quid Deus, quid autem homo, ut incomprehenſibilis illius ſit providentia, ut noſtram exuperans cognitionem. Et infra: Parere enim Dei dictis oportet, non curioſe ſciſcitari. Et infra: Ac cum, inquit & dicit: An non habet poteſtatem figulus luti, ut ex eâdem maſsâ fingat, aliud vas in honorem, aliud in ignominiam: Cave ad opificii rationem exiſtimes à Paulo hæc dicta eſſe, aut ſententiæ neceſſitatem, ſed ad œconomiarum poteſtatem ac differentiam: Nam niſi ita acceperimus, multa abſurda ſequentur: etenim ſi de animi ſententia hoc loco ſermo habetur, & bonorum & non bonorum erit ille opifex, videbiturque tum homo extra omnem culpam eſſe: tum Paulus ipſe qui ubique ipſam voluntatem coronat, hac ratione ſecum ipſe depugnare. Hîc igitur aliud nihil agere vult, quam ut perſuadeat auditori, ut maximopere, & ſupra quam dici poſſit Deo pareat, nullaque de re ab eo rationem exigat. Et infra. Tu porrò figulo permittis ut maſsâ ex eâdem diſſimilia, ac differentia vaſa fingat, nec vitio vertis: à Deo autem rationem exigis, tum ſuppliciorum, tum bonorum. Nec concedis ut ſciat ipſe quis dignus, quis rurſus indignus ſit.

Eodem modo explicat illa Oecumenius hic.

Itaque ſecundùm Chryſoſtomum, non excluditur per prædicta verba meritum, ſeu dignitas operum; ſed tantùm curioſitas hominum, in quantum ſoli Deo vult reſervari iſtam ſcientiam, cur hujus miſereatur,

& cur non miſereatur illius; quia nempe ſolus Deus ſcit quis dignus futurus ſit ut miſereatur illius, & quis indignus futurus ſit, ut miſereatur illius.

Quantum autem ad illa poſtrema verba in objectione poſita, ſcilicet vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam. Non intelligit illa Chryſoſtomus ibidem de præparatione ex mera miſericordia, ut volunt adverſarii, ſed de præparatione ex prævifis meritis; ſic enim ait ibi: Quæ præparavit in gloriam, *non Dei rem totam eſſe ait, quandoquidem ſi hoc eſſet, nihil eſſet quod omnes ſalvos fieri prohiberet:* Sed rurſus illius præſcientiam declarat Judæorumque ac Gentium differentiam tollit: id eſt non reſpicit an Judæus, an Gentilis ſit is quem prædeſtinat ad gloriam, ſed an illam meriturus ſit: Et infra quemadmodum Pharao vas iræ effectus eſt à ſua iniquitate, ita & *hi vaſa miſericordiæ à ſua probitate*, gratoque erga Deum animo. Quanquam enim quod plus eſt in re ipſius Dei eſt, tamen & ipſi etiam parvulum quoddam attulerunt: per quod indicat cooperationem noſtram minimam & ſubſequentem reſpectu gratiæ prævenientis, ſeu præoperantis; cujus operationem vult eſſe longe majorem & longe potiorem. Et tandem infra ait: Unde ergo alii, quidem vaſa iræ, alii autem miſericordiæ? A propria voluntate. Hæc ibi Chryſoſtomus: Quæ eſt vera expoſitio illius loci, ſi ſumatur pro prædeſtinatione ad gloriam nude & ſolitarie ſumptam: Nihil enim in toto illo textu, eſt excluſivum operum; nam cùm dicitur non ex operibus, ſenſus eſt quod non ex ſolis operibus: Item, cùm dicitur, non eſt volentis aut currentis, ſenſus eſt non eſt ſolius volentis & currentis, vel non eſt volentis & currentis ex ſeipſo, ſed eſt Dei miſericorditer excitantis & adjuvantis: eo modo quo hæc verba, vaſa miſericordiæ, non ſignificant vaſa ſolius miſericordiæ, ſed miſericordiæ ſimul & juſtitiæ, ut vidimus ſupra ex Fulgentio: & ita eſt de reliquis, ſed melior eſt expoſitio de prædeſtinatione ad gratiam, quam ſupra dedimus.

Quanquam & exponat aliquando Auguſtinus iſtam figuram Jacob & Eſaü, de prædeſtinatione ad gloriam poſt præviſa merita, ut vidimus in argumento 26. ex Auguſtino: ſed frequentius & communiter de prædeſtinatione ad gratiam ſine meritis, ut notavimus initio ſecundæ reſponſionis.

PARAGRAPHUS DECIMUS.

Tres ſequentes objectiones proponuntur, & multipliciter ſolvuntur.

DECIMUM argumentum ſumitur ex ejuſdem Epiſtolæ cap. 11. ubi ait Apoſtolus: In hoc tempore reliquiæ ſecundùm electionem gra-

tiæ ſalvæ factæ ſunt. Ubi volunt adverſarii indicari prædeſtinationem ad gloriam eſſe ſine prævisis meritis, quia vocatur electio gratiæ.

Reſpondeo, locum illum intelligi de gratia ſanctificante, ſeu de ſalute incompleta, quæ fit per fidem & gratiam ſanctificantem: Quod patet ex eo quod in toto reliquo capite, loquitur Apoſtolus de fide Gentium, ad quam dicit Judæos, qui tunc erant increduli, poſſe aliquando pertingere. Et ſic explicant in Commentario locum illum D. Chryſoſtomus, & Theophylactus: D. autem Auguſtinus in lib. 2. ad Bonifacium c. 7. & D. Thomas in Commentario. D. Proſper lib. 1. de vocat. Gent. cap. 10. Sed D. Auguſtinus Serm. 7. de verbis Domini, exponit illum de prædeſtinatione ad gloriam ex meritis gratiæ: ut patet ex his illius verbis: Noli ergo in hoc gloriari, ut putes te in ſervitio meo non habere conſervos: ſunt quos elegi, ſicut & te, *de me ſcilicet præſumentes*, ſicut ait Apoſtolus, & nunc reliquiæ per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt: Per hæc enim verba, de me præſumentes, intelligit eos qui confidentes in gratiâ divinâ, meritis illius repleti ſunt, non autem præſumentes de ſe, ut Pelagianos & Semipelagianos. Et ſic locus iſte potius eſt pro nobis quam contra nos, etiam ſecundùm mentem Auguſtini.

Undecimum argumentum ſumitur ex 1. ad Corinth. 4. ubi ait Apoſtolus: Quis te diſcernit? quid autem habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?

D. Proſper eundem locũ explicat de gratia, libro cõtra collat. n. 29. & 30.

Reſpondeo, hunc locum intelligendum eſſe de gratia, & non de gloria, prout explicat illum D. Auguſtinus libro de prædeſtinatione Sanct. cap. 4. ſed precipue 5. ubi explicat illum de initio fidei: D. Chryſoſtomus explicat illum de fide, & de gratiis gratis datis: D. Thomas de gratia ſanctificante, & de gratiis gratis datis: Theophylactus, & Oecumenius explicant illum tantum de gratiis gratis datis; nec poteſt aliter explicari ad litteram, quàm de gratia: Cùm loquatur ibi Apoſtolus de viventibus, & adhuc inter homines degentibus, de eo quod ipſi jam habebant, ut patet ex his verbis: Quid autem habes quod non accepiſti? at non habebant gloriam, ſed ſolùm gratiam: Ergo non poteſt locus iſte exponi de gloria, ſed tantum de gratia.

Quod ſi tamen exponatur de prædeſtinatione ad gloriam, debet exponi de illa ſecundùm executionem, & non ſecundùm intentionem; cùm dicat [Quid habes quod non accepiſti?] quod neceſſariò reſpicit executionem: Et ſic non eſt contra nos, cum & ipſi adverſarii fateantur gloriam in executione dari propter merita.

Sed etſi exponeretur de prędeſtinatione ſecundùm intentionem, non multum gravaret nos, cùm non neget ibi Apoſtolus omnimodam diſcretionem, & gloriationem: ſed tantum eam quæ ſibi tribuit bona, quaſi non acceperit: Nos autem fatemur, nos accipere gloriam à Deo, nempe per bona opera nobis per eum collata, mediante ſuâ gratiâ excitante & adjuvante: Et ſic illam non eſſe à nobis quaſi ex nobis, ſed

ex Deo excitante & adjuvante: Quapropter locus ille poteſt tantum eſſe contra Pelagianos & Semipelagianos, qui negabant gratiam Chriſti concurrere ad bona opera, excitando & operando illa; unde ſæpe ſæpius Auguſtinus urget locum iſtum contra illos. Non autem eſt contra nos, qui fatemur gratiam Dei concurrere ad omnia opera noſtra bona. Vera tamen & germana loci hujus expoſitio eſt ea quam dedimus, quæ explicat illum de gratia, & non de gloria.

Ille (inquit Auguſt.) diſcernit, qui unde diſcernaris impertit, pœnam debitam removendo, indebitam gratiam largiendo: Ille, diſcernit, qui cum tenebra eſſent ſuper abyſſum, dixit fiat lux, & diviſit:

Duodecimum argumentum ſumitur ex Epheſ. 1. ubi ait Apoſtolus: Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpiritali in cæleſtibus, in Chriſto: ſicut elegit nos in ipſo ante conſtitutionem mundi, ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus. Ubi ait Apoſtolus nos electos eſſe ad gloriam, non quia prævisi ſumus futuri ſancti, ſed ut ſimus ſancti & immaculati: ergo illa electio non eſt ex prævisis meritis.

Hoc eſt diſcrevit inter lucem & tenebras: non enim cum eſſent ſola tenebra, quod diſcerneret invenit: ſed lucem faciendo diſcrevit, ut juſtificatis impiis *dicatur: fuiſtis enim aliquando tenebra, nunc autem lux in Domino. Ac ſic qui gloriatur, non in ſeipſo, ſed in Domino glorietur. Lib. 2. ad Bonif. c. 7. & hunc locum refert Primaſius in Comment. hujus loci.*

Reſpondeo ibi non agi de prædeſtinatione ad gloriam, ſed de prædeſtinatione ad gratiam vocationis & juſtificationis: Unde D. Auguſtinus lib. de prædeſtinatione Sanct. valde urget locum illum contra Semipelag. qui volebant nos prædeſtinari ad initium fidei, ſeu ad primam gratiam, ex meritis arbitrii, & non ex gratia Dei: quos confutat Auguſtinus ex eo, quod hic dicit Apoſtolus, Deum nos elegiſſe, non quia eramus ſancti, ſed ut eſſemus ſancti & immaculati: Id eſt nos elegiſſe ad ſanctitatem & munditiam. Et ſane hic ſenſus patet, tum ex conſequentibus ubi Apoſtolus ait: Prædeſtinavit nos in *adoptionem filiorum* per Jeſum Chriſtum...... in quo habemus *redemptionem* per ſanguinem ejus *remiſſionem peccatorum*: Quæ omnia denotant gratiam, & non gloriam, quandoquidem adoptio, redemptio, & remiſſio peccatorum pertinent ad gratiam juſtificationis. Tum etiam ex eo quod Apoſtolus illa verba dirigat ad omnes fideles Epheſios, quibus ſcribebat: At non eſt veriſimile quòd illi omnes eſſent prædeſtinati ad gloriam, cum in parvulo Apoſtolorum grege repertus ſit aliquis reprobus; ſaltem non poterat Apoſtolus hoc ſcire, niſi per revelationem ſpecialem. At modus loquendi illius nihil indicat ejuſmodi, ſed tantum ſcientiam generalem & cuivis obviam, quæ erat de eorum prædeſtinatione ad gratiam, ſeu ad illam fidem, quæ per dilectionem, operatur, in quantum illi omnes erant baptiſati, & ferventes Chriſtiani: Quod ſi Apoſtolus ipſe non noverat ſuam prædeſtinationem per aliquam certam revelationem, cum ipſe de eâ non ſecurus, ſed timens ac tremens dicat: Caſtigo corpus meum, ne cum aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar, quanto minus ſciebat prædeſtinationem ad gloriam omnium illorum Epheſiorum? cum illa prædeſtinatio ſit myſterium abſconditum, & pauciſſimis

cap. 17. & 18.

Licet non eſſet ſecurus de ſua prædeſtinatione, tamen ibi loquitur de ſe ipſo, ut &

do aliis, dicens: Vt nos eſſemus ſancti & immaculati: Quod indicio eſt, illum locutũ de alia prædeſtinatione, ſcilicet ad gratiam, de qua moraliter certi ſumus, aut eſſe poſſumus.

Sanctis revelatum. Tum etiam ex fine illius revelationis, ſcilicet ut eſſemus ſancti & immaculati, qui finis proprius eſt electionis ad gratiam, ſeu vocationis, ſeu juſtificationis, ut ſcilicet fructum afferat vocatus & juſtificatus, Deo: Non autem eſt finis electionis ad gloriam, etiam ſecundùm ipſos adverſarios, cum ipſi velint Deum in decreto ſuo intentionis (quod eſt vera prædeſtinatio) nihil cogitaſſe de meritis, ſed tantum in decreto executionis, in quo aſſumpſit ea ut media ad conferendam electis gloriam, cum alia media, ſalvo priori decreto, potuiſſet aſſumere; quod ſi bene perpendiſſent adverſarii non hunc locum objeciſſent, cum omnino ſit contra eorum modum explicandi prædeſtinationem ad gloriam: Et tandem certiſſimum eſt quod ſi prædeſtinatio illa de qua hîc, ſit ad gloriam, non eſt ad gloriam nude & ſolitarie ſumptam (de qua ſola agimus) ſed ad gratiam ſimul & ad gloriam, cum negari omnino non poſſit quin ſanctitas quæ eſt ipſa gratia ſanctificans, ſit objectum ſaltem partiale illius electionis: ut eſſemus, inquit, ſancti & immaculati: Seu ut Græca clarius habent eſſe nos ſanctos & immaculatos: εἶναι ἡμᾶς ἁγίους καὶ ἀμώμους, quod eſt prædeſtinare ipſam ſanctitatem & munditiam: Unde concludendum eſt quod locus iſte non eſt contra nos, cum non ſit de prædeſtinatione ad gloriam nude & ſolitarie ſumptam, de qua ſola hîc agimus.

Negandum tamen non eſt Auguſtinum aliquando intellexiſſe locum illum de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, ſcilicet lib. 1. ad Simplicianum qu. 2. ſed in illo loco explicat illam prædeſtinationem poſt prævîſa merita, quod ſi admittant adverſarii, & nos cum illis illam interpretationem admittemus, ſed non erit expoſitio literalis, cùm littera neceſſariò includat gratiam quod demonſtrant omnia ſupradicta & expoſita: Quod etiam poſtea agnovit Auguſtinus lib. de prædeſt. Sanct. cap. 17. & 18. ut ſupra notavimus. Et etiam D. Thomas in Comment. explicat locum illum de prædeſtinatione ad gratiam, etſi locum ſequentem, ſcilicet prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum, exponat de prædeſtinatione ad gratiam ſimul & ad gloriam: Sed alibi, vult eum intelligi de prædeſtinatione ad gratiam ſanctificantem, his verbis: Loquitur, inquit, ibi Apoſtolus de prædeſtinatione, qua ſola nos prædeſtinamur, ut ſimus filii adoptivi: Quæ prædeſtinatio ſine dubio eſt ad gratiam ſanctificantem, qua formaliter & directe ſumus filii Dei adoptivi. Quicquid ſit, ſemper ibi includitur gratia; & ſic, illa prædeſtinatio non eſt ea de qua agimus, quæ ſolam & meram reſpicit gloriam.

1. p. q. 24. A. 1, ad 1.

Primaſius autem Auguſtini diſcipulus explicat totum textum de prædeſtinatione ad fidem, & gratiam juſtificantem. Cùm ergo, inquit, nos prædeſtinavit, opus ſuum præſcivit, quo nos ſanctos & immaculatos facit (ecce opus ad quod nos prædeſtinavit, ſcilicet ad ſanctitatem & munditiam) qui prædeſtinavit nos: hoc prædeſtinavit, ut infundendo fidem, filios Dei faceret omnes credentes. Et infra perſequitur ſimiliter omnia.

PARAGRAPHVS VNDECIMVS.

Objectio decima tertia proponitur.

DECIMUMTERTIUM argumentum ſumitur ex 2. Timoth. 2. ubi ait Apoſtolus: Firmum firmamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: Cognovit Dominus qui ſunt ejus. Quod indicat prædeſtinationem eſſe ex ſolo, & firmo Dei decreto, & non ex prævіſis meritis.

PUNCTUM PRIMUM.

Eidem objectioni reſponſio adhibetur, contrariuſque nobis Eſtius confutatur.

RESPONDEO hunc textum nihil continere quod neget prævіſionem operum, cum bene ſtet, quod poſt prævіſionem operum, firmum Dei fundamentum ſtet, & ſignaculum ejus, in decreto prædeſtinationis conſequenter facto: & etiam quod cognoſcat Deus qui ſunt ejus, in illa ſcilicet prævіſione. Quin potius videtur hic textus favere prædeſtinationi poſt prævіſa merita, propter hæc verba, Cognovit Dominus qui ſunt ejus, poſita poſt illa, ſcilicet, firmum fundamentum & ſignaculum: Nam ibi videtur poni præſcientia tanquam ratio firmitatis fundamenti, & ſignaculi illius: Et revera ita videntur interpretari locum illum Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, & D. Thomas: Et ex neotericis, Gagnæus, Cornelius à Lapide, Menochius, & Tirinus, in hunc locum.

Nec bene, ut opinor, explicat hîc Eſtius hoc verbum, cognovit, de cognitione ſeu ſcientia approbationis practica & efficaci, & non de mere ſpeculativa; cùm nullam ibi legitimam hujus ſuæ explicationis proferat rationem: Nam quod ait Scripturam de more ſumere hoc verbum, cognovit, pro notitia amoris & approbationis, non valde conſtat: Nam etiamſi concederetur quod aliquando Scriptura ſic ſumit illud verbum, tamen ſæpiſſime uſurpat illud pro notitia mere ſpeculativa: Ut cum Lucæ 5. dicitur, Cognovit autem Jeſus cogitationes eorum, ſcilicet Judæorum: Joan. 5. cùm dicit Jeſus Judæis: Cognovi vos quia dilectionem Dei non habetis: Lucæ 16. Chriſtus loquens Phariſæis, ait: Deus novit corda veſtra. Et Joann. 2. dicitur quod Chriſtus non ſe credebat eis; eo quod noſſet omnes: Act. 1. dicitur: Tu Domine qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris. Et cap. 15. Qui novit corda Deus. Et cap. 19. Reſpondens autem ſpiritus malignus dixit, Jeſum novi, & Paulum ſcio. In quibus omnibus locis nihil de amore, ſed de

mera & ſimplici notitia & ſpeculatione. Et 2.Petri 1. Gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei; & infra: Per cognitionem ejus qui vocavit nos; quæ verba ipſemet Eſtius exponit de ſimplici cognitione quæ habetur per fidem, non autem de amore: Et nî timerem tædio afficere Lectorem, plura adhuc iſtius ſignificationis exempla proferrem, quibus evidens fieret, Scripturam, cum loquitur de notitia, ſive de cognitione Dei, & aliorum, non loqui communiter & de more, de cognitione amoris & approbationis, ſed de cognitione & notitia mere ſpeculativa. Sed quantum ad præſens inſtitutum, ſufficit nobis dicere quod ipſemet Eſtius, qui dicit Scripturam de more ſumere iſtud verbum, cognovit, pro notitia amoris, & approbationis, & non pro notitia mere ſpeculativa, unicum tantum, illudque dubium, iſtius ſignificationis profert exemplum: Nam alterum quod eſt de negatione cognitionis, ſcilicet, non novi vos, neſcio vos, non eſt uſquequaque ſimile.

Nam certum & compertum eſt, quod quotieſcunque aliquis negat ſe noſcere aliquem, qui tamen ei notus eſt, hæc negatio naturaliter indicat odium & averſionem quam habet ab eo, cum hæc negatio ſignum ſit quod avertat cogitationem ſuam ab eo, ex horrore & odio quod habet in eum: At vero non ſic eſt certum de affirmatione cognitionis: ex eo enim quod quis fatetur ſe cognoſcere, v. g. Petrum, nemo hinc prudenter judicare poteſt quod amet illum, quia nempe ad id aſſerendum moveri poteſt ex motivo veracitatis, vel alio ſimili, & non ex motivo amoris: Unde non bene ſequitur, ex eo quod quis negat ſe cognoſcere aliquem, quem cognoſcit, eſt ſignum odii: Ergo cùm quis affirmat ſe cognoſcere aliquem, quem cognoſcit, eſt ſignum amoris: Hoc enim regulariter falſum eſt, ut patet ex mox dictis: Quapropter illud exemplum quod affert Eſtius, ſumptum ex negatione amoris, quæ eſt ſignum odii, non bene probat quod affirmatio cognitionis ſit ſignum amoris, aut quod ſumi debeat pro amore, aut approbatione.

Unde concludendum eſt quod unicum profert exemplum Eſtius illius notitiæ amoris & approbationis, quam dicit eſſe in Scriptura communem, & illud, ut dixi, ſatis dubium, quod petitur ex c.10. Joan. ubi dicit Chriſtus: Cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ: Qui locus tam bene poteſt exponi de cognitione ſpeculativa, ac de cognitione practica, ſeu amoris, cum ibi ſermo ſit de vigilantia boni paſtoris, ad quam vigilantiam non requiritur amor ovium, ſed recta ſui officii ſollicitudo, & notitia ſpeculativa ſui gregis: Unde ibi dicitur, vocat eas nominatim, quod pertinet ad exactam ſollicitudinem & notitiam mere ſpeculativam ſui gregis. Et ita exponit locum illum Maldonatus, & ex parte Toletus de notitia, ſcilicet ſpeculativa. Sed etſi intelligeretur de notitia practica, certe unus aut alter locus uno modo intellectus non facit morem intelligendi eodem modo cæteros omnes, qui verbaliter tantum ſunt ei ſimiles. Et etiamſi daretur quod ille modus ſumendi illam cognitionem pro cognitione practica, ſive amoris, ſive approba-

approbationis, eſſet frequens in Scriptura: Cùm tamen alter modus ſumendi illam cognitionem pro cognitione mere ſpeculativa, non ſit minus frequens, imo vero frequentiſſimus, ut ſuperioribus exemplis eſt probatum: debebat Eſtius afferre rationem ſingularem & topicam cur hîc ſpecialiter deberet ſumi pro cognitione amoris & approbationis, & non meræ ſpeculationis: cùm hæc non minus recte conveniat textui quàm illa. Quam rationem cum non attulerit, ideo rejicimus ſuam illam expoſitionem tanquam gratis & voluntarie confictam, aut ſaltem non neceſſariam, illique adhæremus, quæ ſumit illam cognitionem pro cognitione mere ſpeculativa, proindeque pro vera præſcientia, & non pro ſcientia approbationis.

Punctum II.

Eadem reſponſio multipliciter firmatur, & alii quidam loci Scripturæ ſimiliter explicantur de cognitione mere ſpeculativa.

Mere ſpeculative intellexit locum illum imprimis D. Auguſtinus Tract. 12. in Joannem, ubi loquens de judicandis in finali judicio, ſic ait: Nondum apparuit judicium, & jam factum eſt judicium: ***Novit enim Dominus qui ſunt ejus***, novit qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam: novit in area ſua triticum, novit & paleam; novit ſegetem, novit & zizania: Ubi loquitur de notitia mere ſpeculativa, cum illa ſit de omnibus judicandis, tam reprobis, quam prædeſtinatis, Et lib. 20. de Civitate Dei cap. 7. eodem modo interpretatur locum illum de notitia ſpeculativa. Novit, inquit, Dominus qui ſunt ejus, ex his in æternam damnationem neminem ille (ſcilicet Sathanas) ſeducit: *Sic enim novit eos Dominus, ut Deus quem nihil latet futurorum*, non ut homo, qui hominem ad præſens videt, ſi tamen videt, cujus cor non videt? Ubi manifeſte loquitur de ſcientia Dei mere ſpeculativa ut certiſſima, præ ſcientiâ hominum incertiſſimâ qui non vident cor, nec ea quæ futura ſunt ut Deus. Et ita interpretatur etiam D. Thomas in illum locum, ubi ait: Hujus firmitas (ſcilicet fundamenti) dependet primò ex divina prædeſtinatione, ſecundò ex libero arbitrio noſtro: At noſtrum liberum arbitrium non poteſt concurrere ad iſtam firmitatem, niſi per futuri ejus actus prævisionem, quæ ſupponat actum illum eſſe futurum, & non faciat; nam ſi faciat eſſe futurum, jam noſtrum liberum arbitrium non concurrit; ſed eſt inutile & impertinens ad iſtam firmitatem, cùm tota determinatio ſit à ſcientia practica, & non ab arbitrio: Ergo ſupponit D. Thomas illam ſcientiam eſſe mere ſpeculativam, & non practicam: Quod etiam videtur innuere 1. p. qu. 24. A. 1. in corp. ubi comparat iſtam ſcientiam libro, in quo ſcribuntur aliqua ad ſuccurrendum memoriæ, quod ut patet, eſt omnino ſpeculativum. Sicut, in-

quit, Scriptura libri, eſt ſignum eorum quæ fienda ſunt, ita Dei notitia eſt quoddam ſignum apud ipſum eorum qui ſunt perducendi ad vitam æternam, ſecundùm illud 2. Timoth. 2. Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc, novit Dominus qui ſunt ejus. His adde Patres Græcos Græci textus legitimos Interpretes, D. Chryſoſtomum, Theophylactum, & Oecumenium in illum locum; ſic enim ait Chryſoſtomus: Novit Dominus qui ſunt ejus: Ac ſi dicat: Stant fixæ & immobiles conſtantes animæ. *Unde vero illæ noſcuntur: ex eo ſcilicet quod hujuſmodi teſtimonium in ſuis operibus præferunt, quod à Deo noſcuntur, quod non ſimul pereunt, quod ab iniquitate diſcedunt.* Et recedat, inquit, ab iniquitate qui nominat nomen Domini hæc indicia fundamenti ſunt. Et Theophylactus in eundem locum ait: Novit Dominus: hoc eſt, á Deo ſunt *præcogniti*, ut qui ad eum omnino pertineant: Et Oecumenius in eundem locum ait: Novit Dominus qui ſunt ſui: olim *præcogniti* ſunt, tanquam Deo omnino addicti, & intranſmutabiles: Id eſt, tam bene fundati in fide & pietate, ut viderentur immutabiles; quæ interpretatio videtur omnino legitima: Locutus enim prius fuerat Apoſtolus, de quibuſdam inconſtantibus viris, quos Philetus & Hymeneus hæretici ſeduxerant, & à fide averterant: Unde bene conſequenter hîc opponit eis conſtantes, & fortes viros, qui tam firmiter fundati ſunt in fide & pietate, ut in ea videantur eſſe immobiles. Quod ſi opponeret ſolùm eis prædeſtinatos, ut ſic, non bene argueret, cùm multi ejuſmodi ſæpe aliquando deficiant, licet poſtea reſurgant; imo aliquando aliqui eorum ad extremam uſque vitæ periodum in hæreſi permaneant, & tunc ſolùm convertantur: Quod non erat aptum opponere illis inconſtantibus & infidelibus viris qui defecerant, & non erat certum an non aliquando reſurgerent: Unde bene ſolùm hîc opponit eis, ſingulares illos viros quos Deus prævidit in ſua præſcientia, conſtantes in fide & pietate uſque in finem permanſuros, & non alios: quorum perſeverantiæ ſignaculum hoc eſt, & etiam firmamentum præſcientia Dei: à qua ſola poteſt abſolute dici quod non deficient: Nam quandiu vivimus, in hoc ſæculo nullus, tam conſtans eſt & fortis dici poteſt, ut non deficere aliquando poſſit. Unde eſt quod conſequenter hortatur eos Apoſtolus ad fugam, iniquitatis ut nempe certam ſuam vocationem & electionem faciant: Et diſcedat, inquit, ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini, id eſt omnis fidelis. In magna, inquit, domo, non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea; ſed, & lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam; ſi quis ergo ſe emundaverit ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum & utile Domino, ad omne opus paratum: id eſt, ſi quis emundaverit ſe ab iniquitatibus, & erroribus hæreticorum, erit vas in honorem ſanctificatum, ſeu habens ſignaculum illorum conſtantium & fortium, quos Deus prævidit in fide & ſanctitate uſque in finem perſeveraturos, & ſic futuros ſingulariter ſuos.

Quapropter, cùm illa verba [Novit Dominus qui ſunt ejus] præ-

ſupponant in illis firmiter fundatis prævisionem operum, potius indicant prædeſtinationem ad gloriam eſſe poſt prævisa merita, quam ante prævisa merita. Quod etiam confirmatur ex ſenſu D. Auguſtini, qui Serm. 8. de diverſis cap. 8. ſic ait: Ambite ad eum qui *novit qui ſunt ejus*; tunc autem non dedignabitur vos inter eos *qui ſunt ejus noſſe*, *ſi neminantes nomen Domini ab injuſtitia recedatis.* Ubi vides Auguſtinum præſupponere in iis qui ſunt Dei, fugam à malo, quæ nunquam eſt ſine bonis operibus. Et idem habet in Pſalm. 92. ante medium, ubi ait [Novit Dominus qui ſunt ejus] & quod ſignaculum habet [& recedet ab injuſtitia omnis qui invocat nomen Domini] *modo ab iniquitate recedat.* Ubi vides, Auguſtinum præſuppoñere innocentiam vitæ præſcitam, tanquam conditionem antecedentem ad prædeſtinationem eorum, quos novit Dominus eſſe ſuos.

Simili modo intelligendi ſunt illi textus, ubi Prædeſtinati dicuntur ſcripti in libro vitæ: Hoc enim intelligendum eſt poſt prævisionem operum, poſt quam prævisionem eliguntur, & ſcribuntur in libro vitæ: Prout innuit Auguſtinus in Pſalm. 68. in hæc verba, Deleantur de libro viventium: Fratres! inquit, non ſic accipere debemus quod quemquam Deus ſcribat in libro vitæ, & deleat illum: Si homo dixit quod ſcripſi, ſcripſi; de titulo ubi ſcriptum erat, Rex Judæorum: Deus quemquam ſcribit, & delet: *Præſcius* eſt (ecce cauſam) prædeſtinavit omnes ante conſtitutionem Mundi regnaturos cum Filio ſuo in vita æterna: hos quos conſcripſit, ipſos continet liber vitæ. At D. Thomas, quia non ſumit librum vitæ pro prædeſtinatione, ſed pro notitia Dei ſecundum rationem ſubſequente prædeſtinationem, quaſi aliquo memoriali prædeſtinationis jam factæ, ideo nihil dicit de illa præſcientia ante prædeſtinationem: Sed tamen ſumit illum librum pro eo quo eſt mere ſpeculativum, cum velit illam notitiam eſſe ſimilem libris materialibus, in quibus tribuuntur aliqua fienda ſolùm ad ſuccurrendum memoriæ, prout videri poteſt loco paulo ſupracitato ex prima parte quæſt. 24.

PARAGRAPHUS DUODECIMUS.

Objectio decima quarta proponitur, & confutatur.

DECIMUMQUARTUM argumentum ſumitur ex 3. ad Titum, ubi ait Apoſtolus: Non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit. Unde inferunt quod quia dicit Apoſtolus illos ſalvos factos ſecundum miſericordiam, & non ſecundum opera, ideo non ſunt ſalvi ex juſtitia, ſeu ex prævisis meritis.

Reſpondeo hoc non bene inferri, quia videtur Apoſtolus ibi tantum

Primaſius in hunc locū ait: Conticeſcant præcipitatores magis quam defenſores arbitrii liberi.

excludere opera meri arbitrii, & non opera gratiæ. Tum ex eo quod vocat illa opera, opera juſtitiæ, quæ videntur opponi operibus gratiæ, prout communiter explicat illa Auguſtinus: tum etiam quia iſta verborum expreſſio, *quæ fecimus nos*, videtur maxime conſiderare illa opera ut à nobis, & non ut à gratia excitante & cooperante profecta, ut etiam explicat illa opera Eſtius in hunc locum vocans mere moralia, & mere naturalia. Et per conſequens nihil ex hoc loco deduci poteſt, quod tantiſper faveat prædeſtinationi ad gloriam ante prævisa merita: Nam ibi, ut probatum eſt, excluduntur ſola opera naturalia, & non ſupernaturalia, qualia ſunt ea quæ dicimus eſſe ante prædeſtinationem ad gloriam: Et licet ibi dicatur quod ſalvos nos fecit ſecundùm ſuam miſericordiam: Non tamen hoc excludit omne meritum, ſed tantum meritum propriæ juſtitiæ, & non juſtitiæ à Deo datæ, cùm non dicatur ſecundùm meram, aut ſolam miſericordiam ſuam, quod excluderet omne meritum; ſed tantum ſecundùm miſericordiam ſuam: quæ miſericordia, ſeu gratia bene compatitur cum meritis gratiæ, prout explicat Auguſtinus lib. de Gratia, & Libero arbitrio cap. 8. & lib. de Corrept. & Gratia cap. 13. ut ſupra videri etiam poteſt in argumento 15. ex eo deducto.

Et præterea ſi hic locus concluderet de prædeſtinatione ad gloriam ante prævisa merita, concluderet de prædeſtinatione iſta ſecundùm executionem, & non ſecundùm ſolam intentionem, cùm ibi ſermo ſit de executione ipſa, & non de intentione; ut patet ex his verbis: Salvos nos fecit; quæ verba important actum, & non ſolum propoſitum: At non admittent adverſarii, ut nec ullus Catholicus, prædeſtinationem ad gloriam ſecundùm executionem eſſe ante prævisa merita: Ergo concedendum eſt ibi ſermonem non eſſe de prædeſtinatione ad gloriam; ſed de aliqua alia.

Ita explicat illum locum de gratia D. Proſper Ep. ad Rufinū. circa med.

Dicendum ergo eſt ibi ſermonem eſſe de ſalute incompleta quæ fit per gratiam, & non de ſalute completa per gloriam: ad quod probandum ſufficit afferre textum illum integrum. Textus autem ille eſt ejuſmodi: Non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, *per lavacrum regenerationis*, & renovationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abunde, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Per hoc enim patet quod textus ille eſt tantum de ſalute incompleta, quæ fit per gratiam quam conſecuti ſunt fideles per Baptiſmum, quem vocat lavacrum regenerationis, & renovationis, & non de ſalute completa per gloriam, de qua nequidem habet vel minimum verbum: Quod præterea probatur ex eo quod loquitur ibi Apoſtolus de ſeipſo, & de fidelibus adhuc viventibus, quos dicit jam ſalvos: Salvos, inquit, nos fecit; non dicit ſalvandos: Non ergo loquitur de ſalute completa per gloriam, cùm illa ſalus non conferatur adhuc viventibus & inter homines degentibus, ſed ſolum fato functis: Et per conſequens loquitur tantum de ſalute incompleta per gratiam, quæ

confertur baptiſatis, & per lavacrum regenerationis, & renovationis à peccato mundatis, & ablutis. Unde ſic proſequitur Apoſtolus: Ut *juſtificati*, inquit, gratia ipſius heredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ: Quod manifeſte eſt de gratia juſtificante, & à peccato ſalvante & liberante, & non de gloria in æternum ſaluante & beatificante juſtificatos: Et ita interpretantur hunc locum D. Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, & D. Thomas, ſcilicet de ipſa redemptione Chriſti, prout terminatur ad juſtificatos, ſeu ad eorum juſtificationem: D. autem Auguſtinus, exponit locum illum de baptiſmo, prout habet vim perducendi ad ſalutem, ut patet ex his verbis: Optime, inquit, Punici Chriſtiani, *Baptiſmum ipſum nihil aliud quam ſalutem*: & Sacramentum Corporis Chriſti nihil aliud quam vitam vocant; unde, niſi ex antiqua, ut exiſtimo, & Apoſtolica traditione, qua Eccleſiæ Chriſti, inſitum tenent præter Baptiſmum, & participationem Dominicæ menſæ, non ſolum non ad regnum Dei, ſed nec ad ſalutem & vitam æternam poſſe quenquam hominum pervenire?

Lib. 1. de peccat. meritis & remiſſ. cap. 24.

Hoc enim & Scriptura teſtatur ſecundum ea quæ ſupra diximus. Nam quid aliud tenent, *qui Baptiſmum nomine ſalutis appellant, niſi quod dictum eſt, ſalvos nos fecit per lavachrum regenerationis*: Ubi D. Auguſtinus ipſum baptiſmum interpretatur illam ſalutem, de qua nunc nobis ſermo eſt in explicatione iſtius textus Apoſtoli: Et per conſequens nulla relinquitur ratio, vel veriſimilitudo, qua poſſimus dicere quod loquitur ibi Apoſtolus de ſalute completa per gloriam: Sed manifeſtum eſt, quod loquitur tantum de ſalute incompleta per gratiam, quæ confertur nobis in Baptiſmo per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Vide etiam lib. 3. ad Bonifac. cap. 3. ſub fin. em.

PARAGRAPHUS DECIMUSTERTIUS.

Duæ ſequentes objectiones proponuntur, & ſolvuntur.

DECIMUMQUINTUM argumentum ſumitur ex Deuter. cap. 9. ubi hæc verba habentur: Ne dicas in corde tuo, propter juſtitiam meam introduxit me Dominus, ut terram hanc poſſiderem: Neque enim propter juſtitias tuas ingredieris...... Sed ut compleret verbum ſuum Dominus. Nam terra promiſſionis, inquit Eſtius in 1. diſt. 40. §. 8. Figura quædam fuit hereditatis cæleſtis, omnibus electis promiſſæ: Unde fatendum eſt eligi, ſeu prædeſtinari homines ad gloriam ſine prævisis meritis.

Reſpondeo quod vel illa terra ibi non figurabat gloriam, ſed ſolum gratiam, quæ datur ſine meritis: vel ſi figurabat gloriam, quod juſtitią illorum non figurabat juſtitiam noſtram Chriſtianam & ſupernaturalem, ſed ſolum merè humanam & meri arbitri, quam toties exclu-

dunt Scripturæ & D. Auguſtinus à prædeſtinatione contra Pelagianos & Semipelagianos, qui volebant illam ſtatuere ut meritoriam gratiæ & perſeverantiæ, & proinde vitæ æternæ.

Ratio autem hujus reſponſionis eſt, quia ſi terra illa figuram ibi gereret hereditatis æternæ, & juſtitia illorum figuraret juſtitiam noſtram ſupernaturalem & Chriſtianam, prout volunt adverſarii; ſequeretur quod ſicuti dicitur hîc, quod illa terra non eſt eis conceſſa ob juſtitias ſuas, ita & hereditas æterna diceretur non concedi in executione propter juſtitiam noſtram ſupernaturalem & Chriſtianam: At hoc falſum & abſurdum eſt, ergo & illud unde ſequitur.

Dices, non eſt neceſſe quod figuræ conveniant in omnibus cum figurato, vel è contra: Sed ſufficit quod conveniant in aliquo: Et ſic licet non conveniat illa figura cum executione prædeſtinationis ad gloriam, in qua ſine dubio datur gloria propter merita: convenit tamen cum prædeſtinatione ſecundùm intentionem, in qua gloria nobis deſtinatur ſine meritis etiam ſupernaturalibus & Chriſtianis.

Reſpondeo, non ſufficere ſimpliciter quod figura & figuratum conveniant in aliquo, niſi illud ſit principale, & præcipuum, in quo ſit repræſentatio: ſed principale iſtius figuræ, imo vero totale, eſt de executione, & non de intentione, cùm textus ſit de executione, & nihil habeat de intentione, ut patet ex terminis: Ne dicas (inquit) in corde tuo, propter juſtitiam meam *introduxit* me Dominus: (ecce executio) ut terram hanc poſſiderem; neque enim propter juſtitias tuas *ingredieris* (ecce iterum executio.) Cũ ergo totale illius figuræ ſit de executione, & non de intentione, dicendum omnino eſt, quod vel illa terra non figurabat gloriam, ſed ſolam gratiam quæ datur ſine meritis: vel ſi figurabat gloriam, non negabat juſtitiam noſtram Chriſtianam vel meritum à Deo nobis per gratias ſuas excitantes & adjuvantes, cooperante ſimul arbitrio noſtro libero collatum: ſed meritum pure humanum, & à ſolo & puro puto hominis arbitrio profectum: Et ſic nihil ibi contra nos.

Simili modo intelligendi ſunt loci illi, in quibus Deus concedens bona populo ſuo, dicit ſe non id facere propter eos, ſed propter nomen ſanctum ſuum: Intelligendi ſunt, inquam, de gratia quæ datur ſine meritis, vel de collatione gloriæ; non propter merita pure humana quæ negantur per prædicta verba; ſed propter merita à Deo data, ut mox explicatum eſt.

Unde D. Hieronymus in fine expoſitionis in Ezechielem Prophetam, ait: Quicquid autem de populo diximus Iſraël, qui liberatus multa commiſit, & offendit Deum, & poſtea Dei clementia conſervatus eſt: referamus ad eos qui de Ægypto ſæculi hujus manu excelſa Domini liberati ſunt, & introducti in vitiorum ſolitudinem, & rurſum Ægyptum ſuſpirarunt, & fecerunt ea quæ puniri debuerant: Sed nihilominus per pœnitentiam, non ſuo merito, ſed Domini clementia conſervati ſunt.

Ubi nota pœnitentiam, & non ſuo merito, id eſt non merito pure humano; ſed merito pœnitentiæ divino & ſupernaturali conſervati ſunt, quod bene convenit ſolutioni noſtræ ſupra allatæ.

Decimumſextum argumentum ſumitur ex illo Pſalmi 17. Salvum me fecit, quoniam voluit me. Ubi volunt adverſarii, ſalutem noſtram referri ad ſolam Dei voluntatem.

Reſpondeo hunc locum ſecundùm Lyranum hîc intelligi ad litteram de Dauide, quem Deus eripuit, ſeu ſalvum fecit ab inſidiis & perſecutionibus Saülis, & aliorum: Moraliter autem intelligitur ſecundùm Hieron. hîc, de converſione infidelium ad Chriſtum. Vox (inquit) Eccleſiæ, qui me voluit ut exhiberet ſibi Eccleſiam, quoniam voluit me voluntate propria, & non ex meo merito *vocavit*: dicente Apoſtolo: [Gratia eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis] Unde etiam D. Auguſtinus hîc; pro his verbis [Salvum me fecit, quoniam voluit me] ponit, eruit me: quod bene deſignat converſionem infidelium erutorum à captivitate diaboli, & in libertatem Chriſti traductorum. Intelligitur ergo locus iſte de ſalute incompleta, quæ fit per gratiam, ſeu per fidem charitate formatam, ad quam vocavit Deus Gentes ex mera ſua miſericordia. Et ita colligitur ex antecedentibus quæ ſonat converſionem à peccato, per incuſſum ſanum timorem. Ab increpatione (inquit) tua, Domine, ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ, eripuit me de inimicis meis fortiſſimis: Et factus eſt Dominus protector meus, & eduxit me in latitudinem: & tandem ſalvum me fecit, quoniam voluit me. Item, & ex conſequentibus quia Eccleſia ita reconciliata; ſic ait: Et retribuet mihi Dominus ſecundùm juſtitiam meam, & ſecundùm innocentiam manuum mearum (quæ ſcilicet ſequetur ex illa reconciliatione & converſione) retribuet mihi. Ubi nota quod in præcedenti textu, erat præteritum, ſcilicet: Salvum me fecit, quoniam voluit me, quia eſt ſalus incompleta, jam facta per gratiam: Hîc autem futurum, quia eſt ſalus completa, quam ſpectat in ſpe, ut ſcilicet bonis ſuis operibus retribuendam, ſi perſeveret in eis. Et ita ex antecedentibus, & conſequentibus patet ibi agi de prædeſtinatione ſola ad gratiam, ſeu de ſalute incompleta jam facta per gratiam, & non de ipſa gloria.

Sed etſi locus iſte reſpiceret gloriam, non tamen pertineret ad illius prædeſtinationem ſecundùm intentionem, ut volunt adverſarii: ſed tantum ſecundùm executionem, cùm ſit de facto, & non de propoſito, & loquatur de ſalute jam acquiſita, & non acquirenda. [Salvum, inquit, me fecit, quoniam voluit me.] Et præterea credo quod qui hoc dicebat, adhuc vivebat, & tamen nondum glorificatus erat: cum hoc reſervetur ſolum poſt mortem: Ergo illa ſalus de qua ibi loquitur, & quam jam poſſidebat: non eſt ſalus gloriæ, ſeu completa per gloriam: ſed eſt ſalus gratiæ, ſeu eſt ſalus incompleta per gratiam, cum illi qui ſic loquitur, conveniat ſolum poſſidere gratiam, & nondum ipſam gloriam.

PARAGRAPHUS DECIMUSQUARTUS.

Objectio decimaſeptima proponitur, & ſolvitur.

DECIMUMSEPTIMUM argumentum ſumitur ex libro Eſther cap.10. ubi dicitur: Duas ſortes eſſe præcepit (Dominus) unam populi Dei, & alteram cunctarum Gentium. Per quod videtur ſignificari quod populus ille ſine ſuis meritis, ſed quaſi ſorte, id eſt gratuitò ſeparatus fuerit à cæteris Gentibus, ut eſſet populus Dei: quod bene figurabat electionem prædeſtinatorum ad gloriam ſine prævisis meritis.

Reſpondeo primò id recte intelligi poſſe de prædeſtinatione fidelium ad gratiam Chriſtianam, cum populus Chriſtianus, ſeu fidelis, ſit vere populus Dei, & ſic ſeparatus à Gentibus.

Reſpondeo ſecundò, locum illum bene exponi de juſto Dei judicio quoad remunerationem piorum, & punitionem impiorum: quod patet ex ſimplici expoſitione ipſius textus: Senſus itaque eſt quod cum Aman & Gentes, quæ erant cum eo, vellent perdere Mardochæum & Judæos: Tunc Deus duas ſortes eſſe præcepit: unam populi Dei, & alteram cunctarum Gentium: Venitque (eſt textus Scripturæ) utraque ſors in ſtatutum ex illo jam tempore diem, coram Deo univerſis Gentibus, & recordatus eſt Dominus populi ſui, & miſertus eſt hereditati ſuæ. Quod bene & optime quadrat in juſtum Dei judicium quoad pios, ſeu juſtos & impios: Sic enim poſſumus figuraliter interpretari locum illum: ſcilicet quod duæ ſortes ſunt duæ partes, una populi Dei, id eſt juſtorum: Sic enim bis vocatur illa pars, ſeu ſors, in ſequenti cap.11. Gens juſtorum, Græce, ἔθνος δικαίων, Gens juſta: Altera autem pars, ſeu ſors, eſt Gentium, ſeu impiorum volentium perdere, & interimere populum Dei: Utraque pars, ſeu ſors apparebit coram ſummo judice, & tunc recordabitur Dominus populi ſui, & miſerebitur hereditati ſuæ: id eſt, miſerebitur juſtorum, eorum ſcilicet qui mortui ſunt in gratia. Unde ſic habent ſeptuaginta Interpretes: ἐποίησε κλήρους δύο ἕνα τῷ λαῷ τοῦ θεοῦ, καὶ ἕνα πᾶσι τοῖς ἔθνεσι, καὶ ἦλθον οἱ δύο κλῆροι οὗτοι εἰς ὥραν, καὶ καιρὸν καὶ ἡμέραν ΚΡΙΣΕΩΣ ἐνώπιον τοῦ θεοῦ; id eſt, Fecit partes duas, unam populo Dei, & unam cunctis Gentibus: & venerunt duæ ſortes iſtæ in horam & tempus, & diem *judicii* coram Deo. In quo textu expreſſa fit mentio judicii: Imo in ſequenti textu miſericordia illa quam ſupra dixerat noſter Interpres factam eſſe populo, Dei vocatur judicium. καὶ ἐμνήσθη ὁ θεὸς τοῦ λαοῦ αὐτοῦ καὶ, ΕΔΙΚΑΙΩΣΕ τὴν κληρονομίαν αὐτοῦ. Et recordatus eſt Deus populi ſui, & *juſtificavit* hereditatem ſuam: Quia nempe in remuneratione juſtorum intervenit juſtitia & miſericordia; juſtitia propter merita, & miſericordia propter ſuperabūdantiam præmii. Unde manifeſtum eſt

Populus Iudæorum, quē volebat Aman deſtruere, erat innocens à crimine: Unde per judicium Dei condemnātis Aman ad mortem, juſtificatus eſt.

eſt quod ille textus reſpicit judicium à Deo faciendum de juſtis & impiis, & non prædeſtinationem ad gloriam: aut ſi reſpicit prædeſtinationam ad gloriam, illa eſt poſt præviſa merita, cum ibi conſiderentur merita, ut ſubjecta illius judicii: Sed vere intelligitur de juſto Dei judicio, & ita intellexit locum illum P. Joannes de la Haye in Biblia ſua Maxima, in Expoſitione illius loci, dicens: In decreto divini judicii quælibet gens accepit ſuam mercedem: & ſalvata eſt una quæ clamavit ad Dominum, & perdita altera.

Reſpondeo tertiò, ibi ſortem (quod eſt fundamentum erroneum totius argumenti) non vere ſumi, imo nec ſumi poſſe pro eo quod fit mere gratis & voluntarie: aliàs ſequeretur quod ſicut utraque pars vocatur ſors: ita pars reproborum æque vere diceretur gratis & voluntarie reprobata & ſine meritis, ac pars prædeſtinatorum dicitur ab adverſariis prædeſtinata ſine meritis: Sed falſum conſequens, ergo & antecedens. Nam de fide eſt reprobos reprobari ob mala ſua merita. Sors ergo ibi non ſumitur pro eo quod datum aut factum gratis eſt, ſed ſumitur pro certo populo, & pro certa Gente, prout etiam explicant illam vocem Dionyſ. Carthuſ. Didacus de Celada in hunc locum, & P. Joannes de la Haye ſupracitatus: Non autem gratiam & favorem, cum ſors in Scriptura non ſemper ſumatur pro eo quod eſt gratuitum, aut ſorte datum: ſed aliquando pro eo quod eſt pars alicujus totius: Ut Jeremiæ 13. Hæc ſors tua, parſque menſuræ tuæ à me, dicit Dominus. Et Act. 8. Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto: Imo aliquando ſors ſumitur in Scriptura pro electione, ut aliqui tenent de Mathia in Apoſtolum electo ſuper quem ſors cecidit; id eſt electio: quam electionem ſumunt illi Authores pro electione meritorum, & non gratiæ; ſed in noſtro textu ſors ſumitur pro parte ut condiſtincta ab alia, ſcilicet pro parte juſtorum, & pro parte improborum, ut ex ſupradictis manifeſtum eſt.

Ibi ſors ſumitur pro parte punitionis debitæ & ſic non pro re data gratuito: vide Lyranũ.

PARAGRAPHUS DECIMUSQUINTUS:

Objectio decimaoctava proponitur.

DECIMUMOCTAVUM argumentum ſumitur ex Sapientiæ 4. ubi Sapiens loquens de Enoch, & ſub figura Enoch de homine juſto, ait: Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus: Unde inferunt adverſarii, prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante præviſa merita, quia nempe Deus ad exequendam illam prædeſtinationem, tollit juſtum è medio iniquorum, ne peccet, & moriatur in peccato.

Punctum primum.

Duæ priores reſponſiones adhibentur, & confirmantur.

RESPONDEO negando conſequentiam, primò quia illa particula *ne*, in qua vim faciunt adverſarii, non ſignificat ſecundùm Hugonem Cardinalem in illum locum, cauſalitatem, ſed nudam conſecutionem. Ita quod ſenſus ſit ſecundum eumdem Hugonem: Raptus eſt juſtus de hac vita, & hoc conſecutum eſt quod malitia non mutavit intellectum ejus: Quod tanto magis fit credibile, quod in hoc capite fit comparatio mortis improborum, cum morte proborum præmature morientium: Unde cum ſupra dixiſſet Sapiens, quod mors improborum eſſet eis, & aliis inutilis, per hæc verba [Fructus eorum inutiles & acerbi ad manducandum & ad nihilum apti:] ita dicit quod mors immatura juſtorum cedit eis in bonum, quia nempe hoc conſequuntur, ut malitia non mutet intellectum eorum, ſed innocentes & puri vita perfruantur æterna. Aliquando enim Scriptura uſurpat hanc particulam (ne) in hoc ſenſu, ut cùm dicit Deus: Iſaiæ 6. [Excæca cor populi ejus, & aures ejus aggrava, & oculos claude, ne forte videat...... & convertatur, & ſanem eum.] Ibi enim particula illa (ne) non ſumitur cauſaliter, ſed conſecutive: Nec enim intendebat Deus impedire converſionem populi, cum ipſemet dicat alibi: Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, & non potius ut convertatur, & vivat: Sed volebat huic populo prædicari, licet bene videret, quod non obſtante, hac prædicatione ſequeretur populi obſtinatio & induratio in peccato; & ſic in illo textu prædicto debet ſumi particula illa (ne) conſecutive & non cauſaliter propter rationem ſupra tactam: Ex quo nihil ſequetur contra prædeſtinationem poſt præviſa merita, cum ex hoc quod bonum illud conſecutum ſit mortem juſti, nihil hinc ad efficaciam prædeſtinationis, ſed tantum ad conſecutionem.

Reſpondeo ſecundò quod etſi particula illa, ne, ſumeretur cauſaliter, nihil tamen inferret contra prædeſtinationem ad gloriam poſt præviſa merita; nam quod dicatur: Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus; non arguit quod id factum ſit ob dilectionem Dei circa eum ante præviſa merita: Potuit enim ſic rapi ob præcedentia merita, & iſte raptus potuit eſſe quoddam præmium bonæ vitæ anteactæ, cum dicatur paulo ante hunc textum quod vita illius juſti erat immaculata: Ergo propter illam potuit habere quaſi in præmium & remunerationem, bonam illam mortem, ſicut dicitur communiter quod bona mors eſt præmium bonæ vitæ. Et ſic nihil eſt quod rationabiliter inferat prædeſt. illius juſti debuiſſe eſſe factam ante præviſa illius merita: imo vero ibi multa reperio quæ rationabiliter inferunt prædeſtinationem illius factam eſſe ob præviſa illius opera.

Nam primo ille de quo hîc ſermo eſt, erat adultus & capax malitiæ;

ergo & bonorũ operum, ut per ſe patet: ſed non tantum habemus ex hoc textu quod eſſet capax bonorum operum, ſed etiam quod eſſet habens bona opera, cum dicatur: Raptus ne malitia mutaret intellectum ejus: Nam mutatio habet terminum à quo & terminum ad quem inter ſe oppoſitos: cum ergo dicitur raptus ne mutaretur in malum, ſequitur neceſſario quod erat bonus: ergo habebat bona opera per quæ potuit emereri de congruo raptum illum, ſeu mortem illam præmaturam, & reddere ſe dignum illius ſummæ gratiæ. Imo vero claré demonſtratur quod & meruit, & dignus fuit illa gratia, cum dicitur quod placita erat Deo anima illius: Ubi notandum eſt quod hoc verbum *placita*, denotat quod fundamentum hujus gratiæ illi conceſſæ, non erat ſolum in Deo miſerante, ſed etiam erat in ea; non enim dicitur, complacuit Deo illi gratiam iſtam impertiri quod haberet aliquam difficultatem; ſed dicitur quia placita, id eſt probata, accepta, Græce ἀρεστὴ, ab ἀρέσκειν, quod ſignificat probare & placere alicui, quod denotat fuiſſe in ea aliquid, per quod grata & accepta & probata jam eſſet. Ecquid erat illud; erat id quod immediate præcedit illud dictum. Nempe [Conſummatus in brevi explevit tempora multa] id eſt ſecundum Hugonem Cardinalem, conſuminatus charitate tantum meruit illo brevi tempore quo vixit, quantum alius multis temporibus vivens: Quod valde conforme Græco eſt: τελειωθεὶς, ἐν ὀλίγῳ ἐπλήρωσε χρόνους μακρούς, perfectus, ſeu completus & conſummatus in brevi, implevit vel ſupplevit tempora longa. Quod indicat magnam illius virtutem & perfectionem brevi tempore acquiſitam: Illud ergo per quod grata ſic erat illa anima, erat charitas conſummata, & ſumma meritorum excellentia: tum quia vocatur anima juſti, ergo in ea erat juſtitia: tum quia dicitur, Placens Deo factus, quod ſic explicat Dionyſ. Carthuſ. Juſtus per bona opera ſua placens Deo, & per hæc factus eſt amicus, vel ut habet Vatablus, quia placuit ille, Deo, charus eſt habitus: quod clarum eſt in Græco: εὐάρεστος τῷ Θεῷ γενόμενος ἠγαπήθη, id eſt cùm factus eſſet Deo beneplacens, dilectus eſt. Ex quo manifeſtum eſt quod habebat bona opera per quæ factus erat Deo acceptus, probatus, & beneplacens, antequam diligeretur ad iſtam ſingularem gratiam bonæ mortis quam accepit: Non enim placemus Deo in hac vita, niſi per bona opera: Unde ait Chriſtus: Si quis diligit me, per obſervationem Legis quæ tota eſt dilectio, & ego diligam eum: quod & hac ratione probatur. Nam vel ille adultus obſervaverat mandata, vel non: Si non obſervaverat, non poterat placere Deo; at dicitur placens, ſeu beneplacens Deo, ergo obſervaverat: Si obſervaverat, ecce bona opera, ecce dilectionem Dei, ecce dilectionem proximi; in quibus conſiſtunt mandata Dei: Ecce ergo bona opera eaque abũdantiſſima, & excellentiſſima, cùm dicatur in brevi: Repleviſſe, ſeu ſuppleviſſe tempora longa, id eſt in brevi acquiſiiſſe merita multa: Ergo propter quidpiam ſibi inexiſtens, & non extrinſecum, dicitur placita Deo anima illius: Unde & ſequitur propter * hoc, id eſt propter illa opera plena

* *Nota ibi cauſalem.* hanc. *propter* hoc.

Hæc lectio fere coincidit cum altera; nam parum differt quod Deus cito eduxerit illum juſtum è vita propter orationes ejus, vel propter merita congrua illius.

& perfecta, quibus illa anima erat placens, & probata Deo, properavit Deus educere illum de medio iniquitatum, id eſt ſecundùm Dion. Carthuſ. de conſortio iniquorum ne cum perverſis perverteretur: quod eſt aliis verbis illud idem quod ſupra dixerat Sapiens: Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus; & ſic patet quod cito rapuit illum juſtum Dominus propter præcedentia merita. Niſi mavis dicere cum Græco, quod ipſemet juſtus properavit exire de medio iniquitatum, orando & deprecando Deum, ut educeret illum citò de periculis hujus vitæ, ne acquiſitam perfectionem & gratiam amitteret: Græca enim ſic habent, διὰ τοῦτο ἔσπευσεν ἐκ μέσου πονηρίας: propter hoc properavit (ſupple exire) de medio iniquitatis. Quod ſi ita eſt non eſt dubium quod ille raptus non eſt ſine prævisis meritis, & orationibus illius: Et ita quod ille locus nihil habet contra prædeſtinationem poſt præviſa merita.

PUNCTUM II.

Tres aliæ reſponſiones proferuntur, & explicantur.

Notandum hic quod paulo ante Sriptura dixerat quod Enoch ambulavit cum Deo; ſed ut oſtenderet quod hæc erat ratio raptus illius, ideo repetiit illud immediate ante raptum dicendo: Ambulavitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Dominus.

RESPONDEO tertiò quod hîc ſub figura Enoch repræſentatur (prout communiter cenſent Interpretes) beata mors, ſeu tranſlatio juſti ex hac vita in gloriam: Sed tranſlatio Enoch fuit facta ob ejus opera bona & merita, ut notatur Geneſ. 5. Ambulavitque Enoch cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Dominus. Ubi verbum, ambulavit, ſecundùm Chryſoſtomum, Lyranum, & Eſtium, ſignificat juſte & perfecte vixit: Ergo dicendum ſimiliter eſt quod juſtus de quo hîc loquitur Sapiens ſub figura Enoch, fuit cito raptus, & tranſlatus in Cælum propter bona opera illius, ſicut ipſe Enoch tranſlatus fuit: Et forte in eo tota aut ſaltem præcipua vis figuræ poſita eſt, quod ſicut Enoch fuit tranſlatus ob ſanctitatem ejus, ita & juſtus ille, cum toties loquatur Sapiens de ſanctitate & perfectione juſti illius: ut cùm dicit, Vitam illius fuiſſe immaculatam, quod placens Deo factus ſit, quod perfectus & conſummatus in brevi, complevit aut ſupplevit tempora longa, & tandem quod placita & accepta erat Deo anima illius. Unde & concludit quod properavit Deus educere illum de medio iniquitatum, quod coincidit cum eo quod dicitur de Enoch: Ambulavitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Dominus: Et ſic ſequitur quod illa beata mors fuit ſine præviſis meritis illius.

Reſpondeo quartò, quod cum dicitur hîc: Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, per hanc mutationem quam voluit impedire Deus per mortem juſti præmaturam, forte non eſt mutatio ſtatus innocentiæ in ſtatum peccati mortalis: ſed tantum mutatio ſtatus perfectioris in minus perfectum, & quodammodo depravatum per imperfectiones, & per peccata venalia, & non per peccata mortalia, quæ ſola mergunt homines in interitum: Et ratio eſt, quia peccatum mortale nimis longo

eſt à tam ſanctis & perfectis viris, de quibus ſermo eſt in hoc textu, ut propterea brevianda ſit eorum vita ne in illud incidant: Unde potius dicendum eſt quod raptus eſt, ne incideret in illa peccata venialia, quæ vocant ex affectu & deliberatione, quæ valde notantur in viris juſtis & perfectis, in quæ tamen aliquando incidunt, vel ob complacentiam nimiam ad mores perverſos aliorum, vel ob converſationem cum valde imperfectis, vel ob timorem, amorem, & alia ejuſmodi propter quæ à ſtatu quodammodo perfecto, cadunt in imperfectum: Et ſic ſenſus verborum illorum erit: Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, ſcilicet à ſtatu perfectionis ad imperfectum: & ne fictio: Id eſt vana rerum mundanarum, vel laudum humanarum gloriola, & apparens ſplendor deciperet animam illius, ac induceret eam in complacentias veniales circa bona temporalia, vel laudes humanas quæ fœdarent animam ejus, & ex ſumme grata facerent eam minus gratam, & ex ſumme pulchra facerent eam minus pulchram, & ornatam: & hoc eſt quod forte volunt dicere verba ſequentia: [Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona, & incõſtantia concupiſcentiæ trãſvertit ſenſum ſine malitia.], quæ non denotant per ſe gravia peccata, cùm ſint nugacitates & levitates concupiſcentiæ facile vincibiles viris perfectis & exercitatis in virtutibus, & mortificationibus mentis & corporis. Quod ſi hoc modo textus intelligitur, nihil erit hîc quod pertineat ad prædeſtinationem ad gloriam, cùm hæc levia peccata non impediant adeptionem gloriæ, ſed tantum immutent ſtatum juſti perfectiorem in minus perfectum.

Reſpondeo quintò & ultimo, quod ibi quidem dicitur quod iſte juſtus raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus; non tamen dicitur, quod raptus eſt ne damnaretur: Aliud enim eſt dicere, ne mutaretur etiam de ſtatu innocentiæ ad peccatum mortale, & aliud dicere, ne damnaretur: Nam etiamſi juſtus ille debuiſſet cadere in peccatũ mortale, immo in multa peccata mortalia, ſi tunc raptus non fuiſſet è vita, tamen non ſequitur, quod ob ea damnatus fuiſſet, cùm ab his mundari potuiſſet ante mortem ſuam per pœnitentiam; quod maxime commune eſt ipſis electis ad gloriam quorum longe plures ſunt qui mundati ſunt à peccato mortali, quam qui innocentes ſunt, & qui peccatum mortale non commiſerunt: Quapropter ut adverſarii legitime inferrent ex hoc textu prædeſtinationem ad gloriam factam eſſe poſt præviſa merita, debuiſſent probare illum eſſe raptum ne damnaretur, ut ſi haberent ex hoc textu: quod ſi ille juſtus incidiſſet in peccatum mortale poſtea non pœnituiſſet, ſed in ſuo peccato mortuus fuiſſet: Sed cum id non poſſint evincere ex hoc textu, ideo nihil habent ex illo quo probent prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante præviſa merita, vel quod negent prædeſtinationem eſſe poſt præviſa merita: Nam ex hoc præciſe quod ille juſtus raptus eſt ne incideret in peccatum mortale, non evincitur omnium electorum prædeſtinatio ante præviſa merita, cum eorum permulti in illud inciderint, & tamen ſalvati ſint; ſed tantum ſin-

gularis aliqua Dei providentia in aliquos juſtos, ut ne aliquo peccato maculentur, & depraventur, auferat Deus eos de vita, prout majoris, aut minoris meriti ſunt apud illum. Quales ſunt ii de quibus dicitur Apocalypſis 14. Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt, hi ſequuntur Agnum quocunque ierit: hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno, & in ore eorum non eſt inventum mendacium: ſine macula enim ſunt ante thronum Dei. In quo deſignatur tantum ſingularis favor & gratia aliquibus conceſſa, & non prædeſtinatio.

PARAGRAPHVS DECIMVSSEXTVS.

Proponitur objectio decimanona, quæ eſt de prædeſtinatione, & de prædeſtinatis.

ET hæ fere ſunt rationes, & argumenta quæ ſumuntur ex Scripturis contra prædeſtinationem ad gloriam poſt præviſa merita: Sed quia in earum Solutionibus, multoties uſi ſumus hac diſtinctione, ſcilicet de prædeſtinatione ad gratiam, & de prædeſtinatione ad gloriam: Item, de prædeſtinatis ad gratiam, & de prædeſtinatis ad gloriam: Ideo Janſenius lib. 9. de gratia Salvat. cap. 16. §. Reſpondetur cum D. Auguſtini, &c. vult uno ictu iſtud fundamentum diruere, dicendo quod nemo nec ab Auguſtino, nec à Scripturis, nec ab Eccleſia unquam vocatus eſt aut vocari debet electus, aut prædeſtinatus, niſi qui ſic ad gratiam & fidem eligitur, ut ſimul etiam ad perſeverantiam, & gloriam eligatur: Et infra ait: Ex quo efficitur è contrario ut juxta S. Auguſtini mentem prædeſtinatio, electio, & propoſitum vocationis, nuſquam in Scripturis uſurpentur pro prædeſtinatione & electione incompleta (quæ eſt ad gratiam) neque prædeſtinati, electi, vocati ſecundùm propoſitum, pro illis qui tantummodo ad juſtitiam ordinati, & vocati ſunt. Quod duplici viâ probare nititur. Prima eſt ratione, ſecunda eſt Auguſtini authoritate: Primò itaque reſpondebimus rationi, deinde authoritati Auguſtini ſatisfaciemus.

PUNCTUM PRIMUM.

Oſtenditur quod qui prædeſtinatus eſt ad ſolam gratiam, vere prædeſtinatus dici poteſt contra Ianſenium

RATIO ergo quã affert Janſ. ea eſt ſcilicet quod is qui prædeſtinatus eſt ad ſolam gratiam, potius reprobatus eſt quã prædeſtinatus: Cætera enim omnia quæ ibi affert, non confirmant ſuam rationem, ſed ſun t

multa mere voluntarie & gratis dicta, quæ tamen obiter in decurſu reſponſionis refutabimus.

Ad hanc ergo rationem reſpondeo cum diſtinctione: Nam illa propoſitio: Aliquis eſt prædeſtinatus ad gratiam, poteſt intelligi dupliciter, primò excluſive, ita quod ſenſus ſit quod ille eſt prædeſtinatus ad gratiam cum excluſione a gloria: Secundò abſtractivè: ita quod ſenſus ſit, quod ille prædeſtinatus eſt ad gratiam, abſtrahendo ab eo quod etiam ſit prædeſtinatus, vel non prædeſtinatus ad gloriam. Primo modo poteſt dici quod talis eſt potius reprobatus quam prædeſtinatus: Quanquam & dici poſſet quod eſt prædeſtinatus & reprobatus diverſo reſpectu: prædeſtinatus reſpectu gratiæ, & reprobatus reſpectu gloriæ: Secundò vero eſt omnino falſum: quia is poteſt etiam eſſe prædeſtinatus ad gloriam: & is qui ita loquitur conſiderat tantum gratiam in eo cui loquitur, nihil affirmando de gloria: Unde is cui ita loquitur eſt vere prædeſtinatus in mente loquentis, quia ſic loquens ei, id ſolum conſiderat in eo ad quod eſt vere prædeſtinatus, & nihil aliud: in hoc ſenſu intelligendi ſunt illi loci quos ſupra expoſuimus de prædeſtinatione, vel de prædeſtinatis ad gratiam. Quia cum in illis Scripturæ locis loquatur de fidelibus adhuc viventibus, de quibus erat incertum; an abſolute forent ſalvandi necne, nec ipſa revelare vellet: Ideo locuta eſt de illis ut prædeſtinatis ad gratiam præſentem, quæ patebat omnibus, abſtrahendo ab eorum prædeſtinatione ad gloriam, cujus ſecretum prodere nolebat, ſed ſoli Deo reſervabat. Illa autem prædeſtinatio recte dicitur incompleta, quia poteſt eſſe pars alterius, ſcilicet prædeſtinationis ad gratiam ſimul & ad gloriam; nam, ut recte dicitur, quod eſt duplex ſalus (quod & admittit ipſe Janſenius tomo 3. lib. 3. cap. 21.) una ſcilicet incompleta, ſeu temporaria per gratiam, altera completa, ſeu æterna per gloriam à quâ ſolâ quis dicitur ſimpliciter ſalvus, ab altera tantum ſecundum quid: Ita recte dici poteſt quod eſt duplex prædeſtinatio; una incompleta reſpectu gratiæ, altera completa reſpectu gloriæ, quæ ſimpliciter dicitur prædeſtinatio, extra omnem propoſitionem & à qua etiam, quis dicitur ſimpliciter prædeſtinatus: ab altera tantum ſecundum quid.

Nec valet in contrarium inſtantia Janſenii dicentis, quod quamvis effectus prædeſtinationis, & electionis, & propoſiti, incompletus eſſe poſſit, nunquam tamen electio ipſa, aut prædeſtinatio incompleta eſſe poteſt, aut vocari debet: quia incompletum eſſe reſpectu ſalutis, alienat vocabulum electionis, & prædeſtinationis, ut ab ea non poſſit abſolute prædeſtinatus atque electus dici, ſed tantummodo cum particula reſtringente, electus aut prædeſtinatus ad fidem, ad juſtitiam. Nam ad hanc inſtantiam.

Reſpondeo quod hoc quod eſt eſſe incompletum, non alienat vocabulum electionis, ſed tantum applicat & determinat illud ad hanc potius electionem, quam ad aliam: Seu ad hunc potius terminum ſub quo

conſideratur electio, quam ad alium: eo prorſus modo quo ipſa ſalus; nam ut illa conſideratur in ordine ad gratiam, eſt ſalus incompleta, ut in ordine ad gratiam ſimul & ad gloriam, eſt ſalus completa. Ita prædeſtinatio, ut conſideratur in ordine ad gratiam, eſt incompleta; ut in ordine ad gratiam ſimul & ad gloriam, eſt completa. Neque neceſſe eſt ut prædeſtinatio incompleta dicatur cum particula reſtringente, ad fidem, aut ad juſtitiam; ſatis enim illa dignoſcitur ex ſubjecta materia, ſine particula reſtringente: eo modo quo non eſt neceſſe quod ſalus incompleta enuntietur per particulam reſtringentem, ſcilicet per gratiam: Quia ſatis innoteſcit ex ſubjecta materia: ex quo manifeſtum eſt, quod prædicta inſtantia nil efficit, cùm non ſatis oſtendat, cur magis repugnet incompletum eſſe reſpectu prædeſtinationis, quam reſpectu ſalutis.

Sed ut illa magis elucidetur, notandum eſt, quod prædeſtinatum eſſe poteſt dici dupliciter: uno modo extra omnem propoſitionem: altero, intra aliquam propoſitionem.

Primò modo non ſignificat prædeſtinationem incompletam; ſed completam, niſi addideris particulam reſtringentem: Et ratio eſt, quia tunc, cum nullo modo limitetur, ſe extendit ad id omne ad quod poteſt ſe extendere: At poteſt ſe extendere ad ſignificandam gloriam & gratiam: ergo tunc utramque ſignificat, & ſic eſt completa. Altero vero modo, ſcilicet cum dicitur intra aliquam propoſitionem: non eſt ſemper neceſſe, quia ſufficienter poteſt determinari à ſubjecta materia. Et hæc diſtinctio in pleriſque ſimilibus eſt omnino admittenda, ad explicandos multos Scripturæ locos, aliàs infinita ſequerentur abſurda. Nam v. g. cum Chriſtus dicebat Patrem eſſe majorem ſe: Sequeretur quod volebat dicere, quod Pater erat omnimode, & complete major Filio, ſcilicet tam ſecundum divinitatem, quam ſecundum humanitatem; quod eſſet hæreticum. Item, quod cum Scriptura dicit Chriſtum eſſe mortuum & crucifixum, ſequeretur quod mortuus eſſet tam ſecundum divinitatem, quam ſecundum humanitatem. Item, quod cum Chriſtus dixit Apoſtolis ſuis ut prædicarent Euangelium omni creaturæ, ſenſus eſſet quod prædicarent avibus, piſcibus, bobus, & aſinis, cum verbum creaturæ id omne ſignificet, quæ omnia nimis abſurda ſunt. Præterea ſi hoc admitteretur, excludendæ eſſent à Scholis Theologicis omnes diſtinctiones quæ ibi dantur, cum craſſe & materialiter adhærendum eſſet litteræ, prout ſonat ſecundum leges Grammaticæ. Et præterea nunquam recurrendum eſſet ad Eccleſiam, vel Sedem Apoſtolicam; ſed ad ſolos Grammaticos & ludi magiſtros, ut haberetur vera interpretatio Scripturæ Sacræ, cum omnia eſſent craſſe & materialiter, & non ſecundum Spiritum vivificantem intelligenda, quæ nimis abſurda ſunt. Ergo admittendum omnino eſt quod aliquid ſine addito in aliqua propoſitione tale dici poteſt, & tamen non erit tale complete & ſecundum omnem ſuam latitudinem, ſed tantum incomplete & ſecundùm

quid:

quid: quia nempe ſic determinatur à ſubjecta materia, & ſic dicendum in noſtro propoſito, ſcilicet quod etiam ſi prædeſtinatio extrà propoſitionem dicta ſine addito, ſemper ſignificet prædeſtinationem completam, quæ eſt ad gratiam ſimul & ad gloriam: tamen intra propoſitionem aliquam poſita ſine addito, & ſine particula reſtringente, poteſt intelligi de incompleta, & ſecundum quid, ut in prædictis Scripturæ locis, in quibus illa ſatis determinatur ad hanc intelligentiam ex ſubjecta materia, prout ibi explicatum eſt, & infra etiam explicabitur: Nec ulla omnino differentia eſt quoad hoc (id eſt quoad eſſe incompletum ſine particula reſtringente in propoſitione aliqua) inter prædeſtinationem & ſalutem: Quandoquidem eſt doctrina generalis, quod verba ſpecificantur, & determinantur à ſubjecta materia. Et quamvis non eſſet doctrina generalis, tamen non minus bellè conveniret prædeſtinationi, quàm ſaluti, quandoquidem cùm ſalus ſit objectum prædeſtinationis, debet ſequi naturam ipſius: ita quod prædeſtinatio illa ſit incompleta, quæ reſpicit ſalutem incompletam, & ſit completa quando reſpicit ſalutem completam, quod venandum & expiſcandum eſt ex ſubjecta materia.

Quantum autem ad id quod addit Janſenius, prædeſtinationem eſſe unicum actum Dei, quo cuipiam tota ſalus per gratiam acquirenda, & largienda decernitur: Hoc non impedit quin ſecundum rationem in illo actu diverſa conſideremus, & partiamur illum in plures; Nonne in Deo eſt unicus actus volitionis, & tamen quot decreta, & diverſas volitiones in eo conſideramus: numquid unicus etiam in Deo eſt actus intellectus, & tamen quot ſcientias & intelligentias in eo conſideramus: ita licet prædeſtinatio ſit unicus actus Dei, tamen cum per diverſas ſuas terminationes æquivaleat pluribus, ideo in eo diverſas prædeſtinationes conſideramus, unam incompletam quæ eſt ad gratiam, non conſiderando gloriam: alteram completam ad gratiam ſimul & ad gloriam. Et ſic tota illa ſoluta eſt & evacuata objectio, ſeu ratio Janſenii.

Sed inſtat ſpecialiter contra certos locos Sacræ Scripturæ Novi Teſtamenti quos ideo expoſuimus de prædeſtinatione ad gratiam, quia illi ſpectabant integros populos, ſeu Eccleſias integras, ex quibus multi non ſunt electi ſeu prædeſtinati ad gloriam: Et ait non obſtante hoc, potuiſſe illos locos explicari de prædeſtinatione ad gloriam per ſynecdochen, ſumendo partem pro toto: quod etiam probat alienis textibus Auguſtini, id eſt in quibus nullus eſt qui faciat mentionem de textibus controverſis ſupradictis, ſed de aliis. *Eodem capite § Sed inquiunt, &c.*

Reſpondeo modum iſtum interpretandi Scripturam per tropos & figuras, non recte uſurpari, ubi pura & ſimplex expoſitio poteſt ſine aliquo abſurdo adhiberi, juxta illud axioma Theologicum: Intelligenda ſimpliciter Scriptura eſt quandò non involvit abſurdum: Unde cum bene & commode illi loci intelligantur ſimpliciter de prædeſtinatione ad gratiam, quæ vera prædeſtinatio eſt, ut infra demõſtrabimus ex Auguſtino, &

Pp

cum etiam ſit illorum locorum propria, cum reſpiciat eos omnes & ſingulos, qnos in illis locis Scriptura vocat electos: ideo illi loci vere intelligendi ſunt de prædeſtinatione illa incompleta, & non de alia, quæ ſine tropo & figura non convenit illis omnibus & ſingulis quos Sctiptura ibi vocat electos: Nam licet prædeſtinatio ad gratiam incompleta ſit, non ideo tamen eſt impropria; ſed vera & propria, ſicut ſalus illa quæ eſt per gratiam, eſt vera & propria, etiamſi incompleta: Quod non negaret ipſe Janſenius, qui agnoſcit illam ſalutem incompletam, ut veram in locis ſupracitatis: Nam ut ſalus incompleta quæ reſpicit gratiam, abſtrahendo à gloria, eſt vera & propria, quia vere ſalvat & liberat à peccato, licet non à damnatione æterna ad quam extendere ſe poterat: Sic & prædeſtinatio incompleta quæ eſt ad gratiam abſtrahendo à gloria, eſt vera & propria, quia vere prædeſtinat ad terminum ſuum, qui eſt gratia, licet non extendatur ad gloriam ad quam etiam extendere ſe poterat: Quia extenſio nihil facit ad intrinſecam conſtitutionem rei: Unde ſicut propoſitum eſt vere ptopoſitum, licet non ſit de omni, ſed tantum de aliquo: ita & prædeſtinatio eſt vere ptædeſtinatio, etiamſi non ſit de omni re ad quam ſe extendere poteſt, ſed tantum de aliqua. Et ſic patet quod ſolutio ſupradictis locis data de prædeſtinatione ad gratiam, eſt vera & propria; & per conſequens ei præferenda quæ eſt de prædeſtinatione ad gloriam, cum ſit impropria & tranſlatitia, & per figuram ſynecdochen explicanda: Et ideò non bene hic applicat Janſenius regulam Auguſt. exponendi Scripturam per tropos & figuras; quam vult tantum Auguſtinus habere locum, ubi pura & propria dari non poteſt ſine aliquo abſurdo, ut patet vel ex primo illo loco quem allegat ibi ex Auguſtino Janſenius, ubi hæc dicit Auguſtinus Epiſt. 59. Scripturæ mos eſt ita loqui de parte quaſi de toto, ſicut Corinthios in primis Epiſtolæ ſuæ partibus ita laudat (Apoſtolus) tanquam omnes tales ſint, cum laudabiles eſſent quidam eorum: Et poſtea in nonnullis Epiſtolæ ipſius locis ita reprehendit tanquam omnes culpabiles eſſent, propter quoſdam qui tales erant, iſtam divinarum Scripturarum conſuetudinem per omne corpus litterarum ejus creberrime ſparſam, quiſquis diligenter advertit, multa diſſolvit quæ *videntur inter ſe eſſe contraria*. Ubi tradit ſanctus Doctor ita concordandos eſſe locos Scripturæ, qui videntur inter ſe contrarii, non vero quod omnes ita ſint intelligendi aut quod noſtri ſpecialiter ita ſint intelligendi: Quorum alterum neceſſario oſtendere debuiſſet Janſenius, ut bene argueret: Nam ego ſic argumentor: Vel prætendit Janſenius quod illa regula debet omnibus Scripturæ locis applicari, vel noſtris ſpecialiter: Si primum, multa hinc ſequerentur abſurda: Nam ſequeretut quod hic locus Apoſtoli, quo toties uſus eſt Auguſtinus contra Pelagianos, Rom. 5. In omnes mors pertranſiit in quo omnes peccaverunt: poſſet exponi ſolùm per ſynecdochen de omnibus, licet tantum eſſet de adultis ſecundum ſenſum Pelagii. Item, & iſtæ 1. Corinth. 5. Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, poſſet exponi ſolùm de

omnibus per ſynecdochen;licet tantum eſſet de prædeſtinatis : Item , & iſte quod Deus intentator malorum eſt , poſſet exponi ſolùm de omnibus peccatis per ſynecdochen, licet tantum eſſet de aliquibus, quæ omnia eſſent abſurdiſſima & hæretica, & per conſequens non potuit nec debuit id prætendere Janſenius , nec ita interpretari Auguſtinum generaliter ; ſed tantum cum hac reſtrictione quam ſupra notavimus , ſcilicet ut ita ſolum intelligerentur loci illi, qui viderentur inter ſe contrarii, aut aliquid continere viderentur abſurdi , quod non convenit locis noſtris , ut ſupra explicuimus. Quod ſi dicat ſecundum : ſcilicet quod hæc regula ſecundum Auguſtinum debebat ſpecialiter applicari locis prædictis , certe debebat ſpeciales adducere locos Auguſtini, in quibus id ſpecialiter diceret , vel ita in ſpecie locos illos intelligeret: quod cum non fecerit Janſenius , ideo illius oppoſitionem negligimus.

Punctum II.

Oſtenditur quod loci Scripturæ in præcedentibus objectionibus allati melius intelliguntur de prædeſtinatis & prædeſtinationibus ad gratiam , quàm ad gloriam.

Sed & inſuper oſtendimus longe melius convenire illis ipſis locis (in quibus ſalutantur & nuncupantur ab Apoſtolis populi integri fidelium , ut electi , ſancti & dilecti) noſtram expoſitionem (ſecundùm quam dicimus quod per hoc nuncupantur prædeſtinati , aut electi ad gratiam) quam eam quam defendit Janſenius (ſecundùm quam vult illos nuncupari electos ad gloriam) quod probamus , non ſolum ex eo quod noſtra expoſitio propria eſt , illius autem impropria , ut ſupra notavimus ; ſed etiam ex eo quod illa noſtra expoſitio recte colligitur ex illorum locorum adjunctis & circumſtantiis , item ex genio Eccleſiæ tunc temporis loquentis , & ex re ſignificata quæ longe notior & patentior eſt in noſtra expoſitione , quàm in altera.

Quantum ergo ad adjuncta , & circumſtantias , valde notabile eſt, quod fere in omnibus iis locis ubi mentio fit de electione , prout ſpectat ad populos de quibus enuntiatur , ſemper adjungitur illi electioni, aliquid quod determinat eam ad gratiam, & non ad gloriam. Nam Eph. 1. dicitur:[Elegit nos in ipſo ut eſſemus ſancti & immaculati] ecce ſola ſanctitas & innocentia , quæ jungitur huic electioni; & per conſequens ſola gratia: Et infra dicitur:[Qui prædeſtinavit nos in adoptionē filiorũ] ecce adoptio quę jungitur huic electioni , & per conſequens ſola gratia quæ eſt adoptio filiorum.Et ad Coloſſ.3.dicitur:[Induite vos ſicut electi, ſancti & dilecti viſcera miſericordiæ] ecce adhuc ſãctitas & dilectio quæ ſunt objecta iſtius electionis,& per conſequens ſola gratia: Et 1.Petri 1. [Electis advenis ſecundùm præſcientiam Patris in ſanctificationem Spiritus,in obedientiam & aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti] ecce ſancti-

ficatio, & obedientia, & aſperſio ſanguinis JeſuChriſti, & per conſequens gratia, & juſtitia quæ ſunt objecta iſtius electionis: Et c.2. [Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta (ecce ſanctitas & ſacerdotium, quæ ſpectant ad gratiam Chriſtianam) ut virtutes annuntietis ejus qui vos vocavit de tenebris in admirabile lumen ſuum (ecce vocatio ad fidem & juſtitiam) qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei qui non miſericordiam conſecuti, nunc autem miſericordiam conſecuti.] Quæ omnia ſonant gratiam jam habitam & poſſeſſam, & remiſſionem peccatorum: Et initio Epiſtolæ ſecundæ, illos ipſos quos in prima Petrus vocaverat, genus electum, gens ſancta vocat ſolum credentes & fideles. [Petrus, inquit, ſervus & Apoſtolus Jeſu Chriſti iis qui æqualem nobiſcum ſortiti ſunt fidem in juſtitia Dei noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti.] ut oſtendat per iſtam electionem nihil aliud ſignificare ſe velle quam electionem ad fidem, & ad juſtitiam Chriſtianam: Et quod valde notandum eſt, nihil in iis locis reperies, quod clare & perſpicue ſonet, aut innuat gloriam: ut ſi vocaret illos vel ſalvandos, vel glorificandos, vel ad vitam æternam, aut regnum electos, aut beatos futuros; ſed de ejuſmodi verbis nulla ibi mentio, ſed ſolum mentio fit de iis quæ clare & perſpicue ſonant gratiam: ut cum vocat eos ſanctos dilectos, regeneratos, eandem fidem ſortitos, ad adoptionem prædeſtinatos, ad lumen Dei vocatos, & ipſius Dei populos: quæ clare ſonant gratiam & juſtitiam Chriſtianam: Et per conſequens clarum eſt, quod ſecundum adjuncta & circumſtantias, ii loci intelligendi ſunt de prædeſtinatione ad gratiam, & non de prædeſtinatione ad gloriam.

Quantum autem ad genium illius temporis Eccleſiæ ſcribentis, qui maxime attendendus eſt, ut eruatur in ſcribendo verus ſenſus illius: Manifeſtum etiam eſt, quod ſecundum illum prædicti loci intelligendi ſunt de prædeſtinatione ad gratiam, & non de prædeſtinatione ad gloriam: Et ratio eſt, quia tunc temporis Eccleſia, ut nova in fide Chriſti, ſic maxime fervens in fide & juſtitia Chriſtiana, valde ſpectabat electionem ad fidem & ad juſtitiam Chriſtianam, per quam fideles ſeparabantur à Judæis & Paganis, & ad Chriſti fidem adlegebantur, & fiebant Chriſtiani. Unde & de illa fide tot habent honorifica in ſuis Epiſtolis Apoſtoli, quia in illis temporibus fides magno in honore habebatur; unde & honoris cauſa vocabant illos quibus ſcribebant electos ad fidem & ad juſtitiam Chriſtianam, ut ſupra clare vidimus ex 2. Pet. 1. ubi Petrus honoris cauſa vocat eos quibus ſcribebat æqualem ſecum ſortitos fidem; & Paulus ſcribens Epheſiis, vocat eos Fideles in Chriſto Jeſu. Et Coloſſenſes vocat Fideles fratres in Chriſto. Unde non eſt mirum quod per vocem electi ſimpliciter dictam & enuntiatam intelligerent electionem ad fidem & ad juſtitiam Chriſtianam: & ut oſtendatur quod non per aliquam ſynecdochen, ut volebat Janſenius, electos illos vocabant.

D. Paulus Act. 9. vocatur vas electionis reſpectu ſolius gratiæ. Sic enim ibi habetur: Vas electionis mihi eſt iſte, ut portet: Græce, τοῦ βαστάσαι. Ad portare nomen meū

Videmus quod aliquos ſingulares ita vocabant electos: ut Rom. 16

Paulus rogabat eos quibus ſcribebat, ut ſalutarent Rufum electum: Salutate, inquit, Rufum *electum*: Certe ibi ſinecdoche locum non habebat, cum ipſe eſſet pars & totum: Nec dici poteſt quod de illius electione ad gloriam, Paulus certam revelationem habebat, cum de illa nulla ibi mentio fiat: Et per conſequens manifeſtum eſt ex ſenſu & genio tunc temporis ſcribentis Eccleſiæ, quod illi quos vocabant electos, vocabant electos ſimpliciter ad fidem, & juſtitiam, & non ad gloriam.

Denique cum nuncupationes & nomina ſint ad dignoſcendas perſonas, & earum merita, impoſita: longe rationabilius præſumendum eſt, quod vocabant eos quibus ſcribebant, electos ad fidem, & ad juſtitiam Chriſtianam, quam ad gloriam: cum illa electio longe notior & patentior ſit, quam altera. Nam nimis abſtruſa, & ignota eſt illa prædeſtinatio ad gloriam, & nullo ſigno externo & ſenſibili cognoſcibilis, cùm aliquando male viventes ſalventur in fine, & bene viventes damnentur in fine, ut ait Auguſtinus libro de dono perſeverantiæ cap. 8. Videtur, inquit hominibus, omnes qui boni apparent fideles perſeverantiam uſque in finem accipere debuiſſe: Deus autem melius eſſe judicavit, miſcere quoſdam non perſeveraturos certo numero Sanctorum ſuorum: ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione ſecuritas, non poſſint eſſe ſecuri. At vero electio ad fidem & juſtitiam eſt maxime cognoſcibilis; nam cum fides & juſtitia fiant ſenſibiles & cognoſcibiles per opera externa fidei & juſtitiæ, ita & electio ad eas per eadem opera fit aliquo modo ſenſibilis & cognoſcibilis, & dat legitimum fundamentum eam attribuendi ejuſmodi opera habentibus, & per conſequens illa electio eſt notior & patentior, & proinde receptior, & in uſu commodior altera, ut per eam quis nuncupetur electus.

coram Gentibus & Regibus, & filiis Iſrael. Ego enim oſtendā illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Vbi nihil de gloria, ſed tantum de gratia, ſeu ſanctificante, ſeu gratis data ad glorificandum Deum corā Gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael.

Sed ut etiam pateat quod nō ſumus in hac interpretatione ſingulares, & quod non peperit eam neceſſitas; ſed nuda & ſincera ſenſus iſtorum textuum ponderatio, & æſtimatio... Ita expoſuerunt locos illos nobiliſſimi Sacræ Scripturæ Interpretes: Nam Theophylactus, Oecumenius, & Gagnæus, exponunt locum illum ad Epheſ. [Elegit nos in ipſo ut eſſemus ſancti] de electione ad fidem & ad juſtitiam Chriſtianam. D. Chryſoſtomus, Theophylactus, & D. Thomas exponunt hunc locum ad Coloſſ. 3. [Induite vos ergo ſicut electi Dei] de electione ad virtutem & ad innocentiam.

Vide Salmeronium in Epiſtolas Pauli diſp. 2 ſub fin. in 2. p. lib. primi.

Hugo Cardinalis, ſeu Charenſis, Lyranus & Lorinus exponunt hunc locum ex 1. Petri 1. [Electis advenis, &c.] de electione ad fidem & juſtitiam Chriſtianam. Item, & hunc 1. Petri 2. [Vos autem genus electum] exponunt de eadem electione ad fidem & juſtitiam: Et ſingularem illum locum ad Rom. 6. [Salutate Rufum electum] Theophylactus explicat de electiōe ad innocentiam: Haymo de electione ad ſacerdotium: Eſtius ad ſingularem quandam inter fideles ſanctitatem & pietatem.

Unde nō video ſupereſſe amplius rationabiliter quicquā dubii quin illa

intepretatio vocis, *electi*, & electionis ſumi debeat in prædictis locis pro electione ad gratiam, ſeu pro prædeſtinatione ad fidem & ad juſtitiam Chriſtianam, & non ad gloriam: cùm illa expoſitio ſit pura & ſimplex, ut ſupra demonſtravimus; & proinde admittenda juxta legitimum modum interpretandi Scripturam Sacram quando non involvit abſurdum: Cùm etiam & bene cohæreat cum adjunctis & circumſtantiis, & ſit ad ſenſum tunc temporis ſcribentis Eccleſiæ, imo & ad ſenſum omnium cum nuncupationes, ut notavi, ſoleant ſumi magis notæ & cognoſcibiles, quales ſunt illæ, ſi ſumantur in ordine ad fidem & ad juſtitiam Chriſtianam, non autem ad gloriam.

PUNCTUM III.

Oſtenditur contra Ianſenium duplicem prædeſtinationem agnoviſſe Auguſtinum: unam ad gratiam, alteram ad gloriam; & primo ex definitionibus prædeſtinationis ab Auguſtino traditis.

RESTAT ergo ut expendamus authoritatem Auguſtini, quâ poſt rationem, vult etiam probare Janſenius, quod in Scripturis Sanctis nunquam vox illa, *electi*, ſumitur pro prædeſtinatis ad gratiam, ſed ſemper pro electis ad gloriam: quod probat ex eo quod (ut ipſe ait) D. Auguſtinus cujus ſcripta nihil aliud ſpirant quàm completam hominum prædeſtinationem ad gratiam & gloriam, quam ex Sacræ Scripturæ verbis ſe collegiſſe profitetur: Non agnovit hanc prædeſtinationem incompletam ad gratiam, ita ut forte, inquit, in univerſis ejus operibus electio, aut prædeſtinatio non ſignificet illam incompletam prædeſtinationem, de qua locuti ſumus, nec quiſquam ab Auguſtino unquam appellatus ſit electus, qui non eſſet electus ad gratiam ſimul & ad gloriam. Quam autem id falſum ſit pluribus demonſtrandum eſt: certum enim eſt Auguſtinum vere agnoviſſe illam prædeſtinationem incompletam, & de ea ſæpius locutum eſſe, imo vero principalius quàm de prædeſtinatione ad gloriam, de qua nunquam locutus eſt ex profeſſo, ut fatetur ipſe Janſenius, ſicut de hac incompleta locutus eſt, prout infra videbimus.

Lib. 9. de gr. Sal. c. 24. §. Reſpondetur verum eſſe, &c.

Probatur itaque primo ex duabus prædeſtinationis definitionibus, quas tradit Auguſtinus contra Pelagianos & Semipelagianos, quæ maxime & directe conveniunt prædeſtinationi incompletæ per gratiam, nec poſſunt reduci ad completam niſi indirecte & improprie, & extra ſenſum Auguſtini. Prima eſt lib. de prædeſt. Sanct. cap. 10. ubi prædeſtinationem ſic definit: Prædeſtinatio Dei, inquit, quæ in bono eſt, gratiæ eſt, ut dixi, præparatio. Quæ definitio non comprehendit gloriam, ſed ſolum gratiam, in quo eſt prædeſtinatio incompleta: Illa enim gratia de qua ibi loquitur, communis eſt reprobis & prædeſtinatis: tum quia ipſe

non diſtinguit, & per conſequens indiſtinctè & generaliter illa intelligenda eſt: tum quia ibi agit de tali gratia contra Semipelagianos, quam volebat eſſe requiſitam ad initium fidei: At illa gratia requiſita eſt æque ad initium fidei reproborum, ac ad initium fidei prædeſtinatorum ad gloriam, ergo illa prædeſtinatio quam definit ibi Auguſtinus, eſt prædeſtinatio incompleta, ſcilicet ad gratiam, abſtrahendo à gloria, & non prædeſtinatio ad gratiam ſimul & ad gloriam: tum quia ipſe aſſerit doctrinam ibi traditam pertinere ad fidem: at ea eſt quæ docet gratiam requiri tam ad initium fidei reproborum, quam ipſorum prædeſtinatorum ad gloriam; & ſic non comprehendit gloriam: tum denique quia in toto libro illo nihil agit, niſi ut oſtendat initium illud fidei (quod non determinat ex profeſſo ad prædeſtinatos ad gloriam) eſſe donum Dei, & proinde prædeſtinatum, ſecundùm ſtilum Auguſtini, idque adæquate & totaliter, cùm ſit totum objectum illius libri qui eſt de prædeſtinatione Sanctorum, ut patet ex illius finali concluſione; ubi ait Auguſtinus: Inſtitimus quantum potuimus, ut etiam initium fidei donum Dei eſſe oſtenderemus: Ubi manifeſtum eſt quod loquitur de illo initio fidei, ut totali ſuo objecto, & non ut habente ordinem ad gloriam. Et per conſequens ut de prædeſtinatione incompleta per gratiam, & non de completa per gratiam ſimul & gloriam: Nam etſi loquatur aliquando in illo libro de perſeverantia, & de gloria; non tamen loquitur de illis ex profeſſo, & ut pertinentibus ad illam prædeſtinationem, de qua ibi loquitur; ſed tantum obiter & per accidens, ut patet ex initio libri ſequentis, qui eſt de dono perſeverantiæ, ubi ait: In priore libro (ſcilicet ſupradicto de prædeſtinatione Sanctorum) cum ageremus de initio fidei (ecce ergo totale objectum) etiam de hac (ſcilicet perſeverantiæ) aliquid diximus. Qui modus loquendi ſatis manifeſtat eum ex profeſſo & directe ſolùm egiſſe de initio fidei & de cæteris, tantum obiter, & per accidens. Et ſic ibi egiſſe de prædeſtinatione incompleta formaliter.

Unde miror Janſenium auſum fuiſſe dicere cap. 8. ſupradicti libri 9. §. Porro, quod in prædicta definitione ſub nomine gratiæ D. Auguſtinus comprehendit etiam gloiam, quod omnino eſt falſum, tum quia id erat contra illius propoſitum, quod erat oſtendere gratiam requiri ad omne initium fidei, cum ad id omnia illius argumenta colliment: At vero ſi in ſua definitione comprehendiſſet gloriam, illud reſtrinxiſſet ad ſolos electos ad gloriam, & non extendiſſet ad alios; & ſic tradidiſſet doctrinam diminutam, & non adæquate reſpondentem doctrinæ fidei & Chriſtianæ, quam tradere ibi volebat quoad initium fidei, ut ſupra notavimus: tum etiam quia licet gloria aliquo modo gratia dici poſſit, quia datur ob merita gratiæ, ut alibi explicat Auguſtinus: Non tamen eſt illa gratia, de qua loquitur ibi Auguſtinus, cùm illa gratia excludat omne genus meriti, ut ſæpius explicat Auguſtinus: At vero gloria non excludit merita gratiæ; imo verò includit, & ſic nullo modo poteſt pertinere ad

illam gratiam, de qua ibi loquitur Auguſtinus, de qua toties repetit illud Apoſtoli: Si ex operibus jam non eſt gratia, nam gloria operibus tribuitur. Tum denique quia cum loquitur Auguſtinus de prædeſtinatis ad gratiam ſimul & ad gloriam, non ſolet vocare eos prædeſtinatos ad gratiam, ſed prædeſtinatos ad regnum, ad regnandum cum Chriſto, ad ſalutem & ad vitam æternam, ut ſciunt omnes qui tantiſper verſati ſunt in lectione operum Auguſtini; unde nullatenus dubitandum eſt, quod cum in illa definitione ſolius gratiæ mentio fiat, ponatque illam ut adæquatum objectum præparationis & prædeſtinationis illius, quod ſola gratia eſt objectum definitionis illius, & proinde quod illa definitio eſt prædeſtinationis incompletæ per ſolam gratiam, & non completæ per gratiam ſimul & gloriam.

Altera definitio prædeſtinationis eſt ea quam tradit lib. de dono perſ. cap.14. ſcilicet, quod prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei quibus certiſſime liberantur, quicumque liberantur. Quod maxime pertinet ad gratiam, per quam à peccato liberamur: & proinde ad prædeſtinationem incompletam: perperàm enim vult Janſenius, definitionem illam neceſſariò comprehendere gloriam, dicens cap. 8. §. Porrò. &, Etenim. Illam liberationem de qua ibi loquitur Auguſtinus, eſſe perfectam, & ſic non ſolùm à peccato, ſed etiam à concupiſcentia, & ab omni malo pœnæ nos liberare per gloriam. Perperàm, inquam, hoc dicit, tum quia nulla erat tunc controverſia, Auguſtinum inter & Semipelagianos contra quos ſcribebat de prædeſtinatione ad gloriam, ſive ut conjunctam gratiæ, ſive ut ſeparatam, ut fatetur ipſe Janſenius lib. 9. de gr. Salvat. cap. 24. §. Reſpondetur verum eſſe; ſed tantum & præciſe de prædeſtinatione ad initium fidei & perſeverantiam, de quibus ſolùm litigabant inter ſe, an ad illa neceſſariò requireretur gratia an non: Unde nulla erat ratio cur in illa definitione in qua ſolent accurata eſſe omnia, & in qua nihil ſuperfluum, aut redundans reperiri debet, includeret gloriam cum non eſſet de controverſia. Tum quia in illo toto capite, in quo tradit illam definitionem Auguſtinus, nullum eſt verbum de gloria, ſed ſolùm de fide & de perſeverantia, imo totus liber eſt de perſeverantia, ut patet ex titulo. Tum quia in illa definitione non dicit quod perfectiſſime liberantur, quicumque liberantur; ſed tantum certiſſime: quod ſolum indicat certiſſimam liberationem, & non perfectiſſimam, ut prætendit Janſenius. Tum quia liberatio illa de qua ibi loquitur Auguſtinus, eſt à maſſa perditionis, per quam intelligit communiter Auguſtinus peccatum originale, ſive peccatum Adæ, in quo omnes damnati ſunt, ſeu damnationem meruerunt, à qua maſſa liberantur per gratiam quæ tollit illud peccatum, & extinguit illius reatum, non verò per gloriam, quæ ſupponit hoc factum. Tum denique quia in definitionibus non habetur ratio majoris perfectionis rerum ibi ſignificatarum, ſed tantum naturæ illarum, cum definitio ſit explicatio naturæ rerum, & non perfectionis majoris, aut minoris

Vide Monitionem noſtram initio hujus diſputationis.

minoris illarum: Aliàs ſequeretur quòd cum homo definiatur animal rationale, pauci reperirentur homines, quia pauci ſunt perfectè rationales, imo vero ſi per rationale intelligas perfectiſſimam ſimpliciter rationalitatem nulli reperirentur homines, quia nulli eorum qui nunc dicuntur homines, habent perfectiſſimam rationalitatem, qualis eſt in Angelis, & qualis eſt in Deo: Et ſic iſta definitio hominis quæ eſt ab omnibus recepta ut optima, eſſet falſa & erronea, quod eſt abſurdum & ridiculum: & per conſequens fatendum eſt quod in definitione rerum nõn attenditur perfectio major illarum; ſed tantum illarum natura & eſſentia, & ſic cum definiatur loco ſupracitato prædeſtinatio ab Auguſtino: præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur quicumque liberantur: Ibi definitur prædeſtinatio incompleta ad gratiam, qua re vera certiſſime liberantur à peccato & à reatu æternæ damnationis quicumque liberantur, licet id non fiat perfectè aut perfectiſſime; quia nempe definitio non conſiderat rem in ſua perfectione, ſed in ſua veritate, & tantum ſecundùm eſſentiam ſuam & naturam: Et hæc eſt prima ratio qua probatur Auguſtinum agnoviſſe prædeſtinationem incompletam ad gratiam, cum eam ibi definierit, eamque definitionem poſuerit, tanquam fundamentum & baſim pro veritate gratiæ probanda contra inimicos gratiæ. Saltem negari non poteſt quin illæ definitiones directè ſpectent gratiam: cum in prima definitione, etiam verbaliter deſignetur gratia: & in ſecunda per effectum ſuum formalem qui eſt liberare hominem à peccato, & à reatu pœnæ æternæ: Nec enim ullo modo potes eas reducere ad prædeſtinationem completam, quæ eſt ad gratiam & gloriam, niſi indirectè & improprie, ſumendo ſcilicet in prima nomen gratiæ, pro gratia & gloria: & in ſecunda non tam conſiderando naturam liberationis (quæ tamen ſola conſiderari debeat in diſtinctione rerum) quàm perfectionem ejus, ſeu potius extenſionem, cùm gloria tantum extendat liberationem factam per gratiam, à peccato, & à reatu pœnæ æternæ, ad liberationem à concupiſcentia, & ab omni malo pœnę, ut explicat ibi Janſenius; qui etiam valde ibi hallucinatus eſt volendo probare ex Sermone 48. Auguſtini de verb. Domini, quod proprie dicta liberatio, eſt ea quæ uſque ad beatam corporis redemptionem, ipſamque ſpiritus felicitatem glorioſam ſe protendit: Nihil enim ibi habet Auguſtinus de iſtiuſmodi propria liberatione, ſed ſolùm loquitur de eâ quam hîc aſſerimus, quæ eſt à peccato, quo quis irretitur, & ſolum rejicit illam ut impropriam, quæ liberat tantum aliquem ab aliquibus malis temporalibus, ut v. g. à captivitate Barbarorum, quæ eſt ejus comparatio per quam explicat & diſtinguit falſam liberationem à vera. Sic enim ait ibi. Omnis, inquit, (ſcilicet Chriſtus) qui facit peccatum, ſervus eſt peccati; ſi agnoſcant homines ſervitutem, videbunt unde accipiunt libertatem: Ingenuus eſt aliquis, captivatur à Barbaris, ex ingenuo factus eſt ſervus. Audit homo miſerator, conſiderat ſe habere pecuniam, fit redemptor, pergit ad

Barbaros, dat pecuniam redimit hominem: Plane *reddit libertatem ſi abſtulit iniquitatem*.(ecce ergo in quo ponit veram & proprie dictam liberationem) Sed quis abſtulit iniquitatem, homo homini, ille qui ſerviebat apud Barbaros à redemptore ſuo redemptus eſt. Et multum intereſt inter redemptorem & redemptum, *tamen ſub domina iniquitate forte conſervi ſunt*, interrogo redemptum: Habes iniquitatem? Habeo, inquit: Interrogo redemptorem: Habes peccatum? Habeo, inquit: Ergo nec tu te jactes redemptum, nec tu te extollas redemptorem, ſed fugite ambo ad verum Redemptorem. Ecce in quo ponit veram liberationem Auguſtinus, ſcilicet à peccato quo irretimur, & non in illa liberatione extenſiva in vitam æternam, quam aſtruit Janſenius.

Ex quo magis confirmatur noſtra hæc prima ratio, cùm clare ibi profiteatur Auguſtinus id in quo vere proprie ponit liberationem, ſcilicet in gratia quæ liberat à peccato, & non in gloria, quæ ei ſit ſuperaddita: Ad liberationem enim propriam ſecundùm Auguſtinum, ſufficit quod liberet à peccato (ut ex dictis clarum eſt) quod competit gratiæ ſine ullo ſuperaddito: Et ſic patet quod prædicta definitio, quæ habet pro totali ſuo objecto ſolam liberationem, bene aptatur prædeſtinationi incompletæ quæ eſt ad ſolam gratiam ſine additione gloriæ.

Punctum IV.

Idem probatur diverſis aliis modis & rationibus.

Vide Fulgentium l. 1. ad Monimū cap. 20. & 21. ubi ſatis apparet prædeſt. eſſe ad ipſa opera, & non ad gloriam; & ea fuit vera mens Auguſtini, qui ut Pelag. volebant opera noſtra bona eſſe à nobis. Ipſe è contra poſuit prædeſtinationem Dei eſſe ad ipſa noſtra opera: quæ ideo voluit eſſe Dei dona; quia nempe data ſunt à Deo excitante & adjuvante ad illa opera: Unde toties dicit Deum præſciviſſe quid fuerat ipſe facturus, quod eſt prædeſtinaſſe opus fiendum. Vide cap. 17. de dono Perſever.

Secunda ratio eſt quia in ſenſu Auguſtini omne donum Dei quod Deus facit in nobis per gratias ſuas excitantem & adjuvantem, vere prædeſtinatur à Deo, ut communiter docet Auguſtinus, præcipue libro de dono Perſeverantiæ cap. 17. & 18. & fatetur Janſenius, libro citato cap. 2. §. De gloria vero, ubi ait: Nam in primis manifeſtum eſt in ſcriptis Auguſtini, quod ut jam paulo ante diximus, quidquid in hominibus facit, eiſque donat Deus, hoc Deus prædeſtinavit ut faceret, & donaret: Atqui fides & juſtitia etiam in reprobis ſunt dona Dei, & vere fiunt à Deo: Ergo & prædeſtinantur: Ergo admittit Auguſtinus prædeſtinationem incompletam ad gratiam, & non ſolam completam ad gratiam & gloriam, cùm nulla ſit in reprobis prædeſtinatio ad gloriam.

Tertia ratio eſt, quia ſecundùm Auguſtinum Deus prædeſtinavit totam illam fidem quam promiſit Abrahæ, & ſemini illius, ſeu Gentibus, ut patet ex libro de prædeſtinatione Sanctorum cap. 10. Quando, inquit, promiſit Deus Abrahæ in ſemine ejus fidem Gentium, &c. non de noſtræ voluntatis poteſtate, ſed de ſua *prædeſtinatione* promiſit; Atqu

non promiſit tantùm illam fidem quam dat iis qui prædeſtinati ſunt ad gloriam ex illo ſemine & Gentibus, ſed etiam illam quam dat aliis qui ſunt ex eodem ſemine,& Gentibus, licet non ſint prædeſtinati ad gloriam: cum quia illi non poſſunt habere ſuam fidem, niſi ex promiſſione Dei: tum etiam quia & ipſi ſunt filii Abrahæ, cùm Abraham vocetur pater Rom. 4. 11. omnium credentium per præputium, & per conſequens illorum qui credentes ſunt ex Gentibus: Et per conſequens ibi admittit Auguſtinus prædeſtinationem incompletam ad gratiam, cum & iſti non ſint prædeſtinati ad gloriam, ſed ad ſolam fidem & gratiam.

Quarta ratio eſt, quia duplicem agnovit Auguſtinus hominum diſcretionem: unam ad ſolam gratiam, alteram vero ad gratiam & gloriam: Ergo & duplicem agnovit prædeſtinationem, unam incompletam ad ſolam gratiam, alteram vero completam ad gratiam ſimul & ad gloriam. Conſequentia clara eſt, quia diſcretio & prædeſtinatio apud Auguſtinum unum & idem ſunt, ut fatetur Janſenius lib. 9. de gr. Salv. cap. 6. initio. Probatur antecedens ex lib. de dono perſeverantiæ cap. 9. ubi loquens de prædeſtinatione completa ad gratiam ſimul & gloriam (vel ut puto ad perſeverantiam; ſed hoc nòn ſpectat àd noſtrum propoſitum) vocat illam prædeſtinationem ſingularem quandam diſcretionem, quam diſtinguit ab alia: ergo duplicem ibi agnovit diſcretionem, quæ non poteſt eſſe niſi prædeſtinatio ad gratiam, & prædeſtinatio ad gratiam & gloriam, vel ut dixi, ad perſeverantiam. Nam ibi loquens de non perſeverantibus, & ſic prædeſtinatis ad ſolam gratiam, ut diſtinctis à perſeverantibus, & conſequenter à prædeſtinatis ad gratiam ſimul & ad gloriam; ſic ait: Secundum hæc (id eſt ſecundum fidem & juſtitiam) erant ex nobis, verumtamen ſecundum *aliam* quandam diſcretionem non erant ex nobis: Nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum. Quid eſt hoc, ſecundum aliam quandam diſcretionem non erant ex nobis, niſi ſecundùm aliam & diſtinctam à præcedente ſeu prædicta diſcretione, diſcretionem?

Ergo datur duplex diſcretio, cum detur alia diſcretio quam ea quæ eſt perſeverantium & ſalvandorum: At ea non poteſt eſſe niſi prædeſtinatio incompleta ad gratiam, ſeu ad Fidem juſtitiamque Chriſtianam: Ergo falſum eſt quod ſecundum Auguſtinum nulla detur alia prædeſtinatio quam ea quæ eſt ad gratiam & gloriam, quam completam nominant: cum ſecundum eum detur etiam alia, quæ eſt prædeſtinatio ad gratiam ſolam, ſeu ad fidem & juſtitiam Chriſtianam, quam alio nomine vocant prædeſtinationem incompletam.

Denique probatur ex diverſis locis, vel qui clari ſunt de prædeſtinatione ad gratiam, vel qui commode non poſſunt niſi de illa prædeſtinatione incompleta intelligi. Nam lib. 1. ad Simpl. q. 2. clare diſtinguit prædeſtinationem ad gratiam juſtificantem, à prædeſtinatione ad gloriam: quarum primam non vult comprehendi ſub nomine electionis (quia tunc non putabat dari poſſe electionem, quæ eſſet mere gratuita) alteram

vero ſub nomine electionis ut meritis redditam, pro quo vide ſupra argumentum 7. & 14. ex Auguſtino. Ubi videbis utramque prædeſtinationẽ clare diſtinctam; & ſic unam eſſe incompletam, & alteram completam. In Enchir. c. 100. clare adhuc notat iſtam prædeſtinationem incompletam per ipſam gratiam quam ponit objectum adæquatum iſtius prædeſtinationis: Bene, inquit, utens & malis tanquam ſummè bonus, ad eorum damnationem, quos juſte prædeſtinavit ad pœnam: & ad eorum ſalutem, quos benigne prædeſtinavit *ad gratiam*. Ecce ibi ponit gratiam adæquatum objectum iſtius prædeſtinationis: eſt enim ad gratiam ſine ullo addito, & per hoc ad gratiam abſtrahendo à gloria. In Tractatu 86. in Joannem clariſſime deſignat eamdem. Ubi cum late expoſuiſſet illa verba Chriſti Joann. 15. [Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.] de fide, ſeu de gratia credendi, & bene agendi; Sic ait: Si credentes elegit, elegit electos. Ubi clare vocat credentes electos ad gratiam; nam omnes credentes non ſunt electi ad gloriam. Lib. 6. contra Julian. cap. 2. cum prius expoſuiſſet mundum eſſe peccatum, & ideo Chriſtum non fuiſſe de hoc mundo, quia non habuit peccatum; ſic ait: Omnis homo prius mundo, non Deo naſcitur: & ut Deo naſcatur (ſcilicet per gratiam) *de mundo eligitur* qui renaſcitur *ut* jam non ſit de mundo (ecce totum objectum iſtius electionis, ſcilicet ut non ſit de mundo id eſt mundetur à peccato per gratiam baptiſmalem, ut patet etiam ex ſequentibus) Propter quod, inquit, ab eo princeps mundi ejicitur foras, ſicut ipſe teſtatur dicens: [Nunc judicium eſt mundi, nunc princeps mundi ejicitur foras.] niſi forte eo uſque veſtra progredietur audacia ut dicatis, non *de mundo eligi parvulos quando baptiſmo ejus abluuntur*, de quo dictum eſt [Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.] ad iſtam reconciliationem, ſi negatis parvulos pertinere, negantes eos eſſe de mundo (id eſt naſci in peccato) quâ fronte neſcio vivatis in mundo. Porro ſi eos fatemini cum in corpus Chriſti tranſeunt de *mundo eligi, neceſſe eſt ut ei naſcantur, de quo eliguntur*, ut renaſcantur. Ubi evidens eſt electio ad gratiam abſtrahendo à gloria, cum dicit ad eam electos eſſe pueros, inter quos non dubium eſt aliquos eſſe reprobos, & per hoc prædeſtinatos ad ſolam gratiam: Præterquam quod, ut dixi, totum objectum iſtius electionis eſt gratia baptiſmalis. Item habet lib. 2. de peccat. meritis & remiſſ. cap. 27. ubi ait: Quiſquis vero adhuc movetur, quare baptiſentur qui jam de baptiſatis naſcuntur, hoc breviter accipiat: Sicut generatio carnis peccati per unum Adam in condemnationem, trahit omnes qui eo modo generantur: Sic generatio Spiritus gratiæ per unum Jeſum Chriſtum ad juſtificationem vitæ æternæ ducit omnes, qui *eo modo* (id eſt per baptiſmum) *prædeſtinati regenerantur* Sacramentum autem baptiſmi profecto Sacramentum regenerationis eſt. Hæc ibi Auguſtinus. Item, lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 6. cum locutus fuiſſet de quibuſdam, quorum aliqui cum audiſſent Euangelium crediderant, alii non crediderant, ait: Ecce miſericordia, & judi-

cium : miſericordia in electione, quæ conſecuta eſt juſtitiam Dei (id eſt gratiam juſtificantem quæ eſt totum objectum iſtius electionis) judicium vero in cæteros qui excæcati ſunt : & tamen illi quia voluerunt, crediderunt, illi quia noluerunt non crediderunt: miſericordia igitur & judicium *in ipſis voluntatibus* facta ſunt: *Electio quippe iſta gratiæ eſt*, non utique meritorum. Ubi manifeſtiſſima eſt electio ad gratiam cum totum objectum illius ſit gratia juſtificans & id quod factum eſt in voluntate talium electorum, quod nihil aliud eſt quam opera à gratia prodeuntia. In eodem lib. cap. 9. explicans quædam verba quæ olim dixerat de prædeſtinatione ad fidem, ſic ait : Sed utrum prædicato ſibi Chriſto à ſeipſis habituri eſſent fidem, an Deo donante ſumpturi, id eſt (verba Auguſtini) utrum tantummodo præſcierit, an etiam *prædeſtinaverit* Deus, quærere ac diſſerere tunc neceſſarium non putavi : Ubi vides præciſam prædeſtinationem ad fidem, ſeu quod idem eſt in ſenſu Auguſtini prædeſtinationem ſolius fidei, & per conſequens prædeſtinationem incompletam. Et etiam eodem lib. cap. 19. poſt quam retuliſſet illud Joan. 15. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos; ſic ait : Nec fides ipſa præcedit : non enim quia credidimus; *ſed ut credamus elegit nos*: Ne priores eum elegiſſe dicamur falſumque ſit quod abſit, non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos : nec quia credidimus, ſed ut credamus vocamur atque illa vocatione quæ ſine pœnitentia eſt, id prorſus agitur & peragitur ut credamus. Ubi totum objectum iſtius prædeſtinationis, & totum quod in ea agitur & peragitur eſt fides, ut evidens ex ipſis verbis, & terminis eſt. Libro de dono perſeverantiæ cap. 17. clare loquitur de prædeſtinato incomplete, ſeu de prædeſtinato ad aliquam gratiam abſtrahendo à gloria; ſic enim ait : Ille quem (Deus) *caſtum futurum prædeſtinavit* : * quamvis id incertum habeat non ideo non agit ut caſtus ſit, quoniam *Dei dono* ſe audit futurum eſſe quod credit : Et infra id extendit ad cæteras virtutes. Quod autem dixi, inquit, de caſtitate hoc de fide, hoc de pietate, de charitate, &c. veraciſſime dici poteſt. In quo manifeſtiſſima eſt prædeſtinatio incompleta, cum tantum ſit ad aliquas virtutes quæ comitantur gratiam. Et cap. 22. ejuſdem libri loquitur disjunctive de prædeſtinatis ad fidem ſolam, & de prædeſtinatis ad perſeverantiam. Quamvis, inquit, ita ſe habeat de *prædeſtinatione* definita ſententia voluntatis Dei : ut *alii* ex infidelitate, accepta (& per hoc prædeſtinata in ſenſu Auguſtini) voluntate obediendi, convertantur ad fidem : *vel* perſeverent in fide. Ubi in prima parte eſt prædeſtinatio ad ſolam fidem, in ſecunda ad perſeverantiam. Et infra eodem capite loquitur de prædeſtinatis ad ſolam fidem. Si qui ſunt, inquit, nondum vocati (ſcilicet ad fidem) pro eis ut vocentur oremus; fortaſſis enim ſic prædeſtinati ſunt (ad illam fidem) ut noſtris orationibus concedantur, & accipiant eandem gratiam (fidei) qua velint, atque efficiantur electi, Deus enim qui omnia quæ prædeſtinavit implevit : ideo & pro inimicis fidei orare nos voluit ut hinc intelligeremus, quod etiam ipſe

In eodem lib. c. 15. loquẽs de prædeſtinatione fidei omniũ Chriſtianorum, & per conſequens etiam & reproborum; ſic ait : Ea gratia fit ab initio ſua fidei homo quicũque Chriſtianus qua gratia homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus : de ipſo Spiritu. & hic renatus de quo. ipſe eſt natus : eodem Spiritu ſit in nobis remiſſio peccatorum. *quo Spiritu factum eſt ut nullum haberet ille peccatum.*

Hęc ſe *Deus facturũ eſſe præſcivit.* ipſa eſt igitur prædeſtinatio Sãctorum, *quæ in ſancto ſanctorum maxime claruit.*

**Prædeſt. ad gratiam ſecundum Au-*

guſtinum, eſt prædeſtinatio ad omne id quod datur mere gratis, & nullo modo ex juſtitia. Vt fides, ſpes, charitas prima gratia ſanctificans, caſtitas, patientia, &c. Vnde ab hac prædeſtinatione excluditur gloria, quia non datur mere gratis: , ſed ex juſtitia, ob merita gratiæ.

infidelibus donet (id eſt prædeſtinet) ut credant & volentes ex nolentibus faciat. Ecce totum objectum iſtius prædeſtinationis, ſcilicet ut credant & ut ex nolentibus credere, faciat volentes & credentes quæ eſt mera prædeſtinatio incompleta ad fidem, ſeu gratiam.

Denique in ultimo iſtius libri capite per quod concludit hos duos libros accuratiſſimos de gratia & prædeſtinatione, quorum unus eſt de prædeſtinatione Sanctorum, alter de dono perſeverantiæ, manifeſtiſſime oſtendit quod prædeſtinatio de qua in iis per ſe, & ex profeſſo locutus eſt (nam aliquando per accidens & per concomitantiam loquitur in iis de completa) eſt tantum incompleta ſcilicet ad fidem aut ad perſeverantiam, ſic enim ait initio capitis illius: Sed quid plura: ſatis docuiſſe me exiſtimo vel potius pluſquam ſatis, dona Dei eſſe (id eſt prædeſtinata in ſenſu Auguſtini) & incipere in Dominum credere, & (nota hanc conjunctivam) uſque in finem in Domino permanere. Hæ ſunt ergo prædeſtinationes, de quibus ibi loquitur ex profeſſo Auguſtinus: una eſt ad fidem quæ per dilectionem operatur, & eſt objectum primi libri qui eſt de prædeſtinatione Sanctorum: altera eſt perſeverantia in fide & dilectione uſque in finem & eſt objectum ſecundi, qui & habet eam pro titulo: nuncupatur enim de dono perſeverantiæ, in quo libro cap. 17. etiam indicat per prædeſtinationem ſuam ſe ſolùm intelligere gratiam, & non gloriam, dicens: Subverti hac prædeſtinationis prædicatione illum *tantummodo* perniciosiſſimum errorem quo dicitur *gratia* Dei ſecundum merita noſtra dari. Ubi vides illam excluſivam tantummodo quæ reſpicit errorem circa gratiam ut ſic, & non circa gloriam. Quod ſi dicas ibi gloriam ſub nomine gratiæ ſubintelligi. Contra hoc eſt, quia non eſt error dicere quod gloria ſecundum merita datur, imo vero dicere contrarium eſt hæreticum, & per conſequens ibi gloria non ſubintelligitur ſub nomine gratiæ, ſed tantummodo gratia.

Et ſic patet evidentiſſime quod D. Auguſtinus non ſolùm agnovit iſtam prædeſtinationem incompletam, ſed & ex profeſſo aſſeruit & defendit eam, & per conſequens quod immerito reprehendit Janſenius iſtam diſtinctionem prædeſtinationis ad gloriam, & prædeſtinationis ad gratiam, ſeu completam & incompletam per quam explicuimus multos Scripturæ locos ab adverſariis nobis objectos, quaſi eſſet fictitia, & noviter adinventa, cum tam expreſſe defenderit eam Auguſtinus, imo ex profeſſo definierit & ſæpius inculcaverit, ut ex ſupradictis clarum eſt: Jam ergo tranſeundum eſt ad ſolutiones argumentorum ex Patribus petitorum. In quibus ſolvendis hunc ordinem ſervabimus. Primo ſolvemus argumenta ex Auguſtino & Diſcipulis ejus ut principaliora, dein ſolvemus argumenta ſumpta ex aliis. At in ſolvendis argumentis ex Auguſtino hunc ordinem ſervabimus, primo ſolvemus objectiones communes, deinde alias quæ ſunt ex authoribus particularibus ſumptæ.

SECTIO II.

Objectiones ex Patribus; ſed præcipuè ex Auguſtino, & Diſcipulis ejus.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Objectio prima proponitur.

PRIMUM argumentum ſumitur ex Epiſtola 106. ubi circa medium illius Epiſtolæ hæc ait Auguſtinus: Laudet miſericordiam qui liberatur, non culpet judicium qui punitur: hîc ſi dixerimus quanto melius ambo liberarentur: Nihil nobis convenientius dicetur, quam ô homo! tu quis es qui reſpondeas Deo? Novit quippe ille quid agat, & quantus numerus eſſe debeat primitus omnium hominum, deinde Sanctorum, ſicut ſiderum, ſicut Angelorum: atque ut de terrenis loquamur, ſicut pecorum, piſcium, volatilium: ſicut denique foliorum, capillorumque noſtrorum. Et infra certus eſt ergo præſcientiæ definitus numerus, & multitudo, Sanctorum quibus diligentibus Deum quod eis donavit per diffuſum in cordibus eorum Spiritum ſanctum, omnia cooperantur in bonum. Ubi videtur Auguſtinus innuere quod Deus ex mera ſua voluntate certum determinavit numerum electorum ad gloriam, ſicut determinavit numerum ſiderum, Angelorum, & aliorum ex mera ſua voluntate: Et ita, quod prædeſtinatio illorum non eſt ex prævifis meritis; ſed ex mero Dei beneplacito. Quod confirmatur etiam ex ſequentibus, ubi ait: Cæteri autem homines ad iſtam ſocietatem non pertinentes, quorum tamen & animam, & corpus, Dei voluntas operata eſt, & quicquid habet ipſa natura præter vitium quod ei inflixit ſuperbientis voluntatis audacia, propter hoc à præſciente Deo creati ſunt, ut in his oſtenderet liberum deſertoris arbitrium ſine ſua gratia quid valeret, & in eorum juſtis & debitis pœnis vaſa miſericordiæ, quæ non operum ſuorum meritis, ſed gratuita Dei gratia ſunt ab illa concretione diſcreta, quid ſibi collatum eſſet addiſcerent. Ubi videtur Deus omnia feciſſe pro mera ſua voluntate circa reprobos, & prædeſtinatos.

†
IHS.

Punctum primum.

Reſpondetur objectioni, primò in genere.

Nota quod ibi eſt quæſtio de re fidei, & non de problematica opinione qualis eſt noſtra.

Has ſpectant neceſſitatem ~~fidei~~ gratiæ ad ſingula opera quod non eſt problematicũ, ſed neceſſariũ credere.

Respondeo primò totam illam Epiſtolam eſſe de prædeſtinatione ad primam gratiam ſanctificantem quâ conſtituimur filii & & amici Dei, & de prædeſtinatione ad illam, non autem de prædeſtinatione ad gloriam nude & ſolitarie ſumptam, prout eam hîc ſumimus: quod patet ex titulo ipſius Epiſtolæ quæ eſt contra Pelagianos, cum quibus Auguſtinus non diſceptabat de prædeſtinatione ad gloriam, ſed de ſola prædeſtinatione ad gratiam. Et ex ipſo ipſius Epiſtolæ initio, ubi loquitur de ipſo Pelagio, & de iis libris quos contra ipſum ſcripſit, & poſtea ponit thema totius Epiſtolæ. Dicens quod gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum (quod fides vera & catholica tenet) ſemper Eccleſia puſillos cum magnis à morte primi hominis ad vitam ſecundi hominis transfert: Non ſolùm peccata delendo, verum etiam ad non peccandum recteque vivendum, eos qui jam uti poſſunt voluntatis arbitrio, ſic adjuvando, ut niſi adjuvet nihil pietatis & juſtitiæ ſive in opere, ſive etiam in ipſa voluntate habere poſſimus: quæ omnia maniſeſte ſunt de gratiâ; quæ etiam probat magno teſtimoniorum divinorum numero, utpote continentia totum intentum ſuæ Epiſtolæ.

Unde cùm procemia Epiſtolarum, diſputationum, librorum, Conſtitutionum ſoleant continere illorum motivum, & per hoc faciant devenire in veram illarum intelligentiam, ideo fatendum eſt quod cum Auguſtinus in illo procemio & themate loquatur tantum de gratia & de prædeſtinatione ad illam, quod in tota Epiſtola loquitur tantum de prædeſtinatione ad gratiam: aut ſi loquatur etiam de alia ſcilicet ad gloriam loquitur tantum de illa, ut cum hac prædeſtinatione conjuncta & non aliter: quod non amplius ſpectat ad noſtrum propoſitum; quod eſt ſolùm loqui de prædeſtinatione ad gloriam, prout præſcindit & condiſtinguitur à prædeſtinatione ad gratiam.

Sed quia hoc non obſtante reſponderi poteſt, quod potuit ibi Auguſtinus loqui de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, non quidem ex profeſſo, ſed tantum obiter & per accidens, & eam ibi conſiderare ut factam ante præuiſa merita: ideo ſit

Punctum II.

Reſpondetur objectioni ſecundò in ſpecie explicando priores partes textus objecti.

Respondeo ſecundò exponendo totum locum illum, & oſtendendo nihil in illo contineri quod ſit contra prædeſtinationem ad gloriam

gloriam poſt prævisa merita. Prima verba ſunt iſta: Laudet miſericordiam qui liberatur, non culpet judicium qui punitur: Hæc verba manifeſte ſunt de liberatione à peccato, ſeu de prima gratia juſtificante, per quam liberamur à peccato: ita quod ſenſus ſit. Laudet miſericordiam qui liberatur à peccato per gratiam divinam, ſeu juſtificantem: Supra enim oſtendimus liberationem proprie ſumi ab Auguſtino pro liberatione à peccato, quæ liberatio fit per gratiam juſtificantem, & idcirco certum eſt quod de iſta gratia ibi loquitur Auguſtinus. Quod etiam patet ex antecedentibus, ubi ait paulo ante hæc verba Auguſtinus: Quamvis nemo ab illo (ſcilicet Deo) *juſtificetur* meritis præcedentibus, neminem tamen obdurari, niſi merito noverit: pie namque & veraciter creditur Deus nocentes atque impios *juſtificando* à pœnis debitis *liberare* (ecce propter quod dicit laudet miſericordiam qui liberatur ſcilicet per juſtificationem) quemquam vero immeritum & nulli obnoxium peccato, ſi Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur (ecce propter quod dicit: Non culpet judicium qui punitur, quia nempe nemo punitur aut damnatur à Deo niſi ob præcedentem culpam: Et ſic nihil ibi de prædeſtinatione ad gloriam, ſed tantum de prædeſtinatione ad gratiam qua juſtificatur impius, & liberatur à peccato & à pœnis ei debitis, & de damnatione impii, vel temporali, de qua ſæpiſſime loquitur Auguſtinus: unde vocat eos damnatos, ſeu maſſam damnatam, qui ſunt in peccato originali, licet poſtea aliqui eorum liberentur; vel de damnatione æterna.

In præcedĕti objectione in Expoſit. 2. definitionis prædeſtinationis Auguſtinianæ.

Verba ſequentia ſunt. Hic ſi dixerimus quanto melius ambo liberarentur (ſcilicet à peccato, & reatu ejus ſeu à pœnis ei debitis per juſtificationem, ut ſupra ſe explicuit ipſe Auguſtinus) nihil nobis convenientius dicetur quam [O homo! tu quis es qui reſpondeas Deo? (quia nempe cum ibi ſermo ſit de mera gratia, nemo debet conqueri de eo quod detur aut non detur (novit quippe ille quid agat, & quantus numerus eſſe debeat primitus omnium hominum, deinde Sanctorum, ſicut ſiderum, ſicut Angelorum, atque ut de terrenis loquamur ſicut pecorum, piſcium, volatilium, &c.] nihil ibi de gloria; nam licet ibi loquatur de Sanctis, non tamen per Sanctos intelligit ſolos prædeſtinatos ad gloriam; ſed eos omnes & ſolos qui prædeſtinati ſunt ad gratiam juſtificantem ſupradictam, per quam illi Sancti ſunt pro eo tempore quo habent illam: Unde librum illum quem confecit de prædeſtinatione ad gratiam contra Semipelagianos, nuncupavit de prædeſtinatione Sanctorum, quia nempe Sancti ſunt dum habent gratiam ſanctificantem: Sed etiamſi terminus ille, *Sanctorum*, exponeretur de prædeſtinatis ad gloriam, non tamen ibi determinatur, an illi ſint prædeſtinati ad gloriam ante, vel poſt prævisa merita: ſed tantum dicit illum numerum eſſe Deo cognitum ut certum & definitum, abſtrahendo à modo quo numerus ille definitus eſt. Nam in quacunque ſententia, ſive prædeſtinationis poſt, ſive ante prævisa merita, vera debet eſſe illa Auguſtini aſſertio, quod Deus novit quantus eſt numerus Sanctorum, ſive

Non ſoli prædeſtinati ad gloriam, vocantur Sancti ab Auguſtino, ſed etiam alii: Unde lib. de S. Virginitate c. 37 caſtos, vocat Sanctos Auguſtinus. Et D. Proſper illius Diſci-

electorum ad gloriam: Nam potuit eſſe definitus ille numerus ante præviſa merita, ſi nempe Deus elegit Sanctos ante præviſa merita: & potuit eſſe definitus ſolùm poſt præviſa merita, ſi nempe Deus habuit rationem meritorum in ſua electione ut impleret ſuum numerum, eligendo nempe eos quos per ſpatia temporum prævidit gloriam merituros, uſque ad determinatum ſuum numerum: Quod & approbat Janſenius lib. 9. de gratia Salvatoris cap. 26. §. Propter, &c. his verbis: Nam numerus definitus ex Dei ſapientiſſimâ voluntate eſſe poteſt: qui nec minui nec augeri poſſit, & ſi ſinguli Sancti quibus implendus eſt in illum numerum *non efficaci Dei, ſed propria voluntate* quamvis non ſine gratia transferantur atque inde propria ſimiliter voluntate excidant. Sic enim perſonarum certitudo erit ex *præſcientia Dei*, quâ quis eas ſuam perſeverantiam merituras eſſe videt, numerus ipſe ex prædeſtinatione. Unde cum utroque modo potuit ille numerus eſſe definitus, nec determinet ullum eorum Auguſtinus, ideo nec nos ei tribuere debemus, quod voluerit illum numerum eſſe definitum, quoad perſonas ante præviſa merita, potius quam poſt præviſa merita: Imo vero iſta verba: novit quantus numerus eſſe debeat Sanctorum, magis videntur pertinere ad præſcientiam, quam ad determinationem effectivam numeri, cum ſenſus ſit quod Deus novit quantus futurus eſt ille numerus, quandoquidem illud verbum, *debeat*, non poteſt aliter exponi, quam per hoc, quod futurus ſit, quod pertinet ad præſcientiam. Unde & notandum eſt quod non dicit Auguſtinus numerum illum eſſe definitum ſicut numerum ſiderum, &c. Sed quod novit Deus illum eſſe definitum, ſicut novit definitum eſſe numerum ſiderum, &c. quod nihil aſſerit circa modum definitionis numeri, ſed tantum circa ſcientiam. Sed etſi diceret illum numerum eſſe definitum ſicut ſiderum, Angelorum, pecorum, &c. hinc tamen non ſequeretur quod eodem modo definitus ſit ille numerus, ac numerus ſiderum, &c. cum id non exprimat Auguſtinus; ſed velit tantum dicere, quod non minus debet eſſe definitus ille numerus, quam definitus eſt ſiderum, Angelorum, pecorum, &c. cum non ſit potior ratio de uno quam de alio: ita quod comparatio fiat rei ad rem, determinationis ad determinationem, non vero modi ad modum. Res enim quæ comparantur, non eſt neceſſe quod conveniant in omnibus, ſed tantum in aliquibus: inde eſt quod vulgo dicitur, omnis comparatio claudicat, quia ſufficit quod conveniat in uno, licet in aliis claudicet. Ita ſufficit ad veritatem comparationis prædictæ, quod numerus electorum definitus ſit, & numerus ſiderum, Angelorum, pecorum, &c. etiam definitus ſit, non autem requiritur quod numerus electorum eodem modo definitus ſit, quo definitus eſt numerus ſiderum, Angelorum, pecudum, &c. Præſertim cum in eo comparatio non fiat: Non enim dicitur: novit quis, vel qualis ſit numerus electorum, ſed novit quantus: quod ſolùm indicat quantitatem, & multitudinem electorum eſſe ſcitam à Deo, quomodo ſcita eſt quantitas, & multitudo ſiderum, Ange-

pulus, credentes, vocat Sanctos ita illum interpretante, & recte Janſenio l. 7 de hæreſ. Pelag. c. ult. & ipſe Auguſt. in Tract. ad populum, vocabat fideles Sanctos, compellans eos per hæc verba: Sanctitas veſtra.

Cum Deus nulli quicquam debeat, ideo ille terminus debeat: *debet exponi pro eo quod futurum eſt, ſeu debet eſſe.*

lorum, & aliorum ibi deſignatorum. Unde clarum, eſt quod ex illis verbis, nihil inferri poteſt contra prædeſtinationem poſt præviſa merita, cum abſtrahant à modo prædeſtinandi, & non determinent, quomodo illa prædeſtinatio facta ſit: Et ſane ſi quis vellet ibi rimari, & inveſtigare mentem Auguſtini, potius concluderet prædeſtinationem illam (ſi eſt ad gloriam ſolam) eſſe poſt præviſa merita, quam ante præviſa merita, quandoquidem in ſequenti textu, qui eſt quaſi concluſio præcedentis, numerus ille Sanctorum, ſeu electorum, vocatur præſcientiæ definitus numerus, quaſi diceret quod ex præſcientia meritorum, definitus eſt quoad perſonas: Et paulo infra ait, Quos ante præſcivit: Ergo prius præſcitus erat ille numerus quoad perſonas, quam quoad illas definiretur: Et adhuc infra loquitur de reprobis (ſine dubio præſcitis, antequam definiretur eorum numerus) eodem modo ac de prædeſtinatis: Cæteri autem, inquit, homines ad iſtam ſocietatem non pertinentes, à Deo præſciente creati ſunt: Atqui hæc præſcientia præceſſit eorum reprobationem, ut norunt omnes Catholici; ergo & illa præceſſit aliorum prædeſtinationem. Igitur ſecundum hæc videretur Auguſtinus magis concludere pro prædeſtinatione poſt præviſa merita, quam ante præviſa merita.

Sed ſane iſta omnia non ſunt intelligenda de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, ſeu ſolitarie ſumptam; ſed vel ad ſolam gratiam juſtificantem, quæ prorſus intrinſeca eſt huic textui Auguſtini, ut patet ex ſupradictis; vel ad gratiam ſimul & gloriam, ita quod hic locus intelligatur directe reſpicere gratiam, & indirecte & concomitanter ſolùm gloriam, cum id ſit magis ad mentem Auguſtini contra Pelagianos hîc loquentis, qui tantum de illa prædeſtinatione diffidebant quæ reſpicit gratiam, & non de ea quæ reſpicit gloriam ſolam, & taxabant Auguſtinum, de iſto numero definito prædeſtinatorum ad gratiam ſine præſuppoſito merito, tanquam induceret fatum & neceſſitatem, & tolleret liberum arbitrium. Unde cum loquitur hîc de præſcientia Auguſtinus, loquitur de præſcientia cooperationis arbitrii per gratiam præparati, ad repellendam iſtam iſtorum errantium inſtantiam contra efficacitatem ſuæ gratiæ quam vocabant fatalem: Nam præſupponendo iſtam præſcientiam, clare oſtendebat eis, ſe non inducere fatum aut neceſſitatem, ſed tantum infallibilitatem ex præviſa cooperatione arbitrii, & ex præviſo conſenſu voluntatis in gratiam, quam conferre volebat: Et ſic nihil ibi prorſus eſt contra nos, cùm locus ille non ſit de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, ſed vel de prædeſtinatione ad gratiam juſtificantem, vel de prædeſtinatione ad gratiam & gloriam, de qua non agimus.

Fato fieri putabant Pelagiani, ea quæ ſine meritis præcedentibus fiebant à Deo in hominibus, ut clare explicat Auguſt. lib. 4. contra Iul. cap. 8. circa med. & lib. 2. ad Boniſ. cap. 6. initio, & alibi communiter.

Punctum III.

Explicantur poſteriores partes textus objecti, & adhuc in genere eidem objectioni reſpondetur.

Cætera autem verba quæ in objectione ſequuntur: ſcilicet, cæteri autem homines ad iſtam ſocietatem non pertinentes, quorum tamen & animam & corpus Dei bonitas operata eſt, &c. non pertinent ad reprobationem, ut nec ad prædeſtinationem: Sed tantum afferunt cauſam ſecundariam creationis reproborum, quam ut ipſe aſſolet Auguſtinus, ponit loco primariæ, tanquam ſummæ Dei ſapientiæ, & ſcientiæ magis convenientem: eo modo quo libro de corrept. & grat. cap. 7. ait: Chriſtum elegiſſe Judam ad effundendum ſuum ſanguinem. Non enim vult dicere quod Chriſtus ad id elegiſſet eum primariò, & directè: ſed vult dicere quod elegerat eum ad effundendum ſuum ſanguinem, tanquam ob finem ſecundarium: Quia nempe præſuppoſitâ & prævisâ ejus malitiâ, Chriſtus Dominus eâ utiliter & ſapienter uſus eſt ad redemptionem hominum: Sic eodem libro c. 14. ait: Quod Deus de iis qui non faciunt quæ vult, facit ipſe quæ vult: id eſt de iis qui non faciunt voluntatem ejus imperantem, facit ipſe voluntatem ſuam punientem: non quod primariò voluerit punire eos; nam ſic vellet etiam primariò fundamentum ſuæ punitionis, ſcilicet peccatum; quod abſurdum & impoſſibile eſt: Sed quod præſuppoſitâ & prævisâ eorum malitiâ & rebellione, vult oſtendere in eis juſtitiam ſuam vindicativam, puniendo eos, & ex oppoſito ſimul bonitatem ſuam, parcendo aliis, qui in eadem damnatione erant, ſubminiſtrando eis gratias efficaces, quibus à peccatis in quæ prolapſi fuerant, reſurgerent. Et hic eſt verus ſenſus Auguſtini in hoc loco: ſcilicet quod ſecundariò & ex præſuppoſitâ & prævisâ reproborum malitiâ, vult in illis oſtendere, liberum deſertoris arbitrium ſine ſua gratia quid valeret: & in eorum juſtis, & debitis pœnis, vaſa miſericordiæ quid ſibi collatum eſſet addiſcerent: quod confirmatur ex his verbis initio poſitis: propter hoc præſciente Deo creati ſunt: Ubi expreſſe & manifeſte præſupponit Auguſtinus præſcientiam ad eorum reprobationem, ut & ad creationem; & ſic male hinc infertur quod Deus omnia facit pro mera voluntate ſua circa reprobos & electos, cum nihil faciat circa illos quantum ad damnationem eorum, aut ſalutem æternam, niſi ex præſuppoſita & prævisa eorum bonitate, aut malitia.

Quicquid ſit, nihil eſt in illis verbis, quod nos cogat admittere prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante prævisa merita: Nam ſi dicas, quod ibi prædeſtinati vocantur vaſa miſericordiæ, dicimus primò quod prædeſtinati illi non conſiderantur, ut prædeſtinati ad gloriam ſolam, ſed ad gratiam ſimul & ad gloriam, ut ſupra declaratum eſt; & ſic ratione

gratiæ quæ includitur in illa prædeſtinatione, dicuntur vaſa miſericoriæ. Sed etſi prædeſtinati illi eſſent reſpectu ſolius gloriæ, quod nullatenus verum eſt: tamen nihil id efficeret contra nos, quia illi non dicuntur vaſa meræ miſericordiæ, quod excluderet omne meritum juſtitiæ; ſed tantum vaſa miſericordiæ, quod non excludit meritum juſtitiæ, quæ eſt à gratia Dei, ſed tantum meritum naturæ, & arbitrii, ſtylo Auguſtini & Diſcipulorum ejus contra Pelagium ſcribentium: Unde ſupra dixit Fulgentius Auguſtini Diſcipulus in eadem verba Apoſtoli: Poſſet quos dixit vaſa miſericordiæ, *vaſa juſtitiæ* nuncupare; ſed ſi vaſa juſtitiæ vocarentur, forſitan ex ſeipſis habere juſtitiam putarentur: Et hoc eſt quod volebat excludere Auguſtinus per prædicta verba, ſcilicet juſtitiam Pelagianam, quæ eſt ab arbitrio ſolo, & non à gratia divina: unde & ſequitur. Quæ non operum ſuorum (id eſt meri arbitrii, ſtylo Auguſtini & Diſcipulorum ejus) meritis, ſed gratuitâ Dei gratiâ (id eſt non cauſatâ à præcedente actione liberi arbitrii, quod nempe per ſe oraſſet, quæſiiſſet aut pulſaſſet, ut volebant Pelagiani) ſunt ab illa concretione diſcreta, quid ſibi collatum eſſet addiſcerent: ibi collatum non ſignificat neceſſario mere gratis datum, ſed tantum ut explicatum eſt ſuprà, ſcilicet datum ob merita gratiæ, & non meri arbitrii, quæ merita liberi arbitrii ſolùm vult ibi excludere Auguſtinus, ut paulo infra ſatis declarat, dicens: Si dixerit liberi arbitrii merita præceſſiſſe, reſpondet Apoſtolus, quæ ſupra diximus de nondum natis, neque aliquid agentibus boni aut mali. Ubi clare & expreſſe nominat merita liberi arbitrii, ut ea de quibus ibi ſolum ſermo erat ei contra Pelagium ſcribenti, & ſane ſi hæc verba non ſic intelligerentur, dicendum eſſet quod prædeſtinatio illa non ſolum ſecundum intentionem, ſed etiam ſecundum executionem ſine ullis meritis eſſet facta, cum hæc verba quod ſibi *collatum* eſſet, ſonent executionem & collationem jam factam: At hoc non admittent adverſarii, ergo nec debent etiam admittere illud unde ſequitur, ſcilicet, quod prædeſtinatio illa quam interpretantur ad gloriam ſolam eſt ſine meritis, tam gratiæ, quam arbitrii; ſed debent dicere nobiſcum, quod quidem illa eſt ſine præviſis meritis arbitrii, ſed non ſine meritis gratiæ. Inter teſtimonia ejus.

Denique probatur quod tota illa doctrina in objectione contenta non eſt contra prædeſtinationem ad gloriam poſt præviſa merita gratiæ, ex eo quod dicit Auguſtinus, paulo poſt ea quæ continentur in prædicta objectione: illa omnia eſſe de neceſſitate fidei, ita quod neget eum eſſe Catholicum, qui aliter docet; ſed affirmet eſſe Pelagianum & hæreticum: Qui aliter, inquit, docet non acquieſcens ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ: *Contra gratiam Salvatoris, contra ſanguinem Redemptoris tanquam ſalvam & liberam naturam defendit humanam*, id eſt Pelagianus & hæreticus eſt, & idem ſentiens cum Pelagio. Unde & per exprobrationem hoc ſequitur. Et Chriſtiano tamen cenſeri vocabulo affectat. Quaſi diceret, & non pudet eum ſe vocare Chriſtianum.

Cum ergo certum ſit doctrinam ibi ab Auguſtino tradltam eſſe de neceſſitate fidei, illam autem quæ eſt de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, vel poſt, vel ante præviſa merita, non eſſe de neceſſitate fidei, ſed cuivis licere tenere quid voluerit: Sequitur quod doctrina ibi tradita non eſt contra nos, cum ſit omnino diſparata & diverſa ab ea quam defendimus.

PUNCTUM IV.

Cuidam inſtantiæ Ianſenii ſatisfit, & oſtenditur Semipelagianos nullam habuiſſe difficultatem circa numerum definitum electorum ad gloriam, ut ſic; ſed tantum electorum ad gratiam, ut ſic, ſeu formaliter ut ad gratiam electorum, & non aliter.

SED reſpondendum eſt Janſenio, qui licet aliqua viſus ſit pro nobis ſuperius dicere de illo numero electorum definito (de quo facta mentio eſt in prædicta objectione) quem concedebat, imo contendebat, abſtrahere à præviſis, vel non præviſis meritis: Poſtea tamen eodem capite §. Sed numerus ille ſecundarius. habet aliquid contra nos, in quantum vult homines lapſos non pertinere ad illum numerum, ut prædeſtinatos poſt præviſa merita; ſed ut prædeſtinatos ante præviſa merita: Putat enim ibi hunc numerum conſlitum eſſe ex duobus ſpecie prædeſtinatis, ſcilicet Angelis & primis parentibus ex una parte, & ex hominibus lapſis ex altera. Quorum primi prædeſtinati ſunt poſt præviſa merita: Secundi autem ante præviſa merita. Primam partem probat aliquibus capitibus in illo libro. Secundam autem quæ ſola ſpectat ad nos probat eodem cap. & §. citato. Cujus probationis duo capita ſunt: Unum eſt quia putat naturam gratiæ hominis lapſi eſſe per ſe determinatiuam arbitrii, & ſic eſſe merum & individuum effectum prædeſtinationis abſolutæ ad gloriam. Alterum eſt quia, inquit, ita cenſuit Auguſtinus, & id teſtantur diſcipuli ejus, Proſper & Hilarius, aſſerentes quod ideo Semipelagiani non poterant æquo animo ferre ſententiam Auguſtini de illo numero definito electorum hominum ad gloriam: eo quod ex divina definitione tam immobiliter prædeſtinatum illum eſſe aſſereret, ut neque augeri, nec minui poſſet, nec quiſquam in eum excluſus irrepere: Ex quo videbant innui prædeſtinationem ad gloriam factam eſſe ante præviſa merita, quod ferre non poterant. Quantum ad primam reſpondeo quod quoniam directe non ſpectat rationem numeri illius definiti, ſed aliam qnandam rationem diſparatam; ideo commodius infra confutandum dimittitur in objectione ſcilicet de hac re peculiari; quam ſumemus ex Janſenio, in alio aliquo loco, * ubi rem hanc uberius & efficacius proſequitur.

** In object. 13. ex ratione, ubi funditus expugnatur iſta gratia determinans, ſeu prædeterminativa arbitrii.*

Quantum ergo ad ſecundum, expendendus nobis eſt ſenſus Auguſtini, & quoad locum ejus quem ibi allegat Janſenius, & quoad teſtimonium Diſcipulorum ejus de querelis Semipelagianorum contra eum factis ob hunc definitum numerum: De numeri materialis, inquit Janſenius, ſeu de perſonarum (ſingularium) prædeſtinatione (ante præviſa merita) libri duo poſtremi ad Proſperum & Hilarium exarati pleni ſunt: Nam quod toties dicit (Auguſtinus) Deum præſciviſſe quibus dona ſua daturus eſſet, non aliud probat quam eos ipſos prædeſtinatos (eſſe ante præviſa merita) ſecundum regulam ex qua Auguſtinus concludit prædeſtinatos à Deo eſſe, quos liberat & coronat. Hæc ibi Janſenius: Cui ego reſpondeo duos illos libros non eſſe plenos prædeſtinatione perſonarum ſingularium ad gloriam ſolam, ſed tantum prædeſtinatione ad gratiam, cui tantum per accidens adjungitur aliquando gloria. Quod patet ex eo quod hæretici illi quos ibi impugnabat Auguſtinus, errabant tantum circa initium fidei & perſeverantiam, ad quæ nullam gratiam prærequirebant, Auguſtinus autem contendebat contra eos ad utrumque gratiam prærequiri: Unde nequidem loquitur ibi Auguſtinus de prædeſtinatione ad gloriam ex profeſſo, nec unquam illa quæſtio agitata eſt formaliter inter Auguſtinum & adverſarios, ut fatetur ipſe Janſenius*.

Ibi prædeſt. ſumit Janſenius pro prædeſt. ante præviſa merita: Nam alteram prædeſtinationẽ Angelorum & primorum Parentum, quam vult eſſe poſt præviſa merita, vult potius eſſe præſcientiam quam prædeſtinationem, & illos potius dicit præſcitos quam prædeſtinatos. In illo capite circa initium.

Quomodo ergo poſſent illi duo libri eſſe pleni prædeſtinatione illa, de qua non loquitur niſi per accidens, & ſine formali propoſito: imo vero loquens de illo numero materiali, ſeu de perſonis prædeſtinatis, libro præcedente qui eſt de corrept. & gr. cap. 13. clare innuit illum numerum non eſſe per ſe determinatum quoad perſonas, ſed pendere à meritis, ut oſtendimus in argumento 6. ex Auguſtino; Quomodo ergo duo libri ſequentes pleni eſſent opinione contraria, niſi forte continuo ſibi contradiceret Auguſtinus, quod nefas eſt dicere de tanto Doctore. Sed nequidem id quod adducit Janſenius ex his libris Auguſtini, quos plenos dicit iſta ſua opinione, quicquam favet illi opinioni: Nam quod ait Auguſtinum toties dixiſſe, Deum præſciviſſe quibus dona ſua daturus eſſet, & hoc non aliud probare, quam eos ipſos prædeſtinatos (eſſe ante præviſa merita.) Reſpondeo id non procedere niſi in errore illius, qui putavit præſcientiam ibi ſumi pro præſcientia conſequente & viſionis, & non pro præſcientia antecedente & conditionata. Nam poſito quod illa præſcientia ſit antecedens, ut late probavimus ad tertium argumentum ex Auguſtino, tantum abeſt ut per hoc probetur prædeſtinatio ante præviſa merita, quin potius probatur prædeſtinatio poſt præviſa merita, ſi prædeſtinatio illa ſit ad ſolam gloriam. Unde cum deceptus ſit in ſuo antecedente Janſenius, non eſt mirum quod etiam deceptus ſit in ſua conſequentia. Quod ſi iſtud ipſum eſt quod vocat regulam ſecundum quam Auguſtinus dicit prædeſtinatos (ad ſolam gloriam ante præviſa merita) a Deo eſſe quos liberat & coronat, certe cum hæc regula falſa ſit; falſum etiam ſit neceſſe eſt id quod ab ipſo ſuper eam, regulatum

* *Lib. 9. de gr. Salu. c. 24* §. Reſpondetur, &c.

eſt. Sed ſane longe diverſus eſt ſenſus Auguſtini, cum dicit prædeſtinatos à Deo eſſe quos liberat & coronat, ab illo ſenſu quem prætendit Janſenius: Non enim per hoc vult dicere quod Deus gratis prædeſtinat certos homines ad gloriam, ſeu certum numerum perſonarum deſignatarum: & quod ex vi iſtius prædeſtinationis ante præviſa opera factæ, det eis gratiam & gloriam, ſeu liberet eas & coronet, ut vult Janſenius: Sed vult dicere, quod nullus eſt liberatus, & coronatus, qui non prædeſtinatus ſit ad præcedentem gratiam, ſcilicet ad initium fidei & perſeverantiam uſque in finem: Quod eſt totum quod intendit ibi Auguſtinus: ut patet ex antecedētibus & conſequentibus: Nam præcedentia hæc verba ſunt: Cum hæc & alia multa quæ piget repetere, dixerimus, atque oſtenderimus, & initium fidei, & uſque in finem perſeverantiam: *Dei dona eſſe* (hic eſt ſcopus Auguſtini) nec ulla futura eſſe ſua dona, & quæ danda eſſent, & quibus danda eſſent, Deum non præſcire potuiſſe, & per hoc prædeſtinatos eſſe, (ſcilicet ad illa dona) quos liberat & coronat, (ibi ſolùm apparet prædeſtinatio ad illa dona, & non ad gloriam, & ſunt verba antecedentia: ſequentia autem hæc verba ſunt) reſpondendum putant, prædeſtinationis definitionem utilitati prædicationis adverſam, eo quod hac audita, nemo poſſit correptionis ſtimulis excitari. Hæc dicentes nolunt hominibus prædicari, *dona Dei eſſe* (nota ſcopum & intentum Auguſtini) *ut veniatur ad fidem & permaneatur in fide.* Et infra: Cur ergo, & ipſi nobiſcum prædicant, dona Dei eſſe ſapientiam, & continentiam; quod ſi hæc cum Dei dona eſſe prædicantur, non impeditur hortatio, qua homines hortamur eſſe ſapientes, & continentes; quæ tandem cauſa eſt cur exiſtiment impediri exhortationem, qua exhortamur homines *venire ad fidem, & in ea permanere uſque in finem. Et ſi hæc dona Dei eſſe* dicantur, quod ſcripturis ejus teſtibus comprobatur, &c. In quibus omnibus nihil contendit Auguſtinus, niſi fidem & perſeverantiam finalem eſſe dona Dei, & per hoc prædeſtinata, ſeu eos prædeſtinatos eſſe ad illa dona, quos liberat, & coronat. Unde & ſic concludit totum iſtud caput. Hæc utique dona Dei quæ dantur electis ſecundum Dei propoſitū vocatis, *in quibus doniseſt & incipere credere, & in fide uſque ad vitæ hujus terminum perſeverare, ſicut tanta rationū atque authoritatum conteſtatione probavimus.* Hæc *inquam Dei dona* (nota ſemper intentum Auguſt.) ſi nulla eſt prædeſtinatio quam defendimus, non præſciuntur à Deo; præſciuntur autem: Hæc eſt igitur prædeſtinatio quā defendimus. Id eſt defendimus eam prædeſtinationē quæ eſt ad dona Dei, ſeu ad ea quæ accepimus, à Deo præſciente quid daturus eſſet, & non ab arbitrio humano, ut volebant adverſarii quoad initium fidei & perſeverantiam finalem: Unde clare apparet quod longe eſt ſenſus Auguſtini, à ſupradicto ſenſu Janſenii: Nam non loquitur ibi Auguſtinus de prædeſtinatione ad gloriam, ut vult Janſenius; ſed tantum ad initium fidei & perſeverantiam, quæ ideo vocat dona Dei, quia à Deo prædeſtinata ſunt, & à Deo præſcita, ut à Deo concedenda, & non ab homine,

Donū Dei eſſe, & prædeſtinatum eſſe idem eſt apud Auguſtinum.

mine, in quo tota erat controverſia Auguſtini cum Semipelagianis, & non de prędeſtinatione ad gloriam, ut cauſa horum duorum, prout vellet perſuadere Janſenius. Imo forte ipſum verbum, *coronat*, quod interpretatur Janſenius de gloria, non eſt de ipſa gloria; ſed de perſeverantia finali, quę eo modo coronat pręcedentia opera, quomodo dicitur in communi proverbio, quod finis coronat opus, ita etiam perſeverantia finalis coronat opera pręcedentia: Unde nihil ibi de prędicto numero quoad perſonas definito in ordine ad gloriam, ut volebat Janſenius; ſed tantum in ordine ad gratiam, ſeu ad initium fidei, & ad perſeverantiam finalem, ut ex dictis clarum eſt.

Nec aliud ſane voluerunt dicere Auguſtini Diſcipuli D. Proſper, & Hilarius in ſuisEpiſtolis cum referunt querelasSemipelagianorum de iſto numero definito, quam quod mox retulit Auguſtinus ex eis (nec enim id aliunde quam ex eis, ſcilicet Proſpero & Hilario acceperat) de querelis iſtorum circa prędeſtinationem ad fidem & ad perſeverantiam, non vero ad gloriam. Bene enim conceperat S. Doctor iſtorum errantium querelas in iis litteris per Proſperum & Hilarium ad ſe miſſis: Unde cum non aliter illas querimonias interpretetur, quam ſi per illas negarent prędeſtinationem Dei ad initium fidei, & ad perſeverantiam finalem; ut patet ex his illius verbis, quibus ſupra reſpondet illis querelis. Hæc dicentes nolunt hominibus prædicari *dona Dei eſſe* (id eſt prædeſtinata) *ut veniatur ad fidem, & permaneatur in fide.* In quibus ſolum ſit mentio primæ fidei, & perſeverantiæ, manifeſtum eſt quod ſolùm conquerebantur Semipelagiani, de numero electorum definito, in ordine ad initium fidei, & ad perſeverantiam finalem (quæ nolebant eſſe ex prædeſtinatione, ſeu dono Dei, ſed ex mero ſuo arbitrio) non autem de prædeſtinatione immediata ad gloriam, ut vult Janſenius: Quod etiam patet ex ipſis D. Proſperi verbis; qui poſtquam retuliſſet eorum querimonias, ſic ait: Ita demum enim poſſe unumquemque ad correctionem, & profectum vocari ſi ſe ſciat *ſua* diligentia (id eſt propriâ diligentiâ, & non donatâ à Deo per gratiam) bonum eſſe poſſe, & libertatem ſuam ob hoc (id eſt ob prædictam propriam diligentiam antę gratiam) Dei auxilio juvandam (ubi vides actiones arbitrii poni ab iſtis hæreticis ante adjutorium gratiæ, & per hoc ab eis negari prædeſtinationē ad gratiam, quæ debet præcedere actionem prædeſtinatam) ſi quod Deus mandat elegerit (ſcilicet ex ſe, & non ex gratia) ac ſic, cum in his qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo ſint quæ humanam operantur ſalutem: Dei ſcilicet gratia, & hominis obedientia (nota valde) priorem *volunt obedientiam eſſe quam gratiam* (ecce adhuc actionem arbitrii ſignificatam per obedientiam, quæ præcedit gratiam, & per hoc vides negatam prædeſtinationem ad gratiam, & non ad gloriam, cum tota difficultas, eſſet circa gratiam, & non circa gloriam, & per hoc etiam vides cur nolebant admittere numerum definitum Auguſtini: nempe quia nolebant primum actum fidei ſuæ, ſeu ſalutis dari, ſeu

S ſ

prædeſtinari à Deo præveniente eos per gratiam ; ſed eſſe à ſeipſis , ut etiam clariſſime patet ex ſequentibus) ut initium , inquiunt , ſalutis *ex eo qui ſalvatur, non ex eo credendum ſit qui ſalvat:* (quid clarius?) & voluntas hominis gratiæ divinæ ſibi pariat opem (ecce adhuc voluntas hominis ante gratiam)non gratia ſibi humanam ſubjiciat voluntatem,quibus ſimilia habet Hilarius loco ſupracitato à Janſenio; ubi ait: Cęterum pręſcientiam , & prędeſtinationem , vel propoſitum ad id valere contendunt , ut eos pręſcierit, vel prędeſtinaverit , vel propoſuerit eligere, *qui fuerant credituri* (ecce ſupponunt credituros antequam pręſciantur, prędeſtinentur & eligantur , & per hoc ſe habere fidem ante gratiam; unde & ſequitur) *nec de hac fide poſſe dici ; Quid habes quod non accepiſti ?* Cùm in eadem natura remanſerit , licet vitiata , quæ prius ſana ac perfecta donata ſit. Quod autem dicit ſanctitas tua neminem perſeverare , niſi perſeverandi virtute percepta : hactenus accipiunt : ut quibus datur , inerti licet , *precedenti tamen proprio arbitrio* tribuatur (ecce adhuc actionem arbitrii ante gratiam) Et poſt quædam verba à Janſenio relata, ſcilicet : Si ſic prędeſtinati ſunt , inquiunt , ad utramque partem, ut de aliis ad alios nullus poſſit accedere:quò pertinet extrinſecus tanta correptionis inſtantia. Sic proſequitur eorum querimoniam Hilarius. Nam, ſi non poteſt timere (ſcilicet ex ſeipſo) qui inde terretur , niſi eâ voluntate quæ ſumitur (ſcilicet aliunde, à Deo, à gratia)non ex eo culpandus , quod nunc non vult , ſed in eo, & cum eo(ſcilicet in Adamo) qui ſic aliquando noluit , ut eam damnationem cum ſuis poſteris mereretur incurrere , ut nunquam recta , ſemper autem prava vellet appetere. Si autem eſt qualiſcumque dolor (ſcilicet ab homine , & non à gratia) qui ad exhortationem corripientis oriatur : hanc ipſam dicunt cauſam (ecce quomodo volebant iſtius prædeſtinationis ad primam fidem & perſeverantiam , hominem eſſe cauſam , & non Deum) propter quam , vel rejiciatur alius (à fide à perſeverantia) vel alius aſſumatur: atque ita non opus eſſe partes conſtitui (à Deo ſcilicet prędeſtinante & donante primam fidem & perſeverantiam) quibus nec adjiciendum ſit aliquid, nec detrahendum. Hæc ibi Hilarius. Quo ſane nihil clarius dici, aut excogitari poterat , ad eorum intentum patefaciendum , & ſimul ad confirmandam noſtram interpretationem , ſcilicet quod iſti errantes ſolùm quererentur de numero definito quoad initium fidei , & perſeverantiam finalem , non autem quoad gloriam : quia nempe volebant iſtud initium fidei & perſeverantiam, eſſe à ſeipſis, & non à Deo præveniente , & prędeſtinante eos ad illos actus , ut volebat Auguſtinus. Quapropter non poſſum non vehementer admirari Janſenium , qui auſus eſt dicere quod illi quererentur de illo numero definito quoad gloriam, cum in illis ipſis locis quos citat , tam evidenter appareat contrarium : cum in iis ſolùm mentio fiat de numero definito , ut controverſo quoad initium fidei , & perſeverantiam finalem non ad gloriam , ut ex ſupradictis clarum eſt.

Nota hic quid ſit gratiã ſibi ſubjicere voluntatẽ humanam : nihil eſt aliud, quam ponere actionem gratiæ, ante actionẽ arbitrii : Vnde inferius bene reprẽhendit adverſarios contrariũ ſentientes , idem Proſper per hæc verba: Divinæ voluntati impie voluntas humana præfertur.

Vide locum iſtum : eſt adhuc expreſſiſſimus pro explicãdo errore Semipelagian. quoad initiũ fidei & perſeverantiã , ut ab homine, & non à Deo prædeſtinante, & donante.

Sed & ipſe Janſenius fatetur loco ſæpius citato, quod de prædeſtinatione ad gloriam non fuit Auguſtino cum Pelagio aut aliis controverſia, at ſi Semipelagiani conqueſti fuiſſent de illo numero definito in ordine ad gloriam, clara fuiſſet iſta inter eos controverſia, tum ex iſtis illorum querimoniis, tum ex reſponſione Auguſtini: Sed fatetur Janſenius nullam fuiſſe, ergo non debuit aſſerere quod iſte numerus fuerit definitus in ordine ad gloriam: Quamobrem reliqua omnia quæ ibi proſequitur Janſenius negligenda eſſe duxi, cum ea omnia ex falſa ſua ſuppoſitione procedant: Neque enim unquam Semipelagiani admiſerunt prædeſtinationem ad gloriam ex præſcientia meritorum gratiæ, quemadmodum admittimus; ſed tantum ex præſcientia meritorum arbitrii quoad initium fidei & perſeverantiam finalem: Unde longe differt præſcientia illa quam admittebant ante prædeſtinationem, ab ea quam admittimus cum eorum præſcientia eſſet patrona naturæ, noſtra autem gratiæ. Unde eſt quod illam toties condemnet Auguſtinus ut inimicam gratiæ, noſtram autem è contra, toties approbet ut amicam gratiæ: ut videre eſt in 2. 3. & 4. argum. ex Auguſtino: Et ſic nihil iſta præjudicant prædeſtinationi noſtræ Auguſtinianæ poſt prævisa merita gratiæ. *Lib. 9. de gratia Salv. cap. 24.*

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Objectio ſecunda proponitur.

SECUNDUM argumentum ſumitur ex lib. de correpr. & gr. cap. 7. ubi ait Auguſtinus: Quicumque ergo ab illa originali damnatione, iſta divinæ gratiæ largitate, diſcreti ſunt; non eſt dubium quod & procuratur eis audiendum Euangelium, & cùm audiunt credunt, & in fide quæ per dilectionem operatur uſque in finem perſeverant: & ſi quando exorbitant, correpti emendantur: & quidam eorum etſi ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant, redeunt, & nonnulli accepta gratia in qualibet ætate periculis hujus vitæ, mortis celeritate ſubtrahuntur: Hæc enim omnia operatur in eis qui vaſa miſericordiæ operatus eſt eos. Ubi pleraque habet ſimilia in toto illo capite. quibus indicat Auguſtinus electionem ad gloriam eſſe ante prævisa merita: cum velit Deum ex vi & in virtute illius electionis, dare electis merita, & præſervationes ſingulares, & perſeverantiam ipſam, ut gloriam conſequantur ſibi gratis prædeſtinatam.

PUNCTUM PRIMUM.

Duæ reſponſiones proferuntur, & confirmantur.

RESPONDEO primò ibi non agi de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, cum ibi manifeſte miſceatur gratia: ut patet ex ipſo textu, ſi totus afferatur: Sic enim habet paulo ante verba in objectione allata: Diſcernuntur, inquit Auguſtinus, non meritis ſuis, ſed per *gratiam* mediatoris, hoc eſt in ſanguine ſecundi Adam *juſtificati gratis* (ubi vides gratiam juſtificantem pertinentem intrinſece ad illam diſcretionem, ſeu prædeſtinationem) itaque cum audimus; quis enim te diſcernit? quid autem habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? ab illa perditionis maſſa quæ facta eſt per primum Adam debemus intelligere neminem poſſe diſcerni, niſi quod hoc *donum habet* (ecce donum, ecce gratiam datam & acceptam: & proinde non prædeſtinationem, quæ non accipitur, ſed gratiam in re collatam, ſcilicet gratiam juſtificantem, vel perſeverantiam) quiſquis *habet* quod gratia Salvatoris *accepit*. Hoc autẽ Apoſtolicum teſtimonium tam magnum eſt, ut beatus Cyprian. ad Quirinum ſcribens, ipſum ſubjeceritilli titulo, in quo ait: In nullo eſſe gloriandum quando noſtrum nihil ſit (in quo eſt manifeſtus ſermo de gratia accepta, unde & ſequitur concluſio ex dictis) quicunque ergo ab illa originali damnatione iſta divinæ gratiæ largitate (ſcilicet gratiæ perſeverantiæ de qua ante locutus fuerat) diſcreti ſunt non eſt dubium quod & procuratur eis audiendum Euangelium...... Et nonnulli accepta gratia (ibi evidens eſt gratia actu accepta, quæ non eſt prædeſtinatio ad gloriam, quæ non recipitur in homine) in qualibet ætate periculis hujus vitæ mortis celeritate ſubtrahuntur: Per quæ manifeſtatur quod illa gratia eſt gratia perſeverantiæ, de qua etiam toto præcedenti capite locutus eſt: Et ſane non poterat ibi non loqui de gratia cum principale quod tractabat, imo vero totale eſſet gratia, ut ſcilicet cum correptione concordanda, qui & titulus libri eſt. Eſt enim de correptione & gratia. Unde cum miſceatur ibi gratia, id non amplius reſpicit illam prædeſtinationem de qua agimus, quæ ſolam reſpicit gloriam, & præſcindit à gratia, ſeu à prædeſtinatione ad gratiam.

Reſpondeo ſecundò quod etſi hìc Auguſtinus loqueretur de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, non tamen concluderetur ex hoc loco, quod tenet prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante præviſa merita, ſed potius quod eſt poſt præviſa merita: Et ratio eſt, quia quotieſcumque loquitur, ſive in hoc capite, ſive in ſequenti de prædeſtinatione, ſemper præmittit, ei præſcientiam: ergo, ſi ibi loquitur de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, ſuppponit illam eſſe poſt præviſa merita, cum iſta prædeſtinatio nullam aliam præſcientiam præſupponat: Conſequentia clara eſt: probatur antecedens. Nam ter in hoc capite, & ter in ſequenti

accuratum iſtum ſervat ordinem, ut ſemper prædeſtinationi præmittat præſcientiam. Nam in hoc capite ſic ait: De talibus (ſcilicet prædeſtinatis) dicit Apoſtolus: Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt, quoniam quos *ante præſcivit & prædeſtinavit*. Et infra idem omnino repetit, quoniam quos ante *præſcivit & prædeſtinavit*. Et adhuc infra: Illi ergo electi, ut ſæpe dictum eſt, qui ſecundum propoſitum vocati, qui etiam *prædeſtinati, atque præſciti*. Totidem in ſequenti capite habet modos illos loquendi de eadem præſcientia & prædeſtinatione. Illa, inquit, omnia facta ſunt *præſcivit, prædeſtinavit*, vocavit, juſtificavit. Et infra: Quoniam, inquit, & omnes jam *præſciti, ac prædeſtinati ſunt*. Et adhuc infra: Quicunque ergo in Dei providentiſſima diſpoſitione *præſciti, prædeſtinati* vocati, juſtificati, glorificati. Quod ſane non poteſt ſe habere per accidens cum tam frequens ſit, & in tam accurato ordine collocatum: ibi enim vides regulariter præſcientiam ante prædeſtinationem: Hanc, ante vocationem: hanc, ante juſtificationem: & hanc, denique ante glorificationem: qui accuratiſſimus ordo rerum iſtarum eſt.

Hi tales ſunt ii de quibus ſermo eſt in objectione, ut ibi videre eſt.

Præterea in illo capite ſumit Auguſtinus ab illa præſcientia, prædeſtinationis illius certitudinem & infallibilitatem: Ergo præſupponit illam ad iſtam prædeſtinationem. Nam ſi poſterior eſſet prædeſtinatione, eſſet ei omnino extrinſeca, & ſic non poſſet ei conferre certitudinem: Probatur autem antecedens, ſcilicet quod ſumit Auguſtinus ab illa præſcientia prædeſtinationis illius; ſic enim ait capite illo 7. Horum ſi quiſquam perit, fallitur Deus: ſed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Quod eſt dicere, quod ideo non fallitur Deus circa illorum prædeſtinatorum ſalutem, quia habet illius præſcientiam: Infallibilitas enim omnis quæ (ſicut eſt iſta) non infert neceſſitatem, neceſſario petitur à ſcientia, ſeu cognitione antecedente, quæ eſt ipſa præſcientia. Unde cum ibi dicat quod in his non fallitur Deus, vult dicere quod ideo non fallitur, quia iſtorum habuit præſcientiam, antequam gloria decerneretur.

Præterea eodem modo ibi loquitur de electione iſtorum prædeſtinatorum ad regnum, quomodo loquitur de electione Judæ ad effundendum Chriſti ſanguinem: Sic enim ait: Illos ergo elegit ad obtinendum regnum ſuum, illum ad effundendum ſanguinem ſuum: At certum eſt quod ante electionem Judæ ad iſtud malum perpetrandum, prævisa fuit ejus malitia, cum Deus intentator malorum ſit: Ergo ante electionem prædeſtinatorum ad gloriam prævisa fuerunt illorum merita ſecundum Auguſtinum hîc, ſi agatur de prædeſtinatione ad ſolam gloriam.

Dices paulo ante, poſuit Auguſtinus aliquam differentiam inter electionem iſtorum prædeſtinatorum & Judæ: ergo non vult eſſe ſimiles.

Reſpondeo illam diſſimilitudinem, ſeu differentiam in eo ſolo poſuiſſe, quod Deus concurreret active, ſeu ut ita dicam excitative cum electis, & tantum permiſſive, & quaſi paſſive cum Juda ad illius pec-

catum, ſic enim ait: Electi ſunt autem ad regnandum cum Chriſto, *non quomodo* electus eſt Judas ad opus cui congruebat, ab illo enim electus eſt qui *novit*, benę uti etiam malis (ubi vides quaſi paſſivum, ſeu permiſſivum ejus concurſum ad malum opus Judæ, ob bonum finem: ſcilicet) ut per ejus opus damnabile, illud propter quod ipſe venerat, opus venerabile compleretur. Unde tota differentia quam ponit Auguſt. inter utramque electionem, ea eſt quod ad electionem prędeſtinatorũ concurrebat excitando & approbando eorum opera, ad electionem autem Judæ permittendo & improbando illius malitiam, & convertendo illam in bonum: Exquo infero quod cum hanc ſolam differentiam adferat Auguſt. inter utramque electionem, vult in reliquis illas eſſe ſimiles juxta illud, exceptio firmat regulam in contrarium: Et per hoc, quod ſimiles ſunt in pręviſione operum, propter quę utraque electio facta eſt.

PUNCTUM II.

Secunda reſponſio amplius confirmatur.

PRÆTEREA idem probatur ex eo quod vult Auguſtinus illos prędeſtinatos de quibus agit, æque eſſe diſcretos per prę ſcientiam, ac per prędeſtinationem: Sic enim in fine hujus capitis loquens de non perſeveraturis, ait: Non enim ſunt à maſſa illa perditionis *præſcientia Dei* & prędeſtinatione diſcreti: per quod manifeſte vult prę ſcientiam illam eſſe intrinſecam prædeſtinationi illi de qua loquitur, & ratione antecedere illam: Nam ſi non ſupponeret quod prę ſcientia illa, ratione antecedit prædeſtinationem illam, ſed quod ipſa poſterior eſſet, non recte diceret prędeſtinatos illos eſſe per illam diſcretos, cum nemo diſcerni poſſit, per id quod poſterius eſt ipſa diſcretione, ſeu ipſa ratione per quam diſcernitur, quæ ibi eſt ipſa prędeſtinatio.

Denique probatur ex eo quod capite ſequenti, ſcilicet 8. fatetur Auguſtinus ſe neſcire cauſam, cur hic perſeveret ille non perſeveret: Nam ſi teneret prędeſtinationem ad gloriam eſſe ante prę ſcientiam meritorum, & per hoc illam prędeſtinationem eſſe cauſam perſeverantię, & omnium mediorum infallibiliter conducentium ad conſecutionem glorię, juxta id quod tenent omnes ſequentes iſtam opinionem. Non recte & veraciter diceret ſe neſcire cur hic perſeveret, & non ille: Sed potius deberet dicere quod optime id ſciret, ſcilicet quod hic perſeverat, quia eſt prędeſtinatus ad gloriam, cum prædeſtinatio illa ſit cauſa perſeverantię: Ille autem non perſeverat quia non habet iſtam cauſam unicam & neceſſariam perſeverantię, quę eſt prędeſtinatio ad gloriam: Sed id non dicit Auguſtinus, ſed è contra clare & exerte fatetur ſe illam cauſam ignorare: Ergo manifeſtum eſt, quod non cenſuit ibi prędeſtinationem ad gloriam eſſe ante pręviſa merita, ſed potius poſt pręviſa merita, è qua ſola ſequitur illa excuſabilis ignorantia, quam toties

proteſtatur Auguſtinus. Si ergo loquitur Auguſtinus de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, manifeſtum eſt quod eam tenet eſſe factam poſt præviſa merita, & non ante præviſa merita, ut ex dictis clarum eſt. Quod confirmatur ex eo quod nihil eſt in textu nobis objecto, quod ſit contrarium huic ſenſui quandoquidem ibi ſolum deſcribitur executio prædeſtinationis ſecundum ſe; ſed non dicitur ibi qualis ſit illa prædeſtinatio; an ante, an poſt præviſa merita: Nam utraque illa prædeſtinatio ad gloriam, ſive ante, ſive poſt præviſa merita, habet ſuam executionem, & ea omnia quæ ibi afferuntur ad illam executionem, æque bene conveniunt executioni prædeſtinationis poſt præviſa merita, ac prædeſtinationis ante præviſa merita: Nam qui tenent, prædeſtinationem poſt præviſa merita recte poſſunt dicere: quod quicunque ab illa originali damnatione iſta divinæ gratiæ largitate diſcreti ſunt: Non eſt dubium quod eis procuratur audiendum Euangelium & cum audiunt credunt, & in fide quæ per dilectionem operatur uſque in finem perſeverant, & ſi quando exorbitant correpti emendantur, & quidam eorum etſi ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant redeunt, & nonnulli accepta gratia, in qualibet ætate periculis hujus vitæ ſubſtrahuntur. Hæc enim omnia tam bene ſequuntur ex infallibilitate prædeſtinationis factæ poſt præviſa merita, quam ex cauſalitate prædeſtinationis factæ ante præviſa merita: Bene enim hæc inferuntur ex eo quod Deus prævidit eos fore ſalvandos, cum ſine illis omnibus ſalvari non poſſint. Nec ſane video, ſive in textu, ſive in illius circumſtantiis, ullam veram cauſalem, quæ indicet illam executionem potius pertinere ad prædeſtinationem gloriæ ante præviſa merita quam ad ejuſdem prædeſtinationem gloriæ poſt præviſa merita: Nam id quod in fine textus dicitur. Hæc enim omnia cooperatur in eis qui vaſa miſericordiæ operatus eſt eos: non eſt cauſale iſtius executionis, ſed ſolùm indicativum & demonſtrativum illius, qui hæc omnia operatus eſt: quandoquidem ibi quæſtio erat de origine boni actus & perſeverantiæ; an eſſent ex Deo, ut volebat Auguſtinus; an vero ex homine, ut volebant Pelagiani. Unde ibi dicit Auguſtinus quod hæc omnia operatus eſt Deus non vero dicit qua intentione, quia non erat ad propoſitum. Et tamen neceſſarium erat ut hinc aliqualiter inferri poſſet prædeſtinatonem ad gloriam eſſe cauſam, vel non cauſam meritorum & gratiæ. Quod autem dicitur vaſa miſericordiæ operatum eſſe eos, non eſt excluſivum juſtitiæ, cum non dicat ibi *mera* miſericordiæ. Nam ut ait Fulgentius, poterat ſecundum Apoſtolum æque dicere vaſa juſtitiæ operatum illos eſſe, ad id autem quod poſtea dicitur; ſed quoniam ſecundum propoſitum vocati ſunt, profecto electi ſunt; ut dictum eſt, per electionem gratiæ. Dico, illam particulam (*quoniam*) non habere ibi vim cauſalis, ſed tantum ſigni & indicii, & non inferre cauſaliter, ſeu in genere cauſæ; ſed tantum indicialiter, ſeu in genere ſigni: ita quod ſenſus ſit: Sed quoniam ſecundum propoſitum vocati ſunt; ideo ſignum eſt, quod elect

Nota, quod ibi non dicitur cur id eis procuretur à Deo: potuit enim procurari ob aliā cauſam quā ob prædeſtinationē. Vt v.g. fides ſecundum Auguſtinum ſer. 1. de S. Stephano, procurata eſt Paulo ob orationes Stephani & communiter cenſetur, quod fides & converſio ipſius Auguſtini procurata ei fuit ob orationes S. Monicæ.

ſunt ad gloriam (ſi electio iſta ſit ad gloriam) neque enim vocatio eſt cauſa electionis, ſed tantum ſignum & indicium illius: unde non poteſt inferre electionem in genere cauſæ, ſed tantum in genere ſigni. Unde eadem illa propoſitio æque bene poteſt fieri in noſtra ſententia, quæ nullomodo cenſet prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam mediorum infallibiliter conducentium ad gloriam: & ſenſus erit, quod ex eo quod vocati ſunt vocatione cui conſenſerunt, & ab ea non receſſerunt: (quod vocat hîc Auguſtinus vocari ſecundum propoſitum, ut clarum eſt in capite 9 ejuſdem libri) ſignum eſt, quod prædeſtinati ſunt ad gloriam: Quia nempe eos ſolos qui ita vocantur, & perſeverant, Deus prædeſtinat ad gloriam: imo vero videtur Auguſtinus per hæc verba ſolùm rejicere merita arbitrii, & non merita prævisa gratiæ, ut patet ex ſequentibus verbis: Profectò electi ſunt per electionem, ut dictum eſt gratię (id eſt ob merita gratiæ) non præcedentium meritorum *ſuorum*. Quæ verba ſolet uſurpare Auguſtinus ſolùm cum rejicit merita Pelagiana, quæ ſunt meri arbitrii, & non ad rejicienda merita gratiæ, quæ etiam videtur aſtruere per hæc ſequentia illius verba: Quia, inquit, gratia illis eſt omne meritum, id eſt nullum aliud habent meritum, quam meritum gratiæ, ſeu à gratia profectum: ibi enim potuit vocare hoc meritum, gratiam: eo modo quo infra cap. 13. vocat gloriam, gratiam: ob hoc quod iis meritis redditur, quæ gratia contulit homini: quod confirmatur etiam ex ſequentibus: ubi videtur admittere præſcientiam illorum meritorum ante prædeſtinationem. De talibus (inquit) dicit Apoſtolus, Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt: quoniam quos *ante* præſcivit & prædeſtinavit. Ibi præſcivit non poteſt referri (ſi ſermo ibi ſit de prædeſtinatione ad gloriam ſolam) niſi ad merita gratiæ quæ præſcivit Deus antequam prædeſtinaret gloriam. Ubi & notanda eſt illa particula (*ante*) quam textui adjecit Auguſtinus. Ad majorem evidentiam præceſſionis iſtius præſcientiæ ante prædeſtinationem gloriæ. Neque enim illa eſt in Græco, neque in Latino. Sed ſignanter illam adjecit (quanquam nihil addat ſententiæ Apoſtoli) ut magis ac magis notaretur illa præceſſio præſcientiæ ante prædeſtinationem: Neque dici poteſt quod illa pertinet ad prædeſtinationem æque ac ad præſcientiam ſecundum Auguſtinum: Nam poſtea repetens illud verbum, præſcivit, repetit ſimul & illam particulam, dicens: Quos ante præſcivit & prædeſtinavit. At repetens poſtea verbum, prædeſtinavit, non repetit cum illo eandem particulam: Non enim dicit, quos ante prædeſtinavit; ſed, quos autem prædeſtinavit: ut ſcilicet, magis notaretur illa præceſſio præſcientiæ ante prædeſtinationem: Quod ideo fecit ſanctus Doctor, ut oſtenderet iſtis Pelagianiſantibus contra quos ſcribebat, ſe non inducere fatum aut fatalem neceſſitatem per ſuam prædeſtinationem, ut ipſi imponebant, cum admitteret ad illam, præſcientiam præviam; ſeu ante prędeſtinationem.

Unde

Unde ſic arguo: vel præſcientia illa quam ibi admittit Auguſtinus, reſpicit prędeſtinationem ad gratiam, vel prædeſtinationem ad gloriam: Si primum: ergo non loquitur hîc de prædeſtinatione ad gloriam ſolùm; ſed de prædeſtinatione ad gratiam ſimul & gloriam, & ſic locus nobis objectus, nihil ad nos, cum loquamur ſolùm de prædeſtinatione ad gloriam nude & ſolitarie ſumptam, & non cum gratia conjunctam. Si ſecundum: id eſt ſi reſpicit prædeſtinationem ſolam, tunc manifeſtum eſt quod D. Auguſtinus præſupponit ad illam merita gratiæ prævisa, cum illa pręſcientia quam præmittit, non aliter concurrat ad iſtam prædeſtinationem, quam exhibendo Deo merita gratię futura, propter quæ ipſe prædeſtinat gloriam. Et ſic potius ibi admittit prædeſtinationem ad gloriam poſt prævisa merita, quam è contra. Cui rationi ſi addideris & hanc ſuprafactam, de eo quod dicit Auguſtinus capite ſequenti: *Se neſcire cauſam cur hic perſeveret, & ille non perſeveret*: Omnino videbis eum non potuiſſe dicere in loco nobis objecto, quod prędeſtinatio ad gloriam eſſet ante pręviſa merita, ſeu quod illa eſſet cauſa perſeverantiæ, & aliorum mediorum infallibiliter conducentium ad conſecutionem glorię: cum admittendo in illo loco, prædeſtinationem illam eſſe cauſam perſeverantię in iis qui perſeverant: Non potuiſſet poſtea niſi mentiendo dicere quod cauſam illam ignoraret, ſeu quod idem eſt, quod neſciret cur ille perſeveraret ille vero non perſeveraret, cum tam clare & perſpicue antea cauſam illam prædixiſſet, ſcilicet prædeſtinationem ad gloriam quam ſtatuiſſet eſſe cauſam perſeverantiæ.

Quapropter nemini dubium eſſe poteſt quin ſi ſanctus Doctor ibi loquatur de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, ipſe concludat illam eſſe poſt prævisa merita, cum ibi tam clare admittat pręſcientiam ante prędeſtinationem, quæ præſcientia non poteſt eſſe ibi niſi pręſcientia meritorum: Et fateatur ſe neſcire cauſam perſeverantię, quod non bene congruit his qui tenent prędeſtinationem ad gloriam eſſe ante pręviſa merita, cum hi omnes ſtatuant cauſam illam eſſe prędeſtinationem abſolutam ad gloriam, & ſic non poſſunt illam ignorare: At illam ignoravit Auguſtinus, ut ipſe fatetur ubi ſupra; ergo non tenuit, nec aſſerüit ibi prędeſtinationem ad gloriam eſſe ante pręviſa merita, ſed poſt pręviſa merita.

PUNCTUM III.

Tertia reſponſio profertur, & confirmatur.

VERUM reſpondeo tertiò, & ut opinor, omnino ad mentem Divi Auguſtini: quod ibi non eſt ſermo de prædeſtinatione ad gloriam; ſed tantum de prædeſtinatione ad donum perſeverantiæ, cujus executio ibi deſcribitur, & explicatur quomodo illud fiat à Deo in homine ſine præjudicio correptionis faciendæ, quod eſt totum Auguſtini intentum.

Nam ibi reſpondebat huic objectioni adverſariorum ſcilicet. Poſſum omnino quando me arguis quod ex bona vita in malam, meâ voluntate relapſus ſum, dicere ad huc: Quid ego feci qui non accepi? accepi enim fidem, quæ per dilectionem operatur: Sed in illa uſque in finem perſeverantiam non accepi: An quiſquam dicere audebit iſtam perſeverantiam non eſſe Dei donum? Contra quam objectionem proponit quaſi hanc theſim quam deinde latè proſequitur, ſcilicet: Quod quidem illa perſeverantia eſſet à Deo, ſed tamen id non debebat impedire correptionem quia nempe illa gratia non erat neceſſitans; ſed tantum infallibilis ex Dei præſcientia: Ecce totum quod habet in 6. 7. 8. & 9. capitibus. Sic ergo proponit ſuam theſim in capite 6. Nos (ait) negare quidem non poſſumus etiam perſeverantiam in bono proficientem uſque in finem magnum eſſe *Dei munus, nec eſſe niſi ab illo* de quo ſcriptum eſt: Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendens à Patre luminum: *Sed ideo non eſt ejus qui non perſeveraverit, negligenda correptio*, ne forte det illi Deus pœnitentiam, & reſipiſcat de diaboli laqueis (quia nempe, ut ipſe dixit c. 5. per illam correptionem poteſt homo excitari ad orandum & ad obtinendam à Deo illam perſeverantiam:) Nam ſi (inquit) dixerimus iſtam *perſeverantiam*, tam laudabilem tamque fœlicem ſic eſſe hominis, ut ei non ſit ex Deo (quod impugnabat in iſtis Pelagianis, illud primitus evacuamus quod ait Dominus Petro [Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua] Quid enim ei rogavit, niſi *perſeverantiam* uſque in finem? Quod deinde probat multis Scripturæ locis & uno teſtimonio Cypriani: & tandem concludendo mox dicta; ſic incipit caput 7. Quæ cum ita ſint, corripimus tamen eos, juſteque corripimus, qui cum bene viverent, non in eo *perſeveraverunt*: Ex bona quippe in malam, ſua voluntate mutati ſunt (id eſt culpa propria mutati ſunt, quia perſeveraſſent ſi voluiſſent, ut infra exerte declarat Auguſtinus, cum haberent ad id gratiam ſufficientem) & ideo (inquit) corripiuntur, etſi nihil eis correptio profuerit, ſed in vita perdita uſque ad mortem *perſeveraverint*, etiam divina in æternum damnatione ſunt digni. Et paulo infra reddens horum rationem, ait: Quoniam poteſt dici; *Homo in eo quod audieras & tenueras perſeverares ſi velles*. (ubi vides gratiam ſufficientem datam hominibus lapſis ad perſeverandum) ac per hoc, & qui Euangelium non audierunt, & qui eo audito in melius commutati *perſeverantiam* non acceperunt....... Non ſunt ab illa conſperſione diſcreti, quam conſtat eſſe damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem: (id eſt non ſunt diſcreti per donum efficax perſeverantiæ, ſeu non ſunt prædeſtinati ad perſeverantiam efficacem: Nam quantum ad ſufficientem conſtat ex dictis quod illam acceperunt, hucuſque ſemper locutus eſt de perſeverantia ut per ſe clarum eſt jam redit ad probandum illam gratiam eſſe à Deo, & non ab homine, quod erat principale intentum illius contra iſtos Pelagianiſantes qui gratiam negabant, & volebant bonum opus eſſe ex homine, & non ex Deo.) Diſcernuntur

Objectio quam ſolvit eſt de dono perſeverantia, ergo reſponſio eſt de dono perſeverantia & non de alio.

autem, inquit, non meritis ſuis (id eſt arbitrii meritis, ſtylo Auguſtini & Diſcipulorum ejus) ſed per *gratiam mediatoris*, hoc eſt in ſanguine ſecundi Adam *juſtificati gratis.* Itaque cum audimus: Quis enim te diſcernit? quid autem habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis. Ab illa perditionis maſſa quæ facta eſt per primum Adam debemus intelligere neminem poſſe diſcerni, niſi quod hoc donum (perſeverantiæ) habet, quiſquis habet, quod gratia Salvatoris accepit. (Ubi vides ſolùm probari, donum perſeverantiæ eſſe ex Deo, & non ex homine: ut volebant iſti Pelagiani.) Et poſt pauca ſequitur textus in objectione allatus, per modum illationis ex mox dictis. Quicumque ergo ab illa originali damnatione, iſta divinæ gratiæ (ſcilicet doni perſeverantiæ) largitate diſcreti ſunt. Non eſt dubium quod & procuratur eis audiendum Euãgelium (hîc manifeſta eſt executio doni perſeverantiæ; nam licet prima fides non ſit de perſeverantia, eſt tamen fundamentum ejus, unde ab ea incipiendum eſt.) & cum audiunt, credunt; & in fide quæ per dilectionem operatur uſque in finem perſeverant: Etſi quando exhorbitant, correpti emendantur; & quidam eorum etſi ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant redeunt, & nonnulli acceptâ gratiâ in qualibet ætate periculis hujus vitæ ſubtrahuntur: (in his omnibus manifeſta eſt deſcriptio diverſorum modorum quo fit perſeverantia in electis: Unde & concludit) Hæc enim omnia operatur in eis qui vaſa miſericordiæ operatus eſt eos (id eſt, hæc omnia operatur in eis Deus qui prædeſtinavit eos ad perſeverantiam actualem. Unde ibi ſolùm deſcribitur executio iſtius prædeſtinationis, & non alterius cum totus directe ſit ſermo de perſeverantia ſive in antecedentibus, ſive in ipſo textu, & non de alia quacumque re. Unde & proſequitur oſtendere ſecundum intentum ſuum, illam eſſe à Deo) Qui & elegit eos, inquit, in filio ſuo ante conſtitutionem mundi per electionem gratiæ: Si autem gratia jam non ex operibus, (ut volebant iſti Pelagiani) alioquin gratia jam non eſt gratia: Et paulo infra: profecto electi ſunt per electionem, ut dictum eſt) *gratia, non precedentium meritorum ſuorum*, quia gratia illis eſt omne meritum: Et ſic vides totum quod ibi eſt, eſſe de prædeſtinatione ad perſeverantiam ut mere gratuita, & non ut meritis arbitrii debita, ſeu ut à Deo, & non ab homine. Nam licet infra loquatur de gloria; non tamen loquitur de ea, ut de objecto iſtius prædeſtinationis, etiam inadæquato, ſeu partiali; ſed tantum loquitur de ea occaſionaliter & ratione arctiſſimæ conjunctionis quam habet cum perſeverantia, de qua loquebatur: Nemo enim electus eſt ad perſeverantiam, qui non conſequenter eligatur ad gloriam. Sed tamen non ſunt confundendæ iſtæ prædeſtinationes, ſeu electiones quæ valde differunt: Certum enim de fide eſt, prædeſtinationem ad perſeverantiam eſſe mere gratuitam, & omnium meritorum juſtitiæ, ſeu condigni excluſivam; at vero de prædeſtinatione ad gloriam non item, ſed utraque opinio toleratur ab Eccleſiâ: patet ergo ex dictis quod

Hic loquitur ſolùm de diſcretione illa ſingulari à maſſa perditionis quæ fit per donum perſeverantiæ: Nam etiam aliam agnoſcit quæ fit per ſolam gratiam juſtificantem libro de dono perſeverantiæ c. 9. quã ſupra notavimus in ultima objectione è Scripturis: Ubi de diverſis prædeſtinatis & prædeſtinationibus ex Auguſt.

non loquitur ibi Auguſtinus de prædeſtinatione ad gloriam, ſed de prædeſtinatione ad perſeverantiam: Unde repetens ſub finem capitis per alia verba eamdem executionis doni perſeverantiæ deſcriptionem, de qua ſupra: Nullam ibi facit mentionem de gloriâ, quia nempe ibi accurate loquitur de principali ſuo propoſito. Horum, inquit, fides quæ per dilectionem operatur profectò, aut omnino non deficit, aut ſi qui ſunt quorum deficit, reparatur antequam vita iſta finiatur, & deleta, quæ intercurrerat iniquitate, uſque in finem perſeverantia deputatur (hic ſiſtit & non loquitur de eorum glorificatione ut nec in illo textu qui eſt in objectione) qui vero perſeveraturi non ſunt, ac ſic à fide Chriſtiana, & converſatione lapſuri ſunt, ut tales eos vitæ hujus finis inveniat, proculdubio nec illo tempore quo bene pieque vivunt in iſto numero (ſcilicet prædeſtinatorum ad perſeverantiam) computandi ſunt. Non enim ſunt à maſſa illa perditionis, præſcientia Dei & prædeſtinatione (illa ſingulari ad perſeverantiam) diſcreti. Et ſic totum ibi de perſeverantia, nihil autem de gloria; quod & late proſequitur capitibus ſequentibus; unde & 8. ſic incipit: Hîc ſi à me quæratur, cur eis Deus *perſeverantiam* non dederit, quibus eam qua Chriſtiane viverent dilectionem dedit, me ignorare reſpondeo. Et 9. ſic: Nec nos moveat quod filiis ſuis quibuſdam Deus non dat iſtam *perſeverantiam*. Et 10. ſic: Quæritur enim à nobis quantum attinet ad *hoc* donum Dei, *quod eſt* in bono perſeverare uſque in finem, quid de primo homine ſentiamus. Et ſic clare loquitur in his omnibus capitibus de prædeſtinatione ad perſeverantiam. Unde & manifeſtum eſt quod in textu nobis objecto nihil habet niſi meram deſcriptionem executionis doni illius perſeverantiæ, ſeu prædeſtinationis ad perſeverantiam actualem, & nihil aliud: Unde nihil ibi contra nos, cum nequidem agat de prædeſtinatione ad gloriam.

PARAGRAPHUS TERTIUS.

Objectio tertia proponitur.

TERTIUM argumentum ſumitur ex eodem libro cap. 14. ubi Auguſtinus videtur aſſerere Deum per ſolam efficaciam ſuæ potentiæ nos ſalvare, & ſic gratis, & ſine prævisis meritis prædeſtinare: ſic enim ait: Deo volenti ſalvum facere, nullum hominis reſiſtit arbitrium: ſic enim velle & nolle in volentis aut nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. Et infra non eſt itaque dubitandum, voluntati Dei humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quo minus faciat ipſe quod vult.

PUNCTUM PRIMUM.

Duæ priores reſponſiones proferuntur, & explicantur.

RESPONDEO primò hîc non agi de voluntate Dei prædeſtinante, ſed de alia voluntate Dei efficaci, abſtrahendo à prædeſtinatione. Et ratio eſt, quia voluntas Dei prædeſtinans ſemper habet effectum ſalutis in homine; at vero voluntas de qua hîc, non habet ſemper effectum ſalutis in homine, ſed aliquando effectum punitionis, & æternæ damnationis ex præſuppoſita ſcilicet reſiſtentia hominis: Ergo illa voluntas de qua hîc, non eſt voluntas prædeſtinans, ſed aliqua alia abſtrahens à voluntate prædeſtinante. Quod autem illa voluntas de qua hîc, talis ſit quæ habeat aliquando effectum punitionis, & æternæ damnationis in homine, non vero ſemper ſalutis; patet ex ipſius Auguſtini verbis ibidem expreſſis: Nam poſtquam dixiſſet verba in objectione poſita, ſcilicet, volenti Deo ſalvum facere nullum hominis reſiſtit arbitrium: ſic enim velle & nolle in volentis aut nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem, ſtatim ſubjicit: De his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipſe quæ vult. Id eſt quantum ad illos qui reſiſtunt ejus voluntati invitanti eos ad morum ſuorum correctionem, de qua ibi loquitur, illos ſubjicit ſuæ voluntati punienti & damnanti eos in ignem æternum; unde ſic facit de iis quod vult. Quod aliis verbis explicat D. Thomas 1. p. q. 19. A. 9. in corp. Impoſſibile eſt, inquit, quod divina voluntas ſuum effectum non conſequatur, unde quod recedere videtur à divina voluntate ſecundum unum ordinem, relabitur in ipſam ſecundum alium: Sicut peccator qui quantum eſt in ſe, recedit a divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis dum per ejus juſtitiam punitur. Sic ergo Auguſtinus vult dicere quod volenti Deo ſalvum facere nullum ei reſiſtit arbitrium: Quia nempe ſi non exequitur ſuam voluntatem ſalvando eumquem invitat ad ſalutem, exequitur illam puniendo eum qui non vult ſalvus fieri. Quod etiam confirmatur ex paulo antecedentibus verbis in eodem capite expreſſis, ubi ait Auguſtinus: Patiantur ergo homines ſe corripi quando peccant, nec de ipſa correptione contra gratiam argumententur, nec de gratia contra correptionem: quia & peccatis juſta pœna debetur, & ad ipſam (ſcilicet juſtam pœnam) pertinet juſta correptio, quæ medicinaliter adhibetur etiamſi ſalus ægrotantis incerta eſt; ut ſi is qui corripitur ad prædeſtinatorum numerum pertinet, ſit ei correptio ſalubre medicamentum; ſi autem non pertinet, *ſit correptio pœnale tormentum*, id eſt ſit juſta cauſa puniendi & damnandi eum in æternum. Unde manifeſtum eſt quod Auguſtinus non loquitur ibi de voluntate prædeſtinante, ſed de alia voluntate Dei ſuo modo efficaci, quam ſupra ex D. Thoma explicuimus; quæ aliquando habet effectum damnationis

Nota, quid ſit ſecundum D. Auguſt. & D. Thom. Deum facere quicquid vult circa homines.

æternæ in homine, quod nullo modo poteſt convenire voluntati Dei prædeſtinanti.

Hæc verba Auguſt. ſunt de poſſibili, abſtrahendo ab actu, ſeu ab eo quod fit actu.

Hic modus loquendi eſt abſtractivus, & per cōſequens nō de facto, ſed de poſſibili.

Aliud eſt dicere, quod quãdo vult, vel cũ vult Deus ſalvũ facere, nullũ ei reſiſtit arbitrium. Et aliud dicere, quod de facto Deus ita velit ſalvum facere, ut nullum reſiſtat ei arbitriũ. Primum aſſerit Auguſtinus, non ſecundũ quod eſt adverſariorũ.

Et propoſitio Auguſtini eſt conditionata, adverſariorũ autem eſt abſoluta: Suſpenditur enim propoſitio Auguſt. per hãc conditionem. Quando vult; non tamen dicit, quod ita velit.

Reſpondeo ſecundò, verba in illo textu nobis objecta non eſſe de voluntate Dei ut ſe habet de facto ad ſalutem hominum, quod eſt id ſolùm quod inquirimus; ſed eſſe de poſſibili, ſeu de modo efficaci, quo Deus poteſt, quando vult, perducere homines ad ſalutem. Quod probatur ex his verbis in objectione poſitis: Volenti Deo ſalvum facere nullum hominis reſiſtit arbitrium. Quæ verba ſunt indefinita, & ad omnes temporum differentias indifferentia, proindeque univerſalia, & non reſtricta ad aliquod tempus particulare, ſed ſunt ad omne tempus indifferentia, proindeque de poſſibili, & non de eo quod fit, aut factum eſt: Et ratio eſt, quia hæc verba præ ſe ferunt hunc ſenſum: ſcilicet, Quod quando Deus vult ſalvum facere, nullum unquam reſiſtit arbitrium, quod aperte eſt indefinitum, proindeque univerſale, & ad omnes temporum differentias extenſibile: Quod patet à ſimili: Nam ſi quis diceret, volenti Deo aliquid facere nulla creatura ei impedimento eſt, ſeu ei facit obſtaculum: Quis non videat hanc propoſitionem eſſe indefinitam, proindeque univerſalem, & ad omnes temporum differentias extenſibilem: cum ſenſus illius ſit quod quando Deus vult aliquid facere nulla creatura ei impedimento eſt, nec eſſe poteſt, quod aperte eſt univerſale, & ad omnes temporum differentias extenſibile. Unde quando Auguſtinus dicit quod volenti Deo ſalvum facere nullum ei reſiſtit arbitrium, non vult dicere, quod ita ſe res habeat de facto, ſeu de præſenti, ut diſponat actu pro libito de voluntatibus hominum, ita ut perducat eas ad ſalutem nullo habito reſpectu ad voluntatum eorum diſpoſitionem, ſeu determinationem præviſam; ſed vult dicere quod poteſt de iis facere quicquid vult, & inclinare eas quocumque vult, licet forte id non faciat. Saltem verba Auguſtini id non determinant: Imo vero quod valde notandum eſt, innuunt contrarium: cum dicat Auguſtinus in illo eodem loco; De *his enim qui faciunt quæ non vult*, facit ipſe quæ vult: oſtendens per hoc, quod non ſemper faciunt homines circa eorum ſalutem quod ipſe vult, cum faciant quod ipſe non vult: Quia nempe non vult uti illa poteſtate quam Auguſtinus aſſerit eſſe in ipſo, quâ poteſt facere, ut nihil faciamus, niſi quod ipſe vult: Et ſane ipſa verba Auguſtini ſatis innuunt ipſum loqui de poſſibili, & de eo quod Deus poteſt facere: non de eo quod fit, aut factum eſt, cum conſequenter ait: Sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat nec ſuperet *poteſtatem*. Ubi vides Auguſtinum loqui non de actu, ſed de poteſtate Dei, quam poteſtas hominis volentis, aut nolentis, ſuperare non poteſt: Et infra, non eſt itaque dubitandum voluntati Dei humanas voluntates *non poſſe reſiſtere*, quominus faciat ipſe quod vult. Ubi vides quod loquitur ſolùm de poteſtate divina, ubi etiam notanda ſunt verba ſequentia, ſcilicet, quandoquidem etiam de ipſis voluntatibus hominum quod vult, *cum vult*,

facit. Hæc enim verba, cum vult, oſtendunt Deum non ita ſemper agere actu, & de facto; ſed quod ita agit quando vult: Et infra: Sine dubio (Deus) habet humanorum cordium quò placet inclinandorum *omnipotentiſſimam poteſtatem*. Et adhuc inferius: Si ergo cum voluerit Reges terræ Deus conſtituere magis habet *in poteſtate* voluntates hominum quam ipſi ſuas. Ubi vides omnia eſſe de poſſibili & non de actu, omnia eſſe per ſe infidefinita, & quoad tempus indifferentia, & nihil ibi eſſe quod determinet tempus præſens, potius quam futurum, aut præteritum. Cum ergo nihil ibi ſit de facto, ſed tantum de poſſibili: Hæc objectio nihil ad nos, qui loquimur de facto, & non de poſſibili: cùm quæramus quomodo ſe nunc Deus habet ad ſalutem hominum, & non quomodo ſe habere ad illam poſſit, aut potuit.

Sed quæres ſi omnia ibi ſint de poſſibili, & nihil de facto, ſeu quod ſpectet ad modum quo nunc Deus operatur actu noſtram ſalutem; quorſum Auguſtinus hoc dicit, cum hîc debeat conciliare gratiam Dei ut ſe habet de facto, cum correptione, prout etiam ſe habet de facto, & non ſolum de poſſibili.

Reſpondeo id amplius non agere Auguſtinum, ſed in præcedentibus id ſatis egiſſe capitibus: In hoc vero & ſequentibus quaſi perorando, & concludendo hortatur homines ad faciendam correptionem ſub ſpe quod Deus dabit ei efficaciam: Dixerat enim, & oſtenderat in præcedentibus, fructum correptionis, ſcilicet converſionem peccatoris, & perſeuerantiam in bono, omnino pendere à Deo: Unde maxime conveniebat ad ſpem iſtius fructus excitandam, oſtendere quam potens ſit Deus, ad voluntates hominum, quocumque vult, inclinandas, & per hoc quantum poſſent ſperare fructum in hominibus ex correptionibus ſuis: Unde totus eſt poſtea in commendanda illa ſumma Dei poteſtate in permovendis hominum cordibus, quod plurimis firmat exemplis, etiam non pertinentibus ad ordinem gratiæ; ſed tantum naturæ: qualia ſunt iſta, ſcilicet eorum militum qui ſecuti ſunt Saülem Regem, & etiam Principis Amaſaï, virorumque bellatorum, qui venerunt ad David in Hebron: quorum omnium, ut ipſe ait, Deus tetigerat corda, & inclinarat voluntates ad ſequendos illos Reges: Quia nempe ſufficiebat Auguſtino ad exhortandos homines ad faciendam correptionem, ut intendebat, quod ſcirent omnipotentiſſimum eſſe Deum ad inclinandas hominum voluntates, ut hac ſpe freti, & in Domino confidentes, & non in viribus eorum arbitrii facerent correptionem, cui poſtea Deus daret incrementum, nihil determinando de modo quo actu, & de facto id fieret, unde nihil ibi de modo nec de actu, ſeu de facto, ſed totum de poſſibili, & proinde nihil ibi eſt quod ſpectet ad noſtrum propoſitum, quò quærimus an de facto ſtatuerit Deus ea uti poteſtate ad ſalvandos homines, ut licet non præviderit eorum opera, tamen aliquorum velit ſalutem, & ad executionem ſui decreti ea velit uti poteſtate abſoluta, qua pollet ad inclinandas quocumque vult eorum voluntates, ita quod

ei reſiſtere non poſſint. Et dicimus id non aſſerere hîc Auguſtinum,imo vero innuere contrarium, cum ibidem aſſerat quod de facto homines faciunt quod ipſe non vult: ex quo facile colligere eſt, quod Auguſti- non aſſerüit Deum nunc de facto facere de voluntatibus hominum quod ipſe vult, ea ſcilicet poteſtate qua ei reſiſtere non poſſint quominus ipſe faciat quod ipſe vult, ut habetur in textu,cum illa ipſa verba, ſcilicet quod homines faciunt quod ipſe non vult,dicat Auguſtinus de eadem voluntate de qua dixerat volenti Deo ſalvum facere nullum hominis reſiſtit arbitrium. Unde cum illa objectio non ſit de eo quod Deus facit; ſed tantum de eo quod poteſt facere, noſtra autem quæſtio ſit de eo quod Deus facit, & non de eo quod poteſt facere,ſequitur quod nihil efficit contra nos, cum ſit extra quæſtionem.

PUNCTUM II.

Reſponſio tertia profertur & explicatur, contrariuſque Ianſenius confutatur.

RESPONDEO tertiò quod ſi agatur ibi de voluntate Dei prædeſtinante, ut ſe habet de facto ad ſalutem hominum, non agitur de voluntate prædeſtinante ad gloriam, ſaltem nude & ſolitarie ſumptam, de qua agimus; ſed de voluntate prædeſtinante ad gratiam, ſive juſtificantem, ſive dantem perſeverare in bono uſque in finem: ibique tantum velle Auguſtinum, nullum eſſe tam rebellem peccatorem quem Deus non poſſit convertere, & poſtea in bono confirmare, & ſolidare uſque in finem: Quod ut clare oſtendatur totus textus afferendus eſt. Nam poſtquam initio illius capitis exhortatus eſt homines ad faciendam correptionem cum oportuerit. Sic ait: Ut ſi is qui corripitur ad prædeſtinatorum (ſcilicet ad gratiam) numerum pertinet, ſit ei correptio ſalubre medicamentum (hoc enim ſalubre medicamentum non poteſt eſſe niſi converſio peccatoris ad juſtitiam per infuſionem gratiæ ſanctificantis) Et paulo poſt ait: Cùm autem homines per correptionem in viam juſtitiæ, ſeu veniunt, ſeu revertuntur (quod aperti ſſime ſignificat gratiam ſanctificantem quam nempe recipiunt infideles cum veniunt ad fidem, vel Chriſtiani peccatores cum revertuntur ad gratiam prius amiſſam) quis operatur in *cordibus eorum ſalutem* (id eſt converſionem, ſeu morum correctionem: tum quia hæc ſola ſalus ſit in corde, tum quia Auguſtinus*loquens de prædeſtinatione, ſolet ei actum præſtituere, ut ſupra notatum eſt, tum etiam quia prius locutus eſt de illa converſione, quæ eſt ſalus incompleta; & proinde cum loquitur hîc de ſalute quæ ſit in corde, neceſſario eſt illa converſio quæ eſt ſalus incompleta, unde & ulterius ſequitur, quod cum infra dicit Auguſtinus in textu nobis objecto: Volenti Deo ſalvum facere: intelligit illud de ſalute incompleta per gratiam, & non de completa per gratiam ſimul & gloriam,

Ibi per prædeſtinatos neceſſario intelliguntur prædeſtinati ad illã converſionẽ, & non ad gloriam: quia prædeſtinati ad gloriam poſſunt multoties corripi, & tamen id nihil efficiet nec ſalubris erit illa correptio, quia modo cõver-

gloriam, cùm de eâdem ſalute loquatur de qua hîc, quæ eſt ſalus incompleta) niſi ille qui quolibet plantante atque rigante & quolibet in agris atque arbuſtulis operante dat incrementum Deus, *cui volenti ſalvum facere* (id eſt volenti convertere peccatorem ab injuſtitia ad juſtitiam, ut mox dictum eſt) nullum hominis reſiſtit arbitrium: Sic enim velle & nolle in volentis & nolentis eſt poteſtate (eſt ergo in illius poteſtate conſentire vel diſſentire gratiæ) ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. Ubi & ſequuntur multa in eodem capite pertinentia ad commendandam illam efficaciam divinæ voluntatis circa peccatoris converſionem, ad quam correptio dirigitur: Quia nempe, is omnino erat ſcopus Auguſtini in hoc libro, ſcilicet oſtendere quod non obſtante gratia efficaci, ſive ad converſionem, ſive ad perſeverantiam correptio non eſſet inutilis: Unde * ait in fine hujus cap. Si ergo cum voluerit Reges (ſcilicet Saülem & Davidem, de quibus ſupra locuti ſumus in ſecunda reſponſione) in terra Deus conſtituere, magis habet in poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas; quis alius facit ut ſalubris ſit correptio, & fiat *in correpti corde correctio*, (quæ eſt ſalus illa incompleta, de qua loquitur) ut cæleſti conſtituatur in Regno. Ubi hæc verba, *ut cæleſti conſtituatur in Regno*, non ita ſunt intelligenda, ut pertineant ad objectum formale illius prædeſtinationis de qua loquitur Auguſtinus; ſed ſunt tantum ad conſonantiam comparationis, quia cum prius locutus fuiſſet de voluntate Dei applicata ad Regnum dandum Saüli & Davidi, hinc eſt quod ad majorem conſonantiam & convenientiam comparationis loquitur etiam de Regno cæleſti, quod eſt finis correctionis, de qua loquitur, ad quam tendebat iſta prædeſtinatio.

tatur ante ultimam vitæ ſuæ periodum ſufficit: Ergo ibi intelligatur prædeſtinati ad illam ipſam converſionem ut illatio valeat, non vero ad ſolam gloriam.

**In ultima object. ex Scripturis.*

Quanquam, etſi loqueretur ibi Auguſtinus de Regno cæleſti, ut objecto iſtius prædeſtinationis, non tamen nobis præjudicaret, cùm non loquatur de illo, ut ſolo & adæquato objecto prædeſtinationis; ſed tantum ut partiali & inadæquato cum conjungat ei correctionem, ſeu converſionem peccatoris, quod tunc non eſt contra nos, cùm loquamur ſolùm de illâ prædeſtinatione quæ reſpicit gloriam ſolam, aut Regnum cæleſte ſolum, & non ut conjunctum cum gratia, vel converſionis ad bonum, vel perſeverantiæ in ipſo. Unde non eſt quod Janſenius vim faciat in verbis iſtis, quaſi indicarent Regnum cæleſte eſſe objectum illius prædeſtinationis de qua ibi loquitur Auguſtinus: cum, ut dixi, non ponantur ibi ut objectum illius prædeſtinationis; ſed ad majorem comparationis conſonātiam, quæ erat de Regno, & cum non eſſent etiam extra rem; quandoquidem ipſa correctio quæ eſt formale objectum iſtius prædeſtinationis per ſe tendit in Regnum cæleſte, tanquam in ſuum finem; & ſic aliquo modo & extrinſece pertinebant ad iſtam prædeſtinationem, quod ſufficiebat ad hanc applicationem. Neque etiam eſt quod vim faciat in eo quod D. Auguſtinus aſſumpſit comparationem Saülis & Davidis evehendorum in Regnum, quaſi hoc figuraret præ-

Lib. 9 de gratia Salv. cap. 17.

deſtinationem ad Regnum: cùm hoc ſit ſolùm materiale comparationis formale autem ſit vis & efficacia poteſtatis divinæ in convertendis hominum cordibus, quocumque vult, & quandocumque vult, ut patet ex verbis antecedentibus quæ clare oſtendunt illa exempla non eſſe aſſumpta ut talia, & ut de Regno; ſed ut aliqua inter multa & diverſa. Niſi forte, inquit Auguſtinus, *ut ex multis aliqua commemorem*. quando Deus voluit Saüli Regnum dare, ſic erat in poteſtate Iſraëlitarum, ſubdere ſe memorato viro, ſive non ſubdere, quod utique in eorum erat poſitum voluntate, ut etiam Deo valerent reſiſtere: Ubi non alia determinatur formalis ratio iſtius comparationis, quam vis & efficacia divinæ poteſtatis in convertendis hominum cordibus, & voluntatibus, quocumque vult: quod etiam probatur ex illo ipſo loco quem allegat ibi pro ſe Janſenius ex lib. de prædeſt. Sanct. cap. 20. in eundem ſenſum: nam ipſe probat formaliter intentum noſtrum; quandoquidem mentionem tantum facit de ipſo velle hominum, ut de fine ſuo vero & immediato, & nihil dicat de Regno, aut prædeſtinatione ad Regnum. Fruſtra itaque, inquit Auguſtinus, etiam illud quod Regnorum, & Paralipomenon Scriptura teſte probavimus, cùm Deus vult fieri, quod (nota, quod, hoc eſt generale) non niſi volentibus hominibus oportet fieri: *Inclinari* eorum corda, ut hoc velint, eo ſcilicet *inclinante* qui in nobis mirabili modo & ineffabili *operatur, & velle*. Ecce totum formale prædictæ comparationis ex Auguſtino, nihil ibi de Regno, ſed totum terminatur ad velle: totum eſt de vi & efficacia poteſtatis divinæ ad convertenda corda hominum, non autem de eo quod eſt regnare, ſive in cælo, ſive in terra, ut volebat Janſenius: Unde manifeſtum eſt, quod tantum de per accidens locutus erat ibi de Regno Auguſtinus. Verum tamen eſt, quod poſtea referens Auguſtinus rationem Semipelagianorum cur ipſi prætenderent iſta exempla non convenire, dicens: Quoniam (inquiebant) non hoc eſt temporaliter regnare in hoc ſæculo, quod eſt in æternum regnare cum Deo, ac per hoc exiſtimabant ad Regna terrena facienda Deum inclinare, ad Regnum vero cæleſte *obtinendum* Deum non inclinare, quorum voluerit voluntates: tunc loquitur de Regno, ſed non ut prædeſtinato; ſed tantum ut obtinendo per actiones pias & bonas àd quas Deus inclinabat, quia illæ erant formale ſuæ comparationis, & intentionis ſuæ: ut patet etiam ex illis ipſis Scripturæ teſtimoniis, quibus probat ſuum intentum Janſenius quæ nos integre referemus, & non truncate, ut Janſenius, cùm in omnibus illis, excepto unico quod retulit Janſenius nulla fiat mentio de Regno; ſed tantum de prædictis actionibus piis & ſanctis, ad quas Scriptura teſtatur Deum inclinare, & hominum corda convertere: Sic enim ait ibi Auguſtinus: Sed puto propter Regnum cælorum (nota finem ad quem tendunt illæ actiones infra referendæ) non propter Regnum terrenum eſſe dictum: Inclina cor meum in teſtimonia tua: vel: A Domino greſſus hominis diriguntur, & viam ejus volet: vel: Paratur voluntas à Do-

Id reſpicis locum adductum in objectione ex lib. de correptione & gratia, ut bene notat ibi Janſenius.

mino.: vel: Fiat Dominus noſter nobiſcum ſicut erat cum patribus noſtris, non derelinquat nos, nec avertat nos à ſe, inclinet corda noſtra ad ſe, ut eamus in omnibus viis ejus: vel: Dabo eis cor cognoſcendi me, & aures audientes: vel: Dabo eis cor aliud, & ſpiritum novum dabo eis. Audiant etiam illud. Dabo ſpiritum meum in vobis, & faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis, & faciatis. Audiant: A Domino diriguntur greſſus viri, mortalis autem quomodo intelligit vias ſuas? Audiant, omnis vir videtur ſibimetipſi juſtus dirigit autem corda Dominus. (hucuſque nihil de Regno) Audiant: Crediderunt quotquot erant ordinati in vitam æternam. (hîc ſolùm de Regno; ſed per accidens cum in aliis teſtimoniis ad eundem finem tendentibus non fiat mentio de Regno) Poſt quæ teſtimonia, ſic ait Auguſtinus: Audiant hæc, & alia quæcumque non dixi; quibus oſtenditur Deus ad Regnum etiam cælorum, & ad vitam æternam *parare & convertere hominum voluntates*. Hic ſcopus, hic finis Auguſtini, ſcilicet oſtendere quod Deus parat & convertit hominum voluntates, non minus in genere ſupernaturali, quam in genere naturali: & non minus in ordine ad obtinendum Regnum cælorum, quam in ordine ad obtinendum Regnum terrenum: Nihil ibi de prædeſtinatione ad Regnum cælorum; ſed tantum ad actiones per ſe, & ex natura ſua tendentes in illud, ad quas vult Deum inclinare, non minus quam ad actiones tendentes ad obtinendum Regnum terrenum. Unde & ſtatim objurgat adverſarios contrarium ſentientes, dicens eis: Cogitate autem quale ſit, ut credamus ad conſtituenda Regna terrena hominum *voluntates operari Deum, & ad capeſſendum Regnum cælorum homines operari voluntates ſuas.* Id eſt, conſiderate quam ſit abſurdum, admittere quod Deus convertat hominum voluntates, quocumque vult, in ordine ad obtinendum Regnum terrenum: Et id ei denegare in ordine ad obtinendum, ſeu capeſſendum Regnum cælorum, ut reſerves illud ſoli creaturæ: & hoc ipſiſſimum eſt quod propugnat & defendit Auguſtinus in hoc toto libro de prædeſt. Sanct. è quo deſumpta eſt iſta inſtantia, ſcilicet quod in converſione hominis ad fidem non homo operatur voluntatem ſuam, ſed Deus per gratiam ſuam, ut per hoc oſtendatur illum formaliter & directè loqui de actionibus, de Regno autem tantum materialiter, & indirectè, ut objecto illarum actionum, & non prædeſtinationis ſuæ: Unde poſt prædicta verba, ſic concludit totum librum, dicens: Multa diximus, & fortaſſe potuimus perſuadere, tam bonis ingeniis, ſic loquimur tanquam obtuſis: Quibus & quod nimium eſt, non eſt ſatis. Sed dent veniam nova enim quæſtio ad hoc nos compulit quia cum in prioribus opuſculis noſtris, ſatis idoneis teſtimoniis egiſſemus, donum Dei eſſe primam fidem: Inventum eſt quod contradiceretur, ad hoc valere illa teſtimonia ut oſtendant Dei donum eſſe incrementum fidei. *Initium vero fidei quo in Chriſtum primo creditur ab homine ipſo eſſe, nec eſſe donum Dei* (hoc eſt quod oppugnat Auguſtinus) *quod videtis quam ſit abſur-*

Nota quod in his nulla mentio ſit de Regno, ſed tantum de actionibus, quas nos cõtendimus eſſe formale objectũ prædeſtinationis Auguſtinianæ.

dum, propter quod inſtitimus quantum potuimus, ut etiam ipſum initium fidei donum Dei eſſe oſtenderemus: hoc eſt quod defendit quod agit & peragit in hoc libro Auguſtinus, ſcilicet initium fidei, ſeu primam fidem eſſe a Deo, & non ab homine, eſſe donum Dei, eſſe prædeſtinatam à Deo, non vero gloriam de qua ibi non agit niſi per accidens & occaſionaliter. Similiter ſe res habet in prædicto libro de corrept. & gr. è quo ſumpta eſt principalis objectio, nihil ibi agit & peragit, niſi ut oſtendat, opera bona, & perſeverantiam in eis, eſſe à Deo, & non ab homine: cùm argumentum totius libri nihil eſſet aliud, quam objectio contra hanc doctrinam ſumptam ex natura correptionis quam dicebant eſſe incompoſſibilem cum hac prædeſtinatione ad gratiam) Unde quando loquitur Auguſtinus in loco à Janſenio citato, de Regno, & aſſumit comparationem, ſeu utitur comparatione Regni ad quod obtinendum Deus pro libito movet voluntates hominum; ibi Regnum ſe habet per accidens ad prædeſtinationem Auguſtini, & eſt materiale comparationis, cùm ibi loquatur formaliter & directe de prædeſtinatione ad prædicta bona opera & perſeverantiam in eis, ſimul & de efficacia voluntatis divinæ ad ea operanda in cordibus hominum, & tantum per accidens, & occaſionaliter de Regno, in quantum prædicta bona opera & perſeverantia in eis, habent aliquem ordinem ad illud conſequendum. Quapropter non eſt quod diutius immoremur in ſolvenda iſta inſtantia Janſenii, cum per ſe ſatis appareat eſſe contra mentem Auguſtini: cùm ibi acceſſorium ſumatur pro principali & accidentarium pro eo quod eſt directe & formaliter intentum ab Auguſtino.

Pro quo videt. 2.3.4.6.

PUNCTUM III.

Quædam inſtantia Janſenii ſolvitur: quartaque reſponſio profertur, & explicatur.

SED antequam tranſeamus ad ultimam noſtram Solutionem, ſolvenda nobis eſt aliqua alia inſtantia Janſenii, eodem libro & capite; ubi ſic ait Janſenius. Et de Davidis ad Regnum tanquam ad intentum finem, electione: & ejus à tribulationibus liberatione, per quam finem iſtum aſſequi debebat, alio in loco: (loquitur) Cùm ergo David Deus elegiſſet, & prælegiſſet (verba Auguſtini) & prædeſtinaſſet ad Regnum, noluit & ipſum David antè Regnum tenere, quam primo à perſequentibus liberaret: ut etiam in hoc ipſo figuraret nos, id eſt, corpus ejus, cujus corporis caput Chriſtus. Hoc eſt (verba Janſenii) ut figuraretur quod Deus ad iſtum modum etiam eligit, & præeligit, & prædeſtinat homines ad Regnum cælorum, & hanc voluntatem liberando eos à tribulationibus exequitur.

In Pſal. 51. initio.

Reſpondeo primò, locum iſtum qui ſumptus eſt ex Auguſtino* in Pſalmum 51. nullam habere connexionem cum illo loco de quo agimus,

** Auguſtinus enarr. in Pſal. 51. circa init.*

cum in eo non fiat de illo loco mentio, ſicut facta fuerat mentio de illo, in eo loco: Quem mox ſolvimus ex libro de prædeſtinatione Sanctorum cap. 20. Unde licet ibi loqueretur Auguſtinus de Davide ut typo, ſeu figurâ prædeſtinatorum ad Regnum, non tamen bene ſequitur, quod etiam in loco noſtro ſic locutus ſit: Cùm notum ſit omnibus, quod in exemplis diverſa conſiderantur, propter quæ applicantur diverſis materiis: Unde non eſt conſequens quod ſi ibi locutus ſit Auguſtinus de Davide, ut typo, & exemplo prædeſtinatorum ad gloriam ut ſic, ita etiam de eo loquatur in loco noſtro: neque etiam, ut opinor, id intendit Janſenius, vel ad id adduxit locum illum; ſed tantum ut oſtenderet prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam cur Deus daret merita, & ſic illam eſſe ante illa prævisa.

Solet Auguſtinus diverſimode uſurpare exēpla: Vnde ſupra notavimus argum. 16. ex eo: Aliquādo uſurpare hiſtoriā Iacob & Eſaü, pro figurâ prædeſtinationis ad gratiam; aliquando vero pro figurâ prædeſtinationis ad gloriam.

Sed reſpondeo (& eſt reſponſio ſecunda) hunc ſenſum longe eſſe diverſum à ſenſu Auguſtini: tantum enim abeſt, ut ibi dicat Auguſtinus, quod per liberationem ut ſic à tribulationibus, perducat nos Deus ad Regnum cælorum, ut dicit Janſenius: Quin potius è contra dicit Deum immittere tribulationes, & perſecutiones ipſas in electos ſuos, ut per eas, aut per earum tolerantiam, non liberationem quæ contraria tolerantiæ eſt, perveniant ad Regnum cælorum. Quod manifeſtum fiet ſimplici expoſitione antecedentium & conſequentium, & etiam ipſius textus verborum. Antecedentia ſunt iſta: Saül (inquit Auguſtinus) *perſequebatur David*, in quo Deus præfigurabat Regnum ſalutis æternæ, & quem Deus elegerat permanſurum in ſemine ſuo: Quandoquidem futurus erat Rex ſæculorum, cum quo regnaturi ſumus in æternum, ex ſemine ipſius David ſecundum carnem. Hæc verba nihil aliud dicunt, niſi quod perſecutionem patiebatur à Saüle, David qui repræſentabat electos, & ipſum Regem electorum, CHRISTUM, qui futurus erat ex ſemine illius ſecundum carnem. Ecce ergo David, typus electorum, & Regis electorum, non in eo quod liberaretur à tribulationibus, de qua liberatione nihil ibi dicitur; ſed in eo quod illas pateretur, ut patet ex textu. Poſt hæc autem ſequuntur verba in objectione allata, ſcilicet: Cùm ergo David Deus elegiſſet, & prælegiſſet, & prædeſtinaſſet ad Regnum, noluit, & ipſum David antè Regnum tenere, quam primò à perſequentibus liberaret. * Quæ verba nullo modo dicunt prædeſtinationem fuiſſe cauſam liberationis David, ut vult Janſenius; ſed tantum dicunt, Deum prius voluiſſe illius liberationem, quam ejus coronationem: Quod eſt prius velle merita, quam poſſeſſionem gloriæ. Neque enim per liberationem intelligit Auguſtinus formaliter liberationem à tribulationibus, ut perperàm vult Janſenius; ſed intelligit directè, & formaliter ipſas tribulationes & perſecutiones perpeſſas per liberationem connotatas, ut cauſas, vel quaſi cauſas illius coronationis, vel poſſeſſionis Regni: Quod probatur hac ratione, quia cum David eſſet ibi typus electorum, electi autem omnes tantum perveniunt ad Regnum æternum, per multas tribulationes; ut dicitur Act. 14.

** Aliud eſt eſt dicere, quod noluit Deus coronari* david *antequam liberaret; & aliud dicere, quod ideo liberavit, quia prædeſtinavit. primum dicunt illa verba, non ſecundum.*

[Per multas tribulationes, oportet nos intrare in Regnum cælorum.] Et ipſemet Chriſtus caput electorum ſic intravit in gloriam ſuam; ut dicitur Lucæ 24.[Oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.] Ideo David qui erat ibi typus electorum, debuit per multas tribulationes & perſecutiones Saülis intrare in Regnum ſuum, & non antè coronari quam tribulari, & mala pati à Saüle perſecutore ſuo: Quod ipſum etiam demonſtrat in Chriſto ibi Auguſtinus, poſtquam dixit id præfiguratum fuiſſe in Davide: & ſunt verba immediate poſt textum objectionis ſequentia: Porro enim (inquit Auguſtinus) ſi ipſum caput noſtrum (ſcilicet Chriſtus) *ſine primo peracto labore in terra, in cælo regnare noluit*: Neque levare ſurſum corpus quod deorſum accepit, *niſi per tribulationis viam* (non dicit per liberationem à tribulatione; ſed per ipſius tribulationis viam, ſeu perpeſſionem) quîd audêt membra ſperare, capite ſuo magis eſſe poſſe fœlicia? (ubi non connotatur liberatio, ſed ipſa tribulatio) Si patrem-familias Beelzebuth vocaverunt, quanto magis domeſticos ejus? (ubi ſolum indicatur tribulatio, ſeu perſecutio, non liberatio) non ergo ſperemus *meliorem viam*, (ſcilicet viâ tribulationis, quam ſecutus eſt Chriſtus) quâ præceſſit eamus; quâ duxit ſequamur, (ubi clare demonſtràtur neceſſitas tribulationis, ut perveniatur ad Regnum: non vero cauſalitas prædeſtinationis in liberationem à tribulationibus, ut volebat Janſenius:) Et ſic concludit Auguſtinus Davidem fuiſſe typum electorum, dicens: In hoc ergo (ſcilicet Davide) quid præfigurabatur videtis? Nempe neceſſario ingrediendum eſſe in Regnum cælorum per viam tribulationis, ut tam multis demonſtratum eſt. Senſus ergo prædicti textus quem objicit Janſenius, is eſt: Cùm ergo David Deus elegiſſet, & præelegiſſet, & prædeſtinaſſet ad Regnum, noluit & ipſum David antè Regnum tenere, quam perſecutiones & tribulationes à Saüle ſuſtineret: Quod indicatur per verbum liberaret: Nemo enim liberatur à perſecutione, qui perſecutionem ipſam non paſſus ſit. Ideo autem voluit ut perſecutiones ſuſtineret, quia ob id prædeſtinarat eum Deus, quia præviderat eũ bene in his perſecutionibus, & tribulationibus patientem futurum, & per hoc coronationem ſuam, ſeu poſſeſſionẽ Regni ſui promeriturum. Quem ſenſum omnino demonſtrant verba illa textum objectum ſequentia, quæ modo adduximus & quæ Janſenius ſuppreſſit, ut ſibi contraria. Tam autem certus ſum de iſta ſincera explicatione: ut auſim dicere neminem lecturum eſſe textum integrum Auguſtini, qui non eam clarius videat quam expreſſerim.

Quam autem abſurda ſit Janſenii expoſitio de liberatione à tribulationibus, & non de neceſſitate tribulationum: Patet primò, quia eſt contraria Scripturæ, quæ non per liberationem à tribulatione; ſed per perpeſſionem tribulationis, vult nos pervenire ad Regnum, ut ſupra demonſtratum eſt: à qua lege nequidem voluit Chriſtus diſpenſari, & quam etiam impoſuit omnibus Chriſtianis, dicens Lucæ 14. Qui non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

Et Apoſtolus ejus Paulus Rom. 8. Si compatimur, & conglorificabimur. Secundò ex eo quod ipſe cum adverſariis, vult merita eſſe media, quibus Deus nos perducit ad Regnum. At liberatio à tribulatione, non eſt meritum; ſed potius ceſſatio meriti, cum patientia in perferendis tribulationibus ſit magnum meritum, juxta illud Apoſtoli Rom. 5. Gloriamur in tribulationibus, ſcientes quoniam tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non confundit: cui patientiæ contraria eſt liberatio à tribulatione. Tertiò denique ex eo quod ſibi ipſi contradicit, cùm hîc velit, iſtam liberationem eſſe medium ad exequendam prædeſtinationem: Alibi autem ſcilicet eodem libro cap. 8. §. Porrò: &, Etenim: Vult illam liberationem eſſe vel objectum, vel finem ejuſdem prædeſtinationis (cum ibi velit objectum, ſeu finem illius prædeſtinationis eſſe liberationem ab omni malo, tam culpæ, quam pœnæ, ad quam pertinet tribulatio) At eſſe objectum, vel finem alicujus actus, & ſimul eſſe medium ad idem objectum, vel finem conſequendum ſunt contradictoria, ut per ſe manifeſtum eſt: Ergo contradictoria hîc dicit Janſenius, & conſequenter falſa.

Ex his igitur ſolutis inſtantiis Janſenii, & ex aliis ſupradictis clarum eſt in illo loco ex corrept. & gratia nobis objecto, non loqui Auguſtinum de prædeſtinatione ad Regnum, ſeu ad gloriam: ſaltem ſolitarie ſumptam; ſed vel de prædeſtinatione ad gratiam ſolam, ut patet etiam ex paulò antecedentibus verbis, quibus concludit totum diſcurſum ſuum. Scilicet: Patiantur ergo homines ſe corripi quando peccant, nec de ipſa correptione contra *gratiam* argumententur, nec de *gratia* contra correptionem. Ubi nihil de gloria, vel de Regno; ſed totum de gratia; vel loqui de prædeſtinatione ad gratiam directe, vel ad gloriam, ſolùm indirecte, & per accidens: Et ſic iſta objectio non eſt contra nos, cum non ſit de illa prædeſtinatione de qua agimus, quæ reſpicit ſolam gloriam, & præſcindit à gratia ſive converſionis, ſive perſeverantiæ, de quibus ibi directe agit Auguſtinus.

Reſpondeo quartò & ultimo, etiam ea omnia quæ in objectione allata ſunt, longe melius explicari in noſtra ſententia quæ præponit præſcientiam prædeſtinationi, quam in oppoſita, quæ negat eam: tum ſecundum ſenſum Catholicum, tum etiam ſecundum ſenſum Auguſtini peculiarem. Nam primò ſecundum ſenſum Catholicum optime explicantur in noſtra opinione illa verba, ſcilicet: Volenti Deo ſalvum facere nullum ei reſiſtit arbitrium: Sic enim velle & nolle, in volentis aut nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet *poteſtatem*. Item, & illa: Non eſt dubitandum, voluntati Dei humanas voluntates *non poſſe reſiſtere*, quominus faciat ipſe quod vult. Senſus enim erit quod præſuppoſitâ præſcientiâ quam Deus habet diſpoſitionis creaturæ & efficacitatis ſuarum gratiarum in ordine ad conſenſum creaturæ futurum, ſi hæc aut illa gratia daretur, nullum omnino ei re-

ſiſtit arbitrium : Imo vero nec poteſt reſiſtere. Quod tunc ſolùm connotat neceſſitatem conſequentem ex prædicta ſuppoſitione, & præſcientia diuina : quam neceſſitatem non reprobat Eccleſia, & aliunde optime compatitur cum libertate creaturæ, quamvis efficaciter excitante & agente gratia in voluntate. Quam libertatem ſemper ſartamtectam voluit Eccleſia : qui ſenſus, ut per ſe patet, eſt optimus & omnino Catholicus. At vero ſi præſcientiam non ſupponas & dicas ipſum Deum ante omnem prævisionem, id eſt ante omnem ſcientiam conditionatam & ſimplicis intelligentiæ velle hos & illos ſalvare, velle illos credere, ſperare, amare, uſque in finem perſeverare. Et ſic volenti Deo, humanam voluntatem, humanum arbitrium non poſſe reſiſtere, ut dicitur in textu, omnino inferes neceſſitatem abſolutam, invincibilem, & ineluctabilem cum nihil ſupponat ante ſe, & ſolùm compares poteſtatem divinam cum poteſtate humanâ, quæ longe inferior, & imbecillior eſt. Quapropter manifeſtum eſt, quod longe melius, & ſanius ſecundum ſenſum Catholicum explicantur ſupradicta verba Auguſtini in noſtra ſententia, quæ admittit præſcientiam ante prædeſtinationem, quam in oppoſita ſententia quæ rejicit præſcientiam ante prædeſtinationem.

Hinc eſt quod communiter Auguſtinus præmittit præſcientiam ante prædeſtinationem.

Sed non tantum melius & ſanius ſecundum ſenſum Catholicum explicantur iſta verba Auguſtini in noſtra ſententia; ſed etiam verius & germanius ſecundum ſenſum, & intellectum particularem Auguſtini, quando quidem ipſe nobiſcum ſemper, aut fere ſemper præponit præſcientiam prædeſtinationi : & cùm loquitur de prædeſtinatione, communiter utitur illo loco Apoſtoli : Quos ante præſcivit & prædeſtinavit, conformes, &c. Ubi præſcientia præcedit ipſam prædeſtinationem, ut per hoc oſtendat ſe non inducere fatum, aut fatalem neceſſitatem, ut exprobrabant ei adverſarii : Sed tantum neceſſitatem extrinſecam & conſequentem, & non lædentem arbitrium, ſicut omnes Catholici : Et ſic manet iſta objectio ſoluta ſecundum omnes ſenſus quos ei dare poſſunt adverſarii.

Ad Rom. 8.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Objectio quarta proponitur, & ſolvitur.

QUARTUM argumentum ſumitur ex libro de prædeſt. Sanct. c. 10. ubi ait Auguſtinus : Quando ergo promiſit Deus Abrahæ in ſemine ejus fidem Gentium, dicens patrem multarum Gentium poſui te; unde dicit Apoſtolus, ideo ex fide ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini : Non de noſtræ voluntatis poteſtate; ſed de ſua prædeſtinatione promiſit : Promiſit enim quod ipſe facturus erat, non quod homines : quia etſi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum

colendum Deum, ipſe facit ut illi faciant, quod promiſit. Alioquin ut Dei promiſſa compleantur, non in Dei, ſed in hominum eſt poteſtate. Ex quibus inferunt adverſarii, Deum ex mera ſua voluntate prædeſtinare homines ad fidem & opera, quibus conſequuntur ſalutem: nullo vero modo ex voluntate hominis, ne promiſſa ſua ſint in poteſtate hominis, & non in ſua. Unde conſequens eſt, quod prædeſtinatio ad gloriam ſit ante prævifa opera, cùm Deus ex ſe & ex mero libito determinet illa opera, ad exequendam ſuam prædeſtinationem ſine ordine ad conſenſum, vel diſſenſum hominis prævifum.

Reſpondeo ibi male inferri ex verbis Auguſtini, quod Deus ex mera ſua voluntate prædeſtinet homines ad fidem & opera, quibus ſalutem conſequuntur, nullo vero modo ex voluntate hominis ne promiſſa ſua ſint in poteſtate hominis, & non in ſua. Nam non erat ei ulla controverſia cum adverſariis de modo agendi voluntatis humanæ cum Deo; ſed tantum de eo, quod volebant illius adverſarii, hominem ſolum concurrere, & nón Deum ad initium fidei: Contra quos aſſumens prædictum textum Apoſtoli, ubi dicitur quod Deus promiſit fidem Abrahæ & ſemini ejus: ſic arguit, dicens: Promiſit Deus quod facturus fuerat, non quod homines (ſcilicet ſoli) alioquin ut promiſſa Dei compleantur, non in Dei, ſed in hominum eſt poteſtate, & quod à Domino promiſſum eſt, ab ipſis redditur Abrahæ. Et infra repetit contra eos idem abſurdùm, dicens: Ac per hoc ut promiſſa ſua Deus poſſit implere, non eſt in Dei, ſed in hominis poteſtate: Quod ſi veritas & pietas nos credere vetat, credamus cum Abraham, quoniam quæ promiſit Deus potens eſt & facere: Promiſit autem filios Abrahæ, quod eſſe non poſſunt, ſi non habeant fidem, ergo ipſe donat & fidem. Ecce totum quod intendit: ubi ſolum manifeſta eſt argumentatio contra eos, qui negabant Deo, omnem concurſum prævium ad initium fidei: Nam ſic omnino ſequebatur illud abſurdum quod inferebat contra eos, ſcilicet: Quod ut promiſſa Dei complerentur, non in Dei ſed in hominum erat poteſtate, & quod illa promiſſa ab hominibus redderentur, & non à Deo, cum ad fidem illam promiſſam ipſe non concurreret: At non eſt contra illos qui ita admittunt Dei concurſum ad fidem & opera, ut etiam admittant quod Deus habet rationem determinationis creaturæ ſub conditione futuræ, ſi hanc aut illam daret gratiam quam prævidet effectum habituram, quandoquidem Deus ſic agendo cum creatura non agit in incertum; ſed certo & infallibiliter; cum per præſcientiam illam ſuam conditionatam, certo ſciat quid actura ſit gratia ſua: Nec agit tantum per alium; ſed etiam per ſeipſum donans & producens per gratiam in creatura fidem illam & opera, quæ promiſit Abrahæ & ſemini ejus. Unde illa conſequentia, ſeu abſurdum ab Auguſtino deductum ex prædictis verbis Apoſtoli, non eſt contra nos, qui admittimus prædictam gratiam Chriſti præviam & efficacem in voluntate hominis, ante initium fidei; ſed ſolùm contra Semipelagianos qui nullam ejuſmodi gra-

tiam admittebant, ſed volebant illud initium eſſe à ſolo homine. Unde illa alia conſequentia, quam adverſarii noſtri volebant ex prædictis verbis Auguſtini deducere contra nos, ſcilicet quod Deus ex mera ſua voluntate prædeſtinet, &c. eſt omnino futilis & frivola, cum fundetur in opinione Semipelagianorum ſupra explicata, & non in noſtra quæ omnino eſt diverſa.

Verum contrà dices, Auguſtinum ibi rejicere ſupradictam illam præſcientiam conditionatam, & etiam concurſum indifferentem volnntatis alienæ quem aſtruimus, ut totum ſervet Deo. Nam cum adduxiſſet illa verba Apoſtoli: Quoniam quæ promiſit potens eſt & facere. Sic ex illo loco, arguit: Non ait prædicere; non ait præſcire (per quod evidenter rejicit omnem præſcientiam antecedentem: Nam & aliena facta poteſt prædicere & præſcire; ſed ait: Potens eſt & facere, ac per hoc facta non aliena, ſed ſua: Per quod etiam rejicit facta aliena, ſeu quæ pendent ab alio ut ſint, & non ab eo ſolo.

Reſpondeo, ibi Auguſtinum ſolùm rejicere præſcientiam Semipelagianorum, quæ conſiderabat ſolum actum creaturæ, & non Dei, ſeu actum creaturæ, ut à ſola creatura procedentem, & non ut à Deo: de qua præſcientia paulò ante locutus fuerat Augnſtinus, dicens: Præſcire autem potens eſt (Deus) etiam quæ ipſe non facit, ſicut quæcumque peccata: Et quā evidenter aſtruunt ipſi Semipelagiani in Epiſtolis Proſperi & Hilarii ante hunc librum, ad Auguſtinum de illorum errore conſcriptis, & nos etiam de ea ſupra locuti ſumus in 3. argum. ex Auguſtino, in quadam inſtantia Janſenii: At vero non rejicit illam præſcientiam quæ conſiderat actum creaturæ, ut à Deo excitante & adjuvante, licet ille idem actus ſit etiam à creatura prorſus libere & indifferenter agente, cum per prædictum concurſum excitantem & adjuvantem Deus ipſe agat, & faciat, ut requiritur in hoc textu: potens eſt & facere: Et cum ille ipſe actus, à Deo prorſus pendeat ut exiſtat, vel non exiſtat, ſecundum quod Deus voluerit dare creaturæ, vel gratiam efficacem, vel gratiam mere ſufficientem: Unde & illam præſcientiam ipſe aſtruit & commendat Auguſtinus, cum toties dicat in Scriptis ſuis contra Semipelagianos exaratis, quod Deus præſcivit id quod fuerat *ipſe* facturus: Et cum toties repetat illum textum Apoſtoli, Quos ante præſcivit & prædeſtinavit, &c. ubi præſcientia præcedit prædeſtinationem: præſcientia nempe actus illius quem fuerat ipſe facturus.

Quantum autem ad id quod dicitur, ibi aliena facta rejicere, id dicitur in ſenſu Semipelagianorum, qui volebant ſolum hominem concurrere ad illam fidem, quæ ſane ut ſic, erat alienum factum à Deo, cum ad illam non concurreret: At vero cum dicamus Deum gratiâ ſuâ excitare & movere hominem ad illam fidem, & adjuvare ut fiat, non poteſt illa fides dici alienum factum reſpectu Dei, cum ipſe concurrat ad illam, conſulendo, ſuadendo & excitando ad illam, & etiam ad-

juvando ut illa fiat, imo etiam ita operando, ut quando vult, illa fiat, & quando vult non fiat: ut paulo ſupra declaratum eſt.

Unde bene ſic poteſt implere promiſſa ſua, cum & agat per ſeipſum, & cum quando ipſe vult, creaturam agere faciat. Nec præterea requiritur ut actio illa à ſolo Deo pendeat, cum illa ita pendeat à creatura ut tamen illa dependentia actionem creatoris non impediat quominus ipſe quod vult, & quando vult faciat, dando ſcilicet gratias efficaces, cum vult ut fiat, & non dando illas, cum non vult ut [redacted] fiat; quod omnino eſt ſecundum mentem D. Auguſtini, ut patet ex ipſo textu in objectione allato, ubi ait: Quia etſi faciunt homines (ſcilicet pro libertate & indifferentia ſua) bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipſe facit, ut illi faciant quod promiſit. Et ſic nihil eſt in illo textu contra nos, & contra prædeſtinationem noſtram poſt prævisa merita.

PARAGRAPHVS QVINTVS.

Objectio quinta proponitur, & ſolvitur.

QUINTUM argumentum ſumitur ex eodem libro cap. 18. ubi aït Auguſtinus: ipſe (ſcilicet Deus) operatur ſecundum propoſitum ſuum, ut ſimus in laudem gloriæ ejus, utique ſancti & immaculati: propter quod nos vocavit prædeſtinans ante mundi conſtitutionem, ex hoc propoſito ejus eſt illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperantur in bonum: quia ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Ubi nomine propoſiti intelligitur decretum prædeſtinationis ad gloriam, quod propoſitum, cùm ſit ibi mere gratuitum, ideo & illa prædeſtinatio eſt mere gratuita: præcipue cum dicat, homines propter illud propoſitum prædeſtinari.

Reſpondeo primò, hoc eſſe falſum quod ibi dicat Auguſtinus homines propter illud propoſitum prædeſtinari: Dicit quidem propter illud vocari, non prædeſtinari: At ad hoc ut vocentur propter illud propoſitum non eſt neceſſe ut illud propoſitum ſit propoſitum gloriæ; ſed poteſt eſſe propoſitum gratiæ, ad cujus executionem vocetur homo ad gratiam propoſitam, & recipiat eam; unde iſta objectio procedit ex falſa ſuppoſitione.

Reſpondeo ſecundò ibi ſolùm agi de prædeſtinatione ad gratiam, ſeu prædeſtinationem illam eſſe ad gratiam, & non ad gloriam, ſeu eſſe ad initium fidei (ut aït Auguſtinus communiter) per dilectionem operantis: non tantum quia is eſt ſcopus totius libri, ut in confeſſo eſt: Sed quia id ſpecialiter indicatur, tum in antecedentibus, tum in conſequentibus, & in illo ipſo textu: unde ſenſus totius textus eſt, quod Deus nos elegit ad primam fidem, ſeu ad initium fidei ex mera ſua voluntate,

quam ibi propoſitum Dei vocat Auguſtinus, & non ex humano merito, quod aſtruebant illius adverſarii ante gratiam : Unde nihil inculcat ibi frequentius Auguſtinus quam Deum nos elegiſſe, non quia eramus ſancti, per quod deſtituit meritum pure humanum ante gratiam : ſed ut eſſemus ſancti, per quod ſtatuit gratiam, & prædeſtinationem ad illam ex mero propoſito divino, & non ex humano, ut volebant adverſarii. Sic enim aït cap. 17. antecedente : Intelligamus ergo vocationem qua fiunt electi, non qui eliguntur, quia crediderunt (& ſic rejicit merita humana ante gratiam reſpectu fidei) ſed quia eliguntur, ut credant (& ſic ſtatuit meram voluntatem divinam, cum nihil ſupponat prævium) Et paulo infra aït: Elegit ergo fideles *ut ſint*, non *quia jam erant*. Et adhuc infra : Quis, inquit, audeat dicere credere honiines ; *ut eligantur*, cum potius eligantur *ut credant?* Et in ipſo cap. 18. ubi eſt textus in objectione allatus, ſic aït : Intueamur ergo veiba Apoſtoli, atque videamus : utrum propterea nos elegerit Deus ante mundi conſtitutionem, quia ſancti & immaculati eramus futuri, an ut eſſemus (hoc eſt, quod quæritur, & inveſtigatur ex profeſſo ab Auguſtino, & non aliud) Benedictus, inquit, Deus pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui nos benedixit in omni benedictione in cæleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ut eſſemus ſancti, & immaculati. *Non ergo quia futuri eramus, ſed ut eſſemus :* Nempe certum eſt : *nempe manifeſtum eſt : ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit* ipſe prædeſtinans ut tales per *gratiam* ejus eſſemus. (ecce quod prætendit, ſcilicet ut illa fides & ſanctitas tribuantur gratiæ Dei, & non merito hominis) Deinde, quid adjungat attendite : Secundum placitum, inquit, voluntatis *ſuæ*, ne in tanto beneficio *gratiæ Dei*, placito gloriaremur voluntatis noſtræ (ecce quod rejicit Auguſtinus, ſcilicet meritum mere humanum, ne glorietur voluntas humana in ſeipſa, & non in voluntate divina) in qua gratificavit nos, inquit, in dilecto Filio ſuo, in qua utique voluntate *ſua* gratificavit nos : Sic dictum eſt gratificavit à gratia, ſicut juſtificavit dicitur à juſtitia (ubi nihil agit & peragit Auguſtinus, niſi ut oſtendat illam fidem eſſe mere gratuitam, & eſſe à voluntate Dei gratificante, & non à voluntate hominis eam promerente : quod inculcat adhuc evidentius, dicens poſt aliquem textum Apoſtoli:In hoc myſterio voluntatis *ſuæ* poſuit divitias *gratiæ ſuæ*, ſecundum bonam voluntatem *ſuam, non ſecundum noſtram.* (ecce quod inculcat formaliter, ſcilicet illam fidem eſſe ex voluntate divina, & non ex noſtra) Et infra poſt alium textum Apoſtoli, ſic ait : Cernitis proculdubio, cetnitis, quanta manifeſtatione Apoſtolici eloquii defendatur *hæc gratia contra quam merita extolluntur humana, tanquam homo prior det aliquid ut retribuatur ei.* Et infra : Fecit autem hoc ſecundum placitum voluntatis *ſuæ*, ut nemo de *ſua* ; ſed de *illius* erga ſe voluntate glorietur (ecce quid intelligit per propoſitum, ſcilicet voluntatem divinam, & non humanam; ſed vide quanto affectu, & quanta vehementia id inculcet Auguſtinus uſque ad textum in object.

Id expono latius, quia una eſt ex præcipuis adverſariorũ hallucinationibus, qui putant Auguſtinum per propoſitum, ſemper intellexiſſe propoſitum gloriæ, & non gratiæ; id eſt; prædeſtinationem ad gloriam, & non ad gratiam ſolam, quod falſum eſt.

allatum) fecit hoc ſecundum divitias *gratiæ ſuæ*, ſecundum bonam voluntatem *ſuam* (nota valde) *quam propoſuit* in dilecto filio ſuo in quo ſortem conſecuti ſumus prædeſtinati ſecundum propoſitum, *non noſtrum; ſed ejus qui univerſa operatur,* (ecce quid intelligit per propoſitum ſuum id eſt voluntatem ſuam, non noſtram; non autem prædeſtinationem ad gloriam) uſque adeo, ut *ipſe* in nobis operetur & velle: operatur autem ſecundum conſilium voluntatis *ſuæ*, ut ſimus in laudem gloriæ *ejus.* Hinc eſt autem quod clamamus (nota finem & intentum ejus) ut nemo glorietur in homine, ac *per hoc, nec in ſeipſo;* ſed qui gloriatur, in Domino glorietur, ut ſimus in laudem gloriæ ejus (& ſequitur textus in objectione allatus) ipſe quippe operatur ſecundum propoſitum ſuum, (ecce igitur quid intelligit per propoſitum ſuum, ſcilicet voluntatem ſuam non alienam, non vero prædeſtinationem ad gloriam, ut patet ex fine illius propoſiti) ut ſimus in laudem gloriæ *ejus,* utique ſancti & immaculati: propter quod nos vocavit (non dicit prædeſtinavit, ut infertur in objectione) prædeſtinans (ad illam fidem) ante mundi conſtitutionem. Ex hoc propoſito *ejus* (id eſt ex voluntate divina, & non noſtra) eſt illa electorum (ſcilicet ad fidem quæ per dilectionem operatur) propria vocatio (non prædeſtinatio) quibus omnia cooperantur in bonum: quia ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti (id eſt ad gratiam ſanctificantem, ſeu converſionem ab infidelitate ad fidem: ad fidem, inquam, illam quæ per dilectionem operatur, & quæ ideo eſt cauſa cur omnia his electis cooperentur in bonum, ſeu meritum vitæ æternæ) & ſine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei. Quæ ultima verba adhuc declarãt ſolùm fuiſſe ſermonem de gratia, & non de gloria; quandoquidem ſolet Auguſtinus per dona intelligere actus creaturæ prædeſtinatos, v. g. actus fidei, pœnitentiæ, caſtitatis, & ejuſmodi: ut facile videre eſt in hoc libro, & ſequenti de dono perſeverantiæ. Et tandem omnia quæ ſequuntur in cap. 19. ſunt de eadem prædeſtinatione ad primam fidem. Audiant, inquit, & ipſi in hoc teſtimonio ubi dicit, *Sortem* conſecuti ſumus, prædeſtinati ſecundum *propoſitum, qui* univerſa operatur: *Ipſe* ergo ut credere incipiamus, operatur, qui operatur univerſa. (ecce quod prætendit Auguſtinus; ſcilicet Deum operari nobiſcum ſeu concurrere nobiſcum ad primam noſtram fidem, ſicut ad cætera opera: non vero ſolum hominem, ut volebant Semipelagiani.) Vocationem quippe illam de qua dictum eſt, ſine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei; & de qua dictum eſt, *non ex operibus, ſed ex vocante*, cum poſſet dicere, ſed ex credente: Et electionem quam ſignificavit Dominus dicens: Non *vos* me elegiſtis, ſed *ego* vos elegi: *Nec fides ipſa præcedit* (ecce ſemper quod prætendit) non enim *quia* credidimus, ſed *ut* credamus, elegit nos, ne *priores* eum elegiſſe dicamur, falſumque ſit quod abſit, Non *vos* me elegiſtis, ſed *ego* elegi vos. Nec *quia* credidimus, ſed *ut* credamus, vocamur: atque illa vocatione, quæ ſine pœnitentia eſt; id prorſus agitur & peragitur, *ut credamus.* Quæ tam manifeſta & evidentia ſunt de vocatione ad fidem,

ut gratuita, & non ob merita humana, ſeu ob voluntatem & propoſitum Dei, & non hominis; ut nemo niſi valde præventus ab opinione contraria, non id videat.

Quapropter concludendum eſt ibi Auguſtinum tantum loqui de prædeſtinatione ad fidem quæ per dilectionem operatur, ſeu ad fidem & gratiam juſtificantem, ut ſunt à Deo, & non ab homine. Nullo vero modo loqui de prædeſtinatione ad gloriam, cum de ipſa gloria nullum verbum habeat, & cum nullo modo id pertineret ad ſuum propoſitum, quod erat demonſtrare Semipelagianis quos impugnabat, nos non ſolum prædeſtinari ex gratia ad opera quæ fiunt poſt fidem habitam, ut ipſi fatebantur; ſed etiam ad primam fidem: & non ex operibus puri arbitrii, prout ipſi volebant, & in quo conſentiebant cum Pelagianis; ſed ex mera voluntate, ſeu propoſito, ſeu conſilio Dei, quòd idem eſt apud Auguſtinum. Unde hîc nihil omnino eſt contra nos, cum omnia quæ ibi aguntur ſint de prædeſtinatione ad fidem: & ad gratiam, vel ſaltem de tali prædeſtinatione quæ includat fidem & gratiam, ut objecta propria & directa; ut ex dictis luce ipſa clarius eſt, de qua prædeſtinatione nullo modo hîc agimus.

PARAGRAPHUS SEXTUS.

Objectio ſexta proponitur.

SEXTUM argumentum ſumitur ex libro de dono perſeverantiæ c. 9. ubi hæc habet. Itaque ex duobus parvulis originali peccato pariter obſtrictis; cur iſte aſſumatur, ille relinquatur? Et ex duobus ætate grandibus impiis; cur iſte ita vocetur, ut vocantem ſequatur? Ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem ſequatur [Inſcrutabilia ſunt judicia Dei!] Ex duobus autem piis, cur huic donetur perſeverantia uſque in finem: illi autem non detur: Inſcrutabiliora ſunt judicia Dei! Illud tamen fidelibus debet eſſe certiſſimum hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum non eſſe. [Nam ſi fuiſſent ex nobis] inquit unus prædeſtinatorum, qui de pectore Domini biberat hoc ſecretum [manſiſſent utique nobiſcum.]

Ubi videtur Auguſtinus innuere, rationem ſuperiorum peti debere ab electione, & non electione ad gloriam: ita quod illi qui ita vocati ſunt, ut ſequerentur, & perſeverarent, Ideo ſic vocati ſunt, & etiam perſeverarunt, quia erant electi ad Regnum. Alii vero, aut non ſunt vocati, aut non ita vocati, ut ſequerentur, & non perſeverarunt, quia non erant electi ad Regnum. Et poſtquam per modum admirantis dixiſſet: Nonne utrique ex Adam vocati, nati, juſtificati? reſpondet: Sed ſi

hæc audiret ille qui ſciebat proculdubio quid dicebat, reſpondere poſſet, & dicere : vera ſunt hæc : Secundum hæc omnia ex nobis erant : Verumtamen ſecundum aliam quandam diſcretionem (id eſt prædeſtinationem ad gloriam)[non erant ex nobis ; nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum.] quænam eſt tandem iſta diſcretio : patent libri Dei , non avertamus aſpectum : clamat Scriptura divina , adhibeamus auditum. [Non erant ex eis] quia non erant [ſecundum propoſitum vocati] non erant [in Chriſto electi ante mundi conſtitutionem] non erant [in eo ſortem conſecuti.] [Non erant prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus qui univerſa operatur] (id eſt non erant prædeſtinati ad gloriam) Nam ſi hoc eſſent , ex illis eſſent , & cum illis ſine dubitatione manſiſſent. Unde concludunt adverſarii Auguſtinum velle prædeſtinationem ad gloriam , eſſe ſine prævifis meritis, cum velit illam eſſe cauſam ipſorum meritorum & vocationis efficacis & perſeverantiæ, & omnium mediorum efficacium conducentium ad Regnum.

Punctum primum.

Reſponſio prima proponitur, & explicatur.

Respondeo primó & dico , ex hoc ipſo loco manifeſtiſſimum eſſe, Auguſtinum non crediſiſſe prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam vocationis efficacis & perſeverantiæ , nec proinde quod prædeſtinatio ad gloriam ſit ante præviſa merita. Nam ſi hoc crediſiſſet , cum has quæſtiones ſibi proponebat ; cur hic parvulus aſſumatur , alter relinquatur : Cur hic adultus vocetur efficaciter ad gratiam , alter non vocetur efficaciter : cur hic perſeveret , alter non perſeveret ? Non reſpondiſſet recurrendo ad inſcrutabilia judicia Dei ; ſed recurriſſet immediate ad prædeſtinationem gloriæ, quæ cauſa eſſet iſtorum, & dixiſſet: Ideo hic parvulus aſſumitur , quia eſt prædeſtinatus ad gloriam ; ille relinquitur , quia non eſt prædeſtinatus ad gloriam : hic adultus vocatur efficaciter ad gratiam, quia eſt prædeſtinatus ad gloriam , ille non vocatur efficaciter , quia non eſt prædeſtinatus ad gloriam : hic perſeverat , quia eſt prædeſtinatus ad gloriam : ille non perſeverat, quia non eſt prædeſtinatus ad gloriam. Attamen non ſic reſpondet Auguſtinus ; ſed fatetur ſe ignorare , cur hæc fiant, & fatetur in his inſcrutabilia eſſe judicia Dei : Unde manifeſtum eſt , quod numquam credidit prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam iſtorum , nec poinde illam eſſe ante præviſa merita. Unde manifeſtiſſimum eſt quod non bene interpretantur adverſarii verba illa ſequentia Auguſtini , ſcilicet : Illud autem fidelibus debet eſſe certiſſimum , hunc eſſe ex prædeſtinatis , illum non eſſe : Cum dicunt Auguſtinum per hæc reddere rationem præcedentium, indicando prædeſtinationem ad gloriam eſſe rationem illorum , ſcilicet, cur is vocetur efficaciter , ille non ; cur hic perſeveret , ille non : Nam

ſi per hæc verba id intelligeret, & ſic vellet rationem reddere præcedentium, ſibi ipſi valde contradiceret, cum prius dixiſſet iſta eſſe inſcrutabilia, & per hoc impervia rationi humanæ, & ſic ſibi ignota, & tamen quaſi ſui oblitus mox redderet rationem iſtorum, quod ſane nimis eſt abſonum, quam ut Auguſtino tribuatur. Nam ſic arguo ex illa adverſariorum falſa interpretatione: vel ſcivit Auguſtinus prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam conceſſionis, vel negationis gratiæ efficacis & perſeverantiæ, vel non ſcivit: Si ſcivit, cur ergo dicit illa eſſe inſcrutabilia, cum ipſe ſciat rationem illorum? Nam illud ſolùm dicitur inſcrutabile, cujus cauſa ignoratur, ipſe autem bene novit: Si neſcivit; cur ergo tanta cum certitudine affirmat prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam illorum per hæc verba. Illud autem debet eſſe certiſſimum, hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum non eſſe: quæ adverſarii interpretantur de prædeſtinatione ad gloriam, ut veram cauſam illorum: certe in utraque parte dilemmatis manifeſtiſſima eſt contradictio. Cum ergo illa non poſſit tribui Auguſtino circumſpectiſſimo & ſolertiſſimo Doctori, neceſſario tribuenda eſt falſæ interpretationi adverſariorum, qui quod dicit Auguſtinus de prædeſtinatione ad gratiam, ipſi interpretantur de prædeſtinatione ad gloriam: Nam interpretando prædicta verba de prædeſtinatione ad gratiam bene cohærent omnia: Nam cum dicit eſſe inſcrutabile, cur huic detur gratia efficax ad fidem, illi non: cur huic detur perſeverantia, illi non, verum dicit: quia cum collatio & intentio conferendi gratiam ſint Deo mere voluntariæ, ideo nullus illius ſcit cauſam: cum autem dicit poſtea. Illud tamen debet eſſe certiſſimum, quod hic cui dat fidem & perſeverantiam eſt ex prædeſtinatis, ille autem cui has non dat, non eſt ex prædeſtinatis: per hæc non reddit rationem præcedentium; ſed tantum in illa incertitudine, & ignoratione cauſæ præcedentium aſſerit id quod eſt certum, ſcilicet quod cauſa illa qualis qualis ſit quæ nobis eſt incognita ſe tenet ex parte Dei, & non ex parte ſolius humani arbitrii, ut volebant adverſarii. Nam eſſe prædeſtinatum & eſſe ex Deo, idem eſt apud Auguſt. unde cum dicit: Illud autem debet, &c, per hoc nihil aliud vult dicere niſi quod illud eſt ex Deo, & ex illius voluntate, ſeu ex illius propoſito & conſilio, quæ omnia ſunt ſynonyma apud Auguſt. Ex quibus manifeſtum eſt, longe melius illa verba intelligi de prædeſt. ad gratiam quam de prædeſtin. ad gloriam, ut etiam mox explicabimus: Et præterea contra eandem interpretationem hoc eſt, quod contradicat certæ Auguſtini doctrinæ quam explicuimus in argumento 8. ex Auguſtino, per quam ſanctus Doctor reprehendit eos qui dicebant populis: Si qui eſtis qui obeditis, ſi prædeſtinati eſtis rejiciendi, ſubtrahentur obediendi vires ut obedire ceſſetis: Nam dicere quod ideo Deus negat perſeverantiam, quia non prædeſtinavit ad gloriam, nihil eſt aliud quam dicere, quod Deus ideo negat eis gratiam efficacem ad perſeverandum, ad hoc ut non perſeverent, ſeu ut obedire ceſſent, & ita excludantur à gloria, quod ſatis ibi oſtendimus eſſe falſiſſimum

Vires obedientia non ideo cuiquã ſubtraxit.

falſiſſimum in doctrina Auguſtini. Quapropter concludendum eſt Auguſtinum nunquam tenuiſſe prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam perſeverantiæ, nec gratiæ efficacis ad fidem, nec aliorum mediorum certo & infallibiliter ad aſſequendam gloriam conducentium, prout volunt adverſarii: ſed ignoraſſe cauſam illorum, ut hîc & alibi communiter aſſerit, & profitetur: Et proinde non tenuiſſe hîc prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante præviſa merita, cum hæc opinio ſubſiſtere nequaquam poſſit niſi credatur etiam quod illa prædeſtinatio eſt cauſa ſupradictorum, quod oſtendimus hîc Auguſtinum non crediſſe; ſed potius id ſibi & aliis eſſe inſcrutabile & incognoſcibile faſſum eſſe.

quia eum nõ prædeſtinavit; ſed quia ipſum receſſurum ab ipſa obedientia eſſe prævidit, ideo eum nõ prædeſtinavit. D. Proſper in object. 12. Gallor.

Punctum II.

Reſponſio ſecunda profertur, & exponitur.

RESPONDEO ſecundò, Auguſtinum in hoc textu non agere de prædeſtinatione ad gloriam; ſed tantum de prædeſtinatione ad gratiam vocationis efficacis ad fidem, & ad perſeverantiam: nihilque aliud velle demonſtrare, niſi quod vocatio efficax ad fidem & ad perſeverantiam, eſt donum Dei mere gratis conceſſum, & non hominum meritis redditum: Quod facillimum eſt oſtendere, tum ex antecedentibus, tum ex conſequentibus, tum ex his etiam quæ habentur in textu, qui nobis objicitur: nihil enim illi curæ an prædeſtinatio ad gloriam ſit ante, vel poſt præviſa merita, modò fateantur ii, contra quos ibi agebat, quod vocatio efficax ad fidem, & perſeverantia in illa ſunt ex Deo, & non ex homine; ſunt ex gratia Dei, & non ex meritis hominum, ſunt gratis datæ, & non meritis redditæ. Hoc omnino agit, & nihil aliud; quod ſic patet ex antecedentibus: Nam capite 7. ſic ait initio. Si ergo alia documenta non eſſent: hæc Dominica oratio nobis ad cauſam *gratiæ quam defendimus* ſola ſufficeret, quia nihil *nobis* relinquit in quo tanquam in *noſtro* gloriemur (ecce quod agit & intendit in ſequentibus) ſi quidem & ut non diſcedamus à Deo (id eſt perſeveremus) non oſtendit *dandum eſſe niſi à Deo*, cum poſcendum oſtendit à Deo. Et infra: Poſt caſum autem hominis, non niſi ad *gratiam* ſuam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum (id eſt credat) neque niſi ad *gratiam* ſuam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo (id eſt perſeveret) Hanc *gratiam* poſuit in illo quo [Sortem conſecuti ſumus prædeſtinati ſecundum propoſitum *ejus* qui univerſa operatur] ac per hoc ſicut *operatur*, ut accedamus, *ſic operatur* ne diſcedamus. (ecce quod intendit Auguſtinus) Et infra: Manus igitur *Dei* eſt iſta, non *noſtra*, ut non diſcedamus à Deo. Et adhuc infra: Orat (Eccleſia) ut increduli credant, Deus ergo *convertit* eos ad fidem: orat ut credentes perſeverent: Deus ergo *donat* perſeverantiam uſque in finem. (nihil hîc omnino agit niſi ut oſtendat perſeverantiam eſſe à Deo gratis datam, & non ex meritis

In hac parte cauſam gratiæ formaliter, & ex profeſſo defendit Auguſtinus id eſt demonſtrat illam eſſe gratuitam: unde non agit de gloria, nec de prædeſtinatione ad illam, ſed de ſola gratia, & de prædeſtinatione ad illam.

Subterfugiū noſtrorum adverſariorum eſt, dicere quod ibi loquitur Auguſtinus de gloria ſub nomine gratiæ; ſed falsū eſſe demonſtratur ex verbis Aug. quæ non poſſunt convenire gloriæ; ſed ſoli veræ gratiæ.

hominum redditam) Et deinde ſic incipit caput 8. Sed cur, inquit, *gratia* Dei non ſecundum merita hominum datur (ecce quod prætendebant adverſarii contra Auguſtinum, ſcilicet fidem & perſeverantiam dari ob merita hominum, & non ex mera gratia, & voluntate Dei, ut volebat Auguſtinus: quibus ſic reſpondet) Reſpondeo quoniam Deus miſericors eſt (id eſt quia vult illorum miſereri, per quæ negat illa merita Auguſtinus. Ex quo manifeſtum eſt, quod ibi loquitur Auguſtinus de gratia data ad actum, & non de gloria ut gratuita, prout aliquando gratiam illam interpretantur adverſarii; nunquam enim negavit Auguſtinus illam gratiam (ſeu gloriam in ſenſu adverſariorum noſtrorum) dari ob merita hominum, ſicut negat hîc gratiam dari: Quod ſi dicas hîc ſolum negare Auguſtinum merita pure humana: ergo per hoc evidentiſſimum eſt quod Auguſtinus ſolùm negat illa merita pure humana pertinere ad illam prædeſtinationem quam defendit, & non merita gratiæ quæ ſola hîc defendimus. Unde non eſt quod tantopere clament adverſarii contra illa merita quæ defendimus ut pertinentia ad prædeſtinationem gloriæ; quandoquidem contra illa non agit Auguſtinus; ſed contra alia quæ erant pure humana, & Semipelagiana.

Sed non loquitur hîc Auguſtinus de illa gratia, ſeu gloria; ſed de ea quam Deus dat ad actum fidei, & ad perſeverantiam in finem: Unde & proſequitur dicens: Ac per hoc & *gratis* ab eo datur *gratia*, & juſto ejus in aliis judicio demonſtratur quid eis quibus datur, conferat *gratia:* Non itaque ſimus ingrati quod *ſecundum placitum voluntatis ſuæ* in laudem gloriæ *gratiæ ſuæ* tam multos liberat miſericors Deus, de tam debita perditione (hîc manifeſte declarat ibi ſe non agere de gloriâ ut gratuitâ, ſeu ibi non vocare gloriam, gratiam: cum certum ſit quod quibus illa datur, perditio non debetur, ut hîc dicitur, quod debetur perditio quibus datur illa gratia de qua hîc agit) ut ſi inde neminem liberaret non eſſet injuſtus (at ſi non liberaret à morte æterna eos quibus dat gloriam ipſe eſſet injuſtus, ergo non loquitur ibi de gloria ut gratuita; ſed de prima gratia, vel ut ſola, vel ut conjuncta perſeverantia, cum de ſola iſta gratia poſſint verificari ſupradicta. Nec enim dici poteſt ibi liberationem ſumi pro prædeſtinatione ad gloriam ſecundum intentionem: notum enim eſt apud Auguſtinum * prædeſtinationem non vocari liberationem, ſed præparationem donorum Dei; liberationem autem ipſam ſumi pro effectu ipſius prædeſtinationis: Unde nullus eſt ibi dubitandi locus, quin ibi gratia ſumatur pro prima fide & dilectione uſque in finem perſeverante: unde & ſequitur) qui ergo liberatur *gratiam diligat*, qui non liberatur, debitum agnoſcat (quæ confirmant præcedentia, ut & ea quæ ſequuntur in fine capitis) *Non itaque*, inquit, *in hominum*, *ſed in Dei poteſtate* eſt, ut habeant homines poteſtatem filii Dei fieri. *Ab ipſo* quippe *accipiunt* eam qui *dat* cordi humano cogitationes pias, per quas habeant *fidem quæ operatur per dilectionem, ad quod bonum ſumendum, & tenendum & in eo perſeveranter uſque in*

Quod ſi dicant ibi Auguſtinum loqui de prædeſtinatione ad gratiam ſimul & ad gloriam: Reſpondemus quod hoc non ſpectat ad nos qui loquimur ſolum de prædeſtinatione ad gloriam ſolam.

**Pro quo vide c. 14 de dono perſev. ubi ponit Auguſt. definitionem prædeſtinationis dicēs*

finem proficiendum: non ſumus idonei cogitare aliquid, *quaſi à nobiſmetipſis*; ſed ſufficientia noſtra à *Deo eſt*, in cujus eſt poteſtate cor noſtrum, & cogitationes noſtræ. (Ubi ſolum probat primam fidem quæ per dilectionem operatur uſque in finem, eſſe mere gratuitam, ubi nihil de gloria: Et deinde mox ſequitur textus in objectione allatus ut concluſio & illatio ex præcedentibus: unde clarum eſt quod eſt de eadem ipſiſſima materia de qua antè locutus eſt, & non de alia) Ex duobus *itaque* parvulis originali peccato pariter obſtrictis; cur iſte aſſumatur (ſcilicet ad baptiſmum) ille relinquatur: Et ex duobus ætate jam grandibus impiis; cur iſte ita vocetur (ſcilicet ad fidem quæ per dilectionem operatur) ut vocantem ſequatur, ille autem non vocetur, aut non ita vocetur [Inſcrutabilia ſunt judicia Dei] (quia nempe id pendet à mera voluntate Dei, & non hominis, ut volebant illius adverſarii) Ex duobus autem piis; cur huic donetur perſeverantia uſque in finem, illi autem non donetur: Inſcrutabiliora ſunt judicia Dei: Illud tamen fidelibus debet eſſe certiſſimum, hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum non eſſe: quid, quæſo, per hoc ſignificari poteſt, niſi hoc, quod intendit probare per præcedentia, ſcilicet, primam fidem ſeu vocationem efficacem ad illam, & perſeverantiam, eſſe ex dono Dei, & ex voluntate Dei, & non ex meritis hominum, cum ſit concluſio & illatio ex antecedentibus dictis, ubi ſolùm probavit illa eſſe ex Deo, & non ex homine. Unde ſenſus eſt quod non obſtante eo quod neſciamus cur iſta ſint, & ignoremus cauſam illorum, ſcilicet, cur hic aſſumatur, ille relinquatur; hic perſeveret, ille non perſeveret: debemus tamen credere, quod à Deo ſunt, & quod à mera voluntate, & beneplacito ipſius ſunt, unde & ſequitur ipſius rei ratio, non à priori; ſed à poſteriori, ſeu ſigno: ſcilicet) [Nam ſi fuiſſent] inquit [ex nobis] (id eſt prædeſtinati ad eamdem fidem & perſeverantiam) ait unus prædeſtinatorum, qui de pectore Domini biberat hoc ſecretum [manſiſſent utique nobiſcum] (id eſt perſeveraſſent nobiſcum: quia nempe prædeſtinatio eſt infallibilis. Unde ſi prædeſtinati fuiſſent ad perſeverantiam, perſeveraſſent: ſed quia non perſeverarunt, ideo ſignum eſt quod non fuerunt prædeſtinati ad perſeverantiam. Quod clare explicat in ſequentibus dicens) quid eſt quæſo? [Non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent, manſiſſent utique nobiſcum] nonne utrique à Deo creati, utrique ex Adam nati, utrique de terra facti erant, ab eo qui dixit: [Omnem flatum ego feci] unius ejuſdemque naturæ animas acceperant (per quæ oſtendit differentiam ſupradictam efficaciter vocatorum, eſſe à ſolo Deo volente & mere gratis ad illud donum prædeſtinante, & non ab homine illud promerente, cum in his æquales eſſent, & tamen illi diverſa recepiſſent) nonne poſtremo utrique vocati fuerant, & vocantem ſecuti, utrique ex impiis juſtificati, & per lavacrum regenerationis utrique renovati (per quæ etiam oſtendit perſeverantium, & non perſeverantium differentiam non poſſe ſe tenere ex parte vocationis efficacis ad fidem & juſtificationem: cum illi omnes

eam nihil aliud eſſe niſi præſcientiam & præparationem beneficiorũ Dei, quibus certiſſime liberantur quicumque liberantur. Ubi liberatio ponitur effectus prædeſtinationis, ut per ſe manifeſtum eſt.

eſſent fideles & juſtificati, & tamen alii perſeverarunt, alii non perſeverarunt,quod & mox ſubjicit dicens) Sed ſi audiret ille qui ſciebat procul dubio quid dicebat reſpondere poſſet, & dicere [Vera ſunt hæc, ſecundum hæc omnia ex nobis erant] (id eſt hæc à Deo ſicut & nos acceperant) verumtamen ſecundum aliam quandam diſcretionem (id eſt prædeſtinationem ad perſeverantiam) non erant ex nobis (id eſt illud donum non acceperant, ſicut & nos) Nam ſi fuiſſent ex nobis (id eſt ſi donum iſtud ſicut & nos accepiſſent, & in hoc æquales nobis eſſent) manſiſſent utique nobiſcum (id eſt perſeveraſſent) quænam eſt tandem iſta diſcretio: patent libri Dei, non avertamus aſpectum: Clamat Scriptura divina, adhibeamus auditum [Non erant ex eis] quia non erant [ſecundum propoſitum vocati:] non erant [in Chriſto electi ante conſtitutionem mundi] non erant [in eo ſortem conſecuti] non erant [prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus qui univerſa operatur] (quæ omnia ſunt ſynonyma nihil aliud ſignificantia quam meram & gratuitam voluntatem divinam, à qua fluxit donum perſeverantiæ in bono uſque in finem: Quod deinde ſic probat) Nam ſi hoc eſſent ex illis eſſent, & cum illis ſine dubitatione manſiſſent. Ut enim non dicam quam ſit poſſibile *Deo* averſas & adverſas in fidem ſuam hominum *convertere* voluntates, & in eorum cordibus *operari*, ut nullis adverſitatibus cedant, nec ab ipſo aliqua ſuperati tentatione diſcedant, cum poſſit, &c. Et reliqua quæ late proſequitur; ſed ſunt nimis prolixa quam ut huc transferantur: in quibus nihil aliud agit, quam ut oſtendat illam primam fidem & perſeverantiam, de quibus ſupra, eſſe à Deo mere volente, & eas gratis prædeſtinante, & non ab homine illas promerente, ut volebant adverſarii, ob neſcio quas actiones futuras quas Deus prævideret, quæ tamen nunquam erant futuræ: Unde & concludit initio capitis 11. dicendo: Proinde ſicut Apoſtolus ait, [Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei] qui & parvulis quibus vult etiam non volentibus, neque currentibus ſubvenit, quos [ante conſtitutionem mundi elegit in Chriſto:] daturus etiam eis gratiam gratis, hoc eſt nullis eorum vel fidei, vel operum meritis præcedentibus: Et majoribus etiam his quos prævidit, ſi apud eos facta eſſent, ſuis miraculis credituros (hæc eſt illa præſcientia futurorum nunquam futurorum quam rejicit Auguſtinus à prædeſtinatione ad gratiam: quam præſcientiam aſtruebant Semipelagiani, ut ſe tuerentur contra argumentum Auguſtini inſuperabile pro gratuitate gratiæ, ſumptum ex parvulis, qui nec poterant mereri per opera, nec etiam velle; & tamen Deus dabat eis gratiam: ipſi autem Semipelagiani confugiebant ad actiones futuras ſub conditione, ſcilicet quas feciſſent, ſi diutius vixiſſent, quæ tamen nunquam erant futuræ: ut ex earum merito dicerent illam gratiam parvulis dari, quod cum ſupra rejeciſſet Auguſtinus, hic concludit, & ait: Quod nonobſtante illa præſcientia ſive reſpectu operum parvulorum ſub conditione futurorum, ſive adultorum) quibus (Deus) non vult ſubvenire, non ſubvenit,

de quibus in ſua prædeſtinatione (id eſt in ſua diſpoſitione, conſilio, voluntate) occulte quidem, ſed juſte aliud judicavit. Non [enim inquit] eſt iniquitas apud Deum, ſed inſcrutabilia ſunt judicia ejus & inveſtigabiles viæ ejus. Et eandem concluſionem repetit cap. 11. initio: ubi ait: Conficitur itaque *gratiam* Dei *non ſecundum merita* accipientium dari, *ſed ſecundum placitum voluntatis ejus* in laudem & gloriam ipſius gratiæ ejus, ut [Qui gloriatur] nullo modo in ſeipſo, ſed [*in Domino glorietur*,] qui hominibus *dat*, *quibus vult*, quoniam miſericors eſt: Quod etſi non det, juſtus eſt, & non dat quibus non vult, [Ut notas faciat divitias gloriæ ſuæ, in vaſa miſericordiæ:] dando enim quibuſdam quod non merentur, profecto *gratuitam*, & per hoc veram ſuam *gratiam* eſſe voluit. In quibus omnibus nihil aliud agit, niſi ut oſtendat vocationem efficacem ad fidem & perſeverantiam eſſe mere gratuitam, & non meritis hominum redditam: eſſe à Deo, & non ab homine, ut volebant illius adverſarii. Ex quo manifeſtum eſt totum ibi eſſe de gratia, nihil autem de gloria, cum nequidem unum ibi verbulum habeat de eâ: nec etiam erat intentum ſuum, cum non ageret de illa; ſed ſolum de gratia. Nec etiam prorſus conveniebat ei probanti gratiam eſſe mere gratuitam, loqui de gloria quæ ſine dubitatione datur propter merita; & ſic etiam prædeſtinatur propter merita ſecundum illius principia: Sic enim dediſſet anſam adverſariis ſuis nova bella parandi, & novas quæſtiones ventilandi, quod ſemper voluit evitare Auguſtinus. *Vide argumentum ex Auguſt. Vide 2. rationem ex Scripturis circa med.*

PUNCTUM III.

Tres ultimæ reſponſiones proponuntur, & explicantur.

RESPONDEO tertiò quod ſi tamen aliquo modo loquatur hîc Auguſtinus de prædeſtinatione ad gloriam, non loquitur de eâ prout eam hîc ſumimus, ſcilicet prout condiſtincta eſt à prædeſtinatione ad gratiam, ſed prout eſt conjuncta cum prædeſtinatione ad gratiam: Et ratio eſt, quia ibi, ut vidimus, formaliter, & ex profeſſo loquitur de gratia vocationis & perſeverantiæ, non autem de per accidens, quaſi eſſet tantum effectus prædeſtinationis ad gloriam; ſed tanquam de objecto formali & directo prædeſtinationis illius, de qua agit: Cum ipſe dicat formaliter & expreſſe c. 7. ſe defendere cauſam gratiæ, quæ gratia, ut vidimus, non ſumitur pro gloria, ut gratuita; ſed pro gratia vocationis efficacis & perſeverantiæ. Ergo locus iſte non eſt contra nos, cum nequidem loquatur de illa prædeſtinatione de qua agimus.

Reſpondeo quartò & dico quod etiamſi locus iſte eſſet de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, & non ut cum gratia conjunctam: tamen nihil efficeret contra nos; cum illa omnia quæ ibi habentur, bene & commode poſſint exponi de prædeſtinatione ad gloriam poſt præviſa merita: nullo autem modo de prædeſtinatione ad gloriam ante

In prima Solutione. prævisa merita, ut ſupra demonſtravimus: Nam primo quoad illa verba; ſcilicet: Illud autem fidelibus debet eſſe certiſſimum, hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum non eſſe: bene & commode poſſunt intelligi de prædeſtinatione poſt prævisa merita, ſumendo ſcilicet illa in genere ſigni, & à poſteriori non vero in genere cauſæ & à priori: ita quod ſenſus ſit, quod licet ignoremus rationem iſtorum, ſcilicet: Cur hic vocetur efficaciter, ille non: cur hic perſeveret, ille non: tamen debemus credere, & ut certum ſupponere, quod hic qui actu perſeverat eſt prædeſtinatus ad gloriam, ille qui non perſeverat non eſt prædeſtinatus ad gloriam, quia nempe Deus eos ſolos prædeſtinat, quos prævidet eſſe perſeveraturos: & eos ſolos non prædeſtinat, quos prævidet non eſſe perſeveraturos: Unde cum hic perſeveret, ſignum eſt quod eſt prædeſtinatus: cum autem ille non perſeveret actu, ſignum eſt quod non eſt prædeſtinatus ad gloriam, quia ſi perſeveraturus fuiſſet ſine dubio prædeſtinatus fuiſſet, & è contra ſi prædeſtinatus fuiſſet ſine dubio perſeveraret, quia illa duo convertuntur perſeveraturum eſſe & prædeſtinatum eſſe ad gloriam: Unde bene unum infertur ex alio: & eſt idipſum quod ſequitur in textu, ſcilicet: [Nam ſi fuiſſent ex nobis] aït unus prædeſtinatorum qui de pectore Domini biberat hoc ſecretum, [manſiſſent utique nobiſcum.] id eſt ſi fuiſſent prædeſtinati ſicut & nos ad gloriam, manſiſſent utique & perſeveraſſent nobiſcum, quia Deus nullum prædeſtinat quem non prævideat eſſe manſurum & perſeveraturum: & ſic explicat hunc textum D. Proſper in Reſponſ. ad 12. Object. Vincentianam, dicens: Hi autem de quibus dicitur ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis; ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum. Voluntate exierunt, voluntate ceciderunt, & quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati: eſſent autem prædeſtinati, ſi eſſent reverſuri, et in ſanctitate ac veritate manſuri. Et ſic etiam exponit locum illum ipſe Auguſtinus lib. de correptione & gratia cap. 9. ut infra videbitur in Object. 13. Puncto 5. latiſſime. Et ſic illa verba nullam difficultatem habent in noſtra ſententia, ut nec ſequentia, quæ nihil aliud dicunt quam præcedentia, ſcilicet quod licet illi vocati & juſtificati fuerint, non tamen fuerunt prædeſtinati ad gloriam. Quandoquidem non habuerunt actualem perſeverantiam quæ eſt ſignum individuum prædeſtinationis iſtius. Unde ex his male concludunt adverſarii dicentes: quod per hæc voluit Auguſtinus indicare prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam vocationis efficacis & perſeverantiæ: Tam enim hoc abſurdum eſt, ac ſi quis v. g. inferret Chriſtum fuiſſe cauſam peccati Judæ, quia prævidit illud: Bene enim ſequitur ſi Chriſtus prævidit Judam peccaturum, Judas peccabit: ut bene ſequitur, ſi prædeſtinati fuiſſent ad gloriam, perſeveraſſent, ſeu manſiſſent: Sed ut prævisio Chriſti non eſt cauſa peccati Judæ, nec peccatum Judæ effectus iſtius prævisionis, ſed tantum ſignum illius, in quo eſt vis illationis, ut vidimus ex Proſpero, ita prædeſtinatio ad gloriam non eſt cauſa perſeverantiæ in prædeſtinatis, nec perſeverantia eſt illius

prædeſtinationis effectus; ſed tantum ſignum illius, in quo dicimus eſſe totam vim illationis niſi contrarium aliunde probetur. Quod ſi dicas prædeſtinationem ad gloriam eſſe effectivam, prævisionem vero eſſe mere ſpeculativam, reſpondeo prædeſtinationem ad gloriam eſſe effectivam gloriæ, non vero vocationis efficacis & perſeverantiæ, de quibus loquimur, unde quantum ad hoc tam mere eſt ſpeculativa illa prædeſtinatio, ac ipſa præſcientia: niſi contrarium aliunde probetur, nec enim debet ſupponi, cum ſit idipſum quod hîc quæritur, & controvertitur. Nam ſi daremus quod prædeſtinatio ad gloriam eſt cauſa meritorum, & perſeverantiæ, non eſſet ambigendum quod illa eſſet ante præviſa merita: Sed tâm quæritur hîc & controvertitur, an illa ſit cauſa meritorum, & perſeverantiæ, quam an illa ſit ante præviſa merita. Unde inſtantia iſta nihil efficit contra paritatem comparationis ſupra aſſumptæ, cum ſupponat id quod controvertitur.

Reſpondeo quintò & dico, & forte non longe à mente Auguſtini, ſi ibi loquatur de prædeſtinatione ad gloriam: quod loquitur de illa abſtrahendo à modo quo facta eſt, ſeu abſtrahendo ab eo quod ſit ante vel poſt præviſa merita. Solebat enim hoc modo tractare quæſtiones incidentes Auguſtinus, ut late oſtendi in ſecunda ratione ex Scripturis circa medium: Unde cum hæc quæſtio eſſet tantum incidens (nunquam enim ex profeſſo egit Auguſtinus de prædeſtinatione ad gloriam; ſed tantum de prædeſtinatione ad gratiam, ut oſtendi initio teſtimoniorum Auguſtini) non eſt mirum quod de illa egerit, ut de cæteris ſcilicet eam non ſolvendo; ſed tantum dicendo quod erat neceſſarium ad ſolvendam principalem ſuam quæſtionem, quæ erat de gratia vocationis efficacis & perſeverantiæ, & non de gloria; dicendo ſcilicet: Illos eſſe prædeſtinatos ad gloriam, qui actu perſeverarent, & illos non eſſe, qui non perſeverarent, relinquendo illam quæſtionem incidentem intactam, an prædeſtinatio illa eſſet ante vel poſt præviſa merita; & ſic, non determinando an concluderet in genere cauſæ, an vero in genere ſigni, cum utroque modo ſumi poſſet, quod non erat neceſſarium determinare, pro ſolvenda principali ſua quæſtione. Nam utrovis modo ſumas illam prædeſtinationem, ſemper eſt ex gratia ſecundum Auguſtinum: vel immediate, ut volunt adverſarii, vel mediate, ut nos volumus cum Auguſtino, propter nempe merita gratiæ quibus ipſa vita æterna redditur, quam ideo ipſe Auguſtinus vocat libro de corrept. & gr. cap. 13. gratiam pro gratia. Et ſic ſatis apparet quod quomodocumque ſumatur textus iſte, non eſt contra nos: Veruntamen puto ſecundam Solutionem quæ explicat textum illum de prædeſtinatione ad perſeverantiam, eſſe veriſſimam atque germanam.

PARAGRAPHVS SEPTIMVS.

Tres ſequentes proponuntur, & ſolvuntur objectiones; ſcilicet ſeptima, octava & nona.

SEPTIMUM argumentum ſumitur ex eodem libro cap. 14. ubi loquens Auguſtinus de Tyriis & Sidoniis, ait eis negatum eſſe unde crederent, quia non erat eis datum ut crederent. Id eſt, quia non erant prædeſtinati ad fidem, ideo eis non ſunt data media efficacia ut ad fidem pervenirent. Ubi patet Auguſtinum velle, Deum prius eligere ad fidem, dein decernere media ad eam conſequendam efficacia, & è contra ideo non dare illa media; quia non prædeſtinavit ad fidem. Ergo ſimiliter dicendum eſt de prædeſtinatione ad gloriam; ſcilicet quod cenſuit Auguſtinus Deum priùs eligere quoſdam ad gloriam; & deinde decernere eis media ad illam conſequendum efficacia. Et è contra non dare illa media iis quos non vult eligere ad gloriam. Et ſic patet, quod prædeſtinatio ad gloriam eſt ante prævifa merita, cùm illa prædeſtinatio ſit cauſa meritorum in omnibus iis qui prædeſtinati ſunt ad illam.

Vide eundē textum paulo aliter ſolutum in 1. Object. ex ratione.

Reſpondeo, negando conſequentiam, propter magnam diſparitatem & diſtantiam quæ eſt inter utramque prædeſtinationem illam ſecundum Auguſtinum; Nam prima quæ eſt ad fidem, agnoſcitur ab Auguſtino ut mere gratuita, & ut ſic, bene ait Auguſtinus, ita illam fieri, ut ſic prædeſtinati prius eligantur, & deinde media illis procurentur efficacia ad conſequendum finem illum ad quem electi ſunt. At vero altera prędeſtinatio quæ eſt ad gloriam, non agnoſcitur ab Auguſtino ut mere gratuita: imo vero oſtendimus in argumentis ex eo quod cenſuit eam eſſe factam ob merita. Unde non bene arguitur ab una ad alteram. Pręcipue in hac parte quæ ſpectat intrinſece gratuitatem, vel non gratuitatem prædeſtinationis. Nam licet non repugnet rei gratuitæ decerni ante merita, quia cum ſit gratuita non cauſatur à meritis; tamen repugnat rei non gratuitæ, decerni ante merita, quia cauſatur à meritis. Unde cum certum non ſit apud Auguſtinum an prædeſtinatio glorię ſit mere gratuita, imo vero probaverimus contrarium: Ideo non bene arguitur in hac parte à prædeſtinatione fidei, quam conſtat eſſe mere gratuitam ad prædeſtinationem gloriæ, quam non conſtat eſſe ita gratuitam; imo vero apparet contrarium: Et præterea ſupra demonſtratum eſt argumento 1. ex Script. merita non eſſe media, quibus Deus exequitur prædeſtinationem ad gloriam; ſed potius eſſe motiva, & proinde debere eſſe priora, & non poſteriora iſta prædeſtinatione, contra ſuppoſitionem in objectione factam.

Et hæ

Et hæ ſunt objectiones communes, quæ ſumuntur ex Auguſtino. Nunc tranſeundum eſt ad objectiones particulares, quæ vel referuntur ab Authoribus, vel objiciuntur ab eis, quæ tamen ſunt ex Auguſtino.

Octavum argumentum ſumitur ex quodam libro Soliloquiorum, qui eſt in fine tomi 9. inter ſpuria Auguſtini opera: Et refertur ab Iſamberto 1. p. qu. 23. diſput. 4. A. 8. ubi ſic aït: Quidam proferunt locum ex libro Soliloquiorum cap. 28. Sed non immorabimur ejus Solutioni, cum liber ille non ſit S. Auguſtini, ut Lovanienſes notant ad initium iſtius libri. S. enim Auguſt. lib. 1. retract. c. 4. duorum duntaxat meminit librorum à ſe compoſitorum quos Soliloquia vocat, ultra quos liber hic citatus recenſetur inter opera falsò aſcripta S. Auguſtino; Et præterea ſi eſſet gravis Authoris alicujus, poſſet facile explicari de prædeſtinatione ad primam gratiam, ut patet ex ipſo textu. Hæc Iſambertus. Vidi autem locum illum qui formaliter eſt de prædeſtinatione ad munditiam, ſeu gratiam ſanctificantem: unde etſi loqueretur de prædeſtinatione ad gloriam, non eſſet de prædeſtinatione ad gloriam ſolam; ſed de prædeſtinatione ad gratiam ſimul & ad gloriam, de qua hîc non agimus.

Nonum argumentum ſumitur ex Enchiridio cap. 98. & objicitur nobis ab Eſtio in 1. diſt. 41. §. 4. ubi aït quod Auguſtinus de hac prædeſtinatione diſſerens ex Apoſtoli ſententia ad Rom. 9. atque poſt alia proferens illud ab Apoſtolo repetitum ex Propheta teſtimonium [Jacob dilexi, Eſaü autem odio habui] ita ſubjungit: Sentiens autem Apoſtolus, quemadmodum poſſet hoc quod dictum eſt, permovere eos qui penetrare intelligendo non poſſunt altitudinem gratiæ: [Quid ergo dicemus] aït [Nunquid iniquitas eſt apud Deum? abſit.] Iniquum enim videtur, ut ſine ullis bonorum malorumve operum meritis, unum Deus diligat, odiatque alterum. Qua in re ſi futura opera, vel bona hujus, vel mala illius, quæ Deus utique præſciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret non ex operibus; ſed diceret ex futuris operibus, eoque modo iſtam ſolveret quæſtionem. Imò nullam quam ſolvi opus eſſet, faceret quæſtionem. Nunc vero cum reſpondiſſet [abſit] id eſt, abſit ut ſit iniquitas apud Deum, mox ut probaret nulla hoc iniquitate Dei fieri, inquit; [Moïſi enim dicit: Miſerebor cui miſertus ero, &c.] Quis enim niſi inſipiens Deum iniquum putet? ſive judicium pœnale ingerat digno, ſive miſericordiam præſtet indigno: Et quæ ſequuntur. Clare autem oſtendit hic locus dilectionem, ſeu prædeſtinationem Jacob, non ſolum non fuiſſe ex operum præſcientia, quæ ille ex viribus naturæ ſine gratia facturus putaretur, ſed nequidem ex præſcientia bonorum operum quæ fecit ex gratia. Hujuſmodi enim erant futura ipſius Jacob opera, ex quibus prævisis negat Auguſtinus eum fuiſſe prædeſtinatum. Hæc ibi Eſtius.

Reſpondeo, ibi loqui Auguſtinum de mera prædeſtinatione ad gratiam juſtificantem, ſeu converſionem peccatoris: & ne cogitaſſe quidem ibi de gloria: Et ratio eſt, quia ibi ſolùm volebat probare ſim- *Locus iſte eſt de prædeſtinatione ad gratiam,*

vel totaliter vel ſaltem partialiter, cum in eo agatur de gratia formaliter & directe; unde non eſt contra nos.

mam Dei poteſtatem ad convertendum hominum corda & voluntates in bonum quando volebat, ſine eo quod deberet expectare bonam eorum diſpoſitionem, ut volebanr illius adverſariii Pelagiani. Ad quem ſcopum, ſeu finem impertinens erat loqui de prædeſtinatione ad gloriam; ſed bene pertinebat loqui de prædeſtinarione ad gratiam converſionis, ſeu ſanctificantem. Unde hæc eſt illius theſis paulo ante verba in objectione allata, quam poſtea probar in ſequentibus; Quis porrò, inquit, tam impie deſipiat, ut dicat Deum, malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, *in bonum non poſſe convertere*; ſed cum facit, per *miſericordiam* facit: (id eſt non ob meritum præcedens, quod poſtulabant adverſarii: ſed per meram miſericordiam) cum autem non facit, per judicium non facit. (hæc eſt illius theſis, & ſequitur probatio) Quoniam[Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat] (per hoc verbum, *indurat*, quod ibi opponitur præcedenti verbo, *miſeretur*, cum non poſſit intelligi, niſi negatio gratiæ efficacis ad converſionem peccatoris, ita per verbum, miſeretur ei oppoſitum non poteſt intelligi, niſi collatio gratiæ efficacis ad convertenda corda hominum: Unde apparet, quod ibi eſt ſermo de prædeſtinatione ad gratiam, ſeu converſionem peccatoris, & non ad gloriam. Unde & ſequitur) quod cum diceret Apoſtolus, *gratiam* (ecce gratiam) commendabat, ad cujus commendationem de illis in Rebeccæ utero geminis fuerat jam locutus: Quibus[Nondum natis, nec aliquid agentibus boni, ſeu mali, ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret; non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: quia major ſerviet minori] proprer quod adhibuit alterum propheticum reſtimonium (& eſt textus in objectione allatus) ubi ſcriptum eſt [Jacob dilexi, Eſaü autem odio habui] ſentiens autem quemadmodum poſſet, hoc quod dictum eſt, permovere eos qui penetrare intelligendo non poſſunt altitudinem *gratiæ* (ecce gratiam [Quid ergo dicemus:] aït [Nunquid iniquitas eſt apud Deum, abſit?] Iniquum enim videtur ut ſine ullis bonorum malorumve operum meritis, unum Deus diligat, odiatque alterum (hoc dicit in perſona adverſariorum: nunc loquitur in ſua) Qua in re ſi futura opera, vel bona hujus, vel mala illius, quæ Deus utique præſciebat, veller intelligi: nequaquam diceret, non ex operibus(per quod rejicit præcedens meritum voluntatis tam in præviſione, quam in re, quod ſupponebant adverſarii) ſed diceret ex futuris operibus, eoque modo iſtam ſolverer quæſtionem, imo nullam, quam ſolvi opus eſſet, faceret quæſtionem. Nunc vero cùm reſpondiſſet[Abſit] id eſt, abſit ut ſit iniquitas apud Deum: mox ur probaret nulla hoc iniquitate Dei fieri, inquit, Moïſi enim dicit: [Miſerebor cui miſertus ero, & miſericordiam præſtabo, cui miſertus fuero]Quis enim niſi inſipiens Deum iniquum putet? ſive judicium pœnale ingerat digno, ſive miſericordiam præſtet indigno. (ubi evidentiſſimum eſt quod per miſericordiam intelligit gratiam, & non gloriam: cum gloria nunquam præſtetus

ndigno; ſed ſemper digno & promerenti eam ex condigno: è contra vero prima gratia, ſeu gratia converſionis de qua ibi loquitur, nunquam datur digno, ſed ſemper indigno: Unde eſt illa ipſiſſima de cujus prædeſtinatione hîc loquitur, & non de gloria. Reliqua quæ ſequuntur, ſunt poſt textum in objectione allatum, & confirmant præcedentia) Denique infert, & dicit [Igitur non volentis neque currentis, ſed volentis eſt Dei] ambo itaque gemini [Naturâ filii iræ naſcebantur] nullis quidem operibus propriis, ſed originaliter ex Adam vinculo damnationis obſtricti: Sed qui dixit [Miſerebor, cui miſertus ero, & miſericordiam præſtabo, cui miſericors fuero] Jacob dilexit, per miſericordiam *gratuitam* (ecce quod intendit, ſcilicet illam miſericordiam non fuiſſe cauſatam ex præcedentibus meritis bonæ diſpoſitionis voluntatis, vel in re, vel in præviſione, ut volebant adverſarii; ſed eſſe mere gratuitam, mere volitam, & voluntariam Deo, nihil antè ſupponenti ad illam converſionem ex malo in bonum efficiendam) Eſaü autem odio habuit per judicium debitum: Quod cum deberetur ambobus, in altero alter agnovit, non de ſuis diſtantibus meritis (ſcilicet bonæ diſpoſitionis voluntatis antecedentis) ſibi eſſe gloriandum quod in eadem cauſa idem ſupplicium non incurrit, ſed de divinæ *gratiæ largitate* (ubi vides Auguſtinum facere executionem illius prædeſtinationis, de qua ibi loquitur, æque gratuitam ac ejus intentionem: incurrere enim ſupplicium, ut & largitas gratiæ pertinet ad executionem; at certum de fide eſt, nec poterat ignorare Auguſtinus, quod executio prædeſtinationis ad gloriam, non eſt ita gratuita; ſed omnino propter merita. Ergo non loquebatur ibi de tali prædeſtinatione, ſed de alia: ſcilicet de prædeſtinatione ad gratiam cujus executio non eſt minus gratuita, quam intentio; unde & ſequitur) Quia non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. (ecce ergo totum quod intendebat hîc Auguſtinus, ſcilicet, ut nemo gloriaretur in operibus ſuis, ſed tantum in gratia divina, quod & mox clare ſubjicit dicens) Altiſſimo quippe, & ſaluberrimo Sacramento, univerſa facies, atque, ut ita dixerim, vultus ſanctarum Scripturarum, bene intuentes, id admonere invenitur: Ut qui gloriatur, in Domino glorietur. (ecce igitur quod volebat ibi oſtendere Auguſtinus, ſcilicet Deum non ſpectare bonam diſpoſitionem voluntatis hominis, ſive præſentem, ſive præviſam futuram ad hoc ut convertat eum ad ſe; ſed tantum ſpectare voluntatem ſuam & gratiam: Et ſic clarum eſt totum ibi eſſe de gratia, nihil autem de gloria, de qua ne unum quidem verbulum ibi habet Auguſtinus. Unde valde mirum eſt quod hunc textum adduxerit Eſtius contra prædeſtinationem ad gloriam poſt præviſa merita. Cum tantum ſit contra prædeſtinationem ad gratiam poſt præviſa merita. An autem merita illa de quibus loquitur Auguſtinus ſint ſupernaturalia, nec-ne: nihil ad nos: Cum non ſpectent illam prædeſtinationem, de qua loquimur. Mihi tamen certum eſt eſſe mere naturalia, cùm Pelagiani, contra quos ibi agebat, nulla alia agnoſcerent, & dicerent propter talia me-

rita dari gratiam ſanctificantem quod ibi confutabat. Licet enim merita quæ habuit Jacob, vere fuerint ſupernaturalia, ut dicitur in object. Non tamen ea ut talia agnoſcebant Pelagiani, & proinde non ut talia confutabat Auguſtinus.

PARAGRAPHVS OCTAVVS.

Decima proponitur, & ſolvitur Objectio.

DECIMUM argumentum ſumitur ex libro 2. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 7. & objicitur nobis ab Eſtio, ubi ſupra; qui aït quod Auguſtinus ſupradicto Apoſtoli teſtimonio nitens adverſus quoſdam, ita concludit: Propter quod profecto deſipitis qui dicente veritate, [Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt] vos dicitis ex futuris operibus, quæ Deus facturum eſſe præſciebat, Jacob fuiſſe dilectum: atque ita contradicitis Apoſtolo dicenti, Non ex operibus, quaſi non poſſet dicere, non ex operibus præſentibus, ſed ex futuris. Hæc ibi Eſtius addens quod in eandem ſententiam alia etiam ibi multa reperiuntur.

Simili modo intelligēdus eſt locus iſte ac precedēs: ſcilicet, de prædeſtinatione ad gratiam totaliter, vel partialiter.

Verum reſpondeo locum illum nullo modo eſſe de prædeſtinatione ad gloriam; ſed tantum de vocatione hominum ad fidem & baptiſmum, aut de gratia ſanctificante ut gratuità, & non ut hominum meritis reddita; ut patet ex antecedentibus, & etiam conſequentibus verbis: Nam in antecedentibus, cum locutus fuiſſet de parabola operariorum, quibus licet inæqualiter laborantibus dederat pater-familias eandem mercedem & præmium, ſic applicat ſuo propoſito illam parabolam, dicens: Sicut ergo hîc nulla eſt acceptio perſonarum, quia ſic alius gratis honoratur, ut alius debito non fraudetur: *Sic* etiam cum ſecundum propoſitum Dei *vocatur* alius, alius non *vocatur* (ecce de quo agit, ſcilicet de gratia) *vocato* datur *gratuitum* bonum, ſcilicet gratia ſanctificans, cujus boni eſt *vocatio* ipſa principium: non *vocato* redditur malum, quia omnes rei ſunt ex eo quod per unum hominem peccatum intravit in mundum. Ubi vides illum loqui de ſola vocatione gratuita, & gratia ſanctificante, ut de totali objecto totius illius capitis, in qua negat eſſe acceptionem perſonarum, licet æqualibus inæqualia tribuantur. Et infra, aït in eundem ſenſum: Bonum quidem immerito, & gratis datur, (bonum iſtud non poteſt eſſe de gloria, quia ipſa non datur immerito; ſed merenti: datur autem prædicta vocatio immerito) quia ex eàdem maſſa eſt cui datur: malum vero merito, & debitum redditur, quia in maſſa perditionis, malum malo non male redditur.... Nec ulla eſt perſonarum acceptio, in duobus debitoribus æqualiter reis, ſi alteri dimittitur, alteri exigitur, quod pariter ab utroque debetur.

Quod cum probaſſet aliquot exemplis,& textibus Apoſtoli volens aperire hoc ſecretum, ſic ait: Deinde ſecutus (Apoſtolus) tam magnum, abditumque ſecretum, quantum aperiendum eſſe hominibus judicavit, aperuit, dicens: [Si autem volens Deus oſtendere iram,& demonſtrare potentiam ſuam, attulit in multa patientia, vaſa iræ quæ perfecta ſunt in perditionem: & ut notas faceret divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam:] Hoc eſt *gratia Dei* non ſolum *adjutorium* (ecce quod intendit, ſcilicet loqui de adjutorio gratiæ ad bona opera,non vero de gloria) verum etiam documentum. *Adjutorium* ſcilicet in vaſis miſericordiæ (quæ vocavit ad fidem, ſeu baptiſmum) in vaſis autem iræ documentum, in eis enim oſtendit iram, & demonſtrat potentiam ſuam. Et infra proſequens eandem materiam gratiæ; ſic ait: [Quis enim te diſcernit?] ait idem Apoſtolus homini tanquam de ſemetipſo, & de *ſuo* proprio bono glorianti (ecce quod rejicit ſcilicet merita humana reſpectu gratiæ) [Quis enim te diſcernit?] utique ab iræ vaſis, à maſſa perditionis (peccati ſcilicet originalis in quo ſunt omnes homines antequam vocentur ad gratiam,aut recipiant baptiſmum) quæ per unum omnes miſit in damnationem [Quis te diſcernit?] & tanquam reſpondiſſet: Diſcernit me fides *mea*, propoſitum *meum*, *meritum meum* (nota quod non dicit meritum gratiæ, quod eſt meritum Catholicorum, & meritum reſpectu gloriæ; Sed dicit meritum meum, id eſt in ſenſu Auguſt.meritum humanum,meritum hominis,meritum puriputi arbitrii, quod eſt meritum Pelagianorum, & meritum reſpectu gratiæ; Neque enim unquam aſtruxerunt Pelagiani meritum peculiare reſpectu gloriæ; ſed ſolùm reſpectu gratiæ in quo ſolo, ex profeſſo, & directe impugnabantur ab Auguſtino, ut in quo ſolo conſiſtebat eorum error & hæreſis. Ex quo manifeſtum eſt quod non loquitur ibi Auguſtinus de prædeſtinatione ad gloriam; ſed ſolùm de prædeſtinatione ad gratiam, aut ſaltem quod non aſtruit ibi prædeſtinationem ad gloriam ante prævila merita gratiæ, cum ibi ſolum rejiciat merita arbitrii, quæ aſtruebant illius adverſarii reſpectu gratiæ, non autem merita gratiæ, quæ nos dicimus eſſe prævila ante prædeſtinationem gloriæ: Unde eſt quod ſolum ibi reprehendit eos, qui nullam omnino in voluntate admittebant gratiam ante ſuum meritum: dicens ex Apoſtolo)[Quid enim habes]inquit Apoſtolus [quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?] hoc eſt quaſi de *tuo* ſit unde diſcerneret (id eſt, ſtylo Auguſtini quaſi ex mero tuo arbitrio ſit, & non ex gratia, quod ſic diſcerneret: Unde & ſequitur concluſio contra illos) ergo illos diſcernit, qui *unde* diſcernaris impertit (id eſt qui dat gratiam per quam diſcerneris à non habentibus illam) pœnam debitam removendo, indebitam *gratiam* largiendo (ubi clarum eſt quod per gratiam illam non intelligit gloriam: Nam quando illam largitur Deus,non eſt indebita,ſed debita in juſtitia. Ergo intelligit primam gratiam ſanctificantem,vel gratiam vocationis de qua illo toto capite loquitur, quæ cum datur, eſt in-

debita: unde & ſequitur) Ille diſcernit qui cum [Tenebræ eſſent ſuper abyſſum, dixit: Fiat lux, & facta eſt lux, & diviſit] hoc eſt diſcrevit, [inter lucem & tenebras] non enim cum ſolæ eſſent tenebræ(id eſt peccata, per quod rejicit merita ſolius arbitrii, quæ poſſunt eſſe à peccatore nondum juſtificato) quod diſcerneret invenit: ſed lucem faciendo (id eſt impertiendo gratiam) diſcrevit, ut juſtificatis impiis(ergo illa diſcretio erat ad juſtificationem) dicatur [Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.] ac [Sic qui gloriatur] non in ſeipſo (ecce quod intendit, ſcilicet ut juſtificatio hominis, ſeu prima gratia non tribuatur homini, ſed Deo) ſed [in Domino glorietur.] ille diſcernit, &c. Quod deinde proſequitur multis textibus Scripturæ, uſque ad hunc textum in objectione allatum. Scilicet: propter quod profecto deſipitis: [At quæſo, qui ſunt iſti de quibus ſic loquitur, niſi Pelagiani, contra quorum Epiſtolas agebat? At Pelagiani non diſceptabant cum Auguſtino de prædeſtinatione ad gloriam, ſed de prædeſtinatione ad gratiam, quam tribuebant ſuis meritis naturalibus, & non Deo: ergo ibi agit Auguſtinus de prædeſtinatione ad gratiam, & non de prædeſtinatione ad gloriam: oſtendens ſcilicet vocationem ad gratiam eſſe ex gratia Dei, & non ex operibus arbitrii, ut volebant iſti hæretici: unde & ſequitur) qui dicente veritate [Non ex operibus, ſed ex *vocante* dictum eſt] Vos (ô Pelagiani) dicitis ex futuris operibus quæ Deus præſciebat (operibus ſcilicet meri arbitrii: Nam alia non admittebant Pelagiani] Jacob fuiſſe dilectum. Atque ita contradicitis Apoſtolo dicenti [Non ex operibus] quaſi non poſſet dicere, non ex præſentibus, ſed ex futuris operibus. Sed ait:[Non ex operibus,]ut *gratiam* commendaret (ecce quod intendit) Si autem gratia jam non ex operibus] (hoc non convenit gloriæ: nam illa eſt ex operibus, unde non eſt illa gratia, de qua loquuntur, hîc Apoſtolus & Auguſtinus) [alioquin gratia jam non eſt gratia] *gratia utique, ut per illam fiant bona operá* (certe ecce gratia de qua loquitur, ſcilicet vocationis efficacis per quam fiunt, & efficiuntur opera: Non autem gloria, aut prædeſtinatio ad gloriam, per quam non efficiuntur, nec producuntur opera. Multa habet ejuſmodi in ſequentibus de prædeſtinatione ad gratiam, ut active & effective concurrentem ad bonum opus, non vero de prædeſtinatione ad gloriam, ut putabat Eſtius.

Sed quia nimis longum eſſet ea hîc proſequi, tantum initia duorum capitum ſequentium proferemus, in quibus luce clarius apparebit, ibi loqui Auguſtinum de gratia effectrice bonorum operum, non vero de gloria. Primum caput ſequens, ſic incipit: Jam nunc videamus ut poſſumus, hoc ipſum quod volunt (Pelagiani) præcedere in homine, *ut adjutorio gratiæ* dignus habeatur, ac ſic gratia non ſit gratia. Et paulo infra: Iſti (ſcilicet de quibus ſupra dicebat, profecto deſipitis) volunt in homine *ab ipſo homine* incipere cupiditatem boni, ut hujus cœpti *meritum* (ecce quod meritum ſupra rejiciebat)etiam perficiendi gratia conſequa-

tur: ſi tamen hoc ſaltem volunt: Pelagius enim facilius dicit impleri, quod bonum eſt, ſi adjuvet gratia, quo additamento, id eſt addendo facilius, utique ſignificat hoc ſe ſapere, quod etiamſi *gratiæ defuerit adjutorium*, poteſt, quamvis difficilius impleri bonum per liberum arbitrium (hoc ergo erat quod impugnabat ibi Auguſtinus, ſcilicet liberum arbitrium non indigere gratiâ boni operis effectrice: Sed per ſemetipſum poſſe illud incipere, & per hoc poſſe mereri gratiam, quæ ſic non eſſet gratia, cum merito puro redderetur. Unde clarum eſt quod loquebatur de illa gratia boni operis effectrice, & de prædeſtinatione ad illam; non autem de prædeſtinatione ad gloriam, ut volebat Eſtius: Unde eſt quod toto illo capite nihil aliud inculcat, quam locos Scripturæ qui commendant iſtam gratiam, ut Joan. 15. [*Sine me* nihil poteſtis *facere*.] Et Philipp. 1. [Quoniam qui in vobis *opus bonum cœpit, perficiet* uſque in diem Chriſti Jeſu.] Et 2. Corinth. 3. [*Non quia idonei ſimus cogitare* aliquid quaſi ex nobiſmetipſis; ſed *ſufficientia noſtra ex Deo* eſt] in quibus omnibus nihil aliud commendat, quam gratiam illam effectricem boni operis. Alterum autem caput, ſic incipit. Sed nimirum quod ſcriptum eſt: [Hominis eſt præparare cor, & à Domino reſponſio linguæ.] Prov. 15. Non bene intelligendo falluntur, ut exiſtiment cor præparare, hoc eſt bonum inchoare ſine *adjutorio gratiæ Dei* ad hominem pertinere. Quod refellit repetitis prædictis textibus Script. & inculcatis aliis ſimilibus, ſcilicet Proverb. 8. [Præparatur voluntas à Domino.] Et Pſal. 50. [Labia mea aperies.] Et Pſal. 20. [Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.] Et Pſal. 58. [Miſericordia ejus præveniet me.] In quibus nihil inculcat aliud quam prædictam gratiam incœptricem & effectricem boni operis. Ex quibus evidentiſſimum eſt, Auguſtinum non loqui de prædeſtinatione ad gloriam; ſed de prædeſtinatione ad gratiam effectricem boni operis: Et ſic locum adductum in objectione non ſpectare noſtram quæſtionem, ſed omnino aliam. Multos alios locos Auguſtini ibidem indicat Eſtius; ſed horum duorum Solutione contenti erimus, ut videat Lector quales ſint alii, quos ibi indicat; ſed non adducit, aut explicat Eſtius: Scilicet quod ſunt de prædeſtinatione ad gratiam, & non de prædeſtinatione ad gloriam: Quod etiam hinc probamus quod ibidem aït Eſtius, totos fere libros de corrept. & grat. de prædeſt. Sanct. & de dono perſeverantiæ, eſſe de iſta prædeſtinatione ad gloriam ante prævisa merita: Quod ſatis oſtendit illum ſumpſiſſe prædeſtinationem ad gloriam, pro prædeſtinatione ad gratiam, cum de hac ſola toti illi libri conſcripti ſint, & non de alia: Et tandem ex eo quod ibi aït Auguſtinum pronuntiare de illa doctrina quam ibi profert eſſe de fide, & contra illam niſi errando diſputare nunquam potuiſſe, quod quidem convenit prædeſtinationi ad gratiam ante prævisa merita, non vero prædeſtinationi ad gloriam ante prævisa merita: Quæ quotidie impugnatur à Catholicis, & ab aliquibus parum pia, & in fide tuta reputatur, à qua tamen cenſura nos abſtinemus, & unicuique honorem debitum adhibemus.

PARAGRAPHUS NONUS.

Undecima proponitur Objectio.

VNDECIMUM argumentum ſumitur ex Tractatu ultimo in Euangelium Joannis longe poſt medium: ubi aït Auguſtinus: Ipſe (ſcilicet Deus) nos minus diligit, quales nunc ſumus: & hinc ideo liberat, ne ſemper tales ſimus. Ex quo infert Janſenius lib. 9. de gratia Salv. cap. 17. ſub finem: Plus Deum & efficacius finem diligere, æternam vitam, & Regnum (de quo ſolo Auguſtinus ibi agit) quam ea quæ adhibet media, & mediorum aſſumptionem: Non alia, inquit Janſenius ex cauſa, quam ex præconcepta efficace intentione finis iſtius; quod fatetur tamen Janſenius in prædictis verbis obſcurius indicari: Unde alia mox ſubjicit, in eodem Tractatu ſequentia, ut ipſe aït clariora, quæ infra referemus, & etiam diſſolvemus.

PUNCTUM PRIMUM.

Prima pars Objectionis ſolvitur.

RESPONDEO ergo, ibi Auguſtinum non agere de prædeſtinatione, ſive ad gratiam, ſive ad gloriam: ſed ſolùm comparare dilectionem, quam Deus habet erga nos in hac vita, cum ea quam habet erga nos in futura, ſeu beata vita; & dicere poſtremam eſſe majorem priore, quia nempe in illa futura, ſeu beata vita nihil habebimus quod ei diſpliceat: In hac vero vita, multa habemus quæ ei diſpliceant: Et ideo nos amare in hac vita, ut nos transferat ad alteram, dando ſcilicet gratias ſufficientes omnibus, ut ad illam perveniant. Unde, ſic loquitur immediate poſt textum ſupra allatum Auguſtinus: Ibi (id eſt in ſtatu futuræ, ſeu beatæ vitæ) amplius nos diligit, (ſcilicet Deus) *quoniam quod ei diſpliceat*, & quod à nobis auferat, non habebimus: Nec ob aliud nos hîc diligit (id eſt in ſtatu præſentis vitæ) niſi ut ſanet & tranſeat ab his quæ non diligit (ſcilicet à peccatis.) In quo ſane nihil apparet niſi ſola comparatio dilectionis divinæ reſpectu noſtri, dum ſumus in hac vita, cum dilectione divina reſpectu noſtri, dum ſumus in alia, ſeu beata; & dicit Deum in illa vita nos plus diligere, quia pura & immaculata eſt, quam in hac, quæ obnoxia peccatis eſt, & ideo in hac nos ſolùm diligere, ut ab ejus miſeria nos liberet, & transferat in alterius fœlicitatem: Quod ſane non reſpicit ſolos prædeſtinatos; ſed omnes omnino homines; quos omnes, ut aït Paulus: [Vult Deus ſalvos

ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire:] Aut ut ait Petrus [Neminem] eorum [vult perire; ſed ad pœnitentiam reverti] qui ſenſus etiam indicatur in mox ſequentibus verbis. Hîc, inquit (id eſt in hac vita) minus (nos diligit) ubi non vult remaneamus: Ibi (ſcilicet in altera) amplius (nos diligit) quò *vult* tranſeamus; & unde *non vult pereamus*. (diceres hîc Auguſtinum alluſiſſe ad duos Scripturæ locos quos citavimus: Nam per hæc verba, quò vult eamus. Videtur dicere quod vult ut omnes ſalvi fiamus. Et per hæc alia, non vult pereamus: videtur dicere, quod neminem vult perire: Nam τὸ, nos, quod eſt indefinitum, idem ſignificat ac omnes, cum non magis ſignificet unos quam alios; & ſic complectitur omnes generaliter. Unde mox & ſequitur: amet ergo eum (ſcilicet Deum) Petrus (per quem intelligit vitam hanc miſeram) ut ab iſta mortalitate (in qua ſcilicet obnoxii ſumus peccatis) liberemur: Ametur ab eo Joannes (per quem intelligit vitam beatam) ut in illa immortalitate ſervemur. Quod autem per Petrum intelligat Auguſtinus præſentem vitam miſeram, per Joannem autem futuram beatam: Ipſe ibi declarat, dicens: Ergo una bona eſt, ſed adhuc miſera, altera melior & beata: Iſta ſignificata eſt per Apoſtolum Petrum, illa per Joannem. Unde & ſub his nominibus, ſic concludit: Sed iſta ratione (ſcilicet ſupra expoſita, qua dictum eſt: per Petrum ſignificari vitam præſentem miſeram: per Joannem autem vitam futuram beatam) illud oſtenditur: cur amplius Joannem quam Petrum amaverit Chriſtus: (ſcilicet quia Petrus tantum repræſentabat hanc vitam miſeram & peccatricem; Joannes autem beatam & innocentem.) Quæ concluſio nihil aliud oſtendit, quam Auguſtinum ſolùm comparaſſe in prædicto textu, dilectionem Dei erga nos, in præſenti vita repræſentata per Petrum, cum dilectione ejuſdem Dei erga nos in alia vita repræſentata per Joannem: Et ſic quando dicit in textu contra nos allato: Ipſe nos minus diligit quales nos ſumus: vult dicere quod minus nos diligit in hac vita miſera in qua ſumus, quam in altera futura & beata quam ſperamus: & quod ideo nos liberat, ſcilicet ab hac vita, ne ſemper tales ſimus: id eſt quod in hoc ſuum amorem in hac vita nobis demonſtrat, quod det nobis gratias ſufficientes & idoneas, quibus ab illa miſeria liberemur, & ad alteram fœlicitatem perveniamus: ubi nihil prorſus de prædeſtinatione, nec de comparatione finis ad media, ut volebat Janſenius; ſed totum de comparatione unius dilectionis Dei cum alia: unius ſcilicet dilectionis Dei quæ reſpicit miſeros, ut liberet eos, cum altera quæ reſpicit beatos, ut in iis ſibi complaceat; unius erga viventes in hoc ſæculo, ut aliquando beatificet, alterius erga viventes in futuro, ut ſervet eos beatos: Et ſic nihil habet Janſenius ex hoc loco quod faveat intento ſuo, cum de prædeſtinatione non loquatur ibi Auguſtinus.

Punctum II.

Secunda pars Objectionis ſolvitur.

Sed videndum eſt num melius ratiocinatus ſit in altero loco quem ibidem dicit eſſe clariorem. Quod cum obſcurius, inquit, dictum eſſet, explicans quid hoc ſibi velit: Ipſe Dominus (verba Auguſtini) illam quæ futura eſt vitam noſtram, qualis in nobis futura ſit ſciens, (Hoc eſt, inquit Janſenius, æternam gloriam) prædeſtinatione plus amat, ut ad eam nos amando perducat. Hæc ibi Janſenius.

Cui ego reſpondeo primò quod male vertit illa verba Auguſtini, ſcilicet, vitam noſtram, reddens pro iis, æternam gloriam, nec enim per vitam noſtram intelligit ibi Auguſtinus beatitudinem, ſeu gloriam, ut ſic; ſed intelligit vitam noſtram, quam ſervabimus immaculatam in gloria, ſeu in beatitudine æterna, cum comparet ibi vitam immaculatam quam habebimus in gloria; in qua, ut ipſe ait, nihil erit quod Deo diſpliceat, cum vita noſtra præſenti miſera, & peccatis obnoxia, quam hîc degimus. Unde non eſt mirum quod cum fallatur in objecto Janſenius, fallatur etiam in actu.

Præterea quæritur; ubi ſunt illa media præ quibus, ait Janſenius, Auguſtinum aſſerere, quod Deus plus iis vitam æternam diligit; ſi dicat illa contineri in his verbis: Ut ad eam nos amanndo perducat; Reſpondeo quod illa particula, *ut*, potius denotat ibi contineri finem quam media, quæ pertinent ad cauſam inſtrumentalem; particula autem, *ut*, pertinet ad cauſam finalem: Et ſane ſi per illa verba voluiſſet Auguſtinus deſignare media, debuiſſet dicere: Vitam noſtram qualis in nobis futura ſit ſciens, prædeſtinatione plus amat quam ipſa merita, ſeu media, per quæ ad eam nos amando perducit; ſed pro particula, *quam*, quæ deſignat comparationem, ponit Auguſtinus particulam, *ut*: quæ deſignat cauſam finalem, & loco illius præſentis indicativi, perducit, quod proprium eſt executionis, ponit, futurum optativi, perducat, quod proprium eſt etiam cauſæ finalis; unde nullo modo ſuſpicandum eſt, quod ibi loquatur de mediis Auguſtinus, cum potius indicet finem.

Præterea cui bono ibi comparare prædeſtinationem cum mediis, cum nec de prædeſtinatione, nec de mediis ibi quæſtio eſſet; ſed tantum quæſtio eſſet de comparatione vitæ noſtræ immaculatæ in futuro ſæculo, cum vita noſtra miſera, & peccatis obnoxia in hoc ſæculo, in ordine ad majorem, vel minorem dilectionem divinam, ut in Puncto præcedenti demonſtravimus: Sed quia ibi per accidens ponitur nomen prædeſtinationis, citò detorquendum fuit ad prædeſtinationem ante prævifa merita, elidendo comparationem quæ ibi formaliter fit inter vitam præſentem & futuram, & ponendo illam comparationem inter prædeſtinationem & media quamquam de mediis nulla ibi prorſus mentio ſit.

Sed quicquid ſit, certum eſt quod illa prædeſtinatio, ſi vera prædeſtinatio ſit, non poteſt eſſe ante prævīſa merita, ut vult Janſenius, cum ibi manifeſte præſupponat præſcientiam: Quandoquidem ibi dicitur: Dominus *ſciens* vitam illam noſtram futuram; priuſquam dicatur, quod prædeſtinatione plus amet illam: Unde cum prædeſtinatio adverſariorum ſit ante præſcientiam ſequitur quod hæc Auguſtini prædeſtinatio, quæ ſupponit præſcientiam, non ſuffragetur illis; ſed potius nobis, qui cum Auguſtino præſupponimus præſcientiam ad prædeſtinationem noſtram. Ex quo ulterius ſequitur, quod non ibi comparat Auguſtinus prædeſtinationem ad gloriam, cum meritis tanquam mediis, quandoquidem præſupponit ei præſcientiam; quæ cum non poſſit eſſe niſi meritorum, ut motivorum prædeſtinationis illius (ſi ſit prædeſtinatio ad gloriam ut contendit Janſenius) ideo hinc ſequitur quod illa prædeſtinatio non conſiderat merita ut media: cum impoſſibile ſit, quod idem ſit motivum & medium, reſpectu ejuſdem actus & agentis, ut ibi meritum noſtrum eſſet reſpectu ejuſdem prædeſtinationis, & prædeſtinantis. Verum enimvero bene perpenſis & ſæpius lectis & relectis antecedentibus & conſequentibus hujus textus, non puto ibi nomen prædeſtinationis ſumi pro vera prædeſtinatione ad gloriam; ſed pro mera præſcientia ſtatus futuri. Nam quemadmodum aliquando ſumit præſcientiam pro prædeſtinatione, ita etiam hîc potuit ſumere prædeſtinationem pro præſcientia. Quod, ut clarius appareat, expendenda ſunt antecedentia illius textus: Nec enim hic textus omnino connexus eſt cum præcedente, ut videtur innuere Janſenius: Sed inter utrumque eſt aliquo modo mutata ſermonis materia, quamvis ad hanc tandem redeat. Dixerat ergo Auguſtinus, quod Deus plus amabat Joannem quam Petrum, quia Joannes repræſentabat vitam futuram beatam, in qua nihil illi diſplicebat: Petrus autem repræſentabat vitam præſentem peccatricem, & peccatis obnoxiam, in qua multa ſunt quæ ei diſpliceant: Et hujus rei occaſione, dixerat ea quæ expoſuimus in Solutione præcedentis textus, de comparatione vitæ præſentis peccatricis & impuræ, cum futura beata & innocente, in ordine ad dilectionem divinam. Jam vero quærit; cur Petrus qui repræſentabat vitam præſentem & miſeram, magis diligebat Deum, quam Joannes, qui repræſentabat vitam futuram cæleſtem & beatam, in qua Deus longe magis eſt diligendus, quam in iſta miſera & peccatrice, quam repræſentabat Petrus. (Unde nunc mutat materiam ſermonis, quia prius loquebatur de amore Dei erga Petrum & Joannem, repræſentantes vitas prædictas: nunc vero loquitur de amore Petri & Joannis, eaſdem vitas repræſentantiũ erga ipſum Deum) Et reſpondet Auguſtinus: Quia Joannes nondum erat in illa beata vita quam repræſentabat; & ideo non tam diligebat Deum, ac ibi eſt diligendus, cum nondum videat illius gloriam. Ecce verba Auguſtini: Cur ergo Joannes (inquit Auguſtinus) minus eum diligebat, quam Petrus, ſi eam vitam ſignificabat, in qua eſt multo amplius diligendus, niſi quia

Lib. de dono perſev. c. 18.

Nota valde, quod ſemper hic retinetur ſignificatio Petri pro vita præſenti miſera & peccatrice: & Ioannis pro vita futura beata & innocẽte.

propterea dictum eſt, Volo eum manere (id eſt expectare) donec veniam: Quoniam & ipſum amorem, qui tunc multo amplior erit, nondum habemus; ſed futurum expectamus, ut cum ipſe venerit habeamus: Et ſic ſolutâ hac difficultate, jam ſolvit aliam quaſi objectionem, quæ ei fieri poterat, ſuper his quæ dixerat: Quod eſt valde notandum, quia ab hoc tota pendet Solutio textus nobis objecti: Poterat enim dici, ſi Joannes (ut aït) ideo minus diligit Deum, quia nondum eſt in illa quam repræſentabat vitâ beatorum; ubi Deus eſt ſumme diligendus: Ergo ſequitur quod etiam Deus deberet minus diligere Joannem in hac vita, cum ille nondum ſit in eo loco, ubi Deus magis homines diligit: Et reſpondet Auguſtinus id quod habetur in textu qui nobis objicitur, ſcilicet: Ipſe Dominus illam quæ futura eſt, vitam noſtram, qualis in nobis futura ſit *ſciens*, prædeſtinatione plus amat, ut ad eam nos amando perducat: id eſt præventione iſtius cognitionis, ſeu præconceptione beati illius ſtatus futuri, ad quem deſtinarat Joannem, ut repræſentantem vitam illam futuram ſanctam & immaculatam, jam plus amabat illam in eo, quam præſentem vitam imputam, cum ex amore, ſeu nos amando perducat nos ad illam beatam futuram. Et abjiciat miſeram præſentem & præcedentem, ut det illam beatam. Et eſt quaſi diceret, non bene arguitis ab amore noſtro ad amorem divinum: Et ratio eſt, quia Deus per ſuâ infinitam ſcientiam, videt clare & perſpicue quales futuri ſumus in illa beata vita, quamvis in ea nondum ſimus; & ideo non indiget ut actu ſimus in illa, ad hoc ut nos plus diligat in ordine ad illam quam in præſenti vita, ſicut nos indigemus eſſe in illa vita ut eum plus diligamus quam in præſenti: Quia nempe Deus tales nos ex præſcientia ſua pervidet, quales futuri ſumus in illa: Unde tantum nos diligit ſub hac prævisione, & præſcientia, ac ſi jam eſſemus in illa, cujus ſignum eſt, quod nos transferat ab hac vita in illam, ut magis ab eo amatam & dilectam. Et hic eſt verus ſenſus Auguſtini in prædicto textu: quod etiam confirmatur ex conſequentibus: Nam proſequens ſuam iſtam comparationem Auguſtinus, & tranſiens à Joanne ad Petrum, ut oſtenderet cur Petrus plus amaret Deum quam Joannes, licet ipſe Petrus tantum repræſentaret hanc vitam miſeram, & peccatricem, in qua videtur Deus minus diligendus: Joannes autem beatam & innocentem, in qua Deus eſt ſumme diligendus: Aït quod ideo Petrus plus amabat Dominum quam Joannes; quia nempe in hac vita miſera & peccatrice, quam repræſentabat Petrus, ſentimus noſtram miſeriam, & ideo magis ferventer ad Deum recurrimus; & ei fortius adhæremus: At vero quia veritatis contemplationem quam repræſentabat Joannes, hîc non habemus, ideo minus hîc eam diligimus. Ecce ipſiſſima Auguſtini verba immediate ſequentia poſt textum in objectione allatum. Quocirca (aït Auguſtinus) quoniam [Univerſæ viæ Domini miſericordiæ & veritas.] miſeriam noſtram præſentem novimus, quia ſentimus; & ideo miſericordiam Domini quam nobis de miſeria liberandis exhiberi volumus,

Hæc interpretatio fundatur in præcedenti verbo, ſciens, ut enim cõſequenter loquatur Auguſtinus debet hic intelligere prævisionem.

Id eſt. Petrus experiebatur in hac vitâ, motivum quod habemus diligendi Deũ.

plus amamus, eamque quotidie maxime pro peccatorum remiſſione poſcimus & habemus: Hoc per Petrum ſignificatum eſt plus amantem; ſed minus amatum: *Quia minus nos amat Chriſtus miſeros, quam beatos.* (Ubi nota, Auguſtinum ſemper eidem ibi inſiſtere comparationi vitæ præſentis cum futura, in ordine ad dilectionem divinam: non vero comparationi prædeſtinationis cum mediis, ut volebat Janſenius.) Veritatis autem contemplationem, qualis tunc futura eſt, minus amamus, quia nondum *novimus*, nec habemus: Hæc ergo per Joannem ſignificata eſt minus amantem, atque ideo & ad ipſam, & ad ejus in nobis amorem, qualis ei debetur implendum, donec veniat Dominus expectantem: ſed plus amatum, quia id per quod figuratum eſt, hoc efficit beatum.

quod eſt noſtra miſeria: At Ioannes non experiebatur id quod eſt motivum diligendi Deum in altera vita, quod eſt clara Dei viſio: Unde Petrus magis amabat Deũ in hac vita, quam Ioannes licet, &c.

Et ſic evidenter patet quod in his omnibus ſolùm comparat Auguſtinus vitam præſentem miſeram & peccatricem ſub perſona Petri, cum vita beata & immaculata futura ſub perſona Joannis, quod & expreſſe dicit paulo inferius: Quas, inquit, duas vitas Petrus & Joannes figuraverunt: Singuli ſingulas; id eſt, Petrus miſeram & peccatricem, Joannes autem beatam & immaculatam. Hìc ergo ſolùm comparat vitam præſentem miſeram cum futura beata, in ordine ad dilectionem Dei erga homines, & in ordine ad dilectionem hominum erga Deum: non autem comparat prædeſtinationem ad vitam æternam cum meritis tanquam finem cum mediis, quaſi illam plus amaret quam iſta, & ob id prius illam prædeſtinaret quam iſta prævideret: de quo ne cogitavit quidem Auguſtinus, imo vero contrarium innuit: Cum præponat præſcientiam illi prædeſtinationi, dicens: Ipſe Dominus illam quæ futura eſt vitam noſtram, qualis in nobis futura ſit *ſciens*: prædeſtinatione plus amat, ut ad eam nos amando perducat. Ubi manifeſte ſcientia præmittitur prædeſtinationi, & proinde non poteſt eſſe illa prædeſtinatio quam prætendit Janſenius quæ eſt ante præſcientiam; ſed vel eſt prædeſtinatio poſt præſcientiam, ſeu prævisionem meritorum; & ſic locus pro nobis eſt, vel ſimplex præſcientia in qua noſtrum beatum ſtatum illi repræſentante nos, ibi magis diligit quam in hac vita miſera. Vel eſt communis providentia in qua ex amore generali quem habet in omnes homines, (quos ſignificat per, *nos*,) deſtinat eos quantum in ſe eſt in illam vitam beatam, dando eis gratias ſufficientes, ut ad illam perveniant. Et ſic locus iſte nobis non obeſt, cum nequidem de prædeſtinatione vera ſit. Hæc autem prolixius explicui, quam forte properanti Lectori gratum eſſet; ſed ideo ſic explicare debui, ut hinc advertant pii & ſinceri Lectores; quam parum fidendum ſit iſtis novatoribus in Expoſitione Patrum & Scripturæ, cum omnia detorqueant in ſua prava dogmata, & in opiniones ſuas tam perverſe quam & præpoſtere præcõceptas, quandoquidem volebat hìc Janſenius ſimplicem comparationem, quam inſtituit hìc Auguſtinus inter præſentem vitam & futuram, in ordine ad dilectionem divinam, traducere ad Myſterium ſuæ prædeſtinationis ad gloriam ante prævisa merita; Et ex eo quod contendit Auguſtinus, Deum

nos plus diligere in ordine ad vitam futuram innocentem & beatam, quam in ordine ad præſentem impuram & miſeram: quia ut ſeſe ipſe explicat, minus nos amat Chriſtus miſeros, quam beatos. Ex hoc, inquam, concludere volebat Janſenius, quod ſecundum Auguſtinum Deus plus diligit vitam æternam quam merita noſtra, de quibus nullo modo ibi loquitur in ordine ad comparationem illam. Unde manifeſtum eſt, quod hic locus nihil habet pro Janſenio, ut ex eo concludat prædeſtinationem ad gloriam eſſe poſt præviſa merita.

PARAGRAPHVS DECIMVS.

Duodecima proponitur Objectio.

DUODECIMUM argumentum ſumitur ex voluntate ſingulari ſalutis parvulorum: Quia, inquit Janſenius, ſæpe Auguſtinus docet, quod quando Deus vult homines ſalvos facere in Regno cælorum, impedit mortem, omneſque cauſas, quibus inane fieret decretum voluntatis ejus: Denique quod procurat opportune baptiſmum, quo in ſanctitate moriantur, ne alioquin in eis prædeſtinata ſalus adimatur. Ex quo infert Janſenius priorem eſſe voluntatem in Deo ſalvandi illos, quam illa media conferendi.

PUNCTUM PRIMUM.

Propoſitæ Objectionis Solutio profertur.

Probis vide 3. argum. ex Scripturis in quadam Objectione Janſenii.

RESPONDEO iſta omnia falſa eſſe: Nunquam enim dixit Auguſtinus, quod Deus impediat mortem parvulorum, omneſque cauſas quæ poſſent accelerare eam, antequam baptiſmum ſuſcipiant, ne decretum ejus fallatur, & ne prædeſtinata ſalus eis adimatur: Sed id ſemper refert ad cauſas inſcrutabiles, & inveſtigabiles, ut per hoc oſtendat contra illius adverſarios, qui volebant primam gratiam dari, ac prædeſtinari ob merita: quod prima gratia illa efficax parvulorum, per quam actu ſuſcipiunt baptiſmum, non prædeſtinatur ex aliquo merito; ſed ex mera Dei miſericordia: cum nulla cauſa poſſit afferri, vel ex parte eorum, vel ex parte parentum (quas accuratè ibi removet) cur hi ſuſcipiant baptiſmum, alli non ſuſcipiant; ſed id omne fit referendum in inſcrutabilia Dei judicia, & in inveſtigabiles vias ejus.

Epiſt. 105. Hoc patebit clare ex ipſis locis Auguſtini ab Janſenio ipſo ibi allegatis. Quàm quæſo, inquit ibi Auguſtinus, allaturi ſunt *cauſam*, quod alius ſic gubernatur, ut baptiſatus hinc exeat; alius infidelium manibus traditus, vel etiam fidelium, priuſquam ab eis baptiſandus offeratur,

expiret. Et inſtantius paulo poſt: Et cur providentia Dei cui capilli noſtri numerati ſunt, ſine cujus voluntate non cadit paſſer in terram, quæ nec fato premitur, nec fortuitis caſibus impeditur, nec ulla iniquitate corrumpitur: ut renaſcantur ad hereditatem cæleſtem, non conſulit omnibus parvulis filiorum ſuorum, & nonnullis conſulit etiam parvulis impiorum. Hæc ibi Janſenius ex Auguſtino: Sed quid in his omnibus reperiatur, quod faveat intentioni Janſenii, non video: Nihil enim ibi dicit Auguſtinus fieri ex vi prædeſtinationis ad gloriam; ſed tantum contendit nos ignorare cauſam, cur hic baptiſetur, ille non: ut patet ex his prædictis verbis: Quam, quæſo, allaturi ſunt *cauſam*, quod alius ſic gubernatur, ut, &c. quod non eſt dicere prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam iſtorum, ut contendit Janſenius; ſed potius eſt dicere quod non poteſt aſſignari. Et licet dicat Auguſtinus, id non accidere, niſi Deo volente & permittente: Non tamen dicit qua ex cauſa id permittat, aut velit. Aliud enim eſt dicere quod Deus id vult; & aliud eſt dicere, quod ideo vult quia prædeſtinavit, aut non prædeſtinavit ad gloriam: Primùm enim fatentur omnes Catholici, & in hoc fatentur prædeſtinationem ad primam gratiam eſſe ſine meritis. At vero non omnes admittunt ſecundum: quia propter alias cauſas potuit id velle, quam ob prædeſtinationem ad gloriam: Unde ſequentia quæ adducit Janſenius ex Auguſtino, non habent magnam vim: ſcilicet, Quod parvulus ex ſtupro natus qui caſu baptiſatus, ſit æterni conſors & particeps Regni. Et quod quibuſdam parvulis quibus vult etiam non volentibus, neque currentibus, ſubvenit, & aliis quibus non vult ſubvenire, non ſubvenit. Itemque, quod parvulis fidelium pereuntibus, ſi vellet, hujus lavachri gratiam procuraret, in cujus poteſtate ſunt omnia. Hæc enim omnia ſolum aſſerunt baptiſmum parvulorum pendere à mera voluntate Dei, non autem dicunt quod pendeant à prædeſtinatione, vel non prædeſtinatione ad gloriam: Nec enim ibi dicit Auguſtinus quod ideo Deus iis ſubvenit, quia eos prædeſtinavit ad gloriam; ſed potius quia eos prædeſtinavit ad hanc gratiam, in quo eſt mera voluntas Dei, qui id fecit, quia voluit: ut patet ex his verbis, quibus vult ſubvenire, ſubvenit: quæ nihil aliud ſignificant, niſi voluntatem ſubveniendi iis quibus ſubvenit, quæ voluntas non eſt alia quam voluntas prædeſtinans iſtam ſubventionem, ſeu baptiſmum, ſeu iſtam primam gratiam; non autem ipſam gloriam, ut per ſe manifeſtum eſt. Cum autem ait Janſenius conſequenter: In iſta igitur expedienda quæſtione, reddendaque iſtius diverſitatis ratione: Plerumque Auguſtinus recurrit ad altitudinem judiciorum Dei, quam in eo eſſe poſitam indicat, quod unum elegerit, atque prædeſtinaverit, alterum non. Si per hæc verba, elegerit atque prædeſtinaverit, intelligat prædeſtinationem ad gratiam: Verum dicit, & nobiſcum dicit, quia verum eſt quod Auguſtinus ponit altitudinem judiciorum Dei, in eo quod Deus ſubvenit, & procurat baptiſmum, quibus vult, & non aliis.

Sed tunc contra ſe dicit Janſenius, quia prius tribuebat hunc effectum prædeſtinationi ad gloriam, nunc vero tribuit prædeſtinationi ad gratiam, quod valde diverſum eſt. Si autem intelligat prædeſtinationem ad gloriam, falſum dicit, quia nihil eſt in prædictis verbis Auguſtini, quod indicet illum ponere iſtam altitudinem judiciorum Dei, in eo quod unum elegerit, atque prædeſtinaverit ad gloriam, alterum non. Cum nullum ibi verbum ſit de gloria, vel de voluntate dandi gloriam; ſed totum de gratia, & de voluntate dandi gratiam, ſeu de voluntate ſubveniendi & dandi baptiſmum parvulis: Quod ſi id novit Janſenius ex aliis locis, debebat eos proferre, nec enim in omnibus locis quos legi, qui multi ſunt, in quibus recurrit Auguſtinus ad altitudinem judiciorum Dei: aliud novi niſi quia hos effectus tribuit ſoli voluntati divinæ, cujus conſilia tam alta & ſecreta ſunt, ut penetrari à nobis non poſſint, quæ voluntas non habet pro objecto ſaltem adæquato gloriam; ſed illam ipſam gratiam ob quam recurrit Auguſtinus ad iſtam judiciorum Dei altitudinem, ut videre eſt in locis in margine notatis.

Lib. de corr. & gr c 8. & de dono Perſ. cap 9 11. 12. & lib. 4. contra Iul. c. 8. & alibi paſſim.

Verum contrarium volens ibidem probare Janſenius, ſic ait: Nam libro 4. contra Julianum, cùm eandem ventilaſſet quæſtionem, eo tandem venit: Novit Dominus qui ſunt ejus, & in eorum ſalute, atque in ſuum Regnum introductione, certa eſt voluntas ejus. (Verum hoc tantum indicat infallibilitatem decreti divini per præſcientiam, cum per illam ſatis ſit certum illud decretum: ſed huic interpretationi cito occurrit Janſenius.) Certa, inquit, quia nullis impedimentis obſtantibus, certo aſſequitur id quod vult, videlicet introductionem in Regnum: Nam & in illo loco, Novit Dominus qui ſunt ejus, quem ex Apoſtolo citat, ſemper illam decantatam Dei prædeſtinantis præſcientiam intelligere ſolet.

Reſpondeo, hanc interpretationem Janſenii de certitudine illa quaſi eſſet practica, & impedimentorum obſtantium remotiva eſſe mere voluntariam. Ad probationem autem ex loco Apoſtoli: Reſpondeo eſſe falſam: cum etiam aliquando exponat Auguſtinus locum illum Apoſtoli de ſcientia mere ſpeculativa, ut ſupra videre eſt in Object. 13. ex Auguſtino, & nullam aliam ordinariam & decantatam præſcientiam novimus apud Auguſtinum, quam mere ſpeculativam, ut late probavimus in argum. 3. & 4. ex Auguſtino. Ubi agnoſcit illam etiam Janſenius ut mere ſpeculativam; ſed vult eſſe conſequentem, nos autem antecedentem conditionatam, & prædeſtinationis directivam: de qua etiam interpretati ſumus locum ſupradictum Apoſtoli in Objectione prædicta 13. Puncto II. Unde hic locus nullo modo favet Janſenio qui volebat ibi reperiri cauſalitatem, & ibi reperit meram ſpeculationem.

Præterea hæc reſponſio, non probat id quod intendit Janſenius: Nam volebat oſtendere, quod illa altitudo judiciorum Dei, quæ apparet in diverſitate electionis, aut non electionis parvulorum ad baptiſmum: In eo poſita erat, quod aliquos eorum Deus elegit ad gloriam, alios non elegit.

elegit. At vero ab initio capitis citati, uſque ad illum locum Apoſtoli, nequidem locutus eſt Auguſtinus de altitudine judiciorum Dei.

Præterea certum eſt, quod ibi non loquitur Auguſtinus de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, ſeu nude & ſolitarie ſumptam, de qua ſola difficultas eſt, & de qua probandum eſt quod eſt cauſa prædeſtinationis ad gratiam, & ad omnia media quæ ſunt ad gloriam conſequendam efficacia. Sed loquitur de tali prædeſtinatione quæ formaliter & directe reſpicit gratiam, & per accidens & indirecte reſpicit gloriam: Quandoquidem totum caput eſt ad probandum, quod Deus non expectat noſtras voluntates, ut quærant & orent eum ad hoc, ut eas ad ſe convertat, prout volebant illius adverſarii; ſed quod Deus ipſe prævenit eas ſua gratia excitante, antequam orent, quærant & pulſent, imo antequam orare, quærere, & pulſare poſſint, ut probat exemplo parvulorum; quod ſane non reſpicit gloriam ſolam; ſed ſolam ipſam gratiam. Nam, & immediate ante hunc textum ſupra allatum Apoſtoli, ſcilicet: Novit Dominus qui ſunt ejus, clare indicat voluntatem illam Dei prædeſtinantem, de qua agit; eſſe ad faciendos Chriſtianos, quod indicat prædeſtinationem illam de qua agit, reſpicere gratiam fidei, & non gloriam. Sic fit, inquit, ut eſſe *Chriſtianos* omnes *velit*, quorum multi nolunt (ſcilicet adulti) non omnes velit, quorum eſt nemo qui nolit (ſcilicet ex parvulis) quod abhorret à vero: Novit Dominus qui ſunt ejus, & in eorum ſalute, atque in ſuum Regnum introductione certa eſt voluntas ejus: Ubi etiam videtur ſumere ſalutem pro ſalute incompleta per gratiam, & introductionem in Regnum, pro ipſo baptiſmo; qui eſt janua & introductio ad cætera media ad Regnum iſtud conſequendum neceſſaria, vel ad intrandum in Eccleſiam, quæ aliquando vocatur in Scriptura Regnum cælorum. Quicquid ſit, certum eſt quod ſi ibi loquatur de gloria, non loquitur de ea, niſi per accidens & indirecte, & ut cum gratia conjuncta, formaliter autem & directe de gratia, tanquam de objecto directo, ſi non totali ſaltem partiali prædeſtinationis illius, de qua ibi loquitur, ut patet ex prædictis verbis, & etiam ex conſequentibus, in quibus agit formaliter de gratia efficaci ad convertendos homines data, ut à mera Dei voluntate, ſcilicet prædeſtinante ad illam converſionem emanata & profecta. Propter hoc, inquit, intelligitur dictum, quia nemo *venit* niſi quem ipſe *venire voluerit.* (Ubi vides quod ipſum venire quod eſt credere, eſt objectum iſtius voluntatis.) [Nemo poteſt venire ad me,] inquit Filius [niſi Pater qui miſit me traxerit eum, niſi fuerit datum à Patre meo.] omnes ergo qui ſalvi fiunt, & in agnitionem veniunt veritatis, eo *volente* ſalvi fiunt, eo *volente veniunt*: quia etſi nondum ſicut parvuli utuntur voluntatis arbitrio, eo *volente*, regenerantur (id eſt ſuſcipiunt baptiſmũ, qui eſt prima gratia & janua ſalutis parvulorum) quo creante generantur. Et qui jam utuntur voluntatis arbitrio, niſi eo *volente* & ſubveniente, à quo præparatur voluntas, *velle* non poſſunt. Ubi manifeſtum eſt, quod ibi agitur

formaliter & directè de prædeſtinatione ad gratiam, ſeu de voluntate prædeſtinante ad gratiam, cùm ibi agatur de actu voluntatis humanæ, ut de objecto formali, & directo voluntatis divinæ, quam toties ibi repetit Auguſtinus ut immediate terminatam ad hunc effectum: ut cum dicit eo volente veniunt, & non niſi eo volente & ſubveniente, à quo præparatur voluntas, poſſunt velle: Et de parvulis, eo volente regenerantur, quo creante generantur. Quod etiam confirmatur ex quadam objectione, quam ſibi facit ibi Auguſtinus ſuper his: Nam Objectiones debent eſſe directè contra ſcopum dicentis, illa autem Objectio eſt de prædeſtinatione ad gratiam. Ubi, inquit, ſi dixeris mihi: Cur ergo non *convertit* (ſcilicet Deus) omnium nolentium voluntates? (ecce ergo de quo formaliter agebat, ſcilicet de converſione ad primam fidem, ad initium ſalutis, & non de prædeſtinatione ad gloriam ſolam) Reſpondebo, cur non omnes morituros adoptat lavachro regenerationis infantes, quorum adhuc nullas, & ideo nec contrarias, invenit voluntates: Quaſi diceret: Vos mihi objicitis, & à me quæritis cur Deus non convertit omnes nolentes: Ego vero quæro à vobis, cur non procurat baptiſmum omnibus infantibus ante uſum rationis morituris, cùm ipſi non ſint nolentes, ſeu habentes contrariam voluntatem, ſicut dicitis ob id Deum negare gratiam adultis, quia nolunt quærere, petere, aut pulſare cum poſſent: Iſti autem parvuli ante uſum rationis morituri, nec habent contrariam voluntatem, cùm nequidem habere illam capaces ſint, nec etiam unquam illam habituri ſint cum morituri ſint ante uſum rationis (propter hoc enim ſignanter appoſuit hanc circumſtatiam Aug. ſcilicet quod morituri eſſēt ante uſū rationis, quia ſi locutus fuiſſet de aliis, cito reſpondiſſent adverſarii, quod ideo differebat uſque dum haberent uſum rationis. At vero cum Auguſtinus loqueretur de iis qui morituri eſſent ante uſum rationis, aut arbitrii, hoc effugium eis præcludebatur. Ex quo manifeſtum eſt, quod ibi totus diſcurſus erat de prædeſtinatione ad gratiam, & non de prædeſtinatione ad gloriam, cùm ſicut adverſarii objiciebant Auguſtino de converſione hominum adultorum, ita Auguſtinus objiciebat eis de baptiſmo parvulorum: quæ omnia ſonant prædeſtinationem ad gratiam, & non ad gloriam ſolam, ſeu nude & ſolitarie ſumptam, prout eam hîc ſumimus.

PUNCTUM II.

Præcedentis Objectionis confirmationi occurritur.

RELIQUUM ergo eſt ut ſatisfaciamus alicui textui Auguſtini, quem tandem affert Janſenius in confirmationem ſui argumenti, ſumpti ex altitudine & inſcrutabilitate judiciorum Dei in ſalute parvulorum, qui textus decerptus eſt ex lib. 5. contra Julianum cap. 4. Ubi (inquit Janſenius) cum diu prædeſtinationem illam, & electionem gratiæ, id

eſt, gratuitam tanquam radicem diverſitatis gratiæ negatæ, vel datæ prædicaſſet, exprimens quid illa prædeſtinatio reſpiceret: Ex his, inquit, electis ante conſtitutionem mundi, nemo perit quacumque ætate moriatur: Abſit enim ut prædeſtinatus ad vitam ſine Sacramento mediatoris finire permittatur hanc vitam. Quæ prædeſtinatio ad vitam nempe æternam, ſive beatitudinem, ſignificatur eſſe radix cur Sacramentum acquirendæ iſtius vitæ, quoquo modo ei procuretur antequam ex hac vita diſcedat. Hæc ibi Janſenius.

Sed reſpondeo primò, hunc locum non ſpectare ſcopum, & intentum Janſenii, qui ex ſingulari Dei voluntate circa ſalutem parvulorum, & ex adducta ab Auguſtino altitudine judiciorum Dei, in conceſſione aut negatione baptiſmi, volebat inferre prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam iſtius diverſitatis; & tamen neque mentio ibi fit de parvulis, neque de altitudine judiciorum Dei in diverſa ſorte illorum: ſed mentio tantum fit de adultis, & de benignitate divina quæ expectat, & adducit eos ad ſalutarem pœnitentiam, quod magis ſpectat prædeſtinationem ad gratiam, quam prædeſtinationem ad gloriam.

Reſpondeo ſecundò, Auguſtinum nihil ibi dixiſſe de prædeſtinatione ad gloriam, ut radice diverſitatis gratiæ datæ, aut negatæ: ſed tantum locutum eſſe de volũtate divina, ut radice diverſitatis illius, contra quod ſentiebat Julianus qui illam referebat in voluntatem hominis. Quantum autem ad hæc verba: Ex his nemo perit, &c. reſpondeo per hæc non neceſſario inferri cauſalitatem prædeſtinationis in illos effectus; ſed per illa poſſe recte intelligi infallibilitatem prædeſtinationis divinæ poſt præviſionem factæ, contra quam fieri, aut permitti non poteſt, ut res aliter eveniat, quam ipſe præviderit, atque determinaverit.

Reſpondeo tertiò, quod ſi ibi ſermo ſit de prædeſtinatione ad gloriam ut radice horum effectuum, non eſt ſermo de prædeſtinatione illa ad gloriam, de quâ agimus, quæ reſpicit gloriam ſolam; ſed de prædeſtinatione ad gratiam ſimul & ad gloriam, & hanc prædeſtinationem eſſe radicem horum effectuum, non qua parte reſpicit gloriam, quæ illi prædeſtinationi de qua formaliter ibi loquitur Auguſtinus, omnino accidentalis eſt: ſed qua parte reſpicit gratiam, ita quod ſenſus ſit quod in eis Deus producit talem gratiam, quia Deus prædeſtinavit illos ad iſtam gratiam, quando prædeſtinavit eos ad gratiam ſimul & gloriam: Ex quo evidens eſt quod prædeſtinatio illa, prout eſt ad gloriam, ſe habet per accidens & materialiter ad producendam illam gratiam; ſed tantum habet verum ordinem ad illam gratiam producendam, in quantum eſt prædeſtinatio ad gratiam; unde in tantum producit & cauſat hos effectus, in quantum eſt prædeſtinatio ad gratiam, & non in quantum eſt prædeſtinatio ad gloriam: Et ſic nihil habetur ex hoc textu quod ſit contra prædeſtinationem ad gloriam poſt præviſa merita.

Quod autem de iſta prædeſtinatione ſic loquatur Auguſtinus. Probo primo ex eo quod ibi vult oſtendere contra Julianum Pelagianum, quod

Deus punit peccatum per aliud peccatum, non patienter agendo, & expectando ſimpliciter, an homo pœnitere vellet per vires proprias arbitrii ſui, ut volebat Julianus; ſed utendo potentia ſua; ſubtrahendo, ſcilicet ab homine gratias ad evitandum peccatum efficaces, & dando tantum ſufficientes in punitionem, ſeu in pœnam præcedentis ſui peccati: Cui cum Julianus contra objiceret illud Apoſtoli [Bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit,] cito reſpondet Auguſtinus: Verum eſſe conſtat, ſed quem prædeſtinavit, adducit: id eſt, quem prædeſtinavit ad pœnitentiam, illum adducit ad pœnitentiam, dando ei gratiam ad pœnitendum efficacem; non vero tantum præbendo ei patientiam, & expectando eum, ſi ex ſe, & ex meris ſuis viribus pœnitere voluerit, ut volebat Julianus: Quod ſane tantum indicat prædeſtinationem ad gratiam pœnitentiæ, & non prædeſtinationem ad gloriam. Quod etiam ſignificat ipſe Auguſtinus per mox ſequentia verba, dicens: Quamvis [Secundum duritiam ſuam, & cor impœnitens] *quantum ad ipſum attinet* [Theſauriſet ſibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ejus.] Quantamlibet enim præbeat *patientiam*, niſi ipſe *dederit* (ecce quod volebat dicere per prædeſtinavit: prædeſtinare enim Dei apud Auguſtinum eſt tantum rerum à Deo fiendarum, vel dandarum, ut ſæpe habet in libro de dono perſeverantiæ.) Quis agit pœnitentiam? An oblitus es quod idem ipſe Doctor aït. [Ne forte *det* illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis] Sed, [Judicia ejus multa abyſſus:] id eſt nemo præter ipſum novit, cur & cui velit dare, aut negare illam pœnitentiam) nos certe ſi eos, in quos nobis poteſtas eſt, ante oculos noſtros perpetrare ſcelera permittamus, rei cum ipſis erimus: quam vero innumerabilia ipſe permittit fieri ante oculos ſuos, quæ utique ſi noluiſſet, nulla ratione permitteret, & tamen juſtus & bonus eſt, & quod præbendo patientiam, dat locum pœnitentiæ, nolens aliquem perire. Id eſt juſtus eſt, in quantum negat gratiam efficacem in pœnam præcedentis delicti, cum poſſet dare illam, ſi vellet; & etiam bonus eſt, cùm permittit ſic peccare, quia etiam tunc dat gratias ſufficientes ad non peccandum, & per hoc dat vere locum pœnitentiæ, iis qui peccant, nolens aliquem perire: is enim omnino ſenſus eſſe debet iſtorum verborum, ſcilicet: Præbendo patientiam dat locum pœnitentiæ: ut ſit contrarius ſenſui Juliani, quem ſupra damnarat Auguſtinus, qui Julianus volebat iſtam patientiam Dei, ſeu expectationem pœnitentiæ eſſe mere negativam, & nihil agentem; ſed non vult Auguſtinus, ut ſit mere negativa, & inactiva: Sed ut ſit poſitiva & effectiva, dando ſcilicet gratias ſufficientes ad pœnitendum iis etiam quos permittit peccare, non tamen efficaces in pœnam præcedentium peccatorum. In quo perpulchre probat Auguſtinus contra Julianum, quod Deus non punit peccata præcedentia per ſubſequentia, meram patientiam præbendo, ut ipſe volebat; ſed quod etiam in hoc oſtendit potentiam ſuam, dando ſcilicet eis quas vires vellet, ad

pœnitendum, & negando eis quas vellet: dando ſcilicet eis mere ſufficientes, & non efficaces, in punitionem præcedentium delictorum ſuorum; & ſic utendo bonis ſuis pro libito, & cum ſumma poteſtate, ſine injuſtitia, aut cujuſquam injuria. Et hinc eſt quod mox loquitur de vocatione efficaci & inefficaci ad pœnitentiam, ut ſunt à Deo ex ſeipſo decernente, & mere libere eas procurante. Secundum quod voluerit, dicens: [Novit Dominus qui ſunt ejus, & omnia cooperatur (id eſt convertit) in bonum,] ſed, [his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt] (id eſt ſecundum voluntatem ejus efficacem) Non enim omnes qui vocati ſunt, ſecundum propoſitum ſunt vocati: [Multi enim vocati, pauci vero electi:] ubi clare indicat abſolutam Dei potentiam in actiones hominum, ut agant, vel non agant pœnitentiam, ſecundum quod ab eo vocati fuerint: ita quod etiamſi ſint ad illam vocati, ſi tamen non ad eandem electi, & efficaciter vocati, non pœniteant: Si vero efficaciter vocati, pœniteant. Quod erat totum intentum Auguſtini contra Julianum, qui nolebat id expoſci ex parte vocationis divinæ; ſed ex parte affectionis humanæ, ſine ulla neceſſitate gratiæ in voluntate recipiendæ: Propter quod ſupra cap. 3. dicebat traditos illos in peccata, de quibus loquitur Apoſtolus: Eſſe traditos per meram Dei patientiam; non vero per potentiam, ut volebat Auguſtinus, & probabat contra eum. Cùm ergo id probaret Auguſtinus per multos Script. locos, inter quos eſt iſte, [Quos autem prædeſtinavit, illos & vocavit: quos autem vocavit, illos Rom. 8. & juſtificavit: quos autem juſtificavit, ipſos & glorificavit. Occaſione iſtius loci, quem communiter intelligit Auguſtinus de prædeſtinatione ad gratiam ſimul & gloriam: Loquitur Auguſtinus de prædeſtinatione illa ad gratiam ſimul & ad gloriam: cum tamen prius tantum locutus fuiſſet de prædeſtinatione ad gratiam vocationis & pœnitentiæ, (ut ſatis probavimus) occaſioneque ejuſdem loci, dicit verba in Object. allata, ſcilicet: Ex his nemo perit, quacunque ætate moriatur: abſit enim ut prædeſtinatus ad vitam, ſine Sacramento mediatoris finire permittatur hanc vitam: Vult autem Janſenius, ut hæc verba occaſionaliter dicta, de prædeſtinatione ad gratiam ſimul & gloriam, ſint explicativa præcedentium, in quibus, ut vidimus, formaliter & directe locutus fuerat Auguſtinus de prædeſtinatione ad gratiam pœnitentiæ, & vocationis efficacis: quaſi vero non ſatis ſeſe explicuerit in præcedentibus Auguſtinus, & non ſatis oſtenderit ſe iſtos effectus pœnitentiæ, & vocationis efficacis, tribuere prædeſtinationi ad illos, ſecundum morem ſuum, ſine eo quod neceſſe ſit ad habendum ſenſum illius, recurrere ad aliquem excurſum, ſeu digreſſionem, quam facit poſtea de prædeſtinatione ad gloriam. Ex quibus manifeſtum eſt, quod ſi ibi loquitur Auguſtinus de prædictis effectibus, tribuit illos iſti prædeſtinationi ad gratiam ſimul & gloriam, non qua parte ipſa reſpicit gloriam; ſed qua parte reſpicit gratiam, cum prius jam illos tribuiſſet prædeſtinationi illi ad gratiam, ut ſatis demonſtratum eſt.

Hoc poſſet exponi de prædeſtinatione ad vitam gratia ſanctificantis, ad quam pervenitur per baptiſmum, ſeu Sacramentũ mediatoris.

Quod probo ſecundò ex eo quod Auguſtinus in illo ipſo loco in Objectione citato rejicit merita Pelagiana à prædeſtinatione de qua loquitur, ut patet ex his verbis à Janſenio omiſſis(quæ ſane non omiſiſſet, ſi fuiſſent de meritis Chriſtianis, ſeu gratiæ reſpectu gloriæ: cum tunc eſſent illa verba contra nos expreſſiſſime, & directiſſime: Ex quo peremptorium eſt, quod ſunt de meritis Pelagianis, ſeu contra merita Pelagiana, quæ ibi rejiciebat & confutabat Auguſtinus.) Et ne forte ante conſtitutionem mundi, *ex operibus præcognitis putarentur electi*, ſecutus eſt (Apoſtolus) & adjunxit, &c. Sed merita Pelagiana reſpiciebant formaliter gratiam, ſeu prædeſtinationem ad gratiam, & non ad gloriam, ut ſciunt omnes qui noverunt eorum errores: Ergo illa prædeſtinatio de qua ibi loquitur Auguſtinus, non eſt prædeſtinatio ad gloriam, ut ſic; ſed tantum prædeſt. ad gratiam, ſeu pœnitentiæ, ſeu vocationis efficacis; cui ſi adjungitur gloria, omnino materialiter, & per accidens ſe habet ad hos effectus, & proinde non eſt eorum cauſa, ut volebat Janſenius: Quod etiam confirmatur ex mox ſequentibus Apoſtoli verbis, quos Auguſtinus adducit, dicens, ſecutus eſt & adjunxit [Si autem gratia jam non ex operibus, alioqui gratia jam non eſt gratia.] Quod ſane demonſtrat Auguſtinum ibi aſſumpſiſſe gratiam, ſcilicet vocationis efficacis & pœnitentiæ, pro objecto formali ſuæ prædeſtinationis, de qua ibi loquebatur, & non gloriam; cum huic gratiæ vocationis efficacis & pœnitentiæ conveniat, quod non ſint ex operibus, non autem gloriæ, quæ eſt ex operibus gratiæ, ut alibi explicat Auguſtinus. Unde & ſequitur ex iſto numero electorum, & prædeſtinatorum etiam qui peſſimam duxerunt vitam, *per benignitatem Dei* adducuntur ad pœnitentiam (non dicit per prædeſtinationem ad gloriam; quia illa prædeſtinatio non erat ad propoſitum; ſed ſola prædeſtinatio ad gratiam, per quam immediate & formaliter adducuntur homines ad pœnitentiam, & de qua idcirco ibi loquebatur Auguſtinus.) Per cujus patientiam non ſunt huic vitæ in ipſa ſcelerum perpetratione ſubtracti (ubi non dicit etiam per prædeſtinationem, aut propter prædeſtinationem ad gloriam non ſunt huic vitæ in ipſa ſcelerum, &c. Quod ſane dicere debuiſſet ſi illi prædeſtinationi, ut ſic, prædictam pœnitentiam tribuiſſet.

Lib. de corr. & gr. c. 13. & alibi.

Denique id probo ex conſequentibus: Ubi ait Auguſtinus, Cæteri autem mortales, qui ex iſto numero non ſunt (ſcilicet ex numero prædeſtinatorum, de quibus ante locutus eſt) ex eàdem quidem maſſa, ex qua & iſti; ſed vaſa iræ facti ſunt, ad utilitatem naſcuntur iſtorum..... Iſtorum neminem adducit ad pœnitentiam ſalubrē & ſpiritualem (id eſt veram & Chriſtianam, non Pelagianam, quæ eſt ab homine; ſed ad Catholicam, quæ eſt à Deo) qua homo in Chriſto reconciliatur Deo: ſive illis ampliorem patientiam, ſive non imparem, præbeat. Per quod manifeſte oſtendit ſe formaliter & directe locutum eſſe in præcedentibus de prædeſtinatis ad gratiam pœnitentiæ, & non ad gloriam formaliter, ut ſic. Cum hîc ſolùm opponat eis, non prædeſtinatos ad pœni-

tentiam, non autem non prædeſtinatos ad gloriam: Quandoquidem ſolis non prædeſtinatis ad pœnitentiam conveniant ea quæ hîc dicit Auguſtinus, ſcilicet quod iſtorum neminem adducit ad pœnitentiam Catholicam quâ homo in Chriſto reconciliatur Deo: Multi enim non prædeſtinati ad gloriam, ſeu reprobi, fuerunt adducti ad pœnitentiam veram & Chriſtianam, & per hanc in Chriſto reconciliati Deo: Unde hæc quæ dicit hîc Auguſtinus, non poſſunt eis convenire, ſed ſolis non prædeſtinatis ad gratiam, ſeu pœnitentiam ſalubrem & Chriſtianam, quâ homo reconciliatur Deo: Et ne quis importunius diſceptaret ſuper his qualitatibus pœnitentiæ, de qua ibi loquitur, quam vocat ſalubrem & ſpiritualem, quaſi per hæc intelligeret pœnitentiam perducentem uſque ad ſalutem æternam, quo pacto hæc convenirent omnibus non prædeſtinatis ad gloriam. Præter quam quod hæc addita verba, ſcilicet: Qua homo in Chriſto reconciliatur Deo, ſatis per ſe demonſtrant ibi eſſe ſermonem de mera pœnitentia, ſeu converſione peccatoris, ſive illa perſeveret, ſive non, cùm utraque nos reconciliet Deo. Tamen ad majorem certitudinem infra repetit eandem ſententiam ſine prædictis qualitatibus pœnitentiæ, quæ ſane cum in hoc ſenſu non ſint communes, deberent etiam repeti, ſi ſenſum prædictum continerent; ſed ſine illis illam repetit dicens: Deus autem alios inde (id eſt ex maſſa perditionis, ſeu peccati originalis) per miſericordem bonitatem adducit ad *pœnitentiam:* alios ſecundum juſtum judicium non adducit. Ex quibus manifeſtum eſt Auguſtinum locutum eſſe in præcedentibus formaliter de prædeſtinatione ad gratiam pœnitentiæ ſimplicis & nudæ, & non ut cum ſalute æterna conjunctæ, nec proinde de prædeſtinatione gloriæ. Quod etiam poſſet confirmari ex omnibus aliis conſequentibus; ſed brevitatis gratia omitto ea, & ſolum adduco totius præcedentis diſcurſûs concluſionem, ubi Auguſtinus aït: Tradit ergo Deus in paſſiones ignominiæ, ut fiant quæ non conveniunt; ſed ipſe convenienter tradit id eſt non tantum patientiam præbendo, ut volebat Julianus; ſed etiam utendo ſua potentia dando, ſcilicet vires mere ſufficientes, ſeu inefficaces prout vult) & fiunt eadem peccata & peccatorum ſupplicia præteritorum (cum ob ea negetur poſtea gratia efficax ad bonum) & ſuppliciorum merita futurorum.... Facit hæc miris & ineffabilibus modis, qui novit juſta judicia ſua, non ſolum in corporibus hominum; ſed & in ipſis cordibus *operari* (per negationem ſcilicet gratiæ efficacis ad bonum) Qui non facit voluntates malas, ſed utitur eis *ut voluerit*, cum aliquid inique velle non poſſit. *Exaudit propitius, non exaudit iratus:* Et rurſus: Non exaudit propitius, exaudit iratus; *parcit propitius, non parcit iratus;* Et rurſus: Non parcit propitius, *parcit iratus.* Atque in his omnibus bonus perſeverat & juſtus. In quibus omnibus nihil de gloria, nec de prædeſtinatione ad illam; ſed totum de gratia propitiationis, vel exauditionis ad pœnitentiam, & de negatione ejus: quam quando vult operatur in cordibus hominum, non operatur quando non vult. Et cùm requirit

horum effectuum cauſam & rationem: non recurrit ad prædeſtinationem ad gloriam, ad quam ſane recurrendum eſſet, ſi eſſet cauſa illorum. Sed recurrit ad incognoſcibilia judicia Dei, & fatetur hominem nimis eſſe aggravatum corpore, quam ut hæc agnoſcere poſſit. Sed ad hæc, inquit, quis idoneus; utique ad hæc ejus perſcrutanda & inveſtiganda judicia? Quis homo idoneus quem [Corruptibile aggravat corpus] etiam ſi habeat Spiritus ſancti pignus? Hæc ibi Auguſtinus: qui ne cogitavit quidem tribuere hos effectus prædeſtinationi ad gloriam, cùm illorum cauſam non ſolum ipſum, ſed etiam omnem hominem ignorare ſic faſſus eſt. Quapropter confitendum eſt, valde ibi deceptum fuiſſe Janſenium, qui attulit non rationem pro ratione, & tribuit illos effectus prædeſtinationi ad gloriam, quos ſolùm tribuit Auguſtinus prædeſtinationi ad gratiam, ut prædeſtinationi ad gratiam.

PARAGRAPHUS UNDECIMUS.

Decimatertia proponitur Objectio.

DECIMUMTERTIUM argumentum ſumitur ex ſingulari voluntate Dei circa ſalutem adultorum prædeſtinatorum, quam Auguſtinus cauſam eſſe tradit, ut aït Janſenius lib. 9. de gr. Salv. cap. 19. non ſolum cur eis in tempore procuretur baptiſmus, ſed etiam cur illos tanta benignitate, alios vero tanta ſeveritate tractet, uſque adeo ut ex iſto fonte omnium donorum divinorum collationem, atque diverſitatem fluere, ac pendere fateatur Auguſtinus.

PUNCTUM PRIMUM.

Primò reſpondetur in genere.

RESPONDEO, tam certo falſum eſſe, quod Auguſtinus id dicat, aut fateatur: ut ipſemet expreſſiſſime in diverſis locis (quos citavi in argumento 9. ex Auguſtino) fateatur, & aſſerat ſe iſtius diverſitatis cauſam ignorare: quomodo ergo poſſet dicere, iſtam donorum, v. g. baptiſmi & perſeverantiæ collationem, ſeu diverſitatem fluere, ac pendere ex prædeſtinatione ad gloriam: Cùm etiam ibidem dicat, neminem hominum, iſtorum cauſam & rationem cognoſcere. Quin imo ipſe Janſenius tomo 2. ejuſdem operis libro proœmiali cap. 26. aït, illas quæſtiones quæ ſpectant ad illam diverſitatem, Auguſtinum reliquiſſe indeciſas; Auguſtinus, inquit, diſputando, & in omnem partem ſe pro aſſequenda veritate vertendo, in medio indeciſas (has quæſtiones) prætcrivit: (ſcilicet)

ſcilicet) cur hic, non alius; hic iſto modo, alter alio vocetur ad gratiam: cur iſte rapiatur ne malitia mutet intellectum, alter melior in hac vita periturus relinquatur: cur juſtior cadat, minus juſtus perſeveret. Hæc ibi Janſenius: Ubi clare dicit Auguſtinum has quæſtiones indeciſas reliquiſſe: hîc autem dicit illas decidiſſe, & dixiſſe illam diverſitatem eſſe à prædeſtinatione ad gloriam, quia illa eſt cauſa prædeſtinatis; cur illa beneficia habeant, & non prædeſtinatis, cur non habeant, in quo clare [Mentita eſt iniquitas ſibi.]

Dupliciter tamen vult id probare Janſenius, primò ſigillatim de quibuſlibet illis beneficiis, ſecundò omnibus illis in genere; ſed breviter illi reſpondebimus.

Punctum II.

Secundò reſpondetur in ſpecie; & primò de fide & baptiſmo: quod non ſunt ex prædeſtinatione ad gloriam.

Primò ergo vult probare, quod fides in adultis prædeſtinatis, eſt ab ipſa prædeſtinatione ad gloriam: Et ad id probandum utitur teſtimonio Auguſtini ex Epiſtola 107. ſub finem. Ubi Auguſtinus aït: Non enim omnium eſt fides: tanquam diceret, non enim apud omnes etiam nobis orantibus glorificabitur verbum Dei, quia ipſi utique fuerant credituri, qui ordinati erant in vitam æternam, prædeſtinati in adoptionem filiorum per Jesum Christum, & electi in ipſo ante conſtitutionem mundi.

Reſpondeo ibi Auguſtinum non dicere illam fidem eſſe à prædeſtinatione ad gloriam tanquam à radice; ſed ſimpliciter eſſe à Deo, & non ab homine, ut volebat ille Semipelagianus, ad quem Epiſtolam iſtam dirigebat: Id breviter patet, ex paulo antecedentibus, his verbis: Scit certe *ab illo* (ſcilicet Deo) *fieri*, quem vult rogari *ut hoc faciat:* & ex his immediate conſequentibus: Sed ideo Deus per orationes credentium, nondum credentes credere *facit*; ut oſtendat, quia *ipſe facit:* Ubi ſolùm probat Auguſtinus, fidem illam eſſe à Deo gratis illam concedente, & non meritis reddente, ut etiam evidenter declarat inferius, dicens: Ita ut voluntas per antecedentem gratiam præparetur, *non ut gratia merito voluntatis antecedente donetur.* Unde cum attulit hunc textum Auguſtinus ubi ſupra, ſcilicet: Ipſi utique fuerant credituri, qui ordinati erant ad vitam æternam; non attulit illum textum, ut oſtenderet quod fides illa eſſet à prædeſtinatione ad vitam æternam, tanquam à radice & origine: imo forte ordinationem illam non ſumpſit pro prædeſtinatione, ut ſatis oſtendimus* non debere ſumi in explicatione illius loci; ſed ideo attulit, ut oſtenderet & fidem, & ea omnia quæ pertinent ad vitam æternam, eſſe à Deo ordinante & diſponente, & non ab homine ea promerente, quod erat formale intentum illius. Reliqui autem duo textus, huic

**Vide Objectionem 7. ex Scripturis ſub finem.*

Ccc

conjuncti, ſunt de prædeſtinatione ad gratiam, ſcilicet: Prædeſtinati in adoptionem filiorum; nam adoptio filiorum eſt gratia ſanctificans. Et: Electi in ipſo ante conſtitutionem mundi: Nam objectum iſtius electionis ſunt bona opera, ut à gratia, ſcilicet: Ut eſſemus ſancti & immaculati, in conſpectu ejus in charitate. Quem etiam locum intellexit Auguſtinus de prædeſtinatione ad gratiam, libro de prædeſt. Sanct. cap. 17. & alibi communiter, quod ſatis oſtendit Auguſtinum nihil minus ibi cogitaſſe, quam de prædeſtinatione ad gloriam, cum attulit illos textus.

Unde ſatis inutilis eſt, iſta confirmatio Janſenii, quam addit conſequenter, dicens: Hanc ordinationem (de qua ſupra) in vitam æternam eorum eſſe duntaxat, qui tandem accepto perſeverantiæ dono, in gratia morituri ſunt: Quod probat hoc loco Auguſtini ex libro de corr. & gr. cap. 6. Quis, inquit, in vitam æternam potuit ordinari, niſi perſeverantiæ dono: Quandoquidem qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit; qua ſalute niſi æterna?

Nam reſpondeo quod tantum abeſt, ut hic locus confirmet intentum ſuum, quin imo clare oſtendit, ſupradictam ordinationem, de qua mentionem fecerat Auguſtinus ex Scriptura, non fuiſſe ab eo ſumptam pro prædeſtinatione: cùm hîc non ſumatur pro prædeſtinatione; ſed pro ſola aptitudine & diſpoſitione poſita à Deo in homine, ad hoc ut dignus ſit eligi ad vitam æternam. Et ratio eſt, quia ibi perſeverantia ponitur ut prior illa ordinatione, cùm per perſeverantiam illa ordinatio fiat: Dicitur enim in textu, quod homo non potuit ordinari niſi dono perſeverantiæ, quod idem eſt ac ſi diceretur, per donum perſeverantiæ: At prædeſtinatio æterna Dei non fit per perſeverantiam hominis; ſed ſola condignitas hominis ad eligi ad vitam æternam, fit per donum illud perſeverantiæ: Ergo ibi ordinatio non ſumitur pro prædeſtinatione (niſi ibi intelligas prædeſtinationem ad gloriam poſt prævifa merita: Nam ſi ibi mentio eſt de prædeſtinatione ad gloriam, illa eſt neceſſario poſt prævifa merita, cùm ſit poſt perſeverantiam:) quod ſi dicat Janſenius, ibi ordinationem illam ſumi pro executione, & non pro prædeſtinatione ipſa. Reſpondeo quod debebat id probare, cum id non appareat ex ſubjecta materia, & nomen ordinationis, vel præordinationis in materia prædeſtinationis: potius ſumatur pro prædeſtinatione ipſa, quam pro executione ipſius, niſi contrarium appareat ex ſubjecta materia, quod hîc non apparet.

Nihil ergo aliud vult ibi dicere Auguſt. niſi quod ordinamur & ſimus digni, ut eligamur ad gloriam per perſeverantiam à Deo datam, & non à nobiſmetipſis ſumptam: quia per nos ipſos non poſſumus eſſe digni vita æterna, ut volebant illius adverſarii: Quod etiam patet ex antecedentibus & conſequentibus: Sic enim ait Auguſtinus paulo ante hunc textum: Nonne apertiſſime oſtendit (ſcilicet Judas Apoſtolus cujus teſtimonium adduxerat) *donum Dei* eſſe, (id eſt à Deo eſſe) in bono perſeverare uſque in finem; quid enim aliud *donat*, qui conſervat ſine

offenſione, ut conſtituat ante conſpectum gloriæ ſuæ immaculatos in lætitia, *niſi perſeverantiam bonam?* Et poſtea ſequitur textus in objectione allatus, & immediate poſt probat illud donum eſſe à Deo, quia poſcitur à Deo. Cum vero, inquit, in Oratione Dominica Patri dicimus [Sanctificetur nomẽ tuum] quid aliud dicimus, quam ut nomen ejus ſanctificetur in nobis, quod cum jam per lavachrum regenerationis effectum ſit, quare quotidie a fidelibus *poſcitur, niſi ut* in eo quod factum eſt in nobis, perſeveretur à nobis: Quod cum confirmaſſet teſtimonio Cypriani, in cujus fine hæc habentur: Id petimus & rogamus, ut qui in baptiſmo ſanctificati ſumus, in eo quod eſſe cœpimus perſeveremus. Cito exclamat Auguſtinus. Ecce glorioſiſſimus Martyr hoc ſentit, &c. Et mox concludit, dicens: Nullo autem dubitante quiſquis à Domino, *ut in bono perſeveret precatur donum ejus* eſſe talem perſeverantiam confitetur. Vbi nihil aliud contendit Auguſtinus, quam donum perſeverantiæ eſſe à Deo, & non ab homine, ſeu merito hominis, ut volebant ejus adverſarii; non autem quod eſſet effectus prædeſtinationis ad gloriam, ſeu ordinationis ad illam, ut prætendit Janſenius

Verum proſequitur Janſenius, & aït, eandem prædeſtinationem eſſe cauſam, cur uni non alteri, non ſolum ex parvulis; ſed etiam ex majoribus, baptiſmus qno ſalvandus eſt, conferatur: Item, cur uni non alteri baptizatorum delinquentium detur ſpiritus pœnitentiæ. Sed cum hæc non aliter probet, quam per aliquos textus ſumptos ex cap. 4. lib. 5. contra Julianum, quos in præcedenti objectione ſatis expoſuimus nihil hîc inutiliter repetemus: Quandoquidem ibi ſatis oſtendimus, Auguſtinum iſtos effectus ibi non tribuere prædeſtinationi ad gloriam ſolam, de qua hîc ſolùm agitur; ſed prædeſtinationi ad gratiam, vel ad ſummum prædeſtinationi ad gratiam ſimul & gloriam, & non qua parte formaliter reſpicit gloriam; ſed qua parte formaliter reſpicit gratiam, quod non favet Janſenio: Cum ut ſic clarum ſit quod non tribuit Auguſtinus illos effectus prædeſtinationi ad gloriam, ſed potius prædeſtinationi ad gratiam.

Sed prætereunda non eſt quædam falſa ſuppoſitio Janſenii, ne dicam mendacium, cum aït in loco ſupracitato Auguſtini, Julianum objeciſſe Auguſtino iſtum locum Apoſtoli: [Bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit,] ut univerſorum pœnitentiam, Deum procurare convinceret. Tantum vero abeſt, ut id intenderit Julianus, quin imo in hoc ſpecialiter cum cæteris Pelagianis erraret, quod negaret Deum procurare pœnitentiam, ſeu converſionem peccatoris; ſed ſolùm diceret Deum eam expectare ut ab homine, & poſtea Deum illam adjuvare, augere & perficere; quod longe eſt à procurare. Unde nihil aliud ibi vult dicere Julianus, niſi quod Deus tam bonus eſt, ut expectet homines ad pœnitentiam ſuorum peccatorum, non vero impellat eos ad peccata, ut illi videbatur dicere Auguſtinus, cum dicebat eſſe aliqua peccata quæ erant peccata, & pœna peccatorum præcedentium.

PUNCTUM III.

Reſpondetur ſecundò de medicina Paſſionis Domini, & de correptione ſalutari, quod non ſunt ex prædeſtinatione ad gloriam.

POST hæc vult probare Janſenius, quod Incarnationis, Paſſionis, & Mortis Domini noſtri JESU CHRISTI medicina proſit prædeſtinatis ad juſtificationem vitæ æternæ, eo quod ipſi prædeſtinati ſunt ad vitam æternam: quod vult probare ex libro 2. de peccat meritis & remiſſ. cap. 29. ubi ait Auguſtinus: Idem ipſe Dominus noſter hanc ſuam medelam, nullis generis humani temporibus ante ultimum futurum judicium denegavit eis, quos per certiſſimam præſcientiam, & juſtiſſimam beneficentiam ſecum regnaturos in vitam prædeſtinavit æternam: Quaſi diceret, inquit Janſenius, nemini ſubtraxit medium iſtud medicinæ neceſſarium, cui finem perfectæ ſanitatis prædeſtinavit.

Reſpondeo primò in his locis nullam eſſe cauſalem, per quam demonſtretur illam medicinam ſupradictis applicari, ſeu prodeſſe ex eo quod prædeſtinati ſunt ad vitam æternam: Ibi enim ſimpliciter aſſeritur quod illud remedium iis omnibus applicatur qui prædeſtinati ſunt ad vitam æternam; ex qua autem ratione illud eis applicetur non dicitur, ut legenti patebit: Id autem tam vere dici poteſt de prædeſtinatis ad gloriam poſt præviſa merita: ac de prædeſtinatis ad gloriam ante præviſa merita. Sed, inquies, quare ergo potius ibi loquitur de prædeſtinatis quam de aliis, quibus etiam applicata eſt illa medicina Paſſionis & Mortis Chriſti per gratiam ſanctificantem, niſi quia illorum prædeſtinatio eſt cauſa in eis applicationis iſtius?

Reſpondeo iſtam prædeſtinationem non eſſe cauſam iſtius applicationis medicinæ in eis, potius quam in aliis ſecundum Auguſtinum: ſed id afferre Auguſtinum in exemplum efficacitatis illius remedii, de qua ibi loquebatur: Quia illa efficacitas longe clarius & illuſtrius apparet in illis prædeſtinatis, quam in aliis: Unde bene exemplificat illam in illis potius quam in aliis: Qui modus argumentandi communiſſimus eſt apud Auguſtinum: unde eſt quod cum loquitur de vocatione efficaci ad fidem, quæ communis eſt reprobis & prædeſtinatis: communiter tamen affert exemplum prædeſtinatorum ad gloriã, utens illo textu Apoſt. Quos prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: & quos juſtificavit, hos & glorificavit. Quia nempe in illis juſtificatis & glorificatis luculentius apparet illa vocatio efficax de qua loquitur, quam in aliis nec glorificatis, nec etiã juſtificatis: Et ſane nõ video cur alia dicatur eſſe cauſa juſtificationis in prædeſt. quã in reprobis, & cur recte non dicamus, quòd ſicut Deus abſolute voluit juſtificare reprobos ex mera voluntate ſua, & ſine ordine ad gloriam: ita voluit juſtificare prædeſtinatos ſine ordine

Rom. 8.

ad gloriam; præcipue cum loquens Auguſtinus de juſtificatione juſtificatorum, ſemper id referat ad meram Dei voluntatem, & ſolùm excludat ab eis merita naturæ præcedentia.

Quicquid ſit, certum debet eſſe quod non tribuit Auguſtinus hîc iſtam juſtificationem, ſeu medelam Chriſtianam prædeſtinationi ad gloriam; ſed prædeſtinationi ad gratiam: Cùm hîc loquatur de illa juſtificatione ut communi; & ut à communi cauſa in omnibus, tam prædeſtinatis quam non prædeſtinatis ad gloriam; ut patet ex verbis quæ immediate ſequuntur poſt textum allegatum: ubi ſic aït Auguſtinus, probans illud quod dixerat in textu illo citato. Namque ante nativitatem carnis, infirmitatemque Paſſionis, & virtutem Reſurrectionis ſuæ, earum rerum fide eos qui tunc fuerant (vides quomodo loquatur de omnibus illius temporis hominibus qui tunc erant, non de ſolis prædeſtinatis) informabat ad hereditatem ſalutis æternæ, quarum rerum præſentium fide informavit eos, qui cum gererentur aderant (nota adhuc generalitatem illam eorum qui aderant, non eorum tantum qui prædeſtinati erant) atque impleri prædicta cernebant, quarum etiam præteritarum rerum fide, qui poſtea fuerunt, & nos ipſos, & qui deinde futuri ſunt. (Vide generalitatem) informare non ceſſat. (unde & ſic concludit) *Una* ergo fides eſt (ſcilicet per dilectionem operans, ſeu juſtificans) quæ omnes *ſalvos* facit (ſcilicet ſalute incompleta per gratiam juſtificantem, ut patet ex ſequentibus) qui ex carnali generatione in ſpiritualem *renaſcendo*, ſalvantur. Ubi manifeſtum eſt ibi tantum ſermonem eſſe de ſalute incompleta per gratiam juſtificantem, ſeu per medelam illam Paſſionis & Mortis Chriſti, de qua ibi loquitur, prout illa communis eſt omnibus hominibus, tam non prædeſtinatis, quam ipſis prædeſtinatis: cum dicatur fieri per generationem illam ſpiritualem, quæ fit per baptiſma & peccatorum remiſſionem omnibus communem; tam non prædeſtinatis, quam ipſis prædeſtinatis.

Quapropter concludendum eſt, quod ſupradicta quæ dicuntur de prædeſtinatis ad gloriam, ſolummodo dicta ſunt cauſa exempli, & non cauſa oſtendendæ prædictæ cauſalitatis prædeſtinationis ad gloriam in juſtificationem illam prædeſtinatorum. Tum quia non erat ad propoſitum loqui de iſta cauſalitate, cum nihil faceret ad intentum ſuum, quod erat demonſtrare efficacitatem illius remedii: quandoquidem non minus illud eſt efficax ab immediata voluntate Dei terminata ad hanc dandam gratiam, quam à remota Dei volũtate terminata ad dandam illis gloriam. Valde autem erat ad propoſitum loqui de iſta exemplificatione, ſeu de illa juſtificatione prædeſtinatorum per modum exempli, quia illa clarius & luculentius apparet in eis, & de illa magnificentius Scriptura ſancta loquitur, quam de aliis. Tum etiam quia nihil apparet in ipſo textu, quod indicet iſtam cauſalitatem; ſed tantum apparet narratio facti quod pertinet ad exemplum, & non ad cauſalitatem: Et ſic manifeſtum eſt quod iſte locus nihil efficit contra prædeſtinationem ad gloriam poſt præviſa

merita, cum nihil dicat de cauſalitate illius in illa, ut volebat Janſenius

Sed & reſpondeo ſecundò quod hæc verba ibi inſerta: quos per certiſſimam præſcientiam. & juſtiſſimam beneficentiam ſecum regnaturos in vitam prædeſtinavit æternam: deſtruunt illam interpretationem Janſenii, qua ibi vult ſignificari prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam juſtificationis ejuſmodi prædeſtinatorum: cum ſupra demonſtravelimus per illa verba, ſignificari prædeſtinationem ad gloriam eſſe poſt præviſa merita; & ſic non cauſare iſtam juſtificationem, nec merita in illis; ſed potius ſupponere.

Argum. 10. ex Auguſt.

Poſt hæc autem vult probare Janſenius de correctione fraterna, quod nempe illa procuretur prædeſtinatis ad gloriam, ex eo quod prædeſtinati ſunt ad gloriam: Ne prædeſtinata, inquit, ſibi vitæ æternæ ſalute priventur; ad quod probandum, utitur multis textibus libri de correptione & gratia.

Reſpondeo primò, in nullis eorum locorum haberi, quod Deus eis procuret hanc correptionem, ne prædeſtinata illis vitæ æternæ ſalute priventur, ut infra videbitur.

Reſpondeo ſecundò, nullam in eis eſſe cauſalem, qua demonſtretur, iſtam correptionem eis fieri utilem, ob hoc quod prædeſtinati ſunt ad vitam æternam; ſed tantum reperitur nuda narratio ejus, quod fiet, ſi ſint prædeſtinati ad vitam æternam.

Primus itaque eſt ejuſmodi ex capite 9. prædicti libri de. corrept. & gratia. Si ſecundum propoſitum vocatus eſt iſte, proculdubio illi etiam quod corripitur, Deus cooperatur in bonum. Hic locus nullam habet cauſalem, ſed tantum dicit quod eventurum ſit, ſi iſte ſit prædeſtinatus ad vitam, quod tam bene dici poteſt de prædeſtinatione ad gloriam poſt præviſa merita, ob infallibilitatem illius prædeſtinationis, quam de prædeſtinatione ad gloriam ante præviſa merita, ob cauſalitatem illius: quanquam & dici poſſet quod ibi propoſitum non ſignificat prædeſtinationem ad gloriam, ſed prędeſtinationem ad gratiam, cum ſumat Auguſtinus illud verbum promiſcue, pro utralibet prędeſtinatione, ut infra videbimus.

Secundus eſt in eodem capite, ſcilicet: Scit enim talem corripiendum, facturo Deo, aut miſericordiam, aut judicium. Miſericordiam quidem ſi à maſſa perditionis, ille qui corripitur, gratię largitate diſcretus eſt: & non inter vaſa quę perfecta ſunt in perditionem; ſed inter vaſa miſericordię quę pręparavit Deus in gloriam. Hic locus nullam adhuc habet cauſalem, & bene poteſt intelligi de prędeſtinatione ad gloriam poſt pręviſa merita, ob ejus infallibilitatem. Nam ibi vaſa miſericordię, alibi notavimus poſſe dici vaſa juſtitiæ: quanquam & hic locus poſſet exponi de prædeſtinatione ad gratiam, ob hæc verba: Gratiæ largitate diſcretus; quæ ſignificant collationem gratiæ efficacis actualem.

Supra in teſtimoniis D. Fulgentii.

Tertius eſt, quem vocat apertiorem Janſenius, ex cap. 14. prædicti libri, ſcilicet: Correptio medicinaliter adhibetur, etiamſi ſalus ægrotantis

incerta ſit : ut ſi is qui corripitur ad prædeſtinatorum numerum pertinet, ſit ei correptio ſalubre medicamentum : Si autem non pertinet, ſit ei correptio pœnale tormentum. Nullam adhuc hic locus habet cauſalem, & non differt à præcedentibus : Et quia bene vidit Janſenius hunc locum melius explicari de prædeſtinatis ad gratiam, quam de prædeſtinatis ad gloriam : tum quia de prædeſtinatis ad gratiam, illa doctrina eſt adæquata, & ſemper vera : cum omnibus prædeſtinatis ad gratiam ex correptione ſuſcipiendam, ipſa correptio proſit ; non tamen ſemper prædeſtinatis ad gloriam, quibus ſæpe multæ correptiones ſunt inutiles, licet tandem aliquando convertantur. Tum etiam quia paulo antè, initio ſcilicet hujus capitis, hæc dixerat Auguſtinus : Patiantur ergo homines ſe corripi quando peccant, nec de ipſa correptione contra *gratiam* argumentantur, nec de *gratia* contra correptionem. Quod argumento eſt illum ibi agere de prædeſtinatione ad gratiam ; ideo cito occurrit Janſenius, & ait : Quod dixerat *aliquoties*, ſe de illis loqui qui prædeſtinati ſunt in Regnum Dei. Verum quidem eſt quod id dixerat initio capitis præcedentis ; ſed id refert ad præcedentia, & non ad ſubſequentia, dicens : Hæc de his loquor qui prædeſtinati ſunt in Regnum Dei. Particula enim, *Hæc*, deſignat præcedentia : Unde & paulo poſt mutat ſermonem, dicens : Quod autem perſeveraturis ſanctis, &c. ubi ſolum loquitur de perſeverantia, & de redditione gloriæ meritis bonorum operum, non vero de prædeſtinatione ad gloriam mere gratuita.

Deinde confirmat hæc Janſenius aliis textibus ejuſdem libri : ut : Deo volenti ſalvum facere, nullum ei reſiſtit arbitrium. Et aliis ejuſmodi ; ſed de iis abunde diximus ad tertiam objectionem ex Auguſtino, ita ut non ſit hîc neceſſe de his quicquam repetere.

PUNCTUM IV.

Reſpondetur tertiò de perſeverantia, quod non eſt ex prædeſtinatione ad gloriam.

TANDEM vult probare de perſeverantia, quod ſcilicet illa detur electis, ex vi prædeſtinationis ad gloriam : ad quod probandum affert multos textus ex lib. de corrept. & gr. cap. 9. & 12. Sed antequam reſpondeatur textibus ex capite 9. dico impoſſibile omnino eſſe Auguſtinum ibi voluiſſe dicere, quod prædeſtinatio ad gloriam ſit cauſa perſeverantiæ in illis electis ; cùm immediate antè, clare profeſſus ſit ſe ignorare, cur illi perſeverent, ut patet ex his verbis quæ ſunt conjuncta illi ipſi primo textui quem objicit nobis Janſenius : ubi loquens Auguſtinus de perſeverantia, de qua totus hic ſermo erat, ſic ait : Donum Dei eſſe in bono perſeverantiam ſecundum Scripturas, de quibus teſtimonia multa jam poſui (ecce unum quod probat fomaliter, ſcilicet illam perſeverantiam eſſe à Deo) fateantur nobiſcum : Et *cur aliis detur*, aliis

non detur: ſine murmure adverſus Deum dignentur *ignorare nobiſcum* (ecce alterum quod probavit toto illo capite 8. ſcilicet, ſe & alios ignorare, cur Deus det perſeverantiam iis qui perſeverant, & mox ſequitur primus ille textus, quem nobis objicit Janſenius, ſcilicet: Nec nos moveat, quod quibuſdam filiis ſuis, Deus non dat iſtam perſeverantiam: Abſit enim ut ita eſſet ſi de illis prædeſtinatis eſſent, & ſecundum propoſitum vocatis, qui vere filii ſunt promiſſionis. Nam ſi per iſtum textum, & ſequentes, vellet dicere, quod prædeſtinatio ad gloriam, eſt cauſa, cur Deus dat perſeverantiam his potius, quam illis, clare ſibi ipſi contradiceret cum mox dixerit, imo & formaliter probaverit, ſe & alios ignorare quæ ſit cauſa perſeverantiæ, dicendo ſe & alios ignorare cur aliis Deus illam dederit, aliis non dederit. Quæ contradictio tam craſſa & manifeſta [illegible] in ſex aut ſeptem circiter lineis, nullo modo præſumenda eſt in tam perſpicaci & circumſpecto Doctore, qualis fuit Auguſtinus, ut toties agnoſcit ipſe Janſenius.

Hic textus eſt initium capitis noni & præcedens eſt finis capitis 8.

Quapropter dicendum eſt, Auguſtinum ibi loqui de prædeſtinatione ad perſeverantiam, & non de prædeſtinatione ad gloriam ſaltem ſolam; ſed de prædeſtinatione ad perſeverantiam, ſimul & gloriam: præcipue autem ad perſeverantiam, cum illius rationes fere omnes ſumantur ex prædeſtinatione illa ad perſeverantiam, ut patebit in textibus mox afferendis; poſt quam tamen notaverimus principale intentum Auguſtini in hoc capite fuiſſe, ſatisfacere cuidam objectioni, quæ illi fieri poterat ſuper his quæ probaverat de perſeverantia ut à Deo, & non ab homine, ſcilicet: quod ſi perſeverantia eſſet à Deo, ſeu eſſet donum Dei, daret illam Deus filiis ſuis, id eſt pie & ſancte viventibus, ut explicat Auguſtinus: Quod tamen non ſemper fiebat, cum illi non ſemper perſeverarent: cui objectioni reſpondet Auguſtinus quod filii Dei, illi vere ſunt, quos ipſe prædeſtinavit ad perſeverantiam in bono uſque in finem; & hi ſemper perſeverant, alii autem quos ſic non prædeſtinavit, non ſunt vere filii Dei, licet tales dicantur ab hominibus. Nam iſti, inquit Auguſtinus, cum pie vivunt dicuntur filii Dei; ſed quoniam victuri ſunt impie, & in eadem impietate morituri (id eſt non perſeveraturi) non eos dicit filios Dei præſcientia Dei: Sunt enim filii Dei qui nondum ſunt nobis, & ſunt jam Deo.... Et ſunt rurſus quidam qui filii Dei, propter ſuſceptam, vel temporaliter gratiam dicuntur à nobis, nec ſunt tamen Deo; de quibus ait Joannes: Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis; quod ſi fuiſſent ex nobis permanſiſſent utique nobiſcum (id eſt, ſi fuiſſent ſicut & nos prædeſtinati ad perſeverantiam perſeveraſſent nobiſcum, ut ſupra probatum eſt in Object. 6. ex Auguſtino) quibus ſuppoſitis ex Auguſtino, facile eſt ſolvere textus à Janſenio allatos.

Nam cum primò dicit Auguſtinus: Nec nos moveat quod quibuſdam filiis ſuis Deus, non dat iſtam perſeverantiam: Abſit enim ut ita eſſet, ſi de illis prædeſtinatis eſſent, & ſecundum propoſitum vocatis, qui vere ſunt filii promiſſionis: Vult dicere quod illi qui non accceperunt

illud

illud donum, non fuerunt prædeſtinati ad perſeverantiam, & per hoc non fuerunt filii Dei, cum hoc requiratur ad eſſe filios Dei, quod patet ex ſequentibus verbis, quæ etiam ſupra retulimus: Nam iſti (inquit) cum pie vivunt, dicuntur filii Dei; ſed quoniam victuri ſunt impie, & in eadem impietate morituri, non eos dicit filios Dei præſcientia Dei. Ubi vides formalitatem illius prædeſtinationis, ſeu filiationis non reſpicere gloriam, ut ſic: Non enim dicit, Sed quoniam non ſunt prædeſtinati ad gloriam, vel quoniam à gloria ſunt excluſi, vel reprobati, vel Regno privandi, vel in æternum damnandi, vel aliud ejuſmodi, quod deſignaret gloriam; ſed aït: Quoniam victuri ſunt impie, & in eadem impietate morituri, quod deſignat perſeverantiam, ſeu privationem illius, ob quam formaliter & præciſe non ſunt filii Dei.

Secundus locus à Janſenio pro ſe allatus idem clare demonſtrat, modo totus afferatur, & non truncatus. [Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis; quod ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum.] Non aït, ex nobis exierunt, (in quo demonſtrat Auguſtinus formalitatem iſtius prædeſtinationis eſſe ad perſeverantiam, de qua nunquam exitur, cum ſit tantum in fine vitæ ſecundum Auguſtinum: Item, & eſſe ex nobis, idem eſſe ac eſſe de perſeveraturis) ſed quia non manſerũt nobiſcũ, jam non ſunt ex nobis (id eſt ex perſeveraturis ex filiis) Verum aït [Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis:] Hoc eſt, & quando videbantur in nobis, non erant ex nobis; (id eſt ex perſeveraturis) & tanquam ei diceretur, unde id oſtendis [Quod ſi fuiſſent] inquit [ex nobis, *permanſiſſent* utique nobiſcum.] Filiorum Dei vox eſt, Joannes loquitur in filiis Dei loco præcipuo conſtitutus. Cùm ergo filii Dei dicunt, de his *qui perſeverantiam non habuerunt:* [Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, & addunt [Quod ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum.] (nota rationem ſequentem formalem iſtius prædeſtinationis & filiationis) quid aliud dicunt niſi non erant filii, etiam quando erant in profeſſione, & nomine filiorum: non quia juſtitiam ſimulaverunt; ſed *quia in ea non permanſerunt*, (ecce ratio formalis iſtius filiationis, & prædeſtinationis, clare ſumitur ex perſeverantia, & non ex gloria: Quod adhuc probat dicens) Neque enim aït, Nam ſi fuiſſent in nobis, veram non fictam juſtitiam tenuiſſent utique nobiſcum: Sed ſi fuiſſent (inquit) ex nobis *permanſiſſent* utique nobiſcum. In bono illos proculdubio volebat *permanere*: erant itaque in bono; ſed *quia in eo non permanſerunt*; id eſt, non uſque in finem perſeveraverunt, non erant ex nobis, &c. Ubi clare apparet Auguſtinum ſumere ſuas rationes à prædeſtinatione ad perſeverantiam, & non à prædeſtinatione ad gloriam. Credo itaque ex his facile ſolvi poſſe reliquos textus Auguſtini ex illo capite à Janſenio allatos, cum clare pateat ex dictis Auguſtinum ibi non tribuere iſtam perſeverantiam electioni ad gloriam; ſed prædeſtinationi ad perſeverantiam, ſeu ad donum & gratiam perſeverantiæ: quod etiam poteſt probari ex iis quæ ſequuntur poſt textus à Janſenio allatos: ubi

loquens Auguſtinus de quibuſdam Chriſti diſcipulis qui non perſeveraverant, dicit eos non eſſe filios, non quia ad gloriam; ſed quia ad perſeverantiam non erant prædeſtinati, dicens: Non erant vere diſcipuli (id eſt filii) Quia *non manſerunt in verbo ejus*. Et infra: Quia *ergo non habuerunt perſeverantiam*, ſicut non vere diſcipuli Chriſti, ita nec vere filii Dei fuerunt, etiam quando eſſe videbantur, & ita vocabantur. Appellamus ergo eos & electos Chriſti diſcipulos, & Dei filios quia ſic appellandi ſunt quos regeneratos pie vivere cernimus; ſed tunc (nota formalitatem) vere ſunt quod appellantur, *ſi* manſerint in eo propter quod ſic appellantur: *Si* autem perſeverantiam non habent, id eſt, in eo quod cœperunt eſſe, non manent: non vere appellantur, quod appellantur, & non ſunt: Apud eum enim hoc non ſunt, cui notum eſt, quod futuri ſunt, id eſt, ex bonis mali (ſeu non perſeveraturi.) Quo ſane nihil clarius dici pôterat ad oſtendendum, quod Auguſtinus ibi loquitur formaliter de prædeſtinatione ad perſeverantiam, ut cui tribuenda eſt iſta perſeverantia, & non prædeſtinationi ad gloriam.

Sed dices, ſi Auguſtinus tribuit perſeverantiam illi prædeſtinationi, ergo ſcivit cauſam illius, ergo hîc ſibi contradicit, cum ſupra dixerit, illius cauſam, ſeu rationem ſe ignorare, quod abſurdum ſupra objiciebamus Janſenio.

Reſpondeo, actum internum & externum, id eſt volitionem & actum volitum in genere moris pro uno eodemque haberi: Et ſic unum non vere dici cauſam, ſeu rationem alterius in genere moris. Unde eſt illud Proverbium. Sit pro ratione voluntas, id eſt voluntas qua fit aliquid, non eſt ratio ſufficiens facti; ſed debet eſſe altera: quemadmodum eſſet hîc, ſi volũtas dandi gloriam eſſet cauſa voluntatis dandi perſeverantiã, ut vult Janſenius: Unde bene intulimus contra illum abſurdum: quia ibi eſſet duplex voluntas, & proinde una poſſet eſſe vera ratio & cauſa alterius in genere moris: At vero voluntas dandi perſeverantiam, & ipſa perſeverantia data, pro uno eodemque habentur in genere moris, cum ibi ſit unica voluntas, & non duplex: Et ſic non eſt ibi cauſa & cauſatum in genere moris: unde non eſt contradictio. Et ſic finitur prima Solutio data textibus à Janſenio citatis pro cauſalitate prædeſtinationis ad gloriam in perſeverantiam electorum.

Punctum V.

Aliter oſtenditur perſeverantiam electorum non eſſe ex prædeſtinatione ad gloriam.

Secunda Solutio eſt; quod ſi ibi loquatur Auguſt. de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, ſupponit eam eſſe poſt prævíſa merita, & non ante prævíſa merita, & ſic vult perſeverantiam eſſe potius cauſã quam effectũ prædeſtinationis ad gloriam: tum quia ibi loquitur Auguſtinus de tali

præſcientia, quæ ſupponit perſeverantiam eſſe neceſſario requiſitam ante prædeſtinationem : ut patet ex his verbis, Nam iſti cum pie vivunt dicuntur filii Dei ; ſed *quoniam* victuri ſunt impie, & in eadem impietate morituri, non eos dicit filios Dei *præſcientia Dei:* id eſt non cognoſcuutur à Deo, ut habentes qualitatem neceſſario requiſitam ad eſſe filios Dei, ſeu ad eſſe prædeſtinatos (juxta hãc intepretationem) ad gloriam, quæ eſt perſeveraturum eſſe in bono uſque in finem. Unde & ſequitur. Sunt enim filii Dei, qui nondum ſunt nobis, & ſunt jam Deo (ſcilicet propter prævisionem futuræ eorum perſeverantiæ) & ſunt rurſus quidam qui filii Dei propter ſuſceptam vel temporaliter gratiam dicuntur à nobis, nec ſunt tamen Deo, (propter ſcilicet defectum perſeverantiæ futuræ) In quo ſatis innuitur perſeverantiam futuram eſſe fundamentum prædeſtinationis divinæ cum ab ea futura, vel non futura, noſcuntur à Deo prædeſtinati, vel non prædeſtinati. Et infra: *Si* autem perſeverantiam non habent (nota conditionem, ſeu qualitatem requiſitam) id eſt in eo quod cœperunt eſſe non manent, non *vere* appellantur quod appellantur, *& non ſunt* : Apud eum enim hoc non ſunt, (id eſt filii Dei, ſeu prædeſtinati ad gloriam in hac interpretatione) cui *notum eſt* quod futuri ſunt, id eſt ex bonis mali. Ubi adhuc eadem perſeverantia futura, deſignatur eſſe fundamentum filiationis, ſeu prædeſtinationis iſtius. Tum etiam quia clare dicit non filios, ſeu non prædeſtinatos ; ideo non eſſe filios, ſeu prædeſtinatos, quia non habuerunt perſeverantiam : *Quia* ergo, inquit, *non habuerunt perſeverantiam*, ſicut non vere diſcipuli Chriſti, ita nec vere filii Dei (id eſt prædeſtinati) fuerũt, etiam quando eſſe videbantur, & ita vocabantur. Ubi loquitur de reprobatione negativa, ſeu de non prædeſtinatione ſimplici, quæ ob eãdem genere rationem fit, ~~quæ~~ ſecundum adverſarios, ac prædeſt. ad gloriam, id eſt ex mera voluntate, & non ex prævisione perſeverantiæ, aut non perſeverantiæ futuræ. Cum ergo illam dicat Auguſtinus hîc, factam eſſe ob defectum perſeverantiæ, ſeu ob merita mala: ita & vult dicere, quod prædeſtinatio ad gloriam facta eſt ob perſeverantiam habitam, ſeu ob merita bona: quia ſi non prædeſtinati, ideo non fuerunt prædeſtinati, quia non habuerunt perſeverantiam : Neceſſario ſequitur, quod prædeſtinati non fuiſſent prædeſtinati, niſi habuiſſent perſeverantiam, & ſic quod eorum perſeverantia futura & prævisa, fuit prærequiſita, aut prævisa ante eorum prædeſtinationem: Quod eſt dicere & aſſerere prædeſtinationem ad gloriam factam eſſe poſt prævisa merita uſque in finem perſeverantia: Unde illi prædeſtinati, de quibus hîc loquitur Auguſtinus, non ſolum ibi vocantur ab eo prædeſtinati ; ſed etiam præſciti, ob prævisam ſcilicet eorum perſeverantiam. Neceſſario ergo concedendum eſt, quod ſi ibi Auguſtinus loquatur de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, vult illam eſſe factam poſt prævisa merita, & non ante prævisa merita, ut volebat Janſenius: Et ſic, quod textus illi ex prædicto loco à Janſenio deprompti, non habent ſenſum cauſalem,

Notitia quã habet Deus de his prædeſtinatis, ſumitur à prævisa eorum perſeverantia, tãquam à radic. prædeſtinationis iſtius: unde ſi hic ſermo eſt de prædeſtinatione ad gloriam, clariſſimus locus eſt, pro prædeſtinat. ad gloriam poſt prævisa merita.

quaſi prædeſtinatio ad gloriam eſſet cauſa perſeverantiæ; ſed tantum conſecutivum & indicialem, in eo fundatum, quod cum Deus neminem prædeſtinet, niſi ante præviderit illum eſſe perſeveraturum, bene ſequitur; quod ſi quem prædeſtinaverit ad gloriam, infallibiliter perſeverabit, non quia prædeſtinatio ad gloriam ſit cauſa perſeverantiæ; ſed quod ſit indicium & ſignum illlius individuum, propter individuam cum ea ſocietatem & conjunctionem inſeparabilem: Quod qui bene comprehendet facile ſolvet omnes textus Auguſtini à Janſenio allatos, cum fere omnes in illa mutua & individua ſocietate conjuncti ſint, prædeſtinationis cum perſeverantia, & perſeverantiæ cum prædeſtinatione ad gloriam propter prævisionem. Sic ergo in iſta ſuppoſitione expones primum textum à Janſenio allatum. Nec nos moveat, quod quibuſdam filiis ſuis Deus non dat iſtam perſeverantiam; Abſit enim, ut ita eſſet ſi de illis prædeſtinatis eſſent, & ſecundum propoſitum vocatis, qui vere ſunt filii promiſſionis, nunquam enim eos prædeſtinaſſet, niſi prævidiſſet eis ſe daturum eſſe perſeverantiam, ſeu eos per gratiam ſuam eſſe perſeveraturos. Sic expones ſecundum. Si fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum, quia nempe neminem Deus prædeſtinat, quem non præviderit eſſe permanſurum. Et iſtum (quem tanti facit Janſenius, ut indicet illum eſſe peremptorium argumentum contra nos; ſcilicet) Ipſi ſunt illi prædeſtinati, & ſecundum propoſitum vocati, quorum nullus perit, ac per hoc (ecce conſecutionem: quaſi diceret, unde concludendum eſt quod) nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam: quoniam ſic eſt ordinatus (ſcilicet per perſeverantiam prævisam ut à Deo, & non ab homine, hoc enim ſignificat verbum ordinatus, in ſenſu Auguſtini, ut ſupra expoſuimus) & ideo Chriſto datus, ut non pereat; ſed habeat vitam æternam. Quod nihil aliud ſignificat niſi eos eſſe Chriſto ſingulariter datos à Patre, quos pater prævidit dono ſuo eſſe perſeveraturos, prout jam expoſuimus illum terminum *ordinatus*; & ſic ſemetipſum hic explicat Auguſtinus, cum ait paulò ante, ut etiam ibi refertur à Janſenio. Hi ergo Chriſto intelliguntur dari qui ordinati ſunt in vitam æternam: Ubi illi dati prius ſupponuntur ordinati per perſeverantiam prævisam quam Chriſto dentur, non dentur, niſi jam ordinati, ut patet ex ipſis terminis: intelliguntur dari qui ordinati ſunt, non qui ordinandi. Reliqui duo textus nullam difficultatem habent; primum ſic expones, non erant ex numero filiorum, & quando erant in fide filiorum, quoniam qui vere filii ſunt, præſciti & prædeſtinati ſunt. Id eſt non erant filii, quia non erant præſciti ad perſeverantiam futuram, & per hoc non prædeſtinati. Secundum ſic. Igitur filiis ſuis non prædeſtinatis Deus perſeverantiam non dedit, haberent enim eam ſi in eo filiorum numero eſſent: quia nempe nulli ſunt filii, vere filii qui non prævisi ſint perſeveraturi. Et ſic tam bene infertur perſeverantia ex prædeſtinatione ad gloriam poſt prævisa merita, ac ex prædeſtinatione ad gloriam ante prævisa merita: propter ſcilicet infallibilitatem præſcien-

Ibi, ordinatus, non ſignificat prædeſtinatus, ſed aptus factus, ut oſtendimus in hac ipſa object. in prima probatione Ianſenii.

ntæ divinæ, quæ tam certa & infallibilis debet eſſe, cùm aliquid prænovit, ut à cauſa contingenti futurum: ac cum Deus ipſe, decreuit aliquid eſſe futurum, quod voluit abſolute futurum: utrobique enim par ratio eſt quoad certitudinem futuritionis illius, cum fundetur in certitudine & infallibilitate actus divini, cui omnino repugnat fallere, aut falli: Et ſic ex utroque decreto futuritio illa poteſt inferri, tam infallibiliter & certo ex uno, quam ex alio: Unde male omnino concludit Janſenius, prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam perſeverantiæ, ex hoc quod inferat Auguſtinus perſeverantiam ex illa prædeſtinatione, cum tam bene inferri poſſit ex prædeſtinatione illa quæ eſt ex præviſa à Deo perſeverantia, quam ex illa quæ eſt futuræ cauſa perſeverantiæ.

Reſtat ergo ſolvendus ultimus Auguſtini locus à Janſenio citatus ex eodem libro de corrept. & gratia cap. 12. In quo nulla mihi videtur eſſe difficultas, cum in eo nulla ſit cauſalis particula, quæ arguat influxum iſtius prædeſtinationis in perſeverantiam; ſed tantum ſit particula illa, *qui*, quæ eſt tantum demonſtrativa, & deſignativa illius, qui dedit illam perſeverantiam, de quo ſolùm erat difficultas & controverſia inter Auguſtinum & adverſarios, cum adverſarii vellent hominem habere à ſe perſeverantiam illam, Auguſtinus vero vellet eſſet à Deo. In qua, inquit Auguſtinus, juſtitia ſtabunt uſque in finem *donante* ſibi *illo* perſeverantiam, *qui* eos præſcivit, & ſecundum propoſitum vocavit, & juſtificabit, & glorificavit. Quoniam illa quæ his promiſit etiam futura, jam fecit. Ubi particula illa, *qui*, eſt tantum deſignativa illius, qui donavit perſeverantiam: quod ſi vis tamen illam habere vim cauſalis certe non deſignat gloriam ſolam, cum non dicatur ſolummodo, qui eos glorificavit; ſed qui eos vocavit, juſtificavit, glorificavit, quod deſignat prædeſtinationem ad gratiam ſimul & gloriam. Et ſic non probat prædeſtinationem ad gloriam ut ſic, eſſe cauſam perſeverantiæ, cùm mixta ſit cum gratia; à cujus prædeſtinatione non negamus eſſe perſeverantiam. Sed illa particula, *qui*; non habet rationem cauſalis, ſed tantum indicantis eum qui donavit illam perſeverantiam, cum ibi probaret Auguſtinus contra Pelagianos, illam eſſe à Deo, & non ab homine, ut patet ex ſequentibus ubi ait: *Ipſe* ergo illos bonos *facit ut bona faciant, neque* enim propterea eos promiſit Abrahæ, quia præſcivit *à ſeipſis* bonos futuros. Ubi clare aſſerit illud bonum, ſeu illam perſeverantiam in bono eſſe à Deo, & non à ſeipſis. Quapropter mirum eſt quomodo tam clarum ſenſum auſus eſt corrumpere Janſenius, ſic explicans prædictum textum. Quaſi diceret Auguſtinus: Ideo tribuit eis Deus tantum bonum, quia prædeſtinavit eos (ad gloriam,) de qua cauſalitate ne cogitavit quidem ibi Auguſtinus, ut ſatis patet ex ſupradictis.

Licet particula illa qui, vel, quæ, aliquando ſignificet cauſalem: tamen ibi nō ſignificat, ut patet ex ſubjecta materia, quæ non poſtulat particulam cauſalem; ſed tantum demonſtrativam cauſa, quæ fecit perſeverantiam de qua cauſa ſolum hic diſputatur ab Auguſtino cōtra Pelagianos.

PUNCTUM VI.

Vniverſali cuidam ſupradictorum probationi reſpondetur, & quidam neglectus locus exponitur.

POSTQUAM autem ſic probare conatus eſt Janſenius, prædeſtinationem illam ſigillatim & in ſpecie eſſe cauſam omnium mediorum conducentium ad gloriam: Jam id probat in univerſum, & in genere. Et primò ad id probandum adducit illum textum lib. de corrept. & gr. cap. 7. ubi ait Auguſtinus: Quicunque ergo ab illa originali damnatione iſta divinæ gratiæ largitate diſcreti ſunt, non eſt dubium quod procuratur eis audiendum Euangelium. Et reliqua quæ abunde ſupra ſolvimus in ſecunda objectione ex Auguſtino. Quapropter non puto hîc neceſſarium eſſe quicquam de his repetere. Secundò adducit, & textum illum ex libro de dono perſev. cap. 9. ubi ait Auguſtinus: Si hoc eſſent. (hoc eſt ut præcedit) Si ſecundum propoſitum vocati, ſi in Chriſto electi ante conſtitutionem mundi, ſi in eo ſortem conſecuti, ſi prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus eſſent, ex illis eſſent (qui manſerunt) & cum illis ſine dubitatione manſiſſent: ut enim non dicam quam ſit poſſibile Deo & cætera quæ etiam abunde ſolvimus in Object. 6. ex Auguſtino, præcipue reſponſione ſecunda, ubi oſtendimus iſta omnia nihil continere quam executionem doni perſeverantiæ, ſeu prædeſtinationis ad perſeverantiam: cum ibi totus ſermo ſit de prædeſtinatione ad perſeverantiam, ut à Deo, & non ab homine, & non de prædeſtinatione ad gloriam ſaltem ſolam, & ſine prædeſtinatione perſeverantiæ conſideratam.

Verum ad oſtendendum ibi ſermonem eſſe de prædeſtinatione ad gloriam, illuc advexit locos alios ex alio lib. quibus hoc quod in hoc lib. de prædeſtinatione ſola ad gratiam perſeverantiæ dicitur, pertraheret ad prædeſtinationem ad gloriam. Hos autem locos decerpſit ex diverſis capitibus libri de corrept. & gr. ubi ſimplices lineas, in quibus ſit mentio de Regno, ſine conſideratione antecedentium & conſequentium ibi expreſſit: Et quod mirum eſt ita expreſſit ut diceres, id ex profeſſo

Lib. 9. de gr. Salv. c. 17. ibi Auguſtinum docere voluiſſe: (licet alibi fateatur ipſe Janſenius id Auguſtinum nunquam ex profeſſo diſputaſſe) Sic enim ait. Hic Janſenius. Sed à probandi (ſcilicet quod in prædicto loco libri de dono perſeverantiæ loquitur Auguſtinus de electione gratuita ad gloriam) moleſtia nos liberat ipſe ſanctus Doctor, qui cum ingenii ſublimitate, forſan cerneret homines, qui de rebus etiam per ſe perſpicuis contendere ſolent, velut nodum in ſcirpo, in verbis ſuis quæſituros, uno verbo apertiſſimo, & ſæpius repetito in eodem ipſo loco, *ubi de iſta electione di-*

Lib. de corr. & gr. c. 7. *ſputat*, totam controverſiam abſolvit. Electi ſunt autem ad regnandum cum Chriſto. Vis evidentius; illos ergo elegit ad obtinendum Regnum ſuum. Vis *inculcatius?* ſequitur vox ad Regnum Cælorum. De quibus

Cap. 13. cum multa diſſeruiſſet, iterum adjungit: Hæc de his loquor qui præde-

ſtinati ſunt ad Regnum Dei. Et ad quod Regnum; gratiæ in hac vita, an gloriæ in futura? Exponit ille in eodem loco, cum dicit quod numerus electorum per Dei gratiam prædeſtinatus, donata ſibi etiam uſque in finem perſeverantia, illuc integer perducetur, & illic integerrimus jam ſine fine beatiſſimus ſervabitur. Et rurſum cum dicit, quod illos prædeſtinatos Dei gratia perducit ad Regnum, ad quod videlicet prædeſtinati, & electi ſunt. Hæc ibi Janſenius. Ad quæ ego reſpondeo, quod præter quam quod falſum ſit Auguſtinum unquam diſputaſſe de electione ad gloriam, an eſſet gratuita, nec-ne, ut communiter fatentur Theologi, qui de hac quæſtione agunt, & ipſe Janſenius ubi ſupra, cum ſolum diſputaverit de electione ad gratiam de qua ſola illi controverſia erat cum adverſariis. Hæc ratio probandi, quod in uno loco ſit mentio de una materia, propterea quod in alio libro fiat mentio de ea non videtur rationabilis, nec legitima, niſi in illo loco fiat mentio de illo alio loco, in quo dicitur fieri mentio de eadem materia, quod non videmus factum eſſe in hoc loco & libro: Quapropter iſtam illam ſuam probationem negligimus præſertim cum alibi oſtenderimus ibi ſermonem eſſe de prædeſtinatione ad gratiam ſimul & ad gloriam, & non ad gloriam ſolam, de qua ſola hic agimus. Unde non eſt quod multum hic ſe torqueat Janſ. ut probet iſtam prædeſtinationem in his ultimis locis deſignatam eſſe gratuitam. Quandoquidem & nos libenter fatemur illam eſſe gratuitam, ratione nempe gratiæ in illa prædeſtinatione incluſæ, imo & aliquo modo ratione gloriæ, quia nempe iis meritis illa redditur quæ gratia contulit Homini, quomodo dicit Auguſtinus ipſam collationem gloriæ (quæ ſine dubio eſt ex meritis, & poſt prævila merita) eſſe gratuitã & gratiam: ſed non concedimus eſſe mere & ſimpliciter gratuitam ratione gloriæ. Quantum autem ad ultimum illum textum quem adducit ex Auguſt. Janſenius, ubi ait, Auguſtinum dixiſſe de Maſſilienſibus quod nollent fateri prædeſtinatos eſſe, qui per Dei gratiam fiant obedientes atque permaneant: Reſpondeo ibi prædeſtinatum eſſe non reſpicere gloriam, de cujus prædeſtinatione nunquam diſputarunt iſti hæretici; ſed ſolùm fidem quam vocat ibi Auguſtinus obedientiam, & ipſam perſeverantiam quam deſignat per iſtud verbum, permaneant: Et eſt quaſi diceret Auguſtinus, iſtos errantes negare quod obedientes, ſeu fideles & perſeverantes in bono, eſſent tales à gratia; ſed à ſolo arbitrio: ſæpe enim verbum hoc, prædeſtinatum, uſurpat Auguſtinus pro eo quod habetur ex gratia divina, vel ex decreto divino, & non ex voluntate humana. Tandem in fine capitis ſatis oſtendit Janſenius, ſe valde deceptum eſſe in hoc, quod non diſtinxit inter prædeſtinationem ad gloriam ſolam, & prædeſtinationem ad gratiam ſimul & ad gloriam. cum per hoc quod Auguſtinus dicit prædeſt. ad perſeverantiam & ad gloriam eſſe gratuitam inferat illã prædeſtinationem, de qua agimus quæ eſt ad gloriã ſolam, eſſe mere gratuitam. At certe magna eſt differentia inter utramque prædeſtinationem, ut initio Diſputationis hujus oſtendimus. Ubi vidimus ex D.Th. quod una

In Object.2. ex Auguſt.

In illo ipſo lib. de corr. & gr. & in eodem c. 13. Lib. de dono perſev. c.16.

earum, ſcilicet prædeſtinatio ad gratiam ſimul & gloriam, eſt mere gratuita, nec aliter recte dici poteſt, altera vero quæ eſt ad gloriam ſolam dici poteſt eſſe ex meritis, & fieri propter merita; unde non debebat eas confundere Janſenius.

Præterea ad hoc, ut demonſtretur ex Auguſtino quod prædeſtinatio ad gloriam eſt ſine meritis, non ſufficit demonſtrare, quod dixerit illam eſſe gratuitam, & etiam ſine meritis; ſed oſtendendum omnino eſt, quod dixerit illam eſſe mere gratuitam, & ſine ullis prorſus meritis. Nam ſi ſolùm demonſtres dixiſſe illam eſſe gratuitam; cum gratuitum in ſenſu Auguſtini non excludat omne meritum; ſed tantum meritum naturæ & arbitrii, non autem meritum gratiæ, ut paulo ſupra vidimus, per hoc ſatis non oſtendis Auguſt. æſtimaſſe illam prædeſtinationem eſſe mere gratuitam, & ſine ullis prorſus meritis, cum merita gratiæ ſecundum illum non ſint incompatibilia cum gratuitate gratiæ, ut nec ſatis oſtendis illum voluiſſe illam eſſe ſine ullis prorſus meritis. Cum oſtendis quod dixerit illam eſſe ſine meritis, quandoquidem per hoc ſolùm excludit merita naturæ & arbitrii, & non merita gratiæ, contra quæ nunquam egit Auguſtinus; ſed ſolùm contra prædicta merita naturæ, contra quæ perpetuo & inceſſanter certavit agens contra inimicos gratiæ, tum Pelagianos cùm Semipelagianos, qui ſola iſta merita contra illum defendebant.

Ex quibus manifeſtum eſt quam parum attente aut ſincere Janſenius legerit Auguſtinum, atque hanc quæſtionem tractaverit, cum hæc omnia non diſtinguat, à quibus tamen intrinſece, ſimpliciter & abſolute tota pendet deciſio quæſtionis.

Sed quia neglexímus aliquem locum Auguſtini à Janſenio ibi relatum, utpote inutilem ad finem Janſenii, qui per illum volebat probare prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam meritorum, & non ſolum huic fini inutilem; ſed etiam vix ſenſum habentem, propter ejus truncationem. Ne tamen quidpiam diſſimulatum videatur in hac objectione, nunc in calce illius Solutionis, & ipſe ſolvendus eſt, & eſt ejuſmodi: Habentes conſentientem doctrinæ ſalutari, in qua nutriti ſunt voluntatem, & in ea finientes iſtam vitam, ſi electi ſunt in Chriſto ante conſtitutionem mundi, ut eſſent ſancti & immaculati in conſpectu ejus prædeſtinati in adoptionem filiorum. *Ex Ep. 107. ad Vitalem Semipelag.*

Certe vix quiſpiam dixerit quis ſenſus ſit iſtorum verborum: quapropter totus afferendus eſt textus, ut ſenſus illius appareat. Nihil enim ibi habet Auguſt. de prædeſtinatione ad gloriam, ſed tantum de prædeſt. ad gratiam, & eſt ſolùm de manifeſtatione ipſius gratiæ, quæ confertur parvulis in baptiſmo, ut liberet eorum arbitrium, quæ licet effectrix ſit bonorum operum, tamen non apparet ut talis in eis ante uſum rationis; ſed tantum poſt uſum rationis, maxime ſi prædeſtinati ſunt ad perſeverantiam. Neque (inquit Auguſtinus) *hoc apparet in eorum* (ſcilicet paruulorum) *arbitrio liberato*, niſi cum ad annos pervenerint ratione

ratione utentis ætatis, habentes conſentientem doctrinæ ſalutari,in qua nutriti ſunt,voluntatem, & in ea finientes iſtam vitam, ſi electi ſunt in Chriſto ante conſtitutionem mundi, ut eſſent ſancti, &c. Nihil ibi, ut opinor, eſt de gloria; ſed totum de gratia. Nam: Habentes conſentientem doctrinæ ſalutari voluntatem: ſignificat tantum gratiam fidei. Et: In ea finientes iſtam vitam: ſignificat gratiam perſeverantiæ: Si electi ſunt ante, &c. hoc non dicit magis electionem ad gloriam, quam ad gratiam: ſed ſequentia verba ſatis declarant illam eſſe electionem ad gratiam, cum ejus objectum ſit gratia, ſcilicet: [Ut eſſent ſancti & immaculati in conſpectu ejus] ſeu ut habent Græcà: *εἶναι ἡμᾶς ἁγίους καὶ ἀμώμους*, eſſe nos ſanctos & immaculatos: Ecce objectum iſtius electionis, ſcilicet ſanctitas & innocentia, & per hoc g atia,ut nobis conferenda.

Sed & id magis declaratur per adhuc ſequentia verba: [Prædeſtinati (inquit) in adoptionem filiorum] communiter enim adoptio illa exponitur eſſe gratia ſanctificans, ſeu filiatio divina: Unde illum ipſum locum Scripturæ late verſans, & expendens Auguſtinus libro de prædeſt. Sanct. cap. 17. & 18. intelligit eum de prædeſtinatione ad primam gratiam contra Semipelagianos: Et certe non ad alium finem huc attulit locum illum niſi ut probaret exiſtentiam & neceſſitatem gratiæ, ad opera meritoria requiſitæ, de qua totus ibi ſermo illius eſt, ut patet ex antecedentibus. Si vere, inquit, volumus defendere arbitrium liberum, non oppugnemus unde fit liberum: Nam qui oppugnat *gratiam* qua noſtrum ad declinandum à malo, & faciendum bonum *liberatur* arbitrium, ipſe arbitrium ſuum adhuc vult eſſe captivum: quod deinde late proſequitur: Et eſt idipſum quod dicit in noſtro textu, ſcilicet apparere in pueris cum ad annos pervenerint ratione utentis ætatis. Unde manifeſtum eſt, quod nihil ibi ſit contra prædeſtinationem ad gloriam poſt præviſa merita, aut quod demonſtret prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam meritorum, ut vult Janſenius, cum nequidem ibi ſermo ſit de prædeſtinatione ad gloriam; ſed tantum de prædeſtinatione ad gratiam.

PARAGRAPHUS DUODECIMUS.

Decimaquarta proponitur Objectio.

DECIMUMQUARTUM argumentum ſumitur ex voluntate illa, quæ, ut ait Janſenius lib. 9. de gr. Salvat. cap. 20. in titulo, eſt veluti radix, & cardo gubernationis reproborum; ita quod ex eo quod non electi ſunt ad gloriam, omnia vertantur eis in malum: Quod conatur oſtendere multis D. Auguſtini teſtimoniis.

PUNCTUM PRIMUM.

Huic Objectioni reſpondetur in genere.

SED in hujus argumenti Solutione, non eſt quod diu multumque immoremur, cum ea quæ diximus in Solutione præcedentis argumenti, quod eſt de prædeſtinatis, huic omnino accommodari poſſint, & debeant: Cum certum ſit, Auguſtinum cenſuiſſe ex eodem fonte manare & fluere, quod gratia efficax denegetur, ac quod gratia efficax concedatur: Unde cum ipſe Janſenius ſupra voluerit ex Auguſtino, gratiam efficacem manare & fluere à prædeſtinatione ad gloriam; nunc etiam conſequenter vult negationem iſtius gratiæ manare & fluere à non prædeſtinatione ad gloriam. Nos autem cum contrarium oſtenderimus, ſcilicet gratiam efficacem non manare & fluere ſecundum Auguſtinum à prædeſtinatione ad gloriam, ut ſic; ſed à prædeſtinatione ad gratiam formaliter & directe: ideo & conſequenter hic concludimus, denegationem gratiæ efficacis, ſive ad fidem, ſive ad juſtitiam, ſive ad perſeverantiam, non eſſe ſecundum Auguſtinum, ex non prædeſtinatione ad gloriam, ut vult Janſenius; ſed ex denegatione prædeſtinationis ad gratiam formaliter & directe, ſive illa prædeſtinatio ſit ſolitaria, ſive cum prædeſtinatione ad gloriam conjuncta, quam ſolemus explicare per prædeſtinationem ad gratiam ſimul & ad gloriam: Quas prædeſtinationes cum non ſatis diſtinxerit Janſenius, in multis hallucinatus eſt circa iſtam materiam, ſæpiſſime tribuens non prædeſtinationi ad gloriam quod Auguſtinus tribuit non prædeſtinationi ad gratiam, vel ſolitarie ſumptam; vel cum gloria conjunctam, in qua frequentior fuit Janſenii hallucinatio, ut ſupra multis in locis vidimus. Ut etiam in eo quod putavit Auguſtinum ſemper ſumere prædeſtinationem, diſcretionem & electionem, pro prædeſtinatione ad gloriam, nunquam autem pro prædeſtinatione ad gratiam ſolam, quod ſupra demonſtravimus eſſe falſum: ut & in eo quod ait §. Hinc tertio. Scilicet diſcretionem à maſſa perditionis, nihil aliud eſſe quam electionem ad Regnum: cum ibidem demonſtraverimus Auguſtinum duplicem agnoviſſe diſcretionem, unam ad ſolam gratiam ſanctificantem, quæ communis eſt reprobis, atque prædeſtinatis: alteram vero, vel ad perſeverantiam, vel ad gloriam quæ ad ſolos pertinet prædeſtinatos. Unde non eſt mirum, quod toties & tam graviter hallucinetur in hac materia Janſenius, tot effectus tribuens prædeſtinationi, vel non prædeſtinationi ad gloriam de mente, ut ait, Auguſtini, de quibus ne cogitavit quidem Auguſtinus: Nam cum falsò putaverit, Auguſtinum nullam agnoviſſe prædeſtinationem ad gratiam ſolam, ſequitur quod quoties Auguſtinus tribuit effectum aliquem prædeſtinationi ad gratiam, ille tribuat eum prædeſtinationi ad gloriam: Et cum non diſtinxerit prædeſtinationem ad gratiam ſimul & ad glo-

Ante §. Hinc ergo ex iſto, &c.

In ultima Object. ex Script. quæ eſt de prædeſtinatis, & prædeſtinationibus.

tiam, à prædeſtinatione ad gloriam ſolam, ſequitur quod quoties Auguſtinus tribuit aliquem effectum prædeſtinationi ad gratiam ſimul & ad gloriam, qua parte reſpicit gratiam, ille tribuat iſtum effectum iſti prædeſtinationi ut reſpicit gloriam ſolam. Et cum non agnoverit in Auguſtino aliam diſcretionem à maſſa perditionis, quam eam quæ eſt prædeſtinatorum ad gloriam, ſequitur quod quando loquitur Auguſtinus de illa diſcretione quæ eſt ad ſolam gratiam juſtificantem, & quod tribuit ei aliquem effectum, ille tribuat eum diſcretioni illi, quæ eſt prædeſtinatorum ad gloriam, & aſſerat iſtam prædeſtinationem eſſe cauſam illius: Quod ſane parit maximam confuſionem in tota doctrina illius de prædeſtinatione ad gloriam: Veruntamen quam clariſſime & quam breviſſime poterimus, omnibus & ſingulis illius argumentationibus reſpondebimus.

Punctum II.

Eidem Objectioni reſpondetur in ſpecie: & primò quod negatio prædeſtinationis ad gloriam non eſt cauſa negationis perſeverantiæ in reprobis.

Primò ergo vult probare non prædeſtinationem ad gloriam, ſeu reprobationem negativam eſſe cauſam negationis perſeverantiæ in reprobis, ſeu, ad Regnum non prædeſtinatis, ad quod aſſumit hunc textum lib. de corrept. & gr. cap. 7. ubi aït Auguſtinus: Qui vero perſeveraturi non ſunt, ac ſic a fide Chriſtiana, & converſione lapſuri ſunt, ut tales eos vitæ hujus finis inveniat, proculdubio nec in illo tempore quo bene pieque vivunt, in iſto numero (ſcilicet electorum ad Regnum) ut præceſſit (inquit Janſenius) computandi ſunt. Non enim ſunt à maſſa illa perditionis, præſcientia Dei, & prædeſtinatione diſcreti, & ideo nec ſecundum propoſitum vocati.

Reſpondeo primò ibi non indicari cauſalitatem non prædeſtinationis ad gloriam in non perſeverantiam; ſed individuam utriuſque ſocietatem & arctiſſimam connexionem inter utramque, quâ unâ bene infertur ex alterâ, ut mox in eodem loco ipſo infertur electio ex vocatione ſecundum propoſitum, quam nemo ſanæ mentis dixerit eſſe cauſam electionis, cum potius electio ſit cauſa vocationis illius: Sic enim aït Auguſtinus, & ideo nec ſecundum propoſitum vocati, ac per hoc non electi. Quæ ultima verba ſuppreſſit Janſenius, quia ſolum arguunt in genere ſigni, & non in genere cauſæ efficientis (quod ei non favebat) ut & præcedentia de quibus agimus, propter ſcilicet individuam ſocietatem, & arctiſſimam connexionem quæ eſt in eis.

Reſpondeo ſecundo quod ſi illa non prædeſtinatio, de qua ibi loquitur Auguſtinus, habet aliquam cauſalitatem in non perſeverantiam iſtorum, non eſt prædeſtinatio ad gloriam ſolam; ſed prædeſtinatio ad gra-

tiam perſeverantiæ, ſeu ad perſeverantiam ſimul & ad gloriam, qua parte reſpicit perſeverantiam, cum de ea principaliter agat Auguſtinus in toto illo capite, ut ſatis demonſtravimus ad ſecundam Objectionem ex Auguſtino, in fine ultimæ reſponſionis.

Reſpondeo tertiò ibi potius indicari prædeſtinationem ad gloriam eſſe poſt prævíſa merita, quam ante prævíſa merita, & ſic, eſſe potius effectum, quam cauſam perſeverantiæ futuræ prævíſæ. Quid enim eſt illa præſcientia quam præponit ibi Auguſtinus prædeſtinationi, dicens, non ſunt à maſſa perditionis *præſcientia Dei*, & prædeſtinatione diſcreti, niſi præſcientia meritorum & perſeverantiæ, quæ præcedit prædeſtinationem? & quid præſtare poteſt illa præſcienria ad diſcretionem illam, niſi repræſentando merita futura, ob quæ diſcretio illa fit? Et quid ſignificant iſta verba ſequentia: plane dicuntur electi à neſcientibus quid futuri ſunt; (id eſt quod non perſeveraturi ſunt) niſi quod præſcientia illa futuri, eſt cauſa non electionis, ſeu reprobationis iſtius, ut etiam mox ſequitur? Non autem ab illo (ſupple dicuntur electi) qui *novit* non habere perſeverantiam (ubi non perſeverãtia prævíſa notatur eſſe cauſa non electionis iſtius, cum non dicat qui novit non eſſe electos ad gloriam; ſed qui novit non habere perſeverantiam) quæ ad beatam vitam perducit electos, *ſcitque* illos ita ſtare, ut *præſciret* eſſe caſuros: ubi totum fundatur in præſcientia futuri, ſeu futuræ non perſeverantiæ, & non in prædeſtinatione Dei, ut volebat Janſenius.

Quantum autem ad illum textum ex libro de dono perſeverantiæ capite 8. ſcilicet: Cur quibuſdam qui eum coluerunt bona fide, parſeverantiam uſque in finem non dedit? Cui quæſtioni reſpondet Auguſtinus: Cur putas, niſi quia non mentitur qui dicit: Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis; nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum? Et multis interjectis (ne mentiar cum Janſenio qui dicit paucis) ſic ait: Quia non eranr ſecundum propoſirum vocati, non erant electi cum Chriſto ante conſtitutionem mundi, non erant prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus, (adde & hæc verba truncata à Janſenio) qui univerſa operatur (quæ verba indicant nihil aliud ibi prætendere Auguſtinum, niſi demonſtrare iſtam non perſeverantiam non eſſe à ſolo homine ſemetipſum diſcernente, ut volebanr illius adverſarii: ſed à Deo diſcernente, qui dat gratiam efficacem ad perſeverandum quando vult, & quibus vult: & negat eam quando vult, & quibus vult.)

Reſpondeo itaque nihil ibi Auguſtinum dicere de cauſalitate prædeſtinationis ad gloriam in perſeverantiam electorum; ſed tantum oſtendere quod perſeverantia in bono uſque in finem, nulli homini eſt debita; ſed quod eſt à ſola Dei miſericordia & gratia: ut patet ex iis quæ ſequuntur primum textum, ubi poſtquam dixiſſet: Nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum. Sic ait: Nunquid ergo hominum naturæ duæ ſunt (id eſt quorum unis debeatur perſeverantia, non autem aliis? Et reſpondet) Abſit, ſi duæ naturæ eſſent, *gratia* ulla non eſſet

Nulli enim daretur gratuita *liberatio, ſi naturæ debita redderetur.* Hominibus autem videtur, omnes qui boni apparent fideles, perſeverantiam uſque in finem accipere *debuiſſe*: Deus autem melius eſſe judicavit, miſcere quoſdam non perſeveraturos certo numero Sanctorum ſuorum: ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione ſecuritas, non poſſint eſſe ſecuri. Ubi totam diſcretionem perſeverantium & non perſeverantium tribuit Auguſtinus Deo, & non homini, tribuit gratiæ divinæ, & non merito humano, ut volebant illius adverſarii Semipelagiani: Ubi nihil de prædeſtinatione ad gloriam; ſed tantum de voluntate divina ut oppoſita humanæ, volenti ſibi tribuere quod ſolum convenit Deo: Ex quo ſequitur quod falsò & extra mentem & ſenſum Auguſtini, tribuebat Janſenius prædeſtinationi, vel non prædeſtinationi ad gloriam, quod perſeveretur, aut non perſeveretur in bono, cum id tribuatur ſoli voluntati divinæ volenti dare gratiam, vel nolenti dare illam, & per hoc prædeſtinanti ad gratiam, vel non prædeſtinanti ad illam pro libito. Iſta autem verba Auguſtini, ſcilicet: Quia non erant ſecundum propoſitum vocati, non erant electi in Chriſto ante conſtitutionem mundi: Et ſequentia, quæ aſſuit Janſenius prædicto textui, nimis ſunt ab illo diſſita, quam ut afferant rationem ſupradictorum, ut vult Janſenius: nec pertinent ad illum locum; ſed ad alium, quem late explicui in Objectione 6. ex Auguſtino, ubi videbis illa nihil minus dicere, quam quod hîc pretendit Janſenius.

Quantum autem ad duos hos locos ex libro de dono perſeverantiæ cap. 22. ſcilicet: Si qui autem obediunt; ſed in Regnum ejus & gloriam prædeſtinati non ſunt, temporales ſunt; nec uſque in finem in eadem obedientia permanebunt. Et: Si qui autem obediunt, ſed in Regnum ejus & gloriam prædeſtinati non ſunt, temporales ſunt, nec uſque in finem in eadem gratia permanebunt. Nihil aliud innuunt quam individuam ſocietatem, & arctiſſimam connexionem, quæ eſt inter prædeſtinationem ad gloriam & perſeverantiam: ita ut unâ poſitâ, ponatur altera, & unâ non poſitâ negetur altera. Quia cum nemo prædeſtinetur ad gloriam, qui non prævisus ſit perſeveraturus in bono: Hinc ſequitur quod qui non eſt prædeſtinatus ad gloriam, non perſeverabit, aut perſeveraturus eſt in bono. Non ex cauſalitate iſtius non prædeſtinationis in non perſeverantiam: ſed ex infallibilitate præſcientiæ, eam ſemper præcedentis & comitantis: quantum autem ad illud quod mox addit Janſenius, ſcilicet Auguſtinum per prædeſtinationem, electionem, & diſcretionem ſemper intellexiſſe prædeſtinationem ad gloriam in Regno Dei, præcipue poſtquam luctari cœpit contra Pelagianos ſupra declaratum eſt eſſe falſum, ſcilicet in ultima Object. ex Scripturis, ubi textus omnes, aut fere omnes, quibus id demonſtratur, ſunt excerpti ex libris, quos edidit Auguſtinus contra Pelagianos. Ut per hoc etiam ſciatur, eum ita ſenſiſſe & locutum eſſe, poſtquam diu luctatus eſt contra ipſos Pelagianos.

PUNCTUM III.

Reſpondetur ſecundò quod negatio prædeſtinationis ad gloriam, non eſt cauſa negationis pœnitentiæ, vel fidei in reprobis.

SECUNDÒ, vult probare Janſenius negationem ſpiritus pœnitentiæ in reprobis eſſe & fluere ex non electione eorum ad gloriam: quod probat hoc textu libri 5. contra Julianum cap. 4. ubi ait Auguſtinus; Cæteri autem mortales, qui ex numero (electorum ad gloriam) non ſunt, &c. ad utilitatem naſcuntur iſtorum. Iſtorum neminem adducit ad pœnitentiam ſalubrem & ſpiritualem qua homo in Chriſto reconciliatur Deo, ſive illis ampliorem patientiam, ſive non imparem præbeat.

Object. 12. ſub finem. Reſpondeo ſupra oſtenſum eſſe id intelligi de prædeſtinatione ad gratiam formaliter, non de illa prædeſtinatione ad gloriam, de qua agimus. Ad illum autem locum quem addit, quaſi reddentem rationem præcedentis, ſcilicet: Et quod præbendo patientiam, dat locum pœnitentiæ, nolens aliquem perire: Novit Dominus qui ſunt ejus, & omnia cooperatur in bonum; ſed his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt.

Reſpondeo, hunc locum non reddere rationem præcedentis, cum ſit anterior apud Auguſtinum, & longe ab eo diſſitus, & in alio diſcurſu, ut videri poteſt in eadem Objectione mox citata, ubi etiam illum exponimus: Et præterea nullam habet cauſalem, nec etiam reſpicit reprobos, ſeu non electos de quibus agimus; ſed potius prædeſtinatos, quibus ſi omnia Deus cooperetur, ſeu convertat in bonum; non ſequitur quod ſic omnia reprobis convertat in malum, aliàs ſequeretur, quod omnia eorum bona opera, & ipſam gratiam juſtificantem torqueret in malum, quòd abſurdum. Quantum autem ad illum textum, quem addit ex libro de corr. & gr. cap. 14. Ut ſi is qui corripitur ad prædeſtinatum numerum pertinet, ſit ei correptio ſalubre medicamentum, ſi autem non pertinet, ſit correptio pœnale tormentum: per quæ verba vult Janſenius Auguſtinum indicaſſe, Deum ex intentione non ſalvandi reprobos, efficere ut non ſolum correptio non proficiat eis; ſed in tormentum cedat.

Reſpondeo hunc non eſſe ſenſum Auguſtini: Nam aliàs ſequeretur quod nulla correctio reprobis proficeret, cum non ſint prædeſtinati ad gloriam, à qua ſola prædeſtinatione vult profectum illum peti; ſed ſolum prædeſtinatis, quod omnino eſt falſum: cum certum ſit multas correptiones, ſæpiſſime reprobis proficere ad augmentum divinæ gratiæ, & etiam ad meritum vitæ æternæ, licet poſtea ab illo beato ſtatu ſua culpa excidant: & præterea ſequeretur quod illæ correptiones, per quas proficiunt in bono & gratiâ, cederent eis in pœnam; quod omnino eſt

abſurdum, cum ſic bona eorum opera punirentur: Sed ſenſus eſt, quod correptio eſt pœna juſte debita peccatis, ita tamen ut illa pœna ſit ſalubris in prædeſtinatis ad gratiam converſionis, cum habeat in eis ſalutarem effectum: In non prædeſtinatis autem ſit mere pœnalis, cum nihil boni eis adferat: qui ſenſus, ut veriſimilior appareat, totus textus adferendus eſt. Patiantur, inquit Auguſtinus, homines ſe corripi quando peccant, nec de ipſa correptione contra *gratiam* argumententur, nec de *gratia* contra correptionem. (ibi manifeſtus eſt ſermo de prædeſtinatione ad gratiam, & non ad gloriam) Quia & *peccatis juſta pœna debetur*, & ad ipſam (ſcilicet pœnam) pertinet juſta correptio (quæ ſit autem illa juſta correptio ſic explicat) quæ medicinaliter adhibetur, etiamſi ſalus ægrotantis incerta eſt. Ut ſi is qui corripitur, ad prædeſtinatorum numerum pertinet, ſit ei correptio ſalubre medicamentum: Si autem non pertinet, ſit correptio pœnale tormentum:) id eſt, ut ſi is qui corripitur, habeat gratiam efficacem ad converſionem ſuam, illa pœna non ſit ſolum pœna ſui peccati; ſed etiam medium ſuæ converſionis. Si vero non habeat illam gratiam, ſed ſolùm ſufficientem quam reddit inefficacem ſua negligentia, illa correptio ſit ei mera pœna, merum pœnale tormentum; per quod, & ſuum peccatum præteritum, & ſua præſens negligentia puniatur. Qui ſenſus quantum ſit à Janſeniano diſſitus, & à ſua intentione remotus, per ſe manifeſtum eſt: cum nequidem mentionem faciat de prædeſtinatione ad gloriam, vel de negatione illius; ſed totum ſit de prædeſtinatione ad gratiam converſionis, & de negatione illius. Unde nihil habet ex hoc textu, quo id quod ſecundò intendebat Janſenius aſſequatur.

Tertiò itaque vult probare negationem fidei in reprobis eſſe ex non prædeſtinatione ad gloriam: ad quod probandum multos affert textus ex cap. 9. & 14. libri de dono perſeverantiæ. Quibus breviter reſpondeo, quod quantum ad textus de capite 9. nihil habent de prædeſtinatione ad gloriam ſolam; ſed tantum de ipſa prædeſtinatione ſine ulla determinatione quæ ſit illa prædeſtinatio; ut patet ex terminis. Si apud illas (inquit Auguſtinus Civitates Tyriorum & Sidoniorum) facta eſſent (ſigna mirabilia) in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent, ſicut ſe habent eloquia veritatis. In quibus verbis ſuis Dominus JESUS altius nobis myſterium prædeſtinationis (non dicit cujus) oſtendit. Et infra: Hæc certe de Tyro & Sidone non poſſumus dicere (ſcilicet quod non credidiſſent, etiamſi eis prædicatum eſſet) & in eis cognoſcimus ad eas cauſas prædeſtinationis hæc divina judicia pertinere. Ubi quidem cernitur ſermonem eſſe de prædeſtinatione; ſed non dicitur ibi quæ ſit illa prædeſtinatio. At certum eſt quod illa prædeſtinatio, de qua communiter loquitur Auguſtinus, & quam tractat ex profeſſo in illis libris, eſt prædeſtinatio ad gratiam, & non ad gloriam, ut ſic: & præterea ſupra demonſtratum eſt in Object.6. ex Auguſt. non eſſe ſermonem in illo capite de prædeſtinatione ad gloriam ſolam de qua agimus; ſed vel ad gratiam ſolam, vel

ad gratiam ſimul & gloriam, qua parte reſpicit gratiam vocationis ad fidem & ad perſeverantiam in ea, quæ vide ibi ſi placet, quia illa ſufficient ad omnia illa ſolvenda quæ hîc objici ulterius poſſent.

Omittuntur hic textus à Janſenio allati ex illo capite, brevitatis gratia, cũ nihil peculiare habeant, quo demonſtretur eſſe ſermonem de prædeſtinatione ad gloriam: & aliunde Solutiones generales hic datæ ſatis contrarium demonſtrant.

Quantum autem ad ea quæ objicit ex capite 14. ejuſdem libri. Reſpondeo ibi tantum ſermonem eſſe de prædeſtinatione, aut non prædeſtinatione ad gratiam fidei, & non de prædeſtinatione, vel non prædeſtinatione ad gloriam: ut etiam admittunt ii qui cum Janſenio ſentiunt prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante præviſa merita, qui ſupponentes illam non prædeſtinationem de qua ibi loquitur Auguſtinus reſpectu Tyriorum & Sidoniorum, eſſe ad fidem, ſeu gratiam, & non ad gloriam: objecerunt nobis in alium ſenſum id quod habet hîc Janſenius ex Auguſtino, ut videre potes in Object. 7. ex Auguſtino, ubi ſolvimus eorumdem ratiocinationem qua ſupponentes ibi agi de prædeſtinatione ad fidem, volebant prædeſtinationem ad gloriam eodem modo fieri, ac prædeſtinationem illam ad fidem de qua loquitur ibi Auguſtinus, quod oſtendimus eſſe falſum. Sed ut magis adhuc appareat, nihil in illo capite tractari, quam prædeſtinationem ad fidem, ſeu gratiam. Conſiderandum eſt quod in toto illo capite ſolum reſpondet huic Objectioni Semipelagianorum Auguſtinus quæ habetur initio illius capitis, & eſt ejuſmodi. Sed aïunt (ſcilicet Semipelagiani) prædeſtinationis definitionem utilitati prædeſtinationis adverſam. Hæc ibi Auguſtinus; ex quo ſequitur quod locutus eſt ibi Auguſtinus de illa prædeſtinatione, de qua conquerebantur iſti Semipelagiani, quibus ibi reſpondebat. Sed de eâ ſolum prædeſtinatione conquerebantur & diſceptabant cum Auguſtino, quæ eſt ad initium fidei & ad perſeverantiam, non autem de ea quæ eſt ad gloriam ſolam de qua agimus: ergo in toto illo capite loquitur Auguſtinus de illa prædeſtinatione, quæ eſt ad fidem & gratiam, & non de ea quæ eſt ad gloriam ſolam de qua agimus: Ex quo apparet, quod ſemper in hoc hallucinatus eſt Janſenius, ut ſupra monui; & clare patet in hoc capite, quod ubi vidit in Auguſtino verbum prædeſtinationis, cito putavit eſſe prædeſtinationem ad gloriam, cum è contra debuiſſet credere eſſe prædeſtinationem ad gratiam, præcipue in illis libris quos edidit Auguſtinus contra Pelagianos & Semipelagianos, inter quos eſt iſte ex quo ſumpſit ſuos textus Janſenius; cum iſti errantes ſolum diſceptarent cum illo de prædeſtinatione ad gratiam formaliter, & non de prædeſtinatione ad gloriam: Et proinde non deberet reſpondere de prædeſtinatione ad gloriam, ſed de prædeſtinatione ad gratiam. Et ſane ultimus textus quem nobis objicit hîc Janſenius, clare id oſtendit, cum tribuat incredulitatem Judæorum, de quibus loquitur hic ſimul ut & de Tyriis, prædeſtinationi ad fidem, ſeu ad gratiam efficacem credulitatis, & non ad gloriam, ut patet ex terminis: Nec iſtis (ſcilicet Judæis excæcatis & induratis) obfuiſſet quod non poterant credere, ſi ita prædeſtinati eſſent, *ut eos cæcos Deus illuminaret*, & induratis cor lapideum vellet auferre. Ubi vides, objectum iſtius prædeſtinationis eſſe illumina-

illuminationem fidei, & ablationem indurationis, quæ reſpiciunt gratiam formaliter. Et ſenſus genuinus eſt: quod ſi prædeſtinati fuiſſent ad gratiam efficacem illuminationis fidei & præmotionis ad illam, actu credidiſſent: certe ſi locutus ibi fuiſſet Auguſtinus de non prædeſtinatione ad gloriam, ut cauſa iſtius incredulitatis, non debebat dicere, ſi ita prædeſtinati eſſent, ut eos cæcos Deus illuminaret, quod ſolum ſignificat efficacitatem iſtius prædeſtinationis ad fidem: ſed debebat dicere, ſi prædeſtinati eſſent ad gloriam, non eis obfuiſſet, quod non poterant credere, cum iſta prædeſtinatio fidem iſtam eis procuraſſet. Sed nihil ibi de gloria, nihil de vita, nihil de ſalute æterna, vel de prædeſtinatione ad illam; ſed totum de fide, & de prædeſtinatione ad illam, per illuminationem intellectus & piam motionem voluntatis fiendam in eis. Si prædeſtinati fuiſſent ad illam qua cor eorum lapideum emollitum, & abolitum fuiſſet, & datum eis cor carneum, quo credere vellent & crederent. Quapropter mira eſt pervicacia Janſenii, qui etiam ex hoc loco vult ibi inferre ſuam concluſionem, ſcilicet quod credidiſſent, ſi prædeſtinati fuiſſent ad gloriam, & quod ideo non crediderant quia non erant prædeſtinati ad illam, cum nihil minus quam id ibi dicat Auguſtinus.

Punctum IV.

Quibuſdam generalibus ſupradictorum probationibus reſpondetur.

DENIQUE vult probare in communi, & ſummariè prædicta omnia, & fidem, & pœnitentiam, & perſeverantiam ideo negari reprobis, quia non ſunt electi ad vitam æternam. Quod primo vult oſtendere ex hoc loco Auguſtini libro de dono perſev. cap. 11. ubi ait Auguſtinus: Proinde, ſicut Apoſtolus ait: [Non volentis, neque currentis; ſed miſerentis eſt Dei] qui & parvulis quibus vult, etiam non volentibus, neque currentibus ſubvenit, quos ante conſtitutionem mundi elegit in Chriſto, &c. & majoribus etiam his quos prævidit ſuis miraculis credituros. quibus non vult ſubvenire non ſubvenit, de quibus in ſua prædeſtinatione occulte quidem; ſed juſte aliud judicavit. Ibi ſolùm eſt hallucinatio ordinaria Janſenii, qui ubique nomen prædeſtinationis ſumit pro prædeſtinatione ad gloriam, cum è contra demonſtravi ſupra, quod deberet illud ſumere pro prædeſtinatione ad gratiam, præcipue in libris iſtis qui conſcripti ſunt contra Pelagianos, qui de ſola illa prædeſtinatione diſputabant cum Auguſtino: Et præterea ſatis ibi demonſtratur voluntas illa Dei immediate terminata ad illos effectus, & non ad gloriam ſeu mediante voluntate gloriæ, cum dicit Auguſt. quibus vult ſubvenire ſubvenit, & quibus non vult ſubvenire non ſubvenit: Et per conſequens ibi ſatis demonſtratur ſermonem eſſe de prædeſtinatio- *Vide 2. argumentum ex ratione, ubi iidem textus explicantur.*

ne ad illos effectus immediate & directe quos Deus facit ſi vult, non facit ſi non vult. Et ſic ſermonem eſſe de prædeſtinatione ad hos ſubventionis, ſeu adjutorii effectus, & ſic ad gratiam, & non ad gloriam. Pro quo vide dicta ad Object. 12. ex Auguſtino, ubi hic textus & ſimiles hoc modo expoſiti ſunt.

Huic etiam loco, ſimilis eſt iſte ex lib. de corrept. & gr. cap. 7. ubi aït Auguſtinus: Ac per hoc & qui Euangelium non audierunt, & qui eo audito in melius commutati perſeverantiam non acceperunt, & qui Euangelio audito venire ad Chriſtum, hoc eſt in eum credere noluerunt, & qui per ætatem parvulam, nec credere potuerunt, &c. Non ſunt ab illa conſperſione diſcreti, quam conſtat eſſe damnatam. Ibi ſuo more erroneo Janſenius ſumit iſtam diſcretionem pro prædeſtinatione ad gloriam, cum potius ſit prædeſtinatio ad gratiam de qua ibi formaliter loquebatur Auguſtinus: vide illum locum amplius expoſitum in Object. 2. ex Auguſtino.

Sed miro modo locum illum explicat qui ſequitur, ex lib. de corrept & gr. c. 13. qui talis eſt. Hi vero qui non pertinent ad hunc prædeſtinatorum numerum, quos Dei gratia ſive nondum habentes ullum arbitrium ſuæ voluntatis, ſive cum arbitrio voluntatis; ideo vere libero, quia per ipſam gratiam liberato, perducit ad Regnum: Hi ergo qui non pertinent ad iſtum certiſſimum & fœliciſſimum numerum, *pro meritis* juſtiſſime judicantur. (Et vide quot modis, inquit Janſenius, diceres ibi Auguſtinum ſecundum Janſenium voluiſſe dicere quod Deus mere voluntarie aſſumit diverſos modos ad perdendos illos miſeros; cum è contra mox dixerit, illos pro meritis ſuis malis judicari; & proinde ob peccata ſua puniri, & demonſtret in ſequentibus diverſos modos quibus illi promeriti ſunt per ſuum arbitrium, tam ſeverum judicium, ut patet ex his verbis conſequentibus.) Aut enim jacent ſub peccato quod originaliter de generatione traxerunt, & cum illo hereditario debito hinc exeunt, quod non eſt regeneratione dimiſſum: aut per liberum arbitrium alia addiderunt (ubi nihil apparet procuratum à Deo ad executionem ſui decreti, ut vult Janſenius; ſed potius ab homine ſibi peccata voluntaria coacervante per liberum ſuum arbitrium) Arbitrium, inquam, liberum; ſed non liberatum, liberum juſtitiæ, peccati autem ſervum, quo volvuntur (ſequentia verba omiſit Janſenius, ſed non videntur nobis omittenda, cum per ea maxime connotet Auguſtinus; iſtorum reproborum malitiam fuiſſe cauſam iſtius derelictionis, non autem non electionem eorum ad gloriam, ut vult Janſenius) *Per diverſas noxias cupiditates: alii magis, alii minus;* ſed omnes mali (ecce cauſam derelictionis iſtius, ſcilicet eorum omnium malitia, ſed inæqualis & diverſa; unde & ſequitur) Et pro ipſa *diverſitate* (ſcilicet malitiæ) diverſis ſuppliciis judicandi (ſcilicet temporalibus & æternis: temporalibus, per derelictionem: æternis per damnationem.) Aut gratiam Dei ſuſcipiunt; ſed temporales ſunt, nec perſeverant (nota valde quod ſequitur: quare ergo non perſeverant?)

deſerunt & deſeruntur (ecce cauſam quia nempe ipſi dereliquerunt Deum concervando ſibi peccata, & ideo a Deo viciſſim deſeruntur: ubi manifeſte oſtenditur hominẽ prius deſerere Deum quam Deus eum deſerat: At quomodo Deus deſerit hominem, ſic explicatur) Dimiſſi enim ſunt libero arbitrio (non dicit ſoli arbitrio, habent enim etiam tunc gratias ſufficientes; ſed non efficaces, quibus privantur ob peccata ſua præcedentia, in quo eſt eorum pœna temporalis, ut ſequitur) non accepto perſeverantiæ dono (quod eſt gratia efficax ad perſeverandum) judicio Dei *juſto* & occulto. (id eſt punitione Dei juſta, ſed occulta. Solet enim Auguſtinus ſumere judicium pro punitione: at punitio ſupponit peccata præcedentia, ergo illa negatio gratiarum efficacium ſupponit peccata præcedentia, non ſolum originalia; ſed etiam actualia. Ibi enim neceſſario ſermo eſt de peccatis actualibus prævifis ante deſertionem: cum illa peccata dicantur majora, vel minora, quod non convenit peccatis originalibus, quæ ſunt æqualia. Et præterea ibi dicuntur illa peccata eſſe noxias cupiditates, quæ non pertinent ad parvulos; ſed ad adultos peccatorum actualium capaces: Unde manifeſtum eſt quod, illa negatio gratiarum non eſt ex negatione prædeſtinationis ad gloriam, quæ ſecundum adverſarios eſt ante omnia præviſa opera.) Hæc ibi Auguſtinus. Ubi nihil apparet niſi mera deſcriptio non perſeverantiæ reproborum, ut ab eorum peccatis ortæ, & non à non electione eorum ad gloriam, prout perperàm infert Janſenius, dicens: Ecce ille defectus prædeſtinationis ad Regnum, quid in deſertis operetur, nempe quod dimittantur libero arbitrio, cui dimiſſi fieri non poteſt quin vel nunquam ab iniquitatibus ſurgant, vel à perſeverantia decidant, & utroque modo pœnam æternæ damnationis incurrant. At nihil ſimile videtur eſſe in illo textu quin potius ibi videtur eſſe contrarium: cum dicat Auguſtinus illud judicium quo negatur perſeverantia iſtis reprobis, eſſe occultum. Juſto, inquit, judicio & *occulto*: At non eſſet occultum, ſi eſſet ex non electione illorum ad gloriam; ſed maxime patens & apertum. Cum illius reddi poſſet adæquata ratio à priori, ſcilicet eorum non electio ad gloriam, cum nihil clarius & apertius ſit, ſeu nulla veritas clarior & patentior ſit, quam ea quæ poteſt probari à priori. Unde concludendum eſt, quod ibi non attribuit Auguſtinus iſtam deſertionem, ſeu non perſeverantiam iſtorum reproborum non electioni eorum ad gloriam; ſed peccatis eorum, ut ſupra declaratum eſt.

Verum contra objicies, & dices: Si attribuit Auguſtinus illud judicium, ſeu deſertionem illorum reproborum peccatis illorum, jam non eſt occultum illud judicium, cum cauſa illius pateat.

Reſpondeo illud judicium eſſe ob illa peccata, & tamen eſſe occultum, propterea quod Deus non omnes habentes ſimilia peccata, ſic punit; ſed aliquibus eorum facit miſericordiam, aliis non. Unde occultum eſt ejuſmodi judicium, cum non ſit ob ſolum peccatum; ſed etiam ob voluntatem divinam, quæ in uno punit peccatum, in altero vero dimittit:

Nam ſi dixeris quod uni puniuntur per deſertionem & gratiarum efficacium negationem, ob peccata ſua actualia. Ecce tibi ex adverſo objicientur alii, qui ſimilia habent peccata, & tamen non deſeruntur. Unde confitendum eſt, nobis occultum eſſe illud judicium, licet ſciatur eſſe ob peccatum, cum non ſit ob ſolum peccatum; ſed etiam ob voluntatem divinam, cujus cauſa nobis ignota eſt. Quæ vult punire in aliquibus, quod dimittit in aliis: quod declarat ipſe Auguſtinus libro de dono perſeverantiæ cap. 11. dicens: *inveſtigabilis veritas* eſt, qua *quem vult indurat*, ejus quidem præcedentibus meritis; ſed cum eo cujus miſeretur, plerumque *communibus*. Ubi fatetur Auguſtinus, illam veritatem eſſe inveſtigabilem; id eſt inſcibilem, ignotam, occultam, inſcrutabilem propterea quod, licet omnes ſint criminoſi, & ob hoc multos puniat Deus: multos tamen æque criminoſos non ſic punit, ſed eorum miſeretur. Quia nempe cujus vult miſeretur, & quem vult indurat, præcedentibus tamen peccatis. Unde dicit quem vult indurat ejus quidem præcedentibus meritis; ſed cum eo cujus miſeretur, plerumque communibus. Ubi etiam vides Auguſtinum non referre iſtam indurationem, ſeu deſertionem iſtorum in non electionem eorum ad gloriam: ſed ad eorum peccata, non ſolum autem originalia; ſed etiam ad actualia, quod ſi ad ſola originalia referret, non diceret ea eſſe *plerumque* communia; ſed diceret ea eſſe *ſemper* communia, vel diceret eſſe communia ſimpliciter & abſolute, ut poſtea dicit de parvulis, quia nempe peccatum originale eſt commune omnibus hominibus, & ſolum peccatum actuale, eſt *plerumque* commune & particulare aliquibus: Quod infra clarius demonſtrat, dicens: [Ex ore quippe infantium & lactentium ſuam perfecit laudem] ut quod in his (ſcilicet infantibus & lactentibus) videmus, quorum liberationem bona eorum merita nulla præcedunt. Et in his (ſcilicet iiſdem infantibus) quorum damnationem utriſque *communia originalia* ſola præcedũt: Hoc & in majoribus fieri nequaquam omnino cũctemur, id eſt non putantes, vel ſecundum ſua merita gratiam cuiquam dari, vel *niſi* ſuis meritis quemquam *puniri*, ſive pares qui liberantur, atque puniuntur; ſive *diſpares* habeant *cauſas* malas. Ubi vides Auguſtinum ſupponere iſta peccata eſſe diſparia, & per conſequens eſſe actualia prævisa antequam indurentur, & etiam ſupponere illa eſſe cauſam indurationis, ſeu deſertionis, ſeu non perſeverantiæ eorum; & conſequenter damnationis eorum, non tamen adæquatam; ſed cum voluntate divina accedente conjunctam, ut ſupra explicatum eſt: non vero meram non electionem eorum ad gloriam, ut volebat Janſenius.

Ibi loquitur Auguſt. de adultis cum illi ſoli ſint capaces indurationis, & per conſequens, ſupponit eorum peccata actualia eſſe prævisa antequam indurētur, aut puniantur cum peccata eorum ſupponantur præcedere indurationem eorum.

†

I.H.S.

PUNCTUM V.

Quibuſdam aliis generalibus ſupradictorum probationibus reſpondetur.

POSTEA profert Janſenius textum illum ex Epiſt. 59. quæſt. 6. ubi ait Auguſtinus: Non ſunt in iſta vocatione (ſecundum propoſitum, & ſine pœnitentia) qui in fide quæ per dilectionem operatur, etiamſi aliquantulum ambulant, non perſeverant uſque in finem: Et utique potuerunt rapi, ne malitia mutaret intellectum eorum, ſi ad illam prædeſtinationem & vocationem, quæ ſecundum propoſitum, & ſine pœnitentia eſt, pertinerent.

Reſpondeo ibi Auguſtinum loqui de vocatione efficaci ad perſeverantiam, & non de prædeſtinatione ad gloriam; ut patet ex illis verbis: Non ſunt in iſta *vocatione* qui non perſeverant: ubi ſolum deſcribit vocationem illam efficacem ad perſeverantiam: Quia nempe cum illa ſit efficax, deberet habere effectum perſeverantiæ in eis, unde cum non perſeveraverint, ſignum eſt quod non ita vocati ſunt, ſeu quod non habuerunt iſtam vocationem efficacem. Certe ſi voluiſſet Auguſt. iſtam non perſeverantiam tribuere, non prædeſtinationi ad gloriam, ut vult Janſenius, debuiſſet dicere: Non ſunt in iſtâ prædeſtinatione, vel electione ad gloriam qui non perſeverant: non vero diceret, Non ſunt in iſta vocatione, &c. Quod ſi dicas, poſtea fieri mentionem de prædeſtinatione. Reſpondeo id verum eſſe: ſed non ibi dici an illa prædeſtinatio ſit ad gloriam, an ad perſeverantiam. Magis autem videtur eſſe ad perſeverantiam, quam ad gloriam, cum jungatur vocationi illi quæ eſt ad perſeverantiam, & illi tribuatur idem objectum, ac iſti vocationi, quæ eſt ad perſeverantiam, ut patet ex his verbis: Et utique potuerunt rapi, ne malitia mutaret intellectum eorum: (quod pertinet ad perſeverantiam ex communi uſu Auguſtini) Si ad illam prædeſtinationem & vocationem pertinuiſſent: Ubi vides prædeſtinationem illam & vocationem ſimul jungi, & habere idem objectum, ſcilicet perſeverantiam, qua ſcilicet potuerunt illi rapi, ne malitia mutaret intellectum eorum. Unde & dicendum quod illa prædeſtinatio non eſt ad gloriam ſolam; ſed vel ad perſeverantiam, ut & illa vocatio, vel ad perſeverantiam ſimul & ad gloriam; quo caſu nihil ad nos, cum de ſola illa agamus, quæ eſt ad ſolam gloriam, & non ſimul ad gratiam, qualiſcunque gratia illa ſit: Quia tunc non eſt ratio, cur potius tribuatur effectus ille prædeſt. vel non prædeſt. illi, quæ eſt ad gratiam ſimul & ad gloriam, qua parte reſpicit gloriam, quam qua parte reſpicit gratiam, imo magis tribuendus videtur qua parte reſpicit gratiam, cum ſit effectus directus illius, cum certum ſit quod v.g. perſeverantia, vel non perſeverantia magis directe & formaliter reſpicit prædeſtinationem ad perſeverantiam, quam prædeſti-

nationem ad gloriam: Et præterea poſſet dici, quod ſi loquatur ibi Auguſtinus de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, illa eſt poſt præviſa merita, & non ante præviſa merita, cum multoties ibi loquatur de præſcientia, ut pertinente ad illam prædeſtinationem, de qua ibi ſermo eſt, præcipue paulo ante verba ſupra allata, ubi ait Auguſtinus: Qui vero electi, ipſi ſunt ſecundum propoſitum vocati, in quibus Dei proculdubio *præſcientia* falli non poteſt: id eſt qui ſunt electi, præviſi ſunt ſecundum propoſitum, ſeu efficaciter à Deo vocandi ad perſeverantiam, unde illa electio infallibilis eſt. Et poſtea ſequitur hic textus Apoſtoli: Hos *præſcivit*, & prædeſtinavit, &c. quem textum ſupra oſtendimus intelligi debere vel de prædeſtinatione poſt præviſa merita, ſi ſit ad gloriam ſolam, vel de prædeſtinatione ad gratiam ſimul & ad gloriam; & ſic nihil eſt ibi contra nos.

Argum. 7. ex Script. Et Object. 8. ex Script.

Verum longe germanior & genuinior mihi videtur eſſe prima Solutio, quæ exponit textum illum de vocatione efficaci ad perſeverantiam, cum etiam ea quæ ſequuntur, id indicent, in quibus ſunt aliqua, quæ conſequenter nobis ibi objicit Janſenius, quæ etiam explicabimus: Nam poſt verba in Objectione allata, ſibi ſic objicit Auguſtinus, dicens: At ne quiſquam præſumptor (ſcilicet Pelagianus, aut Semipelagianus) ita de occultis judicet alienis, ut dicat: Ideo non rapti ſunt ex hac vita (hîc luce ipſa clarius apparet ibi agi de dono perſeverantiæ, & non de prædeſtinatione ad gloriam, cum & D. Auguſtinus locum illum Scripturæ uſurpet communiter ad probandam prædeſtinationem ad perſeverantiam, & ſub hoc ſolo titulo illum locum impugnarent illius adverſarii, eò quòd locus iſte probaret contra eos perſeverantiam eſſe ex Deo, & ex prædeſtinatione, non vero ex homine, ſeu ex mera præſcientia, ut volebant iſti hæretici) antequam eſſent fidei deſertores, quia in eâdem vitâ non fideliter ambulabant, & hoc in eorum cordibus noverat Dominus, quamvis hominibus aliter appareret: Quod eſt dicere ſecundum illos errantes, quod ideo iſti non perſeveraturi non acceperunt à Deo perſeverantiam, quia intus erant mali, licet exterius eſſent boni: Per quod intendebant dicere iſti errantes quod Deus dabat perſeverantiam meritis bonis, & negabat eam meritis malis contra Auguſtinum, qui volebat eis demonſtrare, quod illa perſeverantia erat ex mera Dei voluntate, & non ex meritis hominum. Unde & ſic reſpondet eis Auguſtinus per ſuum invincibile argumentum ſumptum ab exemplo parvulorum & innocentium, dicens: Quid dicturus eſt (ſcilicet ſupradictus præſumptor Pelagianus, vel Semipelagianus) de infantulis parvulis, qui plerique accepto in illa ætate Chriſtianæ gratiæ Sacramento, cum ſine dubio pertinerent ad vitam æternam, Regnumque Cælorum, ſi continuo ex hac vitâ emigrarent, ſinuntur creſcere (nota quod non dicit quod procuretur à Deo ut creſcant, vel quod impediatur ne tunc decedant, ob non electionem ad gloriam: ſed tantum & mere quod ſinuntur creſcere: quod demonſtrat meram per-

miſſionem voluntariam) & nonnulli etiam apoſtatæ fiant. Quod eſt dicere quid reſpondebitis ad hoc, quod infantulis qui nec habent mala merita, nec capaces illorum ſunt, Deus tamen non dat bonum illud perſeverantiæ, quod eſt mori in gratia, cum multos eorum ſinat creſcere, & tandem mori in peccato, ita ut eorum quidam à fide excidant, qui ſi in ætate infantula rapti eſſent, ſalvati fuiſſent. Per hoc oſtendens donum perſeverantiæ, & negationem ejus eſſe à ſolo Deo, Deo, & à ſola ejus voluntate, non autem à meritis hominum, ut volebant hæretici, quod & ſic concludit: unde (eſt iſtud) niſi quia non pertinent ad illam prædeſtinationem, & ſecundnm propoſitum, ac ſine pœnitentia vocationem. Ubi manifeſte id refert ad prædeſtinationem perſeverantiæ, & ad efficacem ejus vocationem, ut ſupra expoſitum eſt. Unde male infert ex hoc loco Janſenius, quod ideo non datur bonum perſeverantiæ, quod eſt mori in gratia, ſeu adultis, ſeu parvulis, eo quod non ſunt prædeſtinati ad gloriam: Cum in iſta concluſione nihil habeatur de gloria; ſed tantum de prædeſtinatione nude & ſimpliciter ſumpta, ſeu de propoſito nude & ſimpliciter ſumpto, ſeu de vocatione ſive pœnitentia quæ deſignat gratiam, & non gloriam: Unde etiam notant Lovanienſes in margine omnia ibi eſſe de perſeverantia. Sane totum fundamentum quod habuit Janſenius, ſic perperam arguendi, non potuit eſſe aliud, quam quod prædeſtinationem & propoſitum, de quibus ibi mentio fit, ſumpſit pro prædeſtinatione ad gloriam ſecundum errorem ſuum ordinarium, quo omnem prædeſtinationem & propoſitum Dei vult eſſe prædeſtinationem ad gloriam, quod ſupra oſtendimus eſſe falſiſſimum.

Tandem totam hanc Objectionem concludit Janſenius per hunc locum ſumptum ex libro de geſtis Pelagii cap.3. ubi Auguſtinus ait: Abſit ut ii qui ſecundum propoſitum uocati ſunt, quos præſcivit & prædeſtinavit, conformes fieri imaginis filii ſui, ſuo ut pereant deſiderio dimittantur. Ex quo ſic arguit Janſenius, dicens: Hoc ipſo igitur quo non ſunt prædeſtinati, hoc eſt ad Regnum electi, ſuo ut pereant libero arbitrio, ac deſiderio dimittuntur, quod ne fiat in prædeſtinatis, ipſum propoſitum electionis ad Regnum, vetat.

Reſpondeo ſenſum Auguſtini longe eſſe ab iſto diverſum: Nam id quod fit in prædeſtinatis, aut non fit in non prædeſtinatis, ſeu reprobis, non infert ibi Auguſtinus ex prædeſtinatione, aut non prædeſtinatione ad gloriam tanquam ex ſua cauſa, ut vult Janſenius; ſed illud infert ex gratia, vel ex negatione gratiæ: vel potius ex neceſſitate gratiæ, ſine qua non habentur, & cum qua habentur merita, ob quæ prædeſtinatur nobis gloria. Pro quo ſciendum eſt, quod ibi impugnabat Auguſtinus Pelagium, qui dixerat: Omnes propria voluntate Regi, & ſuo deſiderio unumquemque dimitti: quod erat dicere neminem indigere gratia, vel auxilio divino ad bene agendum. Contra vero Auguſtinus reſpondebat & dicebat voluntatem quidem humanam ſibi ſoli ſufficere ad ma-

lum agendum, id eſt, non indigere aliquo excitante, & adjuvante ad illud faciendum: At vero ad bonum agendum indigere gratia excitante & adjuvante, & ſine ea nihil poſſe bene agere. Manifeſtum eſt, inquit, quod ſi ad ignem manum mittit, *& malum & mors ei placet* id voluntas hominis operatur: (id eſt per ſe poteſt operari) Si autem *bonum & vitam diligit*, non ſolum voluntas id agit; ſed divinitus adjuvatur: Sufficit enim ſibi oculus ad non videndum hoc eſt, ad tenebras; ad videndum vero lumine ſuo non ſufficit niſi illi extrinſecus adjutorium clari luminis præbeatur: (quo præmiſſo de neceſſitate gratiæ: ſic ait; & ſunt verba in Objectione allata) Abſit autem, ut ii qui ſecundum propoſitum ſunt vocati, quos præſcivit, & prædeſtinavit, conformes fieri imaginis filii ſui, ſuo ut pereant deſiderio dimittantur, id eſt, ut dimittantur ſuo deſiderio, quia ſi ſic eſſent dimiſſi, cito exciderent à gratia, & à conformitate divina: cum nihil poſſint ſine gratia, & tandem in æternum perirent: Quod ſane longe diverſum eſt, ab eo quod intendebat Janſenius, cum nihil ibi velit dicere Auguſtinus, niſi quod ad hoc ut ſalvemur & perſeveremus in bono, indigemus gratia Dei, ſine qua dimiſſi & deſerti, nihil boni ageremus, & in æternum periremus: Qui ſenſus ita conſtans Auguſtini fuit, ut infra eum repetat, dicens: Præſtat hoc Deus (id eſt ut non dimittantur deſiderio ſuo, deſerti à ſuis gratiis potentioribus & efficacibus) illis quos ſubditos regit, (id eſt veris & piis Catholicis neceſſitatem ſuæ gratiæ confitentibus) non autem illis qui ſe idoneos ad ſeipſos regendos putant, & præfidenti cervice propriæ voluntatis, illum dedignantur habere rectorem (id eſt non autem hæreticis Pelagianis induratis & obcæcatis nimium de propria virtute ſuperbientibus, & ſic dimiſſis deſiderio ſuo nihil boni agant, & in æternum pereant.) Unde nihil ibi eſt de prædeſtinatione ad gloriam ut cauſa bonorum, ut volebat Janſenius; ſed tantum de neceſſitate gratiæ ad facienda bona opera, quibus vita æterna comparatur, quam negabat ibi Pelagius.

PARAGRAPHVS DECIMVSTERTIVS.

1. Proponitur Objectio, ſumpta ex vocatione ſecundum propoſitum.

DECIMUMQUINTUM argumentum ſumitur ex vocatione ſecundum propoſitum. Docet enim (inquit Janſenius lib. 9. de gratia Salvatoris cap. 21.) ſæpiſſime Auguſtinus ſolos prædeſtinatos, vocari ſecundum propoſitum: & ita ſecundum illud vocari, ut nemo ad iſtam pertineat vocationem, niſi vel parvulus cum baptiſmo moriatur, vel adultus credat, diligat, perſeveret: reliquos omnes, ſive ſequantur vocationem,

vocationem, ſive negligant vocationem, non ſecundum propoſitum vocatos eſſe: Ergo neceſſe eſt illud propoſitum eſſe aliquid reciprocum cum prædeſtinatione & electione, non qualibet; ſed illa ex qua tanquam ex cauſa poſſit illa vocatio, & omnes effectus quos ſupponit, ad perſeverantiam uſque fluere.

Punctum primum.

Quædam præmittuntur ad veram Solutionem.

Respondeo verum quidem eſſe vocationem ſecundum propoſitum reciprocari cum prædeſtinatione, quia nempe propoſitum & prædeſtinatio ſunt ſynonyma apud Auguſtinum: Nam ut prædeſtinatio duo dicit, ſcilicet efficacitatem (quia prædeſtinatio omnis eſt efficax voluntas dandi aliquid) & rem prædeſtinatam, eſſe à Deo, non vero ab homine: In quo ſenſu præcipue uſurpatur ab Auguſtino nomen prædeſtinationis, ita ut ſæpe prædeſtinatum eſſe nihil aliud ſignificet apud Auguſtinum quam rem datam, aut dandam, aut factam, aut fiendam eſſe à Deo: ut patet ex libro de dono perſ. cap. 17. ubi ait: An forte nec ipſa dicunt *prædeſtinata*, ergo nec *dantur* à Deo, aut ea ſe daturum eſſe neſcivit: Quod ſi & *dantur*, & ea ſe daturum eſſe præſcivit, profecto *prædeſtinavit*. Quod & frequentiſſime habet in illo libro & præcedenti contra Semipelagianos, qui nolebant primam fidem & perſeverantiam dari, aut fieri à Deo, & per hoc non prædeſtinari. Ita & propoſitum Dei duo iſta dicit, ſcilicet efficacitatem, & eſſe à Deo: efficacitatem quidem, ut patet ex Expoſit. quar. propoſ. ex Epiſt. ad Rom. cap. 55. ubi ait: Non juſtificatos niſi vocatos, quanquam non omnes vocatos, *ſed eos qui* [*Secundum propoſitum vocati ſunt.*] (ſupple eſſe juſtificatos, quod dicit efficacitatem) & lib. 5. contra Jul. cap. 4. ſic ait: Non omnes qui vocati ſunt, ſecundum propoſitum vocati ſunt, [Multi enim vocati, pauci electi] qui ergo electi, hi ſecundum propoſitum vocati, id eſt efficaciter; ſed non ſemper ad gloriam, ut vult Janſenius, quia ut multæ ſunt vocationes, una ad fidem, alia ad juſtitiam, alia ad caſtitatem, alia ad perſeverantiam: ita & multæ electiones; ſed omnes efficaces quia is ſolùm eligitur ad opus, qui efficaciter vocatur. Et ſic patet quod illud propoſitum eſt efficax, ut & prædeſtinatio: ſed & etiam habet, quod id quod reſpicit, ſit etiam à Deo, & nō ab homine, ut & prædeſtinatio: & id fuit principale illius propoſiti, ob quod uſurpavit illud Auguſtinus. Unde toties dicit illud propoſitum eſſe Dei, & non hominis contra Pelagianos & Semipelagianos, qui volebant illud eſſe hominis, ſeu ob meritum hominis, & non ex mera voluntate Dei. Sic in loco ſupracitato Expoſitionis quar. prop. &c. ait: *Propoſitum autem Dei accipiendum eſt, & non ipſorum* (ſcilicet hominum) Et libro 2. ad Bonifacium cap. ultimo ait: Ideo dictum eſſe [Qui ſecun-

In hoc c. 55. Nihil retractavit Auguſtinus.

dum propoſitum vocati ſunt] ut *Dei non hominis propoſitum* intelligatur. Et libro de correpț. & gr. cap. 7. aït: Electi ſunt, quia ſecundum propoſitum vocati ſunt, propoſitum autem *non ſuum, ſed Dei*: Quod infra explicat, dicens: Non ſecundum opera noſtra; ſed ſecundum ſuum propoſitum & gratiam. Et de præd. Sanct. cap. 18. aït: Prædeſtinati ſecundum propoſitum *non noſtrum, ſed ejus* qui univerſa operatur. Item, & cap. 19. idem repetit teſtimonium D. Pauli, ſcilicet: Prædeſtinati ſecundum propoſitum, qui univerſa operatur. Ubi per propoſitum, ut & per prædeſtinationem, intelligit actum datum eſſe à Deo, & non ab homine. Unde non eſt dubium quin ſecundum Auguſtinum, iſta duo reciproca ſint, ſcilicet vocatio ſecundum propoſitum, & prædeſtinatio. Sed aliud eſt prædeſtinatio ſecundum ſe, & aliud prædeſtinatio ad gloriam: in quo graviter erravit Janſenius, qui putavit omnem prædeſtinationem ſecundum mentem Auguſtini eſſe ad gloriam: Unde & falsò etiam putavit omnem vocationem ſecundum propoſitum eſſe ad gloriam, & ea omnia complecti, quæ perducant ad illam, quod cum falsò fundamento nixum ſit, ut ſupra monuimus, non eſt quod in illo commento refutando multum laboremus, & immoremur: certe longe magis vocatio ſecundum propoſitum, ut & prædeſtinatio, ſignificat apud Auguſtinum gratiam, vel fidei, vel juſtitiæ, vel perſeverantiæ, quam gloriam: cum ad hoc ſolùm uteretur verbis illis Apoſtoli Auguſtinus, in quibus mentionem facit de propoſito Dei, ad oſtendendum contra Pelagianos & Semipelagianos, ſive fidem, ſive juſtitiam, ſive perſeverantiam eſſe à Deo, non autem gloriam, de qua nulla diſputatio erat ei cum iſtis hæreticis. Unde quando loquitur de gloria, inter loquendum de iſta vocatione ſecundum propoſitum, non loquitur de eâ ut intrinſece pertinente ad illam vocationem, ut vult Janſenius: ſed mere accidentaliter & concomitanter: propterea quod forte fit mentio de gloria in eodem loco Scripturæ, quo utitur ad probãdam illam vocationem: Unde eſt quod cum tractat hunc locum Apoſtoli Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt: ibi tractat aliquando de gloria, quia hic locus habet aliquid de gloria. Dixi, aliquando, quia non ſemper, ut patet in loco ſupracitato Expoſitionis quarumdam propoſ. &c. Ubi licet tractet locum illum Scripturæ, nihil tamen hàbet de gloria; ſed tantum de juſtificatione, ad quam terminatur iſta ſecundum propoſitum vocatio. Sed cum tractat hunc locum Apoſtoli ad Epheſ. 1. ſcilicet [Prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus qui univerſa operatur] nihil habet de gloria, ut videre eſt lib. de prædeſt. Sanct. cap. 17. 18. & 19. quia nempe hic locus nihil habet de gloria: quod argumento eſt, quod quando loquitur de gloria, inter loquendum de vocatione ſecundum propoſitum, loquitur tantum de ea accidentaliter & occaſionaliter, & non formaliter & directe, ut intrinſece pertinente ad illam vocationem.

PUNCTUM II.

Vera Solutio profertur, & explicatur.

QUAPROPTER dicendum eſt, quod ſicut multiplex eſt prædeſtinatio, una ad gratiam fidei, alia ad juſtitiam, alia ad perſeverantiam, alia ad gloriam ſolam, alia denique ad gratiam ſimul & ad gloriam: ita multiplex eſt vocatio ſecundum propoſitum, alia ad gratiam fidei; & ſic pertinent ad illam omnes illi textus quos citat Janſenius, ut oſtendat illam eſſe cauſam fidei; alia ad juſtitiam, ad quam etiam pertinent omnes illi textus qui oſtendunt illam eſſe cauſam juſtitiæ, alia ad perſeverantiam, alia ad gloriam ſimul & ad gratiam: Vix autem reperias vocationem illam eſſe ad gloriam ſolam, quia proprie vocatio eſt ad gratiam, & non ad gloriam: ſed quando eſt ad gratiam ſimul & ad gloriam, tunc quidem reſpicit omnes illas gratias, tanquam effectus ſuos, ſed non ut ipſa eſt ad gloriam; ſed ut eſt ad gratiam: ita quod ſit cauſa fidei, juſtitiæ, & perſeverantiæ, in quantum eſt ad fidem, juſtitiam, & perſeverantiam, quas omnes gratias æque directe tunc reſpicit, ac ipſam gloriam: Unde in tantum illas cauſat, in quantum eſt vocatio ad gratiam. Et ſic nihil habet Janſenius ex iſta vocatione ſecundum propoſitum, quo probet prædeſtinationem ad gloriam (quam vult idem eſſe cum vocatione iſta) eſſe cauſam iſtorum effectuum: cùm iſta vocatio non ſit cauſa illorum, in quantum eſt ad gloriam; ſed in quantum eſt ad gratiam, ſeu in quantum eſt vocatio ad gratiam. Quod ſi dicat Janſenius, ea omnia ei tribui, in quantum eſt ad gloriam. Reſpondeo id gratis dici, cùm id non conſtet ex verbis Auguſtini: imo vero ex ejus mente & propoſito conſtet omnino contrarium: cum formaliter, directe, & ex profeſſo loqueretur de prædeſtin. & vocatione ad fidem & ad juſtitiam, & ad perſeverantiam, non autem ad gloriam, de qua nulla erat ei contentio cum adverſariis ſuis, inimicis gratiæ, & non gloriæ æternæ. Unde cum præſumptio tam vehemens eſſet ei contraria, debebat probare intentum ſuum Janſenius, & non ſupponere illud; ſed clare diſtinguere quæ eſt iſta vocatio, quæ iſtos effectus producit, an vocatio ad gratiam ſolam, an vocatio ad gratiam ſimul & ad gloriam: & an ut ad gratiam, an vero ut ad gloriam, ea omnia efficeret: & non omnia confundere, & cito dicere quod ea omnia id efficit, in quantum eſt ad gloriam, ita ut nullo modo reſpiciat reprobos, aut pertineat ad illos, quantumvis illi gratiam habuerint, & in ea diu perſeveraverint: Quod ſane non legimus in Auguſtino, nec in illis ipſis locis quos in probationem iſtius pronunciati adducit Janſenius: In quibus nulla eſt excluſiva particula, quæ repellat reprobos Chriſtianos ab iſta vocatione, niſi cum applicat Auguſtinus iſtam vocationem (de ſe indifferentem ad quamcunque gratiam) ſingulariter dono perſeverantiæ (ut in locis

ibi allegatis ex libro de correpț. & gratia, & ex libro de dono perſev. in quibus libris, ut plurimum, & magna ex parte loquitur de perſeverantia, & de perſeveraturis) nec enim negamus iſtam vocationem ſe aliquando extendere ad donum perſeverantiæ; ſed negamus illam ſemper ſeſe extendere ad illud donum, ut vult Janſenius, ita ut illa ſemper illud complectatur, cùm aliquando illam applicet Auguſtinus, vel ſoli initio fidei, vel ſoli juſtificationi, nulla facta mentione de perſeverantia, nec etiam de gloria: ut videre eſt in multis locis Auguſtini, quorum aliquos hîc citabimus. Nam in Expoſitione quarumdam propoſ. ex Epiſt. ad Rom. cap. 55. applicat illam ſoli juſtificationi, ubi ſic ait: Quod autem ait (Apoſtolus) quos vocavit, ipſos & juſtificavit, poteſt movere & quæri; utrum omnes qui vocati ſunt, juſtificentur: (ubi vides quæſtionem eſſe de ſola juſtificatione) Sed alibi legimus [Multi vocati, pauci autem electi] ubi vides iſtam electionem eſſe ad gratiam, & non ad gloriam) tamen quia ipſi quoque electi, utique vocati ſunt. Manifeſtum eſt, non *juſtificatos*, niſi vocatos, quanquam non omnes vocatos; ſed eos (ſcilicet eſſe juſtificatos) *qui ſecundũ propoſitũ vocati ſunt, ſicut ſuperius dixit, propoſitum autem Dei accipiendum eſt, non ipſorum: Ipſe autem exponit quid ſit ſecundum propoſitum, cum dicit: [Quoniam quos ante præſcivit & prædeſtinavit, conformes imaginis Filii ejus.] (quod alibi expoſuimus de gratia ſanctificante) Non enim omnes qui vocati ſunt, ſecundum propoſitum vocati ſunt: Hoc enim propoſitum ad præſcientiam & ad prædeſtinationem Dei pertinet (non dicit quæ ſit illa prædeſtinatio an ad gratiam, an ad gloriam: Certe ſi ſumeremus illam ut Janſenius pro prædeſtinatione ad gloriam, verba ſequentia luce clarius demonſtrarent prædeſtinationem ad gloriam ſecundum Auguſtinum eſſe poſt præviſa merita, cum dicat) Nec prædeſtinavit aliquem niſi quem præſcivit crediturum & ſecuturum vocationem ſuam quos & electos dicit (ſed abſit ut aliquid interpretemur, contra ſinceritatem & veritatem viro cuilibet Chriſtiano, & religioſo neceſſariam. Hîc ergo per prædeſtinationem intelligit prædeſtinationem ad gratiam ſanctificantem, de qua hîc totaliter loquitur: & per præſcientiam illam præcedentem, intelligit ſcientiam conditionatam quâ prius quam abſolute prædeſtinet aliquem ad gratiam, videt an conſenſurus ſit certis gratiis ſi darentur, & hoc vocat præſcire eſſe crediturum, & ſecuturum vocationem, ſcilicet ſub conditione, unde & ſequitur) multi enim non veniunt (venire autem & accedere ſecundum Auguſtinum ſignificant credere, & juſtificari, ſcilicet credere illâ fide quæ per dilectionem operatur) cum vocati fuerint: Nemo autem venit, qui vocatus non fuerit. (ſcilicet vocatione illa ſecundum propoſitum.) Et ſic patet quod illa vocatio terminatur hîc ſecundum Auguſtinum totaliter ad fidem, juſtitiamque Chriſtianam. Item, libro 2. ad Boniſac. cap. ultimo exponit eandem vocationem ut ad gratiam contra Pelagianos: Quæ doctrina cum ſit ibi generalis contra iſtos hæreticos, qui illam vocationem prorſus

Nihil in hoc capite retractavit Auguſtinus, & aliquid ex illo ipſo cap. citat hic pro ſe Janſenius, unde non poteſt ſub hoc prætextu repellere hoc teſtimonium ex eo exceptum.

**Hæc verba ſatis declarant quam ſana ſit iſta doctrina, quæ hîc traditur, cum ſit maxime oppoſita errori Pelagianorum, qui volebant illud propoſitũ eſſe ſuum, & non Dei.*

Lib. de præd. Sanct. c. 8. & de dono perſev. c. 8.

negabant, quoad omnes homines; ideo ſpectat ad omnes homines, tam reprobos juſtificatos, qui aliquandiu bene vivunt, quam prædeſtinatos ad gloriam. Putavit enim, inquit Auguſtinus, fortaſſe ita dixiſſe Apoſtolum: [Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum, iis qui *ſecundum propoſitum vocati* ſunt] ut propoſitum hominis vellet intelligi: quod propoſitum tanquam bonum meritum, ſequatur *miſericordia* (id eſt gratia) vocantis Dei: Ignorantes, *ideo dictum eſſe* [Qui ſecundum propoſitum vocati ſunt] *ut* Dei non hominis propoſitum intelligatur. Quæ doctrina cum ut dixi generalis ſit, ita & ſpectat omnes homines, tam reprobos juſtificatos, quam prædeſtinatos ad gloriam: quod etiam late patet in ſequentibus: Sed quia nimis prolixa ſunt quam huc omnia transferantur; ſolùm ſumam pauca hæc verba, quæ paulo infra habentur, ſcilicet: Hoc eſt ergo propoſitum Dei, unde dicitur: Omnia cooperatur in bonũ, iis qui *ſecundum propoſitum vocati ſunt.* Hominis autem (nota quod non dicit prædeſtinati ad gloriam; ſed generaliter cujuſcũque hominis) propoſitum bonum adjuvat quidem *ſubſequens gratia;* ſed nec ipſum eſſet niſi præcederet *gratia*: (quæ gratia non eſt alia hîc quam prædicta vocatio ſecundum propoſitum, quæ neceſſaria eſt omni homini, tam reprobo quam prædeſtinato, ad bonum opus incipiendum, unde & ſequitur) *Studium quoque hominis* quod dicitur *bonum,* quamvis cum eſſe cœperit adjuvetur *gratia*, non tamen incipit ſine *gratia*; ſed ab illo inſpiratur, de quo dicit Apoſtolus: [Gratias autem Deo, qui *dedit* idem *ſtudium* pro vobis in corde Titi:] Si *ſtudium* quiſque ut pro aliis habeat, *Deus dat*, ut pro ſeipſo habeat, quis alius daturus eſt? Ubi nihil aliud probat Auguſtinus, niſi gratiam illam vocationis ſecundum propoſitum neceſſariam eſſe cuilibet homini ad incipiendum ut ad perficiendum opus bonum. Et ſic illam vocationem non minus pertinere ad reprobos juſtificatos, quam ad prædeſtinatos ad gloriam: cum nec reprobi, nec prædeſtinati poſſint ullum opus bonum facere ſine gratia. Et lib. de prædeſt. Sanct. cap. 16. & ſequentibus exponit illam vocationem de initio fidei. Quæ doctrina generalis adhuc eſt, & complectitur tam reprobos fideles, quam prædeſtinatos ad gloriam, cum ſit de initio fidei, quæ pertinet ad utroſque. Dicit enim Auguſtinus circa initium prædicti cap. eſſe quandam certam vocationem eorum qui [*ſecundum propoſitum vocati ſunt*: quos præſcivit, & prædeſtinavit, conformes imaginis Filii ſui.] Quam vocationem ſignificans, ait: [Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſerviet minori.] Numquid dixit, non ex operibus, ſed ex credente (ecce de quo agitur ibi, ſcilicet de credulitatis affectu, de initio fidei) prorſus etiam hoc abſtulit *homini*, ut totum daret Deo. Dixit ergo [Sed ex vocante] Non quacunque vocatione, ſed qua vocatione fit credens. Ecce ad quid ibi terminatur tota iſta vocatio ſecundum propoſitum, ſcilicet ad initium fidei, & ad ipſum credulitatis affectum, qui eſt communis omnibus fidelibus, tam reprobis, quam prædeſtinatis ad gloriam: Unde ſupra

Rom. 8.

Cap. 15.

loquens de illa eâdem gratiâ, qua homo fit credens facit illam communem omnibus Chriſtianis, dicens: Ea gratia fit ab initio fidei ſuæ homo *quicumque Chriſtianus*, qua gratia homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus. Et c.17.ſic aït: Electi ſunt autem de mundo (id eſt ex infidelitate) ea vocatione qua Deus id quod prædeſtinavit implevit (id eſt vocatione efficaci, cum id quod prædeſtinavit actu impleverit) nec enim aliud unquam formaliter intellexit Auguſtinus per vocationem illam ſecundum propoſitum, quam vocationem efficacem, prout à Deo, & non ab homine, quæ proinde vocatio cum generalis ſit, & applicabilis diverſis materiis, nunc applicat illam vocationi ad fidem, ut hîc, nunc vocationi ad juſtificationem, ut vidimus ſupra, aliquãdo etiam vocationi ad perſeverantiam. Hîc autem, ut dixi, applicat vocationi efficaci ad fidem; ſed non tantum ad fidem prædeſtinatorum ad gloriam, ſed etiam ad fidem reproborum, ut clare etiam patet ex his verbis quæ ſequuntur: [Quos enim prædeſtinavit, ipſos & vocavit,] illâ ſcilicet *vocatione ſecundum propoſitum: non ergo alios*, ſed quos prædeſtinavit, ipſos & vocavit: *Nec alios; ſed quos ita vocavit, ipſos & juſtificavit*: Quid ſibi vult hoc? ſane nihil aliud vult dicere, niſi quod illos ſolos juſtificavit quos vocavit ſecundum propoſitum: ſed multos reprobos juſtificavit: Ergo illi ſunt vocati ſecundum propoſitum: ergo illa vocatio non includit perſeverantiam, nec gloriam, ut volebat Janſenius. Hic ſenſus, ut opinor, eſt clariſſimus: ſenſus enim eſt quod nec alios iuſtificavit, niſi quos ita vocavit, ſcilicet ſecundum propoſitum. Ergo omnes juſtificati, ſic vocati ſunt: ſed multi reprobi ſunt juſtificati; ergo luce clarius eſt quod & ipſi vocati ſunt ſecundum propoſitum. Et re vera nihil aliud ibi vult dicere Auguſtinus, niſi quod omnes fideles & juſti ſunt ſecundum propoſitum vocati, ſeu ut alibi ſe explicat, ſunt vocati & electi. Sic enim aït inferius: Elegit ergo Deus fideles, ſed ut ſint (id eſt ad fidem futuram) non quia jam erant: Et paulo infra: recte quippe in eis eligere dicitur, quod ut in eis faciat eos elegit: id eſt elegit eos, ut faceret eos credentes. Et cap. 18. ſub finem, ſic aït: Ipſe quippe operatur ſecundum propoſitum ſuum, ut ſimus in laudem gloriæ ejus, utique ſancti & immaculati (ecce objectum iſtius propoſiti, ſcilicet ſanctitas & innocentia) *Propter quod* (id eſt propter quam ſanctitatem) nos *vocavit*, prædeſtinans ante mundi conſtitutionem. *Ex hoc propoſito ejus*, eſt illa electorum (ſcilicet ad gratiam ſanctificantem) propria vocatio, quibus [Omnia cooperatur in bonum] (ſcilicet in meritum vitæ æternæ, quod eſt à gratia ſanctificante) quia [Secundum propoſitum vocati ſunt, & ſine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei. Et cap. 19. ſic aït: [Prædeſtinati ſecundum propoſitum qui univerſa operatur] ipſe ergo ut credere incipiamus (ecce totale objectum iſtius propoſiti) operatur qui univerſa operatur: vocationem quippe illam de qua dictum eſt [Sine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei:] Et de qua eſt dictum: Non ex operibus; ſed ex vocante: cum poſſet dicere, ſed ex credente. Et electionem quam ſi-

gnificavit Dominus, dicens: [Non vos me elegiſtis, ſed ego vos elegi] *nec fides ipſa præcedit.* Non enim quia credidimus, ſed ut credamus elegit nos, (ubi vides objectum iſtius electionis, & per conſequens vocationis ſecundum propoſitum) ne priores eum elegiſſe dicamur; falſumque ſit, quod abſit [Non vos me elegiſtis, ſed ego vos elegi] nec quia credidimus; ſed *ut credamus vocamur* (ubi vides objectum formale & totale iſtius vocationis eſſe fidem) atque illa *vocatione* quæ ſine pœnitentia eſt (quæ eadem eſt ſecundum ipſum Janſenium cum vocatione ſecundum propoſitum) *id prorſus agitur & peragitur, ut credamus.* Ubi nihil aliud agit prorſus Auguſt. quam ut oſtendat illam vocationem ſecundum propoſitum, eſſe ad primam fidem, ſive poſtea perſeveretur, ſive non: Tum quia dicit per illam id prorſus agi & peragi, ut credamus: Per hæc indicans, nihil aliud per illam vocationem prætendi, quam illam fidem, ſive poſtea perſeveretur, ſive non. Tum etiam quia cum id concluderet contra Semipelagianos, qui negabant primam fidem cujuſlibet hominis, ſeu Chriſtiani eſſe ab iſta vocatione, ſeu propoſito Dei, conſequens neceſſario eſt quod contra illos concludat de omni fide cujuſcumque hominis, ſeu Chriſtiani; ſive reprobi, ſive prædeſtinati: Et ſic etiam de illa fide quæ non habet perſeverantiam, quam proinde fidem vult eſſe objectum vocationis iſtius ſecundum propoſitum æque ac fidem prædeſtinatorum ad gloriam, atque ad perſeverantiam, contra quod ſentiebat Janſenius, qui dicebat in Object. Auguſtinum docere, ſolos prædeſtinatos ad gloriam vocari ſecundum propoſitum, reliquos vero omnes ſive ſequantur, ſive negligant vocationem, non ſecundum propoſitum vocatos eſſe: quod ſane eſt falſiſſimum, ut patet ex ſupradictis, & ſic manet totum iſtud argumentum ſolutum.

PARAGRAPHUS DECIMUSQUARTUS.

Decima ſexta proponitur Object. ſumpta ex querelis Maſſilienſium, quaſi factæ fuiſſent contra prædeſtinationem ad gloriam ante præviſa merita, quod probatur eſſe falſum.

DECIMUMSEXTUM argumentum ſumitur ex querelis Maſſilienſium: Quia, inquit Janſenius lib. 9. de gr. Salv. cap. 23. vera origo Semipelagianiſmi apud Maſſilienſes, nulla fuit alia, niſi quod capere non poſſent, & credere non vellent, illam diſcretionem Dei illud prædeſtinantis & vocantis propoſitum, quo ſecundum quod placuit creatori, alii vaſa honoris, alii vaſa contumeliæ creati ſunt: Removeri enim omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates, & ſub hoc prædeſtinationis nomine, fatalem induci neceſſitatem, & ſimilia. Hinc illa *μεμψιμοιρία*, quod iſta diſcretio eſſet

Gentilium fatum, deſtrueret liberum arbitrium, deſperationem, & ignaviam afferret, præceptum, correptionem, exhortationem, orationem extingueret: Quoquo enim modo ſe egerint, non poſſet aliud erga eos quam Deus definivit accidere: cum ſi aliud habeat prædeſtinantis electio, caſſa ſit annitentis intentio.

Punctum primum.

Vera ſolutio profertur, & explicatur: Et oſtenditur Semipelagianos nunquam paſſos eſſe difficultatem circa prædeſtinationem ad gloriam, ut ſic: ſed tantum circa prædeſtinationem ad gratiam.

Respondeo difficultatem Semipelagianorum, non fuiſſe circa prædeſtinationem ad gloriam ſolitarie ſumptam, prout illam hic conſideramus, & de qua ſola quæritur inter Catholicos, an ſit cauſa, vel non cauſa meritorum, an ſit ante, vel poſt præviſa merita. Tum quia Concilia quæ damnant eorum hæreſes, de hoc errore nullam mentionem faciant, tum quia Auguſtinus eos inſtruens libris de prædeſtinatione Sanct. & de dono perſev. non loquitur ex profeſſo de iſta prædeſtinatione, ſeu de iſto modo prædeſtinandi ad gloriam, ut fatetur ipſe Janſenius: quod tamen facere debuiſſet (& quod proinde non neglexiſſet) ſi ſuper hoc maxime iſti errantes difficultatem paſſi eſſent, cum officium Doctoris ſit, formaliter & ex profeſſo explicare, & enodare ſingulas difficultates, quas patiuntur ii quorum docendorum Provinciam ſuſcepit: tum quia ubique Auguſtinus loquens ad confutandos & revincendos eorum errores, ſemper loquitur de gratia, ut de principali ſuo objecto: ita quod cum obiter, & ex aliqua occaſione locutus eſt de gloria, mox redeat ad gratiam, ut ad ſuum principale intentum, nunquam autem ſiſtat in gloria ſaltem ſolitarie ſumpta: tum denique quia prædictæ Maſſilienſium querelæ contra diſcretionem illam Dei ſecretam, & vocationem ſecundum propoſitum, quo alii fiebant vaſa honoris, alii vaſa contumeliæ: nihil aliud innuunt, niſi difficultates, quas patiebantur circa initium fidei, vel circa perſeverantiam, quas Deus concedendo, faciebat vaſa honoris, & negando vaſa contumeliæ: quas ideo volebant eſſe à ſeipſis, ut ſeipſos diſcernerent à vaſis contumeliæ. Auguſtinus autem volebat eſſe à Deo, non tamen neceſſitante noſtrum arbitrium, ut putabant iſti errantes; ſed illud efficaciter & infallibiliter movente, & excitante ad actum bonum: ut ſic diſcerneremur à Deo, & non à nobis, juxta illud Apoſtoli, quod ideo ſæpiſſime inculcat Auguſtinus; [Quis te diſcernit? quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?] per quod volebat Auguſtinus gratiam, inchoare excitare, & movere ad opus bonum; non autem

Auguſtinus Ep. 107. ad Vitalem Semipelag. poſt med. ſumit vaſa miſericordiæ, & vaſa iræ, pro ſolis fidelibus, & infidelibus, his

autem neceſſitare, aut prædeterminare, ut infra demonſtrabimus. Certe ſi primaria, ut vult Janſenius difficultas Maſſilienſium fuiſſet, circa prædeſtinationem ad gloriam, ut ſic: Non valde laboraſſet contra eos Auguſtinus, quandoquidem æque facile conceſſiſſet eis illam gloriam prædeſtinari ex meritis gratiæ (quod eſt ſolum quod intendimus, & contra quod agit Janſenius) ac concedit eam dari & conferri ex iiſdem meritis gratiæ, ut alibi declaravimus. Nam cum indubitatum ſit, ſemper cenſuiſſe Auguſtinum rem eodem modo prædeſtinari, ac dari, ſeu conferri, ut fatetur ipſe Janſenius; indubitatum etiam eſt, aut debet eſſe, quod cum concedat gratiam dari ob merita gratiæ, facile etiam conceſſiſſet illam prædeſtinari ex meritis gratiæ, & ſic, ſi tota, aut principalis quæſtio, ac controverſia fuiſſet inter eum & Maſſilienſes de prædeſtinatione illa ad gloriam (quam ſolum movemus hîc) an ſcilicet illa ſit ex meritis gratiæ, vel non: totam illam diſputationem, uno iſto verbo finiiſſet: Sed in hoc non erat ſita iſtorum errantium difficultas cum Auguſtino: ſed in hoc ſolo quod Auguſtinus diceret, ut ſupra in Objectione notatum eſt: * Dei conſtitutionem humanas prævenire voluntates, id eſt, gratiam divinam prævenire quâcunque hominis voluntatem: quam doctrinam dicebant nunquam fuiſſe ab antiquis ita intellectam, aut traditam: Et ea (inquit Proſper paulo poſt) quæ de Epiſtola Apoſtoli Romanis ſcribentis ad manifeſtationem *divinæ gratiæ prævenientis electorum merita* proferuntur (ſcilicet ab Auguſtino) à nullo unquam Eccleſiaſticorum, ita eſſe intellecta, ut nunc ſentiuntur, affirmant. Itaque nolebant gratiam prævenire noſtras voluntates, ſeu merita; ſed omnia ad naturam referri, quantum ad initium fidei & perſeverantiam finalem. Unde & pergit D. Proſper eorum errores ſic referre. Quidam autem horum in tantum à Pelagianis ſemitis non declinant, ut cum ad confitendam eam *gratiam Chriſti*, quæ omnia *præveniat*, merita humana cogantur: ne ſi meritis redditur fruſtra gratia nominetur: ad conditionem hanc velint uniuſcujuſque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia nec exiſtentem liberi arbitrii & rationalem, gratia creatoris inſtituat (id eſt velint id ad naturam gratis à Deo acceptam pertinere) ut per diſcretionem boni & mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum ejus, poſſit ſuam (per ſe ſolum) dirigere voluntatem: atque ad hanc gratiam, qua in Chriſto renaſcimur (ſcilicet baptiſmalem, vel primæ fidei per dilectionem operantis) pervenire per *naturalem*, ſcilicet facultatem (nota Janſeni! quid volunt iſti) petendo, quærendo, pulſando, ut *ideo* accipiat, *ideo* inveniat, *ideo* introëat, quia bono *naturæ* (non dicit gratiæ) bene uſus ad iſtam *ſalvantem gratiam* (ſcilicet baptiſmalem, aut, &c.) initialis (id eſt naturalis) gratiæ ope meruerit pervenire. Propoſitum autem vocantis gratiæ (ecce quomodo explicant vocationem ſecundum propoſitum) in hoc omnino definiunt, quod Deus conſtituerit nullum in Regnum ſuum, niſi per Sacramentum regenerationis aſſumere, & ad hoc ſalutis donum, omnes

verbis: Ipſe Dominus Ieſus credẽtes à non credentibus: id eſt ab ira vaſis, vaſa miſericordiæ diſcerneret.

Argum. 15. ex Auguſt. Lib. 9. de gr. Salv. cap. 6. & 13.

** Iſta conſtitutio Dei, ſupponit pro gratia, quia inter Auguſtinum & Maſſiliẽſes, hæc promiſcue uſurpabantur, quia eodem modo fiebant ante, vel poſt præviſa merita: Unde iidem Maſſiliẽſes, id quod ibi dicunt de iſta conſtitutione Dei præveniẽte, idem dicunt de gratia præveniente paulo poſt, ut videri poteſt in textu.*

homines univerſaliter, ſive per *naturalem*, ſive per ſcriptam legem ſive per Euangelicam prædicationem vocari: ut & qui voluerint (ſcilicet per merum arbitrium) fiant filii Dei, & inexcuſabiles ſint, qui fideles eſſe noluerint, quia juſtitia Dei in eo ſit, ut qui non crediderint (per merum liberum arbitrium) pereant: bonitas in eo appareat, ſi neminem repellat à vita (per ſuam ſcilicet conſtitutionem & prædeſtinationem ad gratiam, à meritis humanis independentem) ſed indifferenter univerſos velit ſalvos fieri, & ad agnitionem venire (ſi ſcilicet voluerint per merum liberum arbitrium; unde & ſequitur) jam hîc proferunt teſtimonia, quibus divinarum Scripturarum cohortatio ad obediendum incitat hominum voluntates, qui *ex libero arbitrio*, aut faciant quæ jubentur, aut negligant, & conſequens putant: ut quia prævaricator, ideo dicitur quia noluit: Fidelis quoque non dubitetur *ob hoc* devotus fuiſſe, *quia voluit*: (ſcilicet per merum arbitrium) Et quantum quiſque ad malum (ad quod non requiritur gratia ad illud excitans) tantum habeat facultatis ad bonum *parique momento* animum ſe, vel ad vitia, vel ad virtutes movere quem bona (per ſeipſum) appetentem gratia Dei foveat (non dicunt præveniat, quia hoc formaliter rejiciebant) mala ſectantem, damnatio juſta ſuſcipiat. Et hic fuit verus ſenſus Maſſilienſium contra Auguſtinum argumentantium, & proinde tota illorum cum Auguſtino controverſia fuit de gratia, & de prædeſtinatione ad illam: Non autem de gloria, aut de prædeſtinatione ad illam, ut patet ex ſupradictis. Ex quo refellitur inepta hæc Janſenii conſequentia, qua dicit fieri non potuiſſe ut Auguſtinus illam diſcretionem, & propoſitum Dei, quo diſcernuntur ſalvandi à perituris, ſic aſſeruerit ut præſcientiam abſolutam cooperationis humanæ ſupponat, niſi & ipſe profecto, & Maſſilienſes mente capti fuerint: Tanta enim, inquit, abſurditas in utroque dictis & ſcriptis, ſeſe juxta iſtum ſenſum ex omni parte prodit, ut imperitiſſimi homines de induſtria dilirare voluiſſe videantur. Dico enim iſtas abſurditates, & deliramenta, non eſſe in mente, nec in ſcriptis Auguſtini, nec in Maſſilienſium dictis, aut ſcriptis; ſed tantum in mente Janſenii, qui perperàm interpretatus eſt eorum ſenſa, cum nunquam diſputaverint de illa diſcretione, aut propoſito Dei, quo diſcernuntur ſalvandi à non ſalvandis: ſed tantum de illa diſcretione, & propoſito, quo diſcernuntur crediturі à non credituris, & perſeveraturi à non perſeveraturis, ut ſic: uno verbo quo diſcernuntur gratificandi à non gratificandis; non autem glorificandi, aut ſalvandi, à non glorificandis, ſeu perituris: Unde cum ſumimus aliqua argumenta ex ſcriptis Auguſtini contra Pelagianos, aut Semipelagianos, ad probandum quod prædeſtinatio ad gloriam fuit ex præviſis meritis, non ſumimus ea tanquam ex diſputatione illa, quæ fuit inter eum & prædictos hæreticos, nunquam enim de illa materia formaliter, & ex profeſſo contra illos diſputavit, ut etiam alibi fatetur Janſenius: ſed tantum ut aliqua ex accidenti, & obiter dicta, quibus tamen ſatis innuitur eam fuiſſe mentem.

Auguſtini, quod prædeſtinatio ad gloriam ſolam fuit ex præviſis meritis.

PUNCTUM II.

Duplicem difficultatem paſſi ſunt Semipelagiani circa doctrinam Auguſtini de prædeſtinatione & gratia, unam imaginariam, alteram autem veram.

VT autem clare noſcatur quæ fuerit diſſenſio inter Auguſtinum & prædictos hæreticos, & unde ortæ ſint, horum contra Auguſtinum querimoniæ, ſciendum eſt iſtos hæreticos duplicem paſſos eſſe circa doctrinam Auguſtini de gratia difficultatem; unam imaginariam, ſeu fundatam in eorum ſola imaginatione: alteram verã & realem. Imaginaria, erat in eo quod perperam interpretantes verba Auguſtini de gratia præveniente, & de dono perſev. ſibi fingebant quod Auguſtinus per illa dona efficacia, & à ſolo Deo dependentia, induceret fatum, ſeu fatalem neceſſitatem: cum tantum per ea aſſereret certitudinem, ſeu infallibilitatem præſcientiæ, & prædeſtinationis divinæ in decernendis illis gratiis prævenientibus, & dono perſeverantiæ: Iſta eorum imaginatio & falſa interpretatio clare indicatur in Epiſtola D. Proſperi ad Auguſtinum circa initium, ubi ait: Multi ſervorum Chriſti qui in Maſſilienſi Urbe conſiſtunt, in ſanctitatis tuæ ſcriptis quæ adverſus Pelagianos hæreticos condidiſti, contrarium *putant* Patrum opinioni, & Eccleſiaſtico ſenſui, quicquid in eis de vocatione electorum ſecundum propoſitum diſputaſti. Et cum aliquandiu tarditatem ſuam (id eſt ingenii hebetudinem) culpare maluerint, quam *non intellecta* (ergo non bene intelligebant ſcripta Auguſtini) reprehendere: Quidamque eorum luculentiorem ſuper hoc, atque apertiorem beatitudinis tuæ expoſitionem voluerint poſtulare: Evenit ex diſpoſitione miſericordiæ Dei, ut cum quoſdam intra Affricam ſimilia moviſſent, librum de correpṫ. & gratia, plenum divinæ authoritatis emitteres: quo in notitiam noſtram inſperata opportunitate delato, putavimus omnes querelas reſiſtentium ſopiendas. Ita D. Proſper in Epiſtola clare indicans ante hunc librum, non intellectum ab eis fuiſſe Auguſtinum: ſed nec per iſtum librum iſti errantes ſatis illuminati ſunt: Nam quod in illo libro de correpṫ. & gratia dicit Auguſtinus de infallibilitate doni perſeverantiæ, ipſi interpretabantur de neceſſitate per illud donum humano arbitrio impoſita. Cum enim ibi dixiſſet Auguſtinus, quod qui receperant illud donum, nonniſi perſeverantes erant, quod ſolùm indicat infallibilitatem illius doni, ſeu neceſſitatem conſequentem, & extrinſecam, qua res dum eſt non eſſe non poteſt, ut infra explicabimus: illi ita interpretabantur iſta verba Auguſtini, quaſi dixiſſet, quod nonniſi perſeverantes eſſe poſſent, perſeverantia ſcilicet quadam habituali influente in actus bonos, quemadmodum juſtitia influit in juſtos, caſtitas in caſtos, &c. Quod ſane in-

Ibi manifeſtum eſt, electos ſumi pro prædeſtinatis ad gratiam, & vocatione ſecundum propoſitum. ſumi prop. ædeſtinatione ad gratiam, & non ad gloriam: cũ certum ſit, quod Auguſtinus nunquam de illa prædeſtinatione quæ eſt ad gloriam, diſputaverit; ſed ſolũ de prædeſt. ad gratiam.

dicaret neceſſitatem perſeveraturo impoſitam. Sic autem falſam eorum interpretationem refert Hilarius in Epiſtola ad Auguſtinum circa medium. His verbis Sanctitatis tuæ ita moventur, ut dicant quandam deſperationem hominibus exhiberi:(quod ſupponit neceſſitatem intrinſecam & antecedentem, non autem ſolam extrinſecam & conſequentem, ut per ſe clarum eſt) ſic enim aiunt: Ita Adam adjutus eſt, ut & ſtare *poſſet* in juſtitia, & à juſtitia *declinare*, & nunc ita ſancti juvantur, ut *declinare non poſſint*, ſi quidem eam acceperunt volendi perſeverantiam, (ubi vides eos ſumere perſeverantiam, pro quodam habitu inhærente,& neceſſitante arbitrium, itaut ipſi perſeveraturi declinare non poſſint, aut ut ſequitur) ut aliud velle non *poſſint*, vel ſic quidam deſeruntur, ut aut nec accedant, aut ſi acceſſerint recedant; ad illam voluntatem pertinuiſſe dicunt exhortationis, vel comminationis utilitatem, quæ & perſiſtendi & deſiſtendi, obtinebat liberam *poteſtatem*: (id eſt ad Adamum) Non ad hanc, cui nolle juſtitiam *inevitabili neceſſitate* conjunctum eſt (ibi vides inevitabilem neceſſitatem, id eſt antecedentem; & per conſequens manifeſtum eſt quod putabant donum illud perſeverantiæ quod prædicabat Auguſtinus, imponere neceſſitatem abſolutam humano arbitrio, & tollere libertatem.) Sed ſane iſta omnia longe erant à mente Auguſtini. Locutus enim erat tantum Auguſtinus de neceſſitate extrinſeca & conſequente, qua res dum eſt, non poteſt non eſſe, nec enim ſumebat perſeverantiam pro habitu, ut iſti errantes imaginabantur; ſed pro puncto mortis adveniente in ſtatu gratiæ: ita quod punctum iſtud bonæ mortis eſſet perſeverantia Auguſtini; unde fit ut repugnaret eos qui perſeverantiam acceperant non perſeverare, non ob neceſſitatem quandam intrinſecam & antecedentem influentem in actus bonos uſque in finem, ut ipſi falsò autumabant: ſed ob neceſſitatem quandam extrinſecam & conſequentem, qua repugnat rem dum eſt, non eſſe: aut rem infallibiliter prævisam, non eſſe futuram: Nam cum perſeverantia illa eſſet in momento, aut futura eſſet in momento: ſi homo qui eam acceperat, potuiſſet ſimul eam abjicere, neceſſe fuiſſet quod pro illo momento indiviſibili, duas iſtas denominationes contradictorias recepiſſet, ſcilicet perſeverantia eſt, & perſeverantia non eſt, aut perſeverantia pro tali momento futura eſt, & pro eodem momento futura non eſt: At hoc impoſſibile; ergo & illud, unde ſequitur: ſcilicet, ut qui perſeverantiam accepit, à perſeverantia cadat, ſeu perſeverare deſiſtat; non neceſſitate intrinſeca & antecedente; ſed neceſſitate extrinſeca & conſequente, qua res dum eſt non poteſt non eſſe. Unde ridet iſtos errantes Auguſtinus lib. de dono perſeverantiæ cap. 6. dicens: Sed nolunt ut ſcribitis, iſti fratres, ita hanc perſeverantiam prædicari, ut non vel ſuppliciter emereri, vel contumaciter amitti poſſit; ubi *quid dicant parum diligenter attendunt*. De illa enim perſeverantia loquimur, qua perſeveratur uſque in finem: quæ ſi data eſt, perſeveratum eſt uſque in finem; ſi autem non eſt per-

Janſ. tom. 1. lib 8. c 14. ſub finem, fatetur Maſſilienſes non recte intellexiſſe perſeverantiam Auguſtinianam, putantes illud donum eſſe permanens

ſeveratum uſque in finem, non eſt data. (ubi vides ſolùm neceſſitatem extrinſecam & conſequentem, ſeu naturalem conſequentiam, qua res dum eſt, aut dum data eſt, non poteſt non eſſe: aut cum non eſt, aut cum data non eſt, non poteſt ſimul eſſe. Unde & ſequitur) Non itaque dicant homines, perſeverantiam cuiquam datam in finem, niſi cum ipſe venerit finis (quia ſolùm datur in fine) & perſeveraſſe, cui data eſt, repertus fuerit in finem: (& mox addit differentiam inter habitum & iſtam perſeverantiam de qua loquitur, in qua conſiſtebat mala interpretatio Semipelagianorum) Dicimus quippe caſtum, quem novimus caſtum, ſive ſit, ſive non ſit in eâdem caſtitate manſurus: Et ſi quid aliud divini muneris habeat, quod teneri & amitti poteſt: dicimus eum habere, quandiucunque habet, & ſi amiſerit, dicimus habuiſſe. Perſeverantiam vero uſque in finem, quoniam non habet quiſquam niſi qui perſeveraverit in finem; multi poſſunt eam habere, nullus amittere: (quia nempe ſolùm datur in fine, & poſt finem non eſt amplius tempus amittendi) Neque enim metuendum eſt, inquit, ne forte cum perſeveraverit homo uſque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perſeveret uſque in finem. (quia ſcilicet amplius capax non eſt ullius malæ voluntatis cum mox moriatur.) Sed quia poterat ei objici, ut habetur in primo capite ejuſdem libri; quod ſi fidelis quiſpiam vixiſſet, v. g. quinque annos, & eorum medio tempore à fide lapſus eſſet, nonne quinque annos perſeveraſſet, & poſtea perſeverantiam amiſiſſet: ſic reſpondet Auguſtinus: Non contendo de verbis, ſi & illa perſeverantia putatur eſſe dicenda tanquam temporis ſui, hanc certe de quâ nunc agimus perſeverantiam, qua in Chriſto perſeveratur uſque in *finem*, nullo modo habuiſſe dicendus eſt, qui non perſeveraverit uſque in *finem*. (quia nempe ſecundum Auguſtinum perſeverantia in fine eſt) Potiuſque hanc habuit unius anni fidelis, & quantum infra cogitari poteſt, ſi donec moreretur fideliter vixit (quia illa in mortis puncto eſt) quam multorum annorum, ſi exiguum temporis ante mortem à fidei ſtabilitate defecit: Ex quo facile videre eſt, in quo ponebat Auguſtinus perſeverantiam, & quam perperam & quam perverſe intelligerent ſcripta Auguſt. Maſſilienſes, cum nequidem intelligerẽt, in quo poneret Auguſt. illam ipſam perſeverantiam de qua cum illo diſputabant, & ob quod de eo conquererentur, cum ipſi autumarent Auguſtinum ponere illam in quodam habitu neceſſitante ad bene agendum uſque ad mortem, de quo habitu, ne cogitaverat quidem Auguſtinus, imo nec de actu; ſed tantum de ſtatu hominis, in quo reperiret eum mors, ſeu punctus mortis, qui ſi eſſet in gratia perſeveratum erat, ſi non eſſet in gratia, non eſſet perſeveratum. Cum ergo ſic falsò putarent Auguſt. ponere perſeverantiam in tali habitu neceſſitante arbitrium uſque ad mortem, ita ut homo cum eo, ut ipſi dicunt, *declinare non poſſet: aliud velle non poſſet: nonniſi perſeverans eſſe poſſet: & ſine eo non poſſet.* Non eſt mirum quod dicerent per gratiam Auguſtinianam fatum induci, deſperationem in-

Hinc eſt quod toties inculcat hæc textum Sapientis Auguſtinus: Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus. Quia ſine

actu, aut habitu, ſi Deus immitteret mortem ei qui eſt in gratia, cenſebat Auguſtinus ei dare perſeverantiam.

duci, liberum arbitrium deſtrui, præceptum, correptionem, exhortationem, orationem extingui: removeri omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi ejuſmodi conſtitutio, ſeu gratia, humanas præveniat voluntates, & ſub hoc prædeſtinationis nomine fatalem neceſſitatem induci, (in quo conſiſtebat illa eorum μοιρολαχεία, ſeu terriculum ſortis, de quo loquitur Janſenius) quod ſane verum eſſet, ſi Auguſtinus id aſſerüiſſet, ut putabant iſti hæretici, cum poſitâ gratiâ neceſſitante, iſta omnia vere ſequantur. Sed nequaquam id aſſerüerat Auguſtinus, ut ſupra ſatis declaratum eſt, cum tantum aſſerüiſſet neceſſitatem conſequentem, & ſolam infallibilitatem divinæ præſcientiæ, & prædeſtinationis: Unde hoc tantum fundatum erat in eorum imaginatione & falſa verborum Auguſtinianorum interpretatione. Atque hæc erat eorum difficultas imaginaria, ſeu imaginata ſuper doctrina Auguſtini de prædeſtinatione & gratia.

Altera vero difficultas, quam veram & realem patiebantur, erat ea, quam ex ſe, & præ ſe fert ipſa doctrina de prædeſtinatione & gratia: Nam, ut ipſemet Auguſtinus aït lib. de gratia Chriſti cap. 47. Iſta quæſtio, ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratia diſputatur (in quo uno conſiſtit myſterium prædeſtinationis Auguſtinianæ) ita eſt ad diſcernendum difficilis: ut quando deffenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. Imo vero ipſe Auguſtinus priuſquam hanc quæſtionem ex profeſſo ventilaſſet, erat in illo ipſo errore, in quo verſabantur Maſſilienſes circa initium fidei, putans initium fidei eſſe ab homine, & non à Deo, & meritis humanis retribui, non vero gratis concedi, ut fatetur ipſe ingenue lib. de prædeſt. Sanct. cap. 3. initio. Unde cum doceret eos myſterium tam altum & abſtruſum, non eſt mirum quod magnam in illius doctrina paterentur difficultatem: præcipue cum illi hæretici valde eſſent addicti humanæ Philoſophiæ, & iis quæ ipſa docet de libertate hominis, & libero ejus arbitrio. Nam Auguſtinus parum curans iſta infirma & egena elementa Philoſophiæ hujus mundi; ſed totus inhærens ſimplicitati Chriſtianæ & veræ Philoſophiæ, ſeu divinæ quæ captivat intellectum in obſequium fidei (unde & toties recurrit ad inſcrutabilia judicia Dei, & ad inveſtigabiles vias ejus) libere tradebat doctrinam gratiæ, prout acceperat eam à Scriptura, & à ſanctis Patribus, Ambroſio, Cypriano & aliis, Iſti autem hæretici ſpiritu ſuperbiæ ducti, & vanæ hominum Philoſophiæ & doctrinæ vento inflati, vix capiebant quod diceret: Eo fere modo, quo homines carnales & animales, difficulter intelligunt, quæ viri ſpirituales & illuminati, ſolent diſputare & tradere de doctrina ſpirituali & myſtica: ita & illi difficulter intelligebant quæ Auguſtinus docebat de prædeſtinatione & gratia ſecundum Scripturas: propterea quod illa erant contra eorum ſenſa Philoſophica, & nimium humana,

PUNCTUM III.

Explicatur fundamentum veræ difficultatis Semipelagianorum circa doctrinam Auguſtini, de prædeſtinatione & gratia: & tandem concluditur tota Solutio.

NOTANDA valde duo ſunt, ex quibus tota videtur eorum vera difficultas exorta, ſuper doctrina Auguſtini de prædeſtinatione & gratia. Primum eſt iſtud humanæ Philoſophiæ principium, ſcilicet, quod ad hoc ut hominis arbitrium ſit liberum, & agat libere, debet habere à ſe, & in ſe, omnia quæ ſunt ad agendum neceſſaria, & in hoc ab alio non pendere. Unde cum viderent gratiam aliquam ab Auguſtino prærequiri, ad initium fidei, & ad perſeverantiam, quæ gratia totaliter eſſet in ſummi Dei poteſtate, & in ejuſdem abſoluto arbitrio, ut eam daret, vel non daret;& talem daret qualem vellet majorem, aut minorem, congruam, aut non congruam. Ideo non putabant poſſe cum ejuſmodi dependentia, & indigentia conſiſtere liberum arbitrium, imo vero ſtatuebant illud per hoc peſſundari, & omnino deſtrui, niſi ſaltem initium fidei, ſeu ſalutis initium eſſet à mero eorum arbitrio, ut cætera ſaltem denominative ab iſto initio libera dici poſſent. Vel quod certius eſt, ut per primam fidem, & perſeverantiam in ea, quas à ſeipſis habere exiſtimabant, cætera Dei dona emereri poſſent: & ſic totam ſalutem ſuam ad ſe quodammodo revocarent. Et certe non erat parva difficultas illa, ſi eam comparemus cum permultis aliis rebus ſimilibus, in quibus communiter omnes fatentur neminem habere libertatem, ſi pendeat ab alio. Nam non putamus carceratum eſſe liberum ad exeũdum è carcere, quia in hoc pendet à voluntate janitoris, & non à ſua, quantumlibet janitor bonus & miſericors ſit; item non putamus paralyticum eſſe liberum ad tranſeundum de loco in locum, quia ad id indiget ope alterius; neque etiam putamus colonum eſſe liberum ad habendam magnam meſſem, quia nempe hoc pendet à Deo eam dante, aut negante pro libito, & pro mero ſuo arbitrio? Quid ergo mirum ſi homines humana omnia ſapientes, non putarent hominem poſſe eſſe liberum ad credendum & ad perſeverandum, ſi ad id ope alterius indigeret, ſive Dei, ſive hominis? Nam quod id nunc tam facile capimus, & fatemur: gratiæ divinæ eſt, & non facilitatis intrinſecæ: aut certe id evenit ob conſuetudinem illud credendi, eo fere modo quo nunc facile credimus Incarnationem & Paſſionem Verbi divini, non certe quod id non ſit per ſe difficillimum ad credendum; ſed quia gratia ad id nos adjuvat, aut ſaltem ipſa credendi conſuetudo, ut fit in hæreticis. At cum tunc temporis nova res eſſet, incidiſſetque illa quæſtio in homines tumidos, & vana humanaque potius ſcientia inſtructos, quã divina & Chriſtiana. Ideo illud difficulter credebant, illudque docenti Auguſtino per clara Scripturæ teſtimonia non conſentiebant: Quia nempe, ut ait Hilarius in Epiſtola

ad Auguſtinum, nolebant ſe ad incertum voluntatis Dei deduci, ubi eis quantum putabant, ad obtinendum, vel amittendum (donum perſeverantiæ) evidens erat qualecunque voluntatis initium.

Secundum eſt quod Auguſtinus loquendo de gratia contra Pelagianos & Semipelagianos, loquebatur ut plurimum de ea, prout eſt efficax, ut etiam notat Janſenius libro 2. de gr. Salv. cap. 27. §. Reſpondeo nihil verius. Quanquam ibidem perperàm dicat, Auguſtinum aliam gratiam non agnoviſſe præter efficacem, quod eſt falſiſſimum: Sed quicquid ſit certum eſt, certum eſt Auguſtinum ut plurimum locutum eſſe de gratia, prout eſt efficax, quomodo eſt difficillima intellectu; non autem prout eſt ſufficiens, quomodo non eſt ita difficilis & ardua.

Ratio autem cur Auguſtinus loquens cum iſtis hæreticis, & diſputans cum illis loquebatur ut plurimum de gratia illa efficaci, & non de ſufficiente, ea eſt, quia loquebatur de actu prædeſtinato: At actus prædeſtinatus non eſt mere poſſibilis, ſed eſt abſolute futurus, quia prædeſtinatio eſt efficax, & infert actum ſuum. Unde toties Auguſtinus loquens de prædeſtinatione Dei, aït: Præſcivit, quid fuerat ipſe facturus? quid donaturus? quid largiturus? hæc eſt prædeſtinatio Sanctorum: At ad actum futurum eſt ſola gratia efficax, & non mere ſufficiens: Unde ſequitur, quod loquebatur Auguſtinus ut plurimum de gratia efficaci, & non de ſufficiente. At vero illa gratia efficax eſt explicatu & intellectu difficillima, quia difficulter diſcernitur ejus infallibilitas, à neceſſitate abſoluta & inevitabili: quia ſicut poſito auxilio neceſſitante, ponitur actus, & non poteſt non poni; ita poſita gratia infallibili ponitur actus, & non poteſt non poni, neceſſitate, ſcilicet conſequente & illativa. Unde videmus Auguſtinum libro de dono perſeverantiæ tantopere laborantem in explicanda & explananda illa infallibilitate gratiæ, & prædeſtinationis, per comparationem præſcientiæ, adeo ut tædio affectus *Eodem lib. c. 17.* de tanta importunitate, ipſe aliquando coactus ſit aliquos adverſariorum ſuorum vocare tardiuſculos, quia infallibilitatem illam poſt tot explicationes ſuas non caperent, eamque ſemper cum neceſſitate abſoluta & antecedente confunderent; & nunquid videmus etiamnum adhuc plurimos hæreticos Lutheranos, Calviniſtas, & alios firmiter tenere, & audacter affirmare quod Auguſtinus aſſeruerit gratiam Chriſti eſſe neceſſitantem, & tollere liberum arbitrium ſicut Pelagiani & Semipelagiani etiam autumabant. Non ergo adeo mirum eſt, quod Pelagiani & Semipelagiani in iſta nova difficultate, ſicut iſti hæretici Lutherani, nempe & Calviniſtæ, cæcutirent ſenſumque Auguſtini non plene perciperent.

Quapropter non eſt quod tantopere ſtomachetur Janſenius contra Auguſtinum & Maſſilienſes, quod in tanta difficultate non à Deo clare ſeſe explicuerint, quaſi quia non ad captum ſuum locuti ſunt, ideo illos mente captos fuiſſe, aut de induſtria delirare voluiſſe cenſeantur: In hoc enim non taxanda, ſed excuſanda eſt humana imbecillitas, quæ in difficultatibus

difficultatibus de novo emergentibus magnam in primis patitur obſcuritatem, donec accedentibus doctorum hominum lucubrationibus paulatim illæ difficultates clareſcant, evadantque liquidiores. Quod ſi non eſt taxanda humana imbecillitas in iſtis difficultatibus primò exorientibus, multo minus traducenda eſt in ſua prava dogmata, quaſi quia homines non ad ſenſa noſtra diſputarunt, ideo verba eorum debeant ad noſtras pravas opiniones, de quibus ne cogitarunt quidem; ſed quia nobis arrident infideliter, & audacter detorqueri.

Ex his ergo concludendum eſt nihil ex Maſſilienſium querelis, aut difficultatibus haberi, contra prædeſtinationem ad gloriam poſt prævisa merita: cum eorum difficultates & querimoniæ non eſſent de prædeſtinatione ad gloriam, ut falsò putatat Janſenius; ſed tantum de prædeſtinatione ad gratiam, ſcilicet primæ fidei & perſeverantiæ finalis, de qua ſola ipſi diſputabant & altercabantur cum Auguſtino. Quantum autem ad illos textus quos in fine capitis adducit ex Proſpero, & Fulgentio in confirmationem ſui erroris Janſenius.

Reſpondeo quod etiam admiſſo quod illi textus dicunt, id quod dicit Janſenius; non tamen dicunt quod intendit: Nam dicere quod duplici nomine ſalvatur homo: ratione ſcilicet propoſiti Dei, & proprii meriti, hoc non dicit quod propoſitum Dei ſit cauſa noſtri meriti, quod intendit Janſenius: ſed tantum dicit ſalutem noſtram eſſe à Deo, & ab homine, quod tam bene convenit opinioni noſtræ quam ſuæ: Imo vero melius noſtræ quam ſuæ: cum Deus in noſtra ſententia vere ſit cauſa ſalutis noſtræ, in quantum ex ſua ſumme bona voluntate, decrevit illos ſalvare quos videret habere merita, ad quæ etiam ſtatuit eos juvare per gratias ſuas excitantes & adjuvantes ad bonum, & etiam ſumus cauſa minus principalis noſtræ iſtius ſalutis, in quantum ponimus illa merita, quibus illam comparamus, & ob quæ nobis Deus dat illam. Et ſic patet quod in noſtra ſententia ſalus noſtra & à Deo, & à nobis eſt: prout innuunt ſecundum Janſenium prædicta D. Proſperi & Fulgentii teſtimonia: At vero in opinione oppoſita, vix probabis hominem habere aliquas partes in ſalute ſua procuranda, cum Deus decernat illam primario, & per ſe, & ſine ulla præviſione futuri, & etiam illa ipſa merita, quibus actu acquiritur, procuret Deus homini quaſi mere paſſive ſe habenti & operationem Dei in ſe ſuſtinenti, quam impedire non poteſt ſaltem in opinione eorum qui tenent gratiam efficacem per ſe qualis eſt Janſenius. Unde eſt illa impiorum hominum funeſta vox, dicentium quod homo non debet curare ſalutem ſuam; ſed totum Deo committere, & ſolùm frui bonis, quandoquidem ſi prædeſtinatus eſt ad illam, Deus procurabit illi merita: ſi non eſt prædeſtinatus ad illam, nihil proficiet ei ſollicitudo ſua, quia impoſſibile eſt ſalvari contra ordinationem divinam: Et ſic tantum abeſt ut prædicti textus ſint contra nos, etiam ſumpti ſecundum ſenſum Janſenii, quin potius pro nobis ſunt contra opinionem Janſenii: Illos autem huc non adferimus, quia quantum ad primum,

qui eſt Proſperi, nihil alind dicit quam quod dicit Janſenius, & ſic ſatis illi reſponſum eſt. Quantum vero ad ſecundum qui eſt Fulgentii, quia præterea habet peculiarem aliquam difficultatem, ideo ſolvemus eum inter illa teſtimonia quæ infra referemus ex illo, quaſi oppoſita noſtræ opinioni.

PUNCTUM IV.

Ex dictis ad præcedentes objectiones infertur difficillimum eſſe, ſecus quam plerique putant, oſtendere ex Auguſtino, prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante præviſa merita.

HIs itaque ſolutis argumētis ex Auguſt. ſatis ut opinor, manifeſtum eſt: non tam facile eſſe, ut plerique putant probare ex Auguſt. prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante præviſa merita: tum quia nullum textū expreſſum, manifeſtum & formale proferunt adverſarii, in quo Auguſtinus dicat in terminis Deum elegiſſe, aut prædeſtinaſſe homines ad gloriam ſolam ante præviſa opera, vel quod illa electio & prædeſtinatio ſit cauſa meritorum, vel ſit ratio à priori, cur det fidem juſtitiam, & perſeverantiam: ſed totum quod afferunt, eſt mira confuſio prædeſtinationum inter ſe, & cauſarum cum effectibus: Non diſtinguunt enim prædeſtinationem ad gratiam à prædeſtinatione ad gloriam; non diſtinguunt prædeſtinationem ad gratiam ſimul & ad gloriam, à prædeſtinatione ad ſolam gloriam: Et quod Auguſtinus tribuit prædeſtinationi illi, ut reſpicit gratiam, illi tribuunt eidem iſti prædeſtinationi, ut reſpicit gloriam, quod valde diverſum eſt, & valde corruptivum veri ſenſus Auguſt. Nec diſtinguunt etiam cauſas ab effectibus, an v. g. Auguſtinus inferat à priori, perſeverantiam ex prædeſtinatione ad gloriam, an vero à poſteriori, propter connexionem individuam quæ eſt inter utramque: ſed mere gratis & voluntarie ſtatuunt ibi argui à priori, ut ſic habeant quod prædeſtinatio ad gloriam eſt cauſa perſeverantiæ. Ubi autem Auguſtinus infert prædeſtinationem ex futura perſeverantia, ut notavimus ad Object. 13. Puncto V. & alibi, quo caſu contrarium inferendum eſſet: tunc ibi ſummum ſervatur ſilentium. Quia hoc eſt contra præcedentes eorum argutias, & oſtendit perſeverantiam præviſam potius eſſe cauſam prædeſtinationis, in hoc genere argumentandi, quam è contra.

Supra vidimus quod Ianſenius vult omnem prædeſtinationem eſſe ad gloriam.

Tum etiam quia multa requiruntur ut legitime probetur ex Auguſtino prædeſtinationem illam eſſe ante præviſa merita: Nam primò requiritur ut prædeſtinationem illam de qua loquitur Auguſtinus, clare & nitide dicat eſſe ad gloriam, & non ad gratiam: Et ratio eſt quia cum directe & ex profeſſo ageret cum adverſariis ſuis de prædeſtinatione ad-

Difficillimū eſt probare ex Auguſtino

gratiam ; niſi clare contrarium appareat , ſemper præſumendus eſt loqui de prædeſtinatione illa , & non de alia cum quilibet vir prudens præſumi debeat loqui de ſuo propoſito , & non de alieno. Secundò requiritur , ut loquatur de prædeſtinatione ad gloriam ſolam , ſeu nude & ſolitarie ſumptam , & non de prædeſtinatione ad gratiam ſimul & ad gloriam ; & ratio eſt quia hos effectus potuit tribuere prædeſtinationi iſti , ut reſpicit gratiam , & non ut reſpicit gloriam : & tunc illa prædeſtinatio potius eſſet prædeſtinatio ad gratiam , quam prædeſtinatio ad gloriam : Unde non bene hinc concludetur prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam horum effectuum , cum prædeſtinatio illa tunc habeat potius rationem prædeſtinationis ad gratiam , quam prædeſtinationis ad gloriam : At vero longe probabilius eſt ita locutum eſſe Auguſtinum, quam aliter, cum principale ejus intentum eſſet loqui de prædeſtinatione ad gratiam , & non de prædeſtinatione ad gloriam , de qua inconfeſſo eſt , quod de ea nunquam ex profeſſo locutus ſit cum adverſariis ſuis.

prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante præviſa merita. Quia tot ad hoc conditiones requiruntur, ut nunquam eas reperias.

Tertiò requiritur , ut ſi loquatur de illa prædeſtinatione ut gratuita, non dicat nude & ſimpliciter illam eſſe gratuitam ; ſed dicat illam eſſe mere gratuitam , quia nempe poſſet dicere illam eſſe gratuitam ob merita gratiæ , & ſic non rejicere merita gratiæ , quæ ſola hic aſtruimus, quemadmodum dicit collationem ipſam gloriæ eſſe gratuitam & gratiam (licet ſit ob merita) quia nempe iis meritis redditur , quæ gratia contulit homini.

Quartò denique requiritur , ut ſi dicat illam eſſe ſine meritis , non id dicat nude & ſimpliciter ; ſed dicat illam eſſe ſine ullis prorſus meritis , quia cum communiter ageret contra merita naturæ , quæ aſtruebant illius adverſarii , & non contra merita gratiæ. Ideo per hunc modum loquendi rationabiliter præſumeretur ſolùm rejicere merita naturæ , & non gratiæ , ob quæ ſola dicimus prædeſtinationem illam factam eſſe. Has conditiones ſi quis mihi oſtenderit in aliquo loco Auguſtini , tunc ſincere & ingenue fatebor , & dicam eum tenuiſſe prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante præviſa merita , & non poſt præviſa merita. Sed ſane non vereor ut quiſquam id unquam mihi oſtendat,& omnino impoſſibile eſt , cum tam clare & perſpicue docuerit contrarium, ſeu prædeſtinationem illam eſſe ex præviſis operibus & meritis, ut videre eſt in illis argumentis & teſtimoniis quæ ſupra adduximus ex illo : præcipue autem in argumento 14 ubi ita expreſſe illam prædeſtinationem diſtinxit & diſcrevit à prædeſtinatione ad gratiam , ut hanc dicat non eſſe ex operibus ſecus vero illam : & relegendo , examinandoque illum librum , in quo tam clare & dilucide illam veritatem aſſeruit , eam tamen non retractavit , imo vèro dixit Deum ſibi revelaſſe , quicquid ibi de gratia , & de prædeſtinatione diſſeruit.

Nec vereor etiam ne quiſquam mihi oſtendat clarum locum Auguſtini , ubi dixerit prædeſtinationem ad gloriam ſolam eſſe cauſam fidei,

juſtitiæ, & perſeverantiæ in bono uſque in finem, ut toties nobis obtrudit Janſenius, cum tam clare docuerit, & tam expreſſe proteſtatus ſit, ſe neſcire, ſe ignorare cauſam horum effectuum: Imo neminem hominum ſcire, cur hic credat, ille non credat; hic baptizetur, ille non baptizetur; hic perſeveret, ille non perſeveret: Quod ſane omnino incompoſſibile eſt cum illa ſententia quæ tenet prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam iſtorum: Impoſſibile enim eſt, ut quis credat prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam horum effectuum, & ſimul ſincere dicat & veraciter ſe neſcire cauſam illorum: quid enim magis eſt contradictorium?

PARAGRAPHVS DECIMVSQVINTVS.

Decimaſeptima proponitur & ſolvitur Objectio, multas in ſe complectens breves Objectiones quæ breviter ſolvuntur.

DECIMUMSEPTIMUM argumentum ſumitur ex quadam Epitome, ſeu Anatome doctrinæ D. Auguſtini: ubi tomo 2. difficult. 2. in librum de prædeſt. Sanctorum multa breviter objiciuntur ex Auguſtino contra prædeſtinationem ad gloriam poſt prævisa merita: Unde cum hæc brevia ſint, coëgimus ea omnia ſub unico argumento: ut autem ibi multa objicit Author breviſſime, ita & breviſſime ei reſpondebimus, maxime cum multæ illarum objectionum jam ſolutæ ſint in Reſponſionibus præcedentibus, vel ex eis facile ſolvi poſſint.

PUNCTUM PRIMUM.

Reſpondetur argumentis ex libro de prædeſtinatione Sanctorum ſumptis, in prædicta Epitome.

DICIT ergo primò quod ipſe titulus & nomen prædeſtinationis, non tantum ſignificat prioritatem æternam ad executionem temporalem; ſed prioritatem objectivam ordinis, inter intentionem finis, & electionem mediorum: inter gloriam ut finem & merita tanquam media ad illum.

Reſpondeo, hoc eſſe contra omnes Theologos, qui ſumunt prædeſtinationem priori modo, & non ſecundò: Etſi ſecundo modo ſumenda eſſet prædeſtinatio, non amplius eſſet diſputandum; an eſſet ante, vel poſt merita, cum nimis clarum ſit, quod eſſet ante prævisa merita.

Dicit ſecundò, quod D. Auguſtinus ex profeſſo contendit pro gratuita vocatione ad gratiam primam, ergo & pro gratuita prædeſtinatione ad

gloriam. Quia hæc eſt maxima gratia, & conſequenter debet eſſe maxime gratuita: unde, & vita æterna dicitur gratia Rom.6. Non tantum in executione per gratiam; ſed vel maxime in intentione illa gratuita.

Reſpondeo negando conſequentiam: ad probationem dico, prædeſtinationem illam eſſe eo modo gratuitam, quo explicatur ab Auguſtino lib. de correpț. & gratia cap.13. ſub finem: Et libro de gratia & libero arbitrio cap. 8. quia nempe iis meritis redditur quæ gratia contulit homini. Ad id autem quod addit, ſcilicet quod maxime debet eſſe in intentione gratuita. Reſpondeo quod ut id gratis objicitur, ita & gratis negatur; quanquam, & contrarium oſtendimus ex Auguſtino argum. 15. ex eodem Auguſtino.

Dicit tertiò, quod 1. Corinth. 4. excludit à nobis omnem occaſionem gloriandi, ergo non tantum per vocationem pure gratuitam; ſed etiam per electionem, ſeu prædeſtinationem pure gratuitam.

Reſpondeo negando antecedens, excludit enim ſolùm gloriationem, quæ fit in meritis meri arbitrii, non vero quamcunque aliam, ut videre eſt in Epiſt. 106. circa initium, ubi ait: Non ut homo non glorietur. Ergo vult hominem in aliquo gloriari: Et Pſalm. 104. circa initium, ubi ait: Laudamini (id eſt gloriamini) quod utique bene operantes, merito bene poſſunt: Et Pſal. 149. circa med. Eſt quidam modus gloriandi in conſcientia. In quibus locis manifeſte declarat, poſſe homines gloriari in aliquo, ſcilicet in meritis gratiæ, non in meritis meri arbitrii humani. Et aliquando id fuſius Deo dante demonſtrabimus in aliquo Tractatu de gratia indifferenti.

Dicit quartò quod frequenter diſtinguit Auguſtinus gratiam efficacem prædeſtinatorum, à communi aliorum: Ergo vult hanc eis conferri ex vi prædeſtinationis ad gloriam.

Reſpondeo negando conſequentiam: primò quia diſtinctio illa non eſt prædeſtinatorum ad gloriam; ſed prædeſtinatorum ad gratiam: Cùm de hac prædeſtinatione directe loquatur, & non de alia, ut alibi notatum eſt. Secundò, quia etſi ſupponeretur ibi ſermonem eſſe de prædeſtinatis ad gloriam, tamen non apparet quod ſit de prædeſtinatis ad gloriam ſolam, de quâ ſolâ prædeſtinatione hîc agimus, & ex quâ ſolâ poteſt deduci conſequentia: Nam ſi in illa prædeſtinatione includis gratiam cum gloria, tunc iſta gratia efficax attribuetur iſti prædeſtinationi, quatenus eſt ad gratiam, & non quatenus eſt ad gloriam: aut certe ratio afferenda eſſet cur illi ut tali, ſcilicet ut eſt ad gratiam, tribui non debeat, & cùr potius ei tribui debeat, ut eſt ad gloriam: quod ibi non dicitur. Tertiò, quia etſi eſſet de prædeſtinatis ad gloriam ſolam, tamen non inferret prædeſtin. ad gloriam eſſe ante præviſa merita, quandoquidem in noſtram opinione diſtinguimus gratiam efficacem perſeverantiæ datam prædeſtinatis, à gratia inefficaci data reprobis, non quidem ex vi prædeſtinationis ad gloriam; ſed vel ex libera Dei miſericordia ſimpliciter, vel ob præcedentes hominis orationes, quibus vult Auguſtinus

ſupplicitec hominem emereri poſſe perſeverantiam, & ob illas illam ei prædeſtinari, ut habetur libro de dono perſev. cap. 6. & 15.

Dicit quintò, quod cap. 10. hujus lib. de prædeſtin. Sanct. profitetur Auguſtinus quoſdam eſſe præ aliis dignos vocatione ad fidem, ipsâ gratiâ, vel prædeſtinatione divinâ, prout etiam ſupra, & ſecundò retractat. 31. Quod cùm non poſſit eſſe ob dignitatem intrinſecam, debet eſſe ob extrinſecam, ſcilicet ob prædeſtinationem eorum ad gloriam.

Reſpondeo, illos neque fuiſſe dignos dignitate intrinſeca, quæ præcederet ipſam prædeſtinationem ad gratiam vocationis ad fidem, neque extrinſeca per prædeſtinationem ad gloriam; ſed eſſe tales per ipſam prædeſtinationem ad gratiam ex bona voluntate Dei illos ſic gratificantis, prout explicat ipſemet Auguſtinus lib. de geſtis Pelagii cap. 17. ubi cùm Pelagius dixiſſet, Apoſtolum fuiſſe dignum qui acciperet gratiam, corrigens pravum illius ſenſum, quo volebat meritum præcedere gratiam, & prædeſtinationem ejus: ſic ait: Si pro eo quod poſitum eſt dignus, poſitum eſſet prædeſtinatus: (ubi vides dignum eſſe, & prædeſtinatum eſſe; idem ibi eſſe apud Auguſtinum, non vero unum ſupponere aliud) vel aliquid ejuſmodi; nihil certe ſcrupuli tangeret, atque angeret animum: & tamen, ſi dicatur, eum qui per electionem gratiæ juſtificatur, *nullis* quidem præcedentibus meritis bonis, (ubi vides omnia rejici merita bona præcedentia, & per conſequens tam intrinſeca, quam illa extrinſeca per prædeſtinationem ad gloriam; ſi tamen vera merita ſunt illa extrinſeca, & non potius figmenta, & inania fabulamenta hucuſque inaudita in Theologia) ſed deſtinatione dignum vocari (ubi vides quomodo quis dignus dicatur vocatione ab Auguſtino, ſcilicet per deſtinationem ad illam, & non aliter) ſicut electus vocatur: utrum, vel certe, vel minima offenſione intelligentiæ dici poſſit, difficile judicatur. Ubi vides Auguſtinum eos vocare dignos vocatione, quos vocando facit dignos: nec aliud quidquam vult ſignificare Auguſtinus in locis in Objectione citatis, quandoquidem in illis, ſicut in mox elucidato loco de geſtis Pelagii, corrigit pravum ſenſum Pelagianorum & Semipelagianorum, de præcedentia meriti humani ante gratiam, per bonum ſenſum ſupra allatam in explicatione loci ſupra allati, libri de geſtis Pelagii, ut videre licet in illis locis.

Dicit ſextò, quod eodem cap. 10. ita definit, & diſtinguit proprie gratiam, & prædeſtinationem; ut prædeſtinatio ſit gratiæ præparatio, gratia vero jam ipſa donatio. Porro gratiam ibi non diſtinguit à gloria; ſed ipſam gloriam comprehendit ſub gratia, ex Rom. 6. [Gratia Dei vita æterna.] unde prædeſtinatio, tam eſt præparatio finis, ſeu gloriæ per media gratiæ, quam mediorum ad hunc finem.

In ultima Object. ex Scripturis. Reſpondeo, falſum eſſe quod in illa definitione comprehendatur gloria, cùm illa definitio ſit ſolius prædeſtinationis ad gratiam, ut ſupra late probatum eſt, & ſatis patet ex illius prædeſtinationis, de qua loquitur, executione, quæ eſt donatio gratiæ prædeſtinatæ; non vero

decretum illud executionis, quod volunt præcedere ipſam executionem prædeſtinationis ad gloriam per prædeſtinationem ad gratiam; de quo non meminit Auguſtinus, ut ſane debuerat, ſi locutus ibi fuiſſet de tali prædeſtinatione ad gloriam quam comminiſcuntur adverſarii, cum illud decretum executionis ſit executioni hujuſmodi prædeſtinationis ad gloriam intrinſecum; unde tam abſurda eſt iſtius interpretatio, ut non potuerit eam conſarcinare, ſine alia inſigni abſurditate: dicendo quod illa prædeſtinatio eſt præparatio gloriæ, per media gratiæ: Certe auditum & uſitatum eſt quod executio fiat per media; quod autem præparatio, ſeu prædeſtinatio finis, fiat per eadem media, inauditum. Simili modo conatur detorquere hanc aliam prædeſtinationis definitionem, quam habet Auguſtinus lib. ſequenti, ut ait, de dono perſeverantiæ, dicendo: Quod eſt præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur quicunque liberantur.

Mirum eſt quod truncaverit iſtum locum, & noluerit dicere ut eſt in textu, quod illa prædeſtinatio eſt *præſcientia* & præparatio. Quia nempe id erat illius opinioni vehementer contrarium, cùm ibi præponatur præſcientia prædeſtinationi, quæ præſcientia non poteſt eſſe, niſi meritorum, ſi prædeſtinatio illa ſit ad gloriam, ut prætendit: Sed nequaquam iſta prædeſtinatio eſt ad gloriam; ſed ad ſolam gratiam, ut ſupra demonſtratum eſt: Sed quicquid ſit, certum eſt quod neque hæc, neque *Ibidem.* illa definitio eſt prædeſtinationis ad gloriam ſolam; ſed ad gratiam ſimul & ad gloriam (ſi aliquo modo pertineat ad gloriam) Unde nihil efficis contra nos, qui de iſta prædeſtinatione non loquimur.

Dicit ſeptimò quod hoc ipſo cap. 10. fundat Auguſtinus præſcientiam operum Dei in eorum prædeſtinatione: non autem prædeſtinationem in præſcientia. Prædeſtinatione, inquit, Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus.

Reſpondeo iſta omnia ſatis ſupra confutata eſſe, reſpondendo Eſtio, & Janſenio ſimilia objicientibus argumenta, præcipue argumento 3. & 4. ex Auguſt. ubi totum illud præſcientiæ, & prædeſtinationis Auguſtinianæ myſterium late expoſuimus: ut huic objectioni omnino cõtrarium.

Dicit octavò quod cap. 11. miratur Auguſtinus homines malle ſalutem ſuam potius, aut ſaltem partim fidere propriæ voluntati, quam totaliter voluntati Dei, quantumvis nobis incertæ: Cum, inquit, utraque incerta ſit: cur non homo firmiori, quam infirmiori fidem ſuam, ſpem, charitatemque committit. In quem etiam ſenſum lib. ſequenti cap. 6. tutiores ergo vivimus, ſi totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus. Et cap. 22. An timendum eſt, ne tunc de ſe homo deſperet, quando ſpes ejus ponenda demonſtratur in Deo: non autem deſperaret, ſi eam in ſeipſo ſuperbiſſimus & infœliciſſimus poneret.

Reſpondeo, iſta non dici reſpectu prædeſtinationis ad gloriam; ſed ſolius reſpectu prædeſtinationis ad gratiam, ſeu ad actiones & gratia

profectas, quarum aliquas, ut initium fidei, & uſque in finem perſeverantiam Semipelagiani, de quibus ibi loquebatur, ſibi ſuperbiſſimi & infœliciſſimi arrogabant; reliquas Deo permittebant: ut patet ex libro de dono perſeverantiæ cap. 17. ubi aït Auguſtinus: Ii (ſcilicet Semipelagiani) *ſolum initium fidei, & uſque in finem perſeverantiam*, (ecce quod ſibi arrogabant) ſic in *noſtra* conſtituunt poteſtate, ut Dei dona eſſe non putent, neque ad hæc habenda, atque retinenda, Deum operari noſtras cogitationes & voluntates: *Cætera* autem ipſum dare concedũt. Ubi vides eos ſibi arrogaſſe initium fidei, & uſque in finem perſeverantiam, cæteras vero actiones Deo tribuiſſe: quod non pertinet ad prædeſtinationem gloriæ; ſed ad prædeſtinationem ſolius gratiæ, per quam fiunt hujuſmodi actiones prædeſtinatæ, & non fiunt cæteræ: unde eſt quod hortatur iſtos hæreticos, ut Deo firmiori, & non infirmioribus ſibi, fidem (ſcilicet incipientem) ſpem & charitatem committant, & omne quod bene agunt, Deo tribuant. Non autem ex parte ſibi, ut initium fidei, & uſque in finem perſeverantiam, & ex parte Deo, ut cæteras bonas prædictis exceptis, actiones, quod eſt contra prædeſtinationem gratiæ, quæ debet habere locum in omnibus quæ bene fiunt actionibus; in quo ſenſu deciſum ab Eccleſia eſt, contra ſupradictos hæreticos quod gratia debet dari ad ſingulos actus, & non ſecundum merita noſtra dari. Quantum autem ad id quod adducit ex lib. 5. de Civitate Dei cap. 9. ubi aït Auguſtinus: quod noſtræ voluntates tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, atque præſcivit; Et ideo quicquid valent, certiſſime valent, &c.

Reſpondeo primò hunc locum non eſſe de prædeſtinatione, ſed de communi providentia, cum ſit de omnibus voluntatis actionibus, tam indifferentibus & naturalibus, quam bonis & ſupernaturalibus: ut patet ex ipſis terminis: Et ideo *quicquid* valent, certiſſime valent. Nunquid hoc univerſale eſt? Ergo non pertinet ad prædeſtinationem, quæ reſpicit tantum ſingulariter bonas & ſupernaturales actiones; ſed ad communem providentiam, quæ reſpicit omnes. Secundò, loquebatur ibi Auguſtinus contra Ciceronem, qui negabat Deo præſcientiam, ut ſervaret homini libertatem. Nunquid curæ fuit Ciceroni de prædeſtinatione ad gloriam, vel ad gratiam Totum ergo quod ibi dicit Auguſtinus, refertur directe in præſcientiam divinam, & non in prædeſtinationem, ut patet ex antecedentibus: Quod negat, inquit, ordinem omnium cauſarum eſſe certiſſimum, & *Dei præſcientia* notiſſimum; plus eum (ſcilicet Tullium) quam Stoïci deteſtamur. Aut enim Deum eſſe negat, quod quidem inductâ alterius perſonâ, in libris de Deorum naturâ, facere molitus eſt, aut ſi eſſe confitetur Deum quem negat *præſcium futurorum*, etiam ſic dicit nihil aliud, quam quod ille: Dixit inſipiens in corde ſuo; Non eſt Deus: Qui enim non eſt *præſcius* omnium *futurorum*, non eſt utique Deus: (ubi vides formaliter agi de præſcientia, & non de prædeſtinatione) Quapropter (nota valde hanc ſequelam præcedentium, quæ

totaliter

totaliter ſunt de præſcientia, & non de prædeſtinatione) & voluntates noſtræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, *atque præſcivit.* (ubi vides voluntatem hîc non ſpectari ſine præſcientia, à qua ſola, ut principali mox deducit totam infallibilitatem noſtrarum actionum) Et *ideo* quicquid valent, *certiſſime valent: & quod factura ſunt ipſæ, omnino factura ſunt, quia valituras, atque facturas ille præſcivit, cujus præſcientia falli non poteſt.* Ubi nihil prorſus vides de prædeſtinatione ad gloriam, vel ad gratiam; ſed totum de præſcientia, ut ſic: Sed nec quidem iſta ſunt compoſſibilia cum prædeſtinatione ad gratiam, cum loquatur ibi Auguſtinus de tali ordine, qui tam comprehendit malas, quam bonas voluntates, ut patet ex hoc quod dicit paulo ſuperius in eodem capite: Quod Deus creatorum ſpirituum, voluntates bonas adjuvat, *malas* judicat, *omnes ordinat.* Unde nequidem hic locus eſt ad propoſitum: Et ſi aliquo modo ſit ad propoſitum, potius eſt pro nobis, quam pro adverſario: cùm loquatur ibi Auguſtinus de præſcientia, ut conferente certitudinem noſtris actionibus, & non de prædeſtinatione, ut influente in illas, ex vi voluntatis gloriæ.

Sed nec ille qui ſequitur ex libro de Catechiſandis rudibus cap. 4. eſt magis ad propoſitum: ubi aït Auguſtinus: Res quidem agendas pro captu noſtro ordinare debemus, &c. Si autem aliqua inciderit neceſſitas, qua noſter ille ordo turbetur, flectamur facile, ne frangamur: ut quem Deus noſtro præpoſuit ordini, ipſe ſit noſter. Hæc enim non ſunt de actionibus noſtris internis, quæ maxime ſpectant ad prædeſtinationem, ſed de ſolis externis, quarum ordo à catechiſtâ propoſitus, aliquando ſingulari Dei providentiâ ob majus aliorum bonum interturbatur, ob quod non vult Auguſtinus Catechiſtam perturbari. Si (inquit ô Catechiſta) confregit animum tuum alterius actionis, cui tanquam magis neceſſariæ jam ſuſpenſus eras, omiſſio: Et propterea triſtis inſuaviter catechiſas, cogitare debes.... Incertum eſſe quid utilius agamus, (ſcilicet pro aliis) & quid opportunius, aut intermittamus, aut omnino omittamus. Quia enim merita hominum, pro quibus agimus, qualia ſint apud Dominum non novimus, quid eis ad tempus expediat, aut nulla, aut tenuiſſima & incertiſſima conjectura ſuſpicamur potius quam comprehendimus: Quapropter res quidem agendas pro noſtro captu ordinare debemus: quas eo modo quo ſtatuimus, ſi peragere potuerimus (ubi luce clarius eſt agi de actionibus mere externis) non ideo gaudeamus, quia nobis; ſed quia Deo ſic eas agi placuit: Si autem aliqua inciderit neceſſitas, qua noſter ille ordo (puta rerum externarum, & non actionum internarum) turbetur, flectamur facile, ne frangamur (id eſt accommodemus libenter noſtrum ſermonem, noſtram catechiſationem huic neceſſitati externæ accidenti; & ne nimia dejiciamur triſtitia, de qua ſupra reprehenderat Catechiſtam, ob mutatum illum ordinem triſtem factum, & dat rationem) æquius eſt enim ut nos ejus (ſcilicet Dei) quam ut ille, noſtram voluntatem ſequatur. Quia & ordo agendarum

rerum (ubi adhuc vides ſermonem eſſe de actionibus externis, ſeu de agendis rebus ad extra) quem noſtro arbitrio tenere volumus, ille utique approbandus eſt, ubi potiora præcedunt, &c. Cum ergo ibi tantum ſermo ſit, de recta externarum actionum ordinatione, ut luce clarius patet ex dictis: Quis ferat hanc concluſionem, quam elicit Author ex illis. Ergo, inquit, ſupponit (ſcilicet Auguſtinus) totam ſeriem noſtræ ſalutis, ex vi prædeſtinationis a Deo ordinatam, non autem noſtram ipſam prædeſtinationem ex aliqua prævisione noſtrorum meritorum; ſed omnia noſtra merita ex vi prædeſtinationis. Quis, inquam, ferat hanc concluſionem? ubi enim eſt in toto illo textu ſermo de noſtra ſalute? ubi de prædeſtinatione? ubi de meritis? ubi excluſio prævisionis illorum ante prædeſtinationem ad gloriam? ubi illa merita ex vi prædeſtinationis? Ibi inſtruit Auguſtinus Catechiſtam de recto ordine prædicandi, ſeu catechiſandi populos; & tu vis ibi agi de recto ordine prædeſtinationis Dei, de ſalute noſtra, de meritis ex vi prædeſtinationis ad gloriam, & de excluſione prævisionis meritorum ante prædeſtinationem illam. Certe nihil dici poterat, quod minus eſſet ad propoſitum, & magis eſſet abſurdum.

Dicit nonò quod exemplificat Auguſtinus cap. 12. & 13. hanc prædeſtinationem in parvulis morientibus poſt baptiſmum: & tam ſevere reprobat illam rationem, cur hi potius, quam illi baptiſati moriantur ex præſcientia futuri, aut non futuri conſenſus, aut meritorum, vel demeritorum ſi ſupervenirent, quia nec talia ſunt vere futura, nec ulli judicio obnoxia.

Reſpondeo hanc Object. non eſſe ad rem, cum non dicamus prædeſtinationem ad gloriam factam eſſe propter talia merita prævisa, quæ non ſunt vere futura, nec ulli judicio obnoxia: ſed propter merita vere futura, & æterno Dei judicio aliquando ſubjicienda. Ad id autem quod addit, quod nec iſta gratia, unius parvuli præ alio, referri poteſt in ullam aliam cauſam quam in ſolam gratuitam Dei benevolentiam ac prædeſtinationem à qua ipſæ etiam omnes cauſæ naturales dependent.

Reſpondeo primò hoc eſſe falſum non enim differentia illa petitur à prædeſtinatione ſaltem ad gloriam; ſed à permiſſione divina ſinente & nolente interturbare communem rerum ordinem, qui ordo poſtulat ut hic moriatur, propter diſpoſitiones ejus ad mortem: alter autem non moriatur ob diſpoſitiones contrarias. Reſpondeo ſecundò quod etſi hæc differentia peti deberet à prædeſt. non tamen ſequitur quod peti debeat à prędeſtinatione ad gloriam, poteſt enim peti à prędeſtinatione ad gratiam: ad gratiam ſcilicet perſeverantię, quam ſępe ponit Auguſtinus in morte prematura in gratia: juxta illud Sapientię, [Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus] quia cum parvuli omnes rei ſint mortis ęternę ob peccatum originale, cum permittit ut aliquis eorum baptiſetur, & moriatur, facit ei miſericordiam, id eſt gratiam: cum autem permittit ut alius non baptizatus moriatur; facit ei judicium, id eſt,

infligit ei pœnam debitam : juxta perpetuam Auguſtini doctrinam de prædeſtinatione ad gratiam.

Dicit decimò quod cap.14. probat Auguſtinus quoſdam ex vi prædeſtinationis, ſubtrahi variis peccandi periculis in hac vita : ex illo Sap.4. [Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus] &c. Quod (inquit) dictum eſt, ſecundum pericula vitæ hujus, non ſecundum præſcientiam Dei, qui hoc præſcivit quod futurum erat, non quod futurum non erat. Reſpondeo, id dici ab Auguſtino ob prædeſtinationem ad gratiam, ſcilicet perſeverantiæ, de qua altercabatur cum adverſariis, non vero ad gloriam, de qua cum eis nulla ei diſceptatio erat: Et ſenſus eſt, quod hos quos prædeſtinavit Deus ad talem gratiam perſeverantiæ, eripit aliquando Deus per præmaturam mortem, ut dicit textus Scripturæ ibi allatus, ſcilicet: Raptus eſt ne malitia, &c. non tamen ex præſcientia bonorũ operum quæ feciſſent, ſi diutius vixiſſent tanquam ob meritum perſeverantiæ, ut volebant Semipelag. ſed ob vera vitæ hujus peccandi, & in peccato moriendi pericula, à quibus gratis ſalvat, & eripit eos per talem mortem. Ibi enim ſolum pugnabat contra præſcientiam Semipelagianam, quæ erat futurorum meritorum, nunquam vere futurorum : Non vero contra præſcientiam Catholicam, quæ eſt futurorum meritorum vere futurorum quæ pertinent ad veram prædeſtinationem ad gloriam. Unde dicit : Qui præſcivit quod futurum erat, non quod futurum non erat : quod ut clarius percipiatur, ſciendum eſt quod probarat Auguſtinus iſtam doctrinam ex prædicto textu Scripturæ : Sed advertens quod Semipelagiani repudiabant illum textum, ut Scripturæ non canonicæ, vult iſtam eandem doctrinam aliter probare : pro quo oſtendit quod etiam omiſſo illo textu, quem negabant eſſe Scripturę Canonicę, verum erat, tum ex fide Catholica, tum ex Scriptura certiſſima & omnino Canonica, quod Deus non habebat reſpectum ad iſta merita conditionata nunquam re vera futura quę aſtruebant. Ecce clara illius verba : [Raptus eſt,] inquit [ne malitia mutaret intellectum ejus.] Quod à me poſitum fratres iſtos (ſcilicet Semipelagianos) ita reſpuiſſe dixiſtis, tanquam non de libro Canonico adhibitum, quaſi & excepta hujus libri atteſtatione, res ipſa non clara ſit, quam volumus hinc doceri:(nota ergo quid hinc velit doceri, hinc enim tota controverſia diſſolvetur, id autem eſt quod ſequitur) Quis enim audeat negare Chriſtianus juſtum, ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio futurum? (id eſt ex hoc præciſe quod mortuus eſt cum juſtitia & bonis meritis, beatum eſſe futurum: quicquid aliunde ſit de operibus ejus prævíſis ſub conditione futuris, ſi diutius vixiſſet. Ubi clare vides eum ſolum opponere merita vere futura, meritis nunquam futuris, & aſſerere ob illa dari, vel negari gloriam, & non ob iſta: Ecce ergo quid ex hoc loco doceri vult : ſcilicet, Deum habere ſolùm reſpectum ad merita vere futura in danda, vel neganda gloria, non autem ad non futura, & hoc ex fide Catholica ; ut patet ex his verbis : Quis audeat negare Chriſtianus ? Et infra: Quis ho-

mo ſanè fidei reſiſtendum putabit. Nunc probat ex Scriptura certiſſima) Item ſi dixerit, Juſtum [Si à ſua juſtitia receſſerit in qua diu vixit, & in ea fuerit impietate defunctus] in qua non dico unum annum; ſed unum diem vixerit in pœnas iniquis debitas hinc iturum, nihil ſibi præterita ſua juſtitia profutura: huic perſpicuæ veritati quis fidelium reſiſtit. (Ubi etiam oſtendit hominem puniri ſolùm ob mala merita, in quibus mortuus eſt, & non ob aliqua alia prævisa ſub conditione futura, ſi diutius vixiſſet: quod & iterum oſtendit per aliquam ſuppoſitionem, dicens:) Porro ſi quæratur à nobis: utrum, ſi tunc (ſupradictus impius) eſſet mortuus quando erat juſtus, pœnas eſſet inventurus, an requiem: nunquid requiem reſpondere dubitabimus? Ubi oſtendit tam certum eſſe quod Deus conſiderat merita hominis exiſtentia tempore mortis, & non alia ſub conditione tantum futura, ſi diutius vixiſſet: ut dicat impium eſſe damnatum ob hoc quod mortuus eſt in impietate ſua: qui ſalvatus eſſet, ſi mortuus eſſet in antecedente ſua juſtitia. Et ſic tantum abeſt ut indicet illum influxum, ſeu cauſalitatem prædeſtinationis ad gloriam in illa merita: quin potius totus eſt in demonſtrando influxu & cauſalitate verorum meritorum in gloriam, ſi bona ſunt, aut in gehennam ſi mala ſunt, cum rejectione falſorum ſub conditione futurorum, nunquam tamen futurorum quæ aſtruebant Semipelagiani, quod & adhuc inculcat, dicens: Hæc eſt tota cauſa cur dictum eſt à quocumque ſit dictum, [Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus] dictum eſt enim (verba in Objectione poſita) ſecundum pericula vitæ hujus (ſecundum quæ poterat mori, & non mori in peccato, & ſecundum hoc judicari) non ſecundum præſcientiã Dei (tanquam ſcilicet repræſentãtem Deo merita hominis, nunquam futura, ſecundum quæ homo judicaretur: qui erat error Semipelagianorum quem impugnabat) qui (ſcilicet Deus) hoc præſcivit, quod futurum erat (ut ſecundum hoc judicaret hominem) non quod futurum non erat (ut ſecundum hoc homo judicaretur. Id eſt (præſcivit) quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum ſubtraheretur incerto (& ſecundum hoc judicaret illum) non quod peccaturus eſſet, qui manſurus in tentatione non eſſet (quæ ſunt merita illa ſub conditione futura, nunquam tamen vere futura, tanquam vera merita à Semipelagianis conficta. Cum ergo nihil aliud hîc quærat Auguſtinus, niſi ut Semipelagiani fateantur homines judicari ſecundum merita quæ habent tempore mortis, non vero ſecundum illa quæ habuiſſent, ſi diutius vixiſſent, quæ ſunt (ut aït Proſper, & Auguſtinus) futura non futura: Mirum eſt quomodo ille Author velit ibi ſermonem eſſe de prædeſtinatione ad gloriam, tanquam de vera cauſa illorum meritorum, cum nequidem loquatur ibi de prædeſtinatione ad gloriam, multo vero minus de cauſalitate ipſius in illa merita; ſed potius de cauſalitate meritorum in gloriam.

Iſaiæ 18. — *Proſper in Epiſt. præliminari circa medium. Et Auguſtinus lib. de præd. Sanct. c. 12. paulo poſt initium.*

Dicit undecimò quod cap. 15. Auguſt. exemplificat noſtram prædeſtinationem ſub ratione gratuiti in prædeſtinatione Chriſti, vel humanæ

naturæ ejus, tanquam membrorum in capite: Atqui hæc fuit ſumme gratuita, non ſolum ad gratiam unionis hypoſtaticæ; ſed etiam ad quamvis gratiam & gloriam: Ergo & illa fuit gratuita, cùm enim Chriſtus, vel ejus humanitas fuerit prædeſtinata, ut caput noſtrum, eodem modo fuit ei prædeſtinatum corpus, & membra etiam determinata, abſque ulla quaſi monſtroſitate, ſecundùm illud Rom. 8. Quos præſcivit & prædeſtinavit, conformes, &c. Et Epheſ. 1. Elegit nos in ipſo ante conſtitutionem mundi, ut eſſemus Sancti.

Reſpondeo totam illam prædeſtinationem Chriſti ut exemplar noſtræ, eſſe ſolùm ad gratiam, & non ad gloriam, ut infra late demonſtrabimus Object. 9. ex ratione: ubi etiam oſtendemus ex D. Thoma ſufficere ad exemplatum, ut ſimile ſit in aliquo exemplari ſuo. Ad rationem autem capitis, non eſt neceſſe ut membra ei ſubdita in omnibus ei ſimilia ſint, alioqui corpus eſſet monſtroſiſſimum: Si v. g. pedes & manus eſſent ejuſdem magnitudinis figuræ, & officii ac caput; oporteret enim incedere ſuper oculos, ſuper os & naſum; palpare per oculos, per os, per naſum: item, videremus, & manducaremus per pedes, & per manus: quod eſſet abſurdiſſimum. Quantum autem ad locos Rom. 8. & Epheſ. 1. ſatis ſupra explicati ſunt, ut non ſit neceſſe ea amplius explicare. Quantum autem ad concluſionem, quam affert ex Auguſtino, ſcilicet: Sicut ergo prædeſtinatus eſt ille unus, ut caput noſtrum eſſet, ita multi prædeſtinati ſumus, ut membra ejus eſſemus: tantum abeſt ut ſit contra nos, quin potius pro nobis eſt, cum determinet ibi Auguſtinus illam ſimilitudinem prædeſtinationis noſtræ, cum prædeſtinatione Chriſti ad eſſe membra illius: At non ſumus ejus membra per gloriam ſolam; ſed per gratiam, ut etiam ſæpiſſime aſſerit Auguſtinus. Unde & reprobi dum ſunt in gratia & juſtitia, ſunt membra Chriſti vere participantia vitam corporis, & influxum capitis. Et ſi ad rationem membri Chriſti requireretur gloria, non tamen requireretur ſine gratia: Ex quo apparet ſaltem iſtum locum non eſſe de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, ſeu de prædeſtinatione ad gloriam ſine gratia; quo pacto non eſt hîc ad propoſitum, cum loquamur tantum de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, & non ut conjunctam cum gratia.

Object. 8. & 12. ex Script.

Auguſt. indicat omnes fideles eſſe mēbra Chriſti, libro de patient. c. 28 libro de bono viduit. c. 10. & 11. lib. de Sancta virg. c. 6. & alibi communiter.

Dicit duodecimò quod cap. 16. & alibi ſæpe diſtinguit Auguſtinus propriam vocationem efficacem paucorum electorum, ſeu prædeſtinatorum ex vi prædeſtinationis, à communi illa multorum, Matth. 22.

Reſpondeo hoc argumentum coïncidere cum 4. unde ibi eſt ſumenda illius Solutio.

Dicit decimotertiò quod cap. 17. refert Auguſtinus, omne bonum noſtrum in Dei electionem ante mundi conſtitutionem, [Eâ prædeſtinatione, in quâ Deus ſua futura facta præſcivit] ergo ex ſua prædeſtinatione, præſcivit omne futurum noſtrum bonum gratiæ & gloriæ: non autem ex præſcientia alicujus boni noſtri prædeſtinavit.

Reſpondeo primò negatur antecedens in eo ſenſu qui intenditur, ſci-

licet, ita ut electio illa ad quam refert Auguſtinus omne bonum noſtrum, ſit prædeſtinatio ad gloriam: non enim agit Auguſtinus in illo capite de præſtinatione ad gloriam ſaltem ſolam; ſed vel ad gratiam ſolam, quæ eſt ſcopus totius libri: Agebat enim ibi contra Semipelagianos de gratia primæ fidei, & clare demonſtrat illam eſſe totale objectum illius electionis de qua loquitur in illo capite, cùm dicit contra iſtos errantes in fine capitis: Rogo, quis audiat Dominum dicentem, [Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos?] & audeat dicere, Credere homines, ut eligantur, cum potius *eligantur ut credant?* Ubi vides credulitatem illam eſſe totum objectum iſtius electionis, & non gloriam, alias dicendum omnino fuiſſet, eliguntur ut beati ſint; non vero eliguntur ut credant. Vel eſt ad gratiam ſimul & ad gloriam, & tunc fatebimur, quod Auguſtinus refert omne bonum noſtrum ad prædeſtinationem illam, ita tamen ut ad eam referat gratiam, ut eſt prædeſtinatio ad gratiam: & gloriam, ut eſt prædeſtinatio ad gloriam. Et ſic nihil habebitur contra nos, cum hoc non impediat quin prædeſt. noſtra ad gloriam ſit ob prævisa merita: bene enim ſtat, quod prædeſtinatio noſtra ad gratiam, ſit ſine prævisis meritis: prædeſtinatio autem noſtra ad gloriam, ſit ob prævisa merita: ut infra late demonſtrabimus Object. 4. ex ratione.

Reſpondeo ſecundo negando conſequentiam: licet enim per ſequentem ſcientiam viſionis, Deus omne bonum noſtrum præſcierit: non tamen hoc impedit, ne etiam per antecedentem ſcientiam conditionatam, omnes futuros præſcierit noſtros conſenſus in bonum: & ex illis ſic præcognitis, nos prædeſtinaverit ad gloriam: pro quo, & pro explicatione textus allati in antecedente, vide ea quæ dicta ſunt in 3. & 4. argum. ex Auguſtino de præſcientia illa de qua ibi loquitur.

Dicit decimoquarto quod cap. 1[illegible] 19. in hunc ſenſum prædeſtinationis gratuitæ, exponit Auguſtinus totum hunc textum Epheſ. 1. Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus Sancti, &c.

Reſpondeo, non eſſe mirum quod explicet illum textum de prædeſtinatione gratuita, cum aſſumat illum ad probandam contra Semipelagianos gratuitatem primæ gratiæ, ſeu initii fidei: Unde nihil inculcat ibi aliud niſi gratuitatem illam primæ gratiæ, primæ fidei, primæ ſanctitatis & innocentiæ, non vero beatitudinis & gloriæ. Sic enim ait c. 18. Intueamur ergo (verba Apoſt.) atque videamus: utrũ propterea nos elegerit ante mundi conſtitutionem, quia ſancti & immaculati eramus, *an ut eſſemus* (ſcilicet ſancti & immaculati: hoc eſt objectum iſtius electionis & non gloria, ſeu beatitudo cæleſtis, ut per ſe manifeſtum eſt: Unde & poſt textum, ſic concludit) Non ergo quia futuri eramus; ſed *ut eſſemus:* (ſcilicet ſancti, fideles, innocentes) Nempe certum eſt, nempe manifeſtum eſt: ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipſe, *prædeſtinans ut tales per gratiam ejus eſſemus.* Et cap. 19. Non enim quia credidimus; ſed *ut credamus elegit nos*, ne priores eum elegiſſe dicamur, falſumque ſit, quod abſit [Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos] nec

quia credidimus; ſed *ut credamus, vocamur*, atque illa vocatione quæ ſine pœnitentia eſt, *id prorſus agitur & peragitur, ut credamus.* Ibi ergo ſolùm loquitur de prædeſtinatione ad gratiam primæ credulitatis, ſeu fidei, & non ad gloriam: Unde non eſt mirum quod inculcet eam ut gratuitam; ſed hinc nihil concluditur contra prædeſtinationem ad gloriam, quæ eſt ex prævisis meritis.

Dicit decimoquintò quod cap. 20. ex accumulatis S. Scripturæ teſtimoniis, convincit Auguſtinus Deum ex vi ſuæ prædeſtinationis, operari quicquid vult in cordibus noſtris, ſeu redigere omnes noſtras voluntates ad ſuum intentum.

Reſpondeo, & id nos concedere, nec tamen propterea negare prædeſtinationem ad gloriam eſſe poſt præviſa merita, quia id ſolum fit ex vi prædeſtinationis ad gratiam, & non prædeſtinationis ad gloriam; ut alibi explicuimus. *Object. 3. ex Auguſtino.*

Dicit decimoſextò quod toto libro ſequenti refert maximum illud donum perſeverantiæ finalis, tanquam proprium electorum, in ſolam prædeſtinationem abſolutam ad gloriam, ut patebit ex libro ſequenti.

Reſpondeo quod ſi hoc eſſet, ſciret Auguſtinus cauſam perſeverantiæ & non perſeverantiæ; ſed in illo libro clare fatetur ſe neſcire cauſam, cur hic perſeveret, ille non perſeveret: Ergo non refert illud donum perſeverantiæ in prædeſtinationem ad gloriam. Nec quicquam vidi in ſuo in librum ſequentem Commentario, quod alicujus eſſet momenti contra iſtam noſtram rationem, & contra noſtram opinionem: loquitur enim ſolùm Auguſtinus in illo libro de prædeſtinatione ad perſeverantiam, ſicut in præcedenti de prædeſtinatione ad primam gratiam, ſeu primam fidem: Sed quia perſeverantia non eſt niſi electorum ad gloriam, hinc eſt quod tribuat illam prædeſtinationem iſtis ſolis electis; ſed non ex vi electionis eorum ad gloriam, ſed ex vi electionis eorum ad perſeverantiam. Pro quo vide quæ dicta ſunt ad Object. 6. & 13. ex Auguſt. *Vide argum. 9. ex Auguſt. & Object. 6. ex eodem Auguſtino.*

PUNCTUM II.

Reſpondetur aliis ex eodem libro ſumptis argumentis, & aliis miſcellaneis; oſtenditurque eſſe falſum quod Auguſt. diſputarit in illo libro de prædeſtinatione ad gloriam, ratione gratiæ, ut ex illâ prædeſtinatione oriundæ.

DICIT decimoſeptimò quod ita B. Auguſtinum intellexerunt omnes ejus veri Diſcipuli, videturque ſola lectio operum B. Auguſtini contra Pelagianos & Semipelagianos, abunde ſufficere ad convincendum hanc fuiſſe & eſſe abſolutam ejus ſententiam, nec poſſe ſerio in alium ſenſum detorqueri.

Reſpondeo, nullos reperiri poſſe veriores Auguſtini diſcipulos, quam

Fulgentium, Proſperum, Primaſium, & alios quos ſupra retulimus: & tamen noſtram aſſerunt ſententiam, & reſpuunt contrariam, qui tamen maxime Auguſtino adhærebant, & omnia ejus ſenſa amplectebantur. Præterea non omnino aſſentior, ſolam lectionem illorum operum quæ conſcripſit Auguſtinus contra Pelagianos & Semipelagianos, ſufficere ad detegendam veritatem quam inquirimus, de prædeſtinatione ad gloriam ante, vel poſt præviſa merita: Quia cum in confeſſo ſit, quod nunquam egerit Auguſtinus ex profeſſo de illa prædeſtinatione; ſed de ſola prædeſtinatione ad gratiam, & cum in illis libris multa ſint de prædeſtinatione ad gratiam, præcipue perſeverantiæ quæ facile poſſunt transferri ad prædeſtinationem gloriæ, quæ cum illa conjuncta eſt indiviſibiliter: ideo judico ſatius eſſe non ſolum ex iis libris; ſed etiam ex aliis ſenſa ejus indagare (quod & quantum potuimus, præſtitimus) & ex illorum omnium colliſione, & comparatione verum ejus ſenſum colligere. Quantum autem ad id quod addit, non poſſe ſerio teſtimonia Auguſtini ad alium ſenſum, quam quem ipſe aſtruit, detorqueri, præventi animi eſt, & ideo negligendum.

Vide initiũ teſtimoniorũ Auguſt. pro noſtra ſententia.

Dicit decimo octavò quod licet multi quantumvis reliquæ doctrinæ B. Auguſtini admiratores, ac ſtudioſi, ab hac ejus de prædeſtinatione ſententia, ipſo adhuc vivente & ſciente adhorruerunt; Nec tamen ipſe unquam eam aut retractavit, aut moderavit; ſed potius quicquid unquam in oppoſitum ſonaſſe videbatur,

Reſpondeo, ibi ſupponi falſum, ſcilicet Auguſtinum egiſſe de prædeſtinatione ad gloriam ex profeſſo & directe, cum certum ſit, etiam teſte Janſenio, illam quæſtionem Auguſtinum non tractaſſe ex profeſſo & formaliter; ſed tantum quæſtionem de prædeſtinatione ad gratiam, de qua ſola verum eſt id quod dicitur in Object. ſcilicet quod reliquæ illius doctrinæ admiratores, ac ſtudioſi (qui erant Semipelagiani, ut teſtatur Hilarius ſub finem ſuæ Epiſtolæ) à ſua iſta de prædeſtinatione ſententia ipſo vivente, & ſciente valde abhorruerunt: & tamen nihil in ea, ſed potius ea quæ contra illam docuerat retractavit; quæ refert idem Hilarius in Epiſtola ſua paulo poſt initium, quæ ſane non pertinent ad prædeſtinationem gloriæ, ſed ad prædeſtinationem fidei, ſeu gratiæ, ut patet ex his ipſius Auguſtini verbis ibi relatis, ſcilicet: Fidem elegit in præſcientia, ut quem crediturum eſſe præſcivit (ſine gratia prævia) ipſum elegerit, cui Spiritum ſanctum daret, ut bona operando etiam æternam vitam conſequeretur. Ubi volebat Auguſtinus nos prædeſtinari ad opera, non vero ad primam fidem qui erat ipſiſſimus error Semipelagianorum in quem tunc inciderat, quem poſtea retractavit libro ſcilicet de prædeſt. Sanct. cap. 3. his verbis: Nondum diligentius, inquit, quæſiveram, nec adhuc inveneram, qualis *ſit electio gratiæ*, de qua idem dicit Apoſtolus, [Reliquiæ per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt] quæ utique non eſt gratia, ſi eam ulla merita præcedunt (non ſolum ſcilicet in ejus prædeſtinatione; ſed etiam in ejus collatione, de qua ibi loquitur Auguſtinus,

Ibidem.

Salvæ factæ indicat executionem.

Auguſtinus, ut patebit etiam ex ſequentibus: unde certum eſt quod ibi nomine gratiæ non ſignificatur gloria: certum enim de fide eſt quod illa datur ob merita, non vero ex mera gratia, ut hæc gratia de qua ibi loquitur) Ne jam quod *datur* (ecce quomodo loquitur de collatione) non ſecundum gratiam; ſed ſecundum debitum reddatur potius meritis, quam donetur. Hæc eſt doctrina quam retractavit Auguſtinus, quæ eſt de prædeſtinatione ad gratiam, ſeu fidem, non vero ad gloriam. Ex quo apparet quam imprudenter addiderit, aut concluſerit objiciens per hæc verba: Adeo ut ſuperfluum, ac indignum videatur, cum nimis imperitis, aut protervis deſuper contendere. Quaſi vero eſſent imperiti, & protervi omnes ii qui contrariantur illius opinioni; & non potius ipſe qui nimis imperite, putavit Auguſtinum locutum eſſe de prædeſtinatione ad gloriam, ubi tantum locutus eſt de prædeſtinatione ad fidem, ſeu gratiam, illudque nimis proterve defendit: ſed de iſtis nihil dico amplius, quia non intendo reſpondere illius conviciis; ſed ſolùm ejus ratiunculis & hallucinamentis.

Verum poſſet pro eo inſtari ex iis quæ habet difficultate præcedenti, ubi multis contendit Auguſtinum locutum eſſe de prædeſtinatione ad gratiam, ex vi prædeſtinationis ad gloriam. Quod ſi ita eſt, prædeſtinatio ad gloriam eſt ſine dubio ante prævisa merita. Probat autem illud antecedens primò ex Epiſt. Proſperi & Hilarii, Semipelagianam hæreſim explicantibus, ubi prætendit id indicari.

Sed reſpondeo quod ſupra fuſe demonſtratum eſt, nihil in illis Epiſtolis contineri quod ſit de prædeſtinatione ad gloriam; ſed totum & totaliter eſſe de prædeſtinatione ad gratiam, ſine ullo ordine ad prædeſtinationem ad gloriam ſaltem ſolam, de quâ ſolâ hîc agimus, & de qua ſolà debet argui ad hoc, ut ex vi prædeſtinationis ad gloriam, dicatur eſſe prædeſtinatio ad gratiam: Quia ſi illa prædeſtinatio de qua loqueris, ſit ad gratiam ſimul & ad gloriam, prædeſtinatio ad gratiam non poteſt eſſe ex vi illius, ſeu eſſe effectus illius, cum ipſa includatur in tali prædeſtinatione intrinſece, & ſit pars ipſa illius. *In object. 16 ex Auguſt.*

Secundo probat autem idem antecedens, ex eo quod inquit, ſic intellexit B. Proſper, Auguſtini reſponſiones ad errores iſtorum hæreticorum, in prædictis Epiſtolis expoſitos, ut patet ex quatuor ejus libris pro hac doctrina B. Auguſtini tomo 1. ſicut & omnes poſteriores, ac celebriores Diſcipuli B. Auguſtini.

Reſpondeo, quod longum eſſet explicare hîc quatuor libros iſtos, unde cum breviet eos, remittendo Lectorem ad illos, ſic & nos ſimiliter breviabimus, remittendo eundem Lectorem ad illos, ut videat contrarium concluſionis prætenſæ. Certe id poterit ſufficienter videri ex iis quæ ſupra deprompſimus ex iſtis libris pro noſtra ſententia: ubi clare ſtatuit D. Proſper ipſam prædeſtinationem poſt prævisa merita. Quod autem falſum ſit quod omnes poſteriores, ac celebriores Diſcipuli B.

Auguſtini, ſenſerint Auguſtinum cenſuiſſe prædeſtinationem ad gratiam factam fuiſſe ex vi prædeſtinationis ad gloriam; patet ex teſtimoniis Bedæ, Anſelmi, Bernardi, D. Thomæ & aliorum ibi relatorum, nobiſcum ſentientium de prædeſtinatione ad gloriam, qui nunquam id ſenſiſſent ſi ei contrarium eſſe Auguſtinum putaſſent.

Tertiò probat, quia, inquit ipſe Cæleſtinus Papa in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, pro doctrina B. Auguſtini, ad inſtantiam & ex informatione B. Proſperi, & Hilarii, ut patet cap. 1. ejuſdem Epiſtolæ, diſcernit ea quæ ſunt fidei, à profundioribus & difficilioribus quæſtionibus, inquit (Cæleſtinus Papa) cap. 11. quæ ſine dubio ſunt de prædeſtinatione ad gloriam: Nam prædeſtinatio pure gratuita ad primam gratiam, eſt omnino de fide, ut patet ex cap. 8. & 10. ejuſdem Epiſt.

Reſpondeo conc. totum. Nec enim video quid nobis noceat iſta probatio; cum non rectè hinc ſequatur quod prædeſtinatio ad gloriam ſit ante prævisa merita, ſeu quod idem eſt, prædeſtinatio ad gratiam ſit ex vi prædeſtinationis ad gloriam, cum hæc profunditas & difficultas non minus pertineat ad noſtram ſententiam, quam ad oppoſitam, ut patet ex Objectionibus hucuſque contra illam ſolutis, & adhuc infra ſolvendis: quanquam non loquitur Cæleſtinus Papa de opinionibus; ſed ſolum de quæſtionibus, ut videre eſt in textu.

Quartò probat ex eo quod, inquit, titulus ipſe hujus libri, nomenque prædeſtinationis proprie ac ſimpliciter abſque reſtrictione eſt ad ipſum finem ultimum, ſeu gloriam; non autem ad media, ſeu gratiam, niſi ex vi prædeſtinationis ad gloriam.

Reſpondeo, titulum alicujus libri ſumi ex iis quæ tractantur in illo: Unde cum in illo libro de prædeſtinatione Sanctorum, agat Auguſtinus de prædeſtinatione ad primam gratiam, ſeu primam fidem contra Semipelagianos, ut in confeſſo apud omnes eſt. Non autem ex vi prædeſtinationis ad gloriam; ſed mere & ſimpliciter de prædeſtinatione ad gratiam, ut patet ex dictis ad probationem primam, & etiam ex iis quæ diximus in ultima Object. ex Script. de illo nomine prædeſtinationis, ut ſumitur à Scripturis & Auguſtino. Hinc ſequitur quod ille titulus nihil aliud indicat, quam prædeſtinationem ad gratiam unde & ſimpliciter, & ſine ullo ordine ad prædeſtinationem ad gloriam ſolùm: imo id patet ex ipſo titulo, qui non eſt de prædeſtinatione ſimpliciter, ut ſupponit objiciens; ſed de prædeſtinatione Sanctorum; id eſt, de prædeſtinatione ad ſanctitatem & juſtitiam, quæ reſtrictio debebat eum monere ſuæ vehementis hallucinationis, qua dicit ipſum titulum eſſe de prædeſtinatione ſimpliciter, & abſque reſtrictione: Sancti enim dicuntur apud Scripturas & apud Auguſtinum, ii qui habent gratiam ſanctificantem; non autem ſolùm ii qui habent æternam beatitudinem. Unde ſæpe Auguſtinus alloquens populum Chriſtianum in Expoſitionibus Pſalmorum, affatur eum per hæc verba: Sanctitas veſtra.

Nota quod nõ negamus Sanctos poſſe ſumi pro prædeſtinatis ad gloriam.

Quintò probat ex eo quod cap. 10. hujus libri, & cap. 14. libri ſequentis, ex profeſſo definit ac diſtinguit inter prædeſtinationem præſcientiam, & gratiam ipſam.

Reſpondeo concedendo totum. Nec enim video, quid hæc nobis præjudicent, aut quod inferant intentionem adverſarii.

Sextò probat ex eo quod exemplificet Auguſtinus, in ipſa prædeſtinatione Chriſti cap. 15.

Reſpondeo, exemplificare prædeſtinationem ad gratiam ſolam, & non ex vi prædeſtinationis ad gloriam, ut ſupra jam reſponſum eſt. Et patebit ex textu, cuicunque vacabit eum legere, quem ut non adduxit objiciens, ita nec nos debemus adducere. Potes tamen videre illum in objectione 9. ex ratione ſub finem explicatum de prædeſtinatione ad gratiam, & non de prædeſtinatione ad gloriam. Et certe non potuit Auguſtinus exemplificare noſtram prædeſtinationem ad gloriam in prædeſtinatione Chriſti ad gloriam æternam, eo ſenſu quo intendit objiciens, cum certum ſit quod prædeſtinatio Chriſti ad gratiam unionis hypoſtaticæ, de qua loquitur ibi Auguſtinus, non ſit ex vi prædeſtinationis ejus ad gloriam, quomodo vult Author noſtram prædeſtinationem ad gratiam eſſe ex vi prædeſtinationis noſtræ ad gloriam.

Sed negamus iſtud vocabulum ex vi ſua, ſignificare prædeſtinationem ad gloriam, quod neceſſe eſſet ad ſignificandam prædeſtinationem ad gloriam ſimpliciter: ex vi enim ſua ſignificat ſolum ſanctitatem & juſtitiam, quæ poteſt eſſe in non prædeſtinatis ad gloriam.

Septimò probat ex eo quod, inquit, utitur Auguſtinus omnibus S. Scripturæ teſtimoniis, quæ ſunt pro prædeſtinatione ad gloriam.

Reſpondeo, multos eſſe S. Scripturæ locos, quos ipſe & ei ſimiles, putant eſſe de prædeſtinatione ad gloriam, & ſunt de prædeſtinatione ad gratiam, quales ſunt fere omnes qui ſumuntur ex Epiſtolis Pauli, contra Judæos converſos, qui ſibi attribuebant fidem ſuam in Chriſtum, & non prædeſtinationi ad gratiam; quos in eodem ſenſu, opponit Auguſtinus Pelagianis & Semipelagianis, eadem cum iſtis Judæis, quoad hoc ſentientibus. Alios autem eſſe de prædeſtinatione ad gloriam, non ſolam; ſed ut comprehendentem etiam gratiam, quibus utitur Auguſtinus, ut continentibus gratiam gratuitam contra inimicos gratiæ, & aſſertores meritorum meræ voluntatis humanæ, non vero ut continentibus gloriam, de cujus prædeſtinatione, nulla erat ei contentio cum illis, ut ſæpius notatum eſt. Et ſic nihil habetur ex iſtis locis contra nos.

Octavò probat ex eo quod, inquit, incipit quidem Auguſtinus à quæſtione fidei, &c. Sed tandem hanc ipſam electionem æternam ad primam gratiam, deducit ex vi prædeſtinationis ad gloriam, ſecundùm illud Rom. 8. Quos prædeſtinavit, hos & vocavit, &c.

Reſpondeo, quod vel illud ſimpliciter aſſerit ita eſſe in illo libro Auguſtini, vel vult illud probare ex illo loco Apoſtoli. Si primum, nego illud ſimpliciter, ut ſimpliciter aſſeritur: Si ſecundum, dico male deduci hanc illationem ex illo loco Apoſtoli: Tum quia locus ille recte poteſt intelligi de ſola prædeſtinatione ad gratiam, ut expoſuimus illum in Objectione 8, ex Scripturis. Tum quia in illo ipſo loco præſcientia præcedit

prædeſtinationem: Unde ſi prædeſtinatio illa ſit ad gloriam; præſcientia illam antecedens debet eſſe meritorum. Et ſic prædeſtinatio illa erit ex prævisis meritis ſine ulla cauſalitate in gratiam. Pro quo vide dicta ad prædictam Object. Bene certe vidit hanc rationem vehementer illi eſſe contrariam: unde ad illam evitandam ſuppreſſit nomen præſcientiæ, ſeu verbum præſcivit, ut non diutius cogeretur diſputare.

PUNCTUM III.

Reſpondetur reliquis ex eodem libro ſumptis argumentis, oſtenditurque eſſe falſum quod Auguſtinus cenſuerit prædeſtinationem ad gloriam factam eſſe ante prævisum Adæ peccatum.

Si prædeſtinatio facta eſt ante prævisũ peccatũ originale, reprobatio ſaltem negativa facta eſt etiam ante illud peccatum. At hoc ita contrarium eſt perpetuæ Auguſtini doctrinæ, ut ipſe aſſerat Deũ non fore juſtum, ſi permittat innocentem creaturam ſine peccato à regno ſuo excludi. Pro quo vide ſerm. 14. de verbis Apoſt. à c. 5. uſque ad 9. Item, lib. 1. contra Iul. cap. 7. circa med. Item, & lib. 6. c. 4. poſt med. & lib. 1. operis imperf. c. 48. toto contra eundem Iul.

TANDEM inſtare poſſet, ex iis quæ habet difficultate 3. in eundem librum, ubi probat quantum poteſt prædeſtinationem ad gloriam factam eſſe ante prævisum originale peccatum. Quod quomodo cohærere poſſit, cum eo quod dixit difficultate 2. argum. 6. ex Auguſtino, ſcilicet: Hanc definitionem (quam ipſe vult eſſe prædeſtinationis ad gloriam) quâ dicit Auguſtinus prædeſtinationem eſſe præparationem (ubi adhuc ſuppreſſit nomen præſcientiæ, præparationi iſti ibi præmiſſum) beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur, quicunque liberantur: cum hoc quod dicit hîc, prædeſtinationem ad gloriam factam eſſe ſecundum Auguſtinum, ante prævisum omne peccatum, ſeu nullum alicujus præſupponere peccatum. Quomodo, inquam, cohærere poſſit, omnino neſcio: cùm inter utramque propoſitionem manifeſta ſit contradictio: Nam liberatio non eſt liberorum, ſed tantum captivorum; unde cum liberatio ibi ponatur, ut prorſus intrinſeca, illi prædeſtinationi quam vult eſſe ad gloriam, debet præſupponere captivitatem, & per conſequens peccatum, à quo ſolo eſt captivitas animarum: quomodo ergo poſſit eſſe prædeſtinatio intrinſece liberans, & tamen nullum præſupponere peccatum captivans, prorſus non intelligo, nec à quoquam intelligi poſſe exiſtimo; ſed videamus illius argumenta.

Primum eſt quia, inquit, peccatum præſupponit creaturam rationalem, ſeu ejus creationem ad gloriam, ergo certam & infallibilem Dei intentionem, ſeu prædeſtinationem ſaltem aliquorum ad gloriam. Nam nec Deus poteſt creare naturam aliquam, niſi ex intentione finis ejus: nec niſi ex intentione certa & infallibili; & conſequenter efficaci, alioquin poſſet tota aliqua natura ac intentio Dei fruſtrari ſuo fine.

Reſpondeo hanc ratiocinationem peccare in multis: Primò quia non probat ex Auguſtino, ut promittebatur in propoſitione. Secundò, quia falsò ſupponit peccatum hominis præſupponere creationem ejus ad glo-

tiam,cum peccare potuerit homo, non ordinatus ad illam, ſi ſcilicet Deus noluiſſet ei dare gloriam, & ei tamen præcepiſſet aliquid, quod non executus fuiſſet, in quo ſine dubio valde peccaſſet. Neque enim eſt ita intrinſeca, & neceſſaria connexio naturæ hominis, ſeu cujuſlibet naturæ rationalis, quæ nunc eſt cum ordine ad gloriam cæleſtem, ut ſine eo illa eſſe non poſſit, cùm gloria ſit longe ſuperior is ordinis, & ſuper naturam ejus. Tertiò quia ſi vera eſſet, probaret prædeſtinationem ad gloriam, non ſolùm factam eſſe ante præviſa merita; ſed nec aliter fieri potuiſſe, quod ita falſum eſſe ſupponitur in Theologia, ut circa hanc materiam nulla quæſtio ſit de poſſibili: ſed ſolum de facto, ut optime ſciunt Theologi; ſed agendo in forma. Reſpondeo neglecto antecedente, negando conſequentiam ad probationem ejus, dico quod nullum inconveniens videtur in hoc quod poſſit Deus creare naturam aliquam rationalem ſine intentione efficaci, & determinata ut aliquod ejus individuum determinate & ſingulariter, obtineat finem ſuum ſupernaturalem, qualis eſt gloria, de qua loquimur, cum iſte finis non ſit ei naturalis, ſed ſuper naturam ejus: ſed nec ipſe nunc creat homines cum intentione efficaci, & determinata ut aliquis eorum in ſingulari, conſequatur finem ſuum naturalem. Quis enim dicat quod homo qui bene utens ſua ratione conſequitur ſuam beatitudinem naturalem, habeat hoc ex intentione Dei antecedente abſoluta & efficaci, & non potius ex communi? Quia nempe ad id bene uſus eſt mediis communibus, quæ negliguntur ab aliis. Certe habemus ex Scripturis quod finem illum noſtrum ſupernaturalem, qui eſt gloria, propoſuit Deus omnibus obtinendum per modum præmii, coronæ, & mercedis: At quis dicet ad propoſitionem hujuſmodi opus eſſe intentione efficaci & ſingulari; ut hi potius obtineant illud præmium, coronam, & mercedem, quam alii? cum videamus quotidie contrarium practicari, & ſciamus hæc & ſimilia proponi in genere, & ſine interna & efficaci determinatione cujuſquam particularis, ad hæc obtinenda cæteris omnibus præferendi.

Ad id autem quod dicit quod alioqui poſſet tota aliqua natura, ac intentio Dei fruſtrari ſuo fine.

Reſpondeo primò hoc eſſe falſum, quia moraliter impoſſibile eſt, quod in tanta hominum multitudine quibus proponitur hæc gloria comparanda cum conceſſis ſibi mediis ad id vere ſufficientibus, aliqui eorum illam non obtineant.

Reſpondeo ſecundò quod etſi daretur gratis, quod nullum ſingulare hujus naturæ obtineret finem illum, non eſſet tamen inconveniens, cùm finis ille non eſſet finis ejus naturalis, & debitus; ſed ſupernaturalis & indebitus, & non niſi ſua culpa eo privaretur, cum omnino conſecuta illum eſſet, ſi voluiſſet. Quantum autem ad intentionem Dei nullo modo fruſtraretur ſuo fine, cum intentio illius non eſſet ut illa natura conſequeretur illum finem efficaciter & infallibiliter; ſed tantum ſuffi-

cienter, cum ei dediſſet media ſolum ſufficientia; non autem efficacia, ſeu infallibiliter operatura.

Secundum argumentum eſt, quod ſecundum Auguſtinum prædeſtinatio eſt quaſi unius integræ Civitatis Dei, ac unius integri Corporis Chriſti: ergo totius ſimul unâ eademque intentione primâ abſoluta infallibili, determinata ac efficaci: alioquin prima Dei intentio fuiſſet incerta, incompleta, indeterminata, & inefficax.

Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Ad probationem dico, quod prima Dei intentio quæ eſt ſalvandi omnes quantum eſt in ſe, & dependenter à cooperatione creaturæ, eſt quidem incompleta & inefficax, cum expectet determinationem creaturæ, ut efficaciter & complete velit aliquorum ſalutem; non tamen erit incerta & indeterminata: Aliud enim eſt executio intentionis, & aliud intentio: executio quidem erit incerta & indeterminata; quia in illo priori, nondum ſcitur, aut determinatum eſt, in quibus ſingularibus locum habebit; ſed intentio eſt certa & determinata, quia certo & determinate vult eorum ſalutem æternam, qui bene utentur mediis ad id ſibi conceſſis & non aliorum niſi ſufficienter.

Ad id autem quod addit Civitatem Dei primo intentam, fore ruinoſam, primum corpus quaſi monſtroſum ſine capite, aut caput ſine corpore, quæ ſunt contra perfectionem ſapientiæ & voluntatis divinæ.

Reſpondeo ibi falsò ſupponi duplicem eſſe Civitatem, & duplex corpus beatorum, cum dicitur eſſe prima Civitas, aut primum corpus beatorum à Deo intentum: Dicimus enim unicam eſſe Civitatem, & unicum corpus beatorum à Deo intentum: Sed in illo priori, in quo ſolùm concipimus, Deum per ſimplicem complacentiâ velle omnes ſalvos fieri; ſeu omnes ad illam Civitatem, ſeu corpus beatorum pertinere: Nondum vere apparere, quinam actu pertinebunt ad illud corpus, aut Civitatem: quod non eſt contra perfectionem ſapientiæ ac voluntatis divinæ; ſed tantum juxta imperfectionem noſtræ intelligentiæ, quæ non poteſt perfecta, niſi imperfecte concipere.

Tertium argumentum eſt, quia inquit B. Auguſtinus nunquam meminit ullius primæ intentionis Dei inefficacis, circa beatitudinem naturæ Angelicæ & humanæ, &c.

Reſpondeo hoc eſſe falſum, ut patet ex iis quæ diximus in argumento 2. ex ratione, ubi oſtendimus illud in Auguſtini ſcriptis & diſcipulorum ejus. Unde non habemus neceſſe reſpondere iis quæ hîc ſibi objicit Author, & ſolvit cum alia via procedamus.

Quartum argumentum eſt, quia inquit B. Auguſtinus nunquam exponit illud 1. Timoth. 2. Deus vult omnes ſalvos fieri: de prima intentione Dei æquali, & inefficaci circa ſalutem omnium, ac ſingulorum, ſed de intentione, ſeu voluntate efficaci ſalvandi omnes qui ſalvantur.

Reſpondeo id etiam eſſe falſum, ut patet ex præallegato argument. 2.

ex ratione: ubi etiam oſtendimus, quod quando explicat Auguſtinus illum locum de intentione efficaci, non explicat illum ſecundum proprium ſenſum ſuum; ſed ſecundum ſenſum & uſum, ſeu uſurpationem adverſariorum.

Quintum argumentum eſt quia, inquit, quantumvis ſæpe Auguſtinus ſupponat, & exprimat fieri, aliquam electionem, & prædeſtinationem, ex maſſa damnationis, ſeu ex natura humana jam corrupta, & infecta peccato originali: ſæpe tamen etiam ſupponit & exprimit diſtinctionem aliquam, & rationem priorem eligendi, ſeu prædeſtinandi hos præ illis ex eadem maſſa: Et ipſi, inquit Auguſtinus, peccatores cum propter generale peccatum unam maſſam fecerint, non tamen nulla eſt inter illos diverſitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamvis non ſint juſtificati, digni efficiantur juſtificatione. Quæ ſit autem inter illos diverſitas, & quid in his potius, quam illis præcedat, paulatim ſatis inſinuat 1. retract. 31. tom. 1. Quod dixi ſalus religionis hujus nulli unquam defuit, qui dignus fuit, &c. Non ita dixi, tanquam ex meritis ſuis quiſquã dignus fuerit; ſed quemadmodũ Rom. 9. 1. Tim. 1. Non ex operibus, ſed ex vocante. Quam vocationem ad Dei propoſitum aſſerit pertinere, &c. libro de geſtis Pelagii c. 17. Si pro eo quod poſitum eſt dignus poſitum eſſet prædeſtinatus, nihil certe ſcrupuli angeret animum; & tamen ſi dicatur eum qui per electionem gratiæ juſtificatur, nullis quidem præcedentibus meritis; ſed prædeſtinatione dignum vocari, ſicut electus vocatur; utrum vel minima offenſione intelligentiæ dici poſſit, difficile judicatur. Et cap. 35. Quod eas omnes gratias habuit Apoſtolus, quas tamen eum fuiſſe dignum accipere, non ſecundum merita; ſed potius ſecundum prædeſtinationem, aliquo modo intelligere potuerunt. Sed expreſſiſſime hoc libro cap. 10. Quod dixi ſalutem religionis hujus nulli unquam defuiſſe, qui dignus fuit, &c. Si quæratur; unde quiſque ſit dignus, non deſunt qui dicant voluntate humana: Nos autem dicimus gratia, vel prædeſtinatione divina. Unde patet electionem illam, aut prædeſtinationem ex maſſa, de qua tam ſæpe Auguſtinus, non eſſe primam illam electionem, ſeu prædeſtinationem abſolutam ad gloriam ſecundum intentionem; ſed eſſe ſecundum electionem, ſeu prædeſtinationem ad gratiam efficacem ſecundum executionem, ex vi primæ illius intentionis efficacis, ſeu prædeſtinationis abſolutæ ad gloriam per media, non tam ex ſe, quam ex vi illius intentionis, ſeu prædeſtinationis efficacia.

Reſpondeo, iſta non tam continere probationem ſuæ propoſitionis, quam reſponſionem ad objectionem graviſſimam, quæ ſumitur contra eum, ex maſſa damnata, quam ſemper ſupponit Auguſtinus ad prædeſtinationem de qua agit, per quam maſſam damnatam intelligit Auguſtinus originale peccatum, vel homines exiſtentes in peccato originali: ut ergo evitet, ſeu potius eludat iſtam graviſſimam difficultatem: Dicit quod per illam prædeſtinationem, quæ ſupponit illam maſſam commu-

nem, non intelligit Auguſtinus prædeſtinationem ſecundum intentionem; ſed ſecundum executionem, quod ut probet dicit Auguſtinum ſæpe meminiſſe cujuſdam prædeſtinationis, quæ ſupponit in ſubjectis prædeſtinandis, quandam diverſitatem, ſeu diſtinctionem, ſeu rationem priorem eligendi hos præ illis, quæ ideo debet alia eſſe à prædeſtinatione illa quæ ſupponit illam maſſam communem; ſed nego quod Auguſtinus dicat ullam prædeſtinationem ſupponere aliquam diſtinctionem, ſeu diverſitatem, ſeu rationem priorem eligendi aliquos præ aliis, niſi ſit illa prædeſtinatio, quæ eſt poſt prævisa merita, de qua loquitur apertiſſime libro 1. ad Simplicianum qu. 2. Et quam non vult Author admittere. Nam illa ipſa prædeſtinatio, quam hîc adducit Author, ut ſupponentem in ſubjecto diſtinctionem, & diverſitatem, ſeu rationem priorem eligendi, non ſupponit eam; ſed facit. Nam quod illa prædeſtinatio faciat ipſam diſtinctionem, quam falsò putat Author ſupponi ad illam; patet ex illis ipſis textibus, quibus ſupra voluit probare ſuam opinionem. Non, inquit Auguſtinus, ita dixi: tanquam ex meritis ſuis quiſque dignus fuerit; ſed quemadmodum Rom. 9. 1. Tim. 1. Non ex operibus, ſed *ex vocante*. Ubi vides illam dignitatem oriri à vocatione, non ſupponi. Et iterum: Si *pro eo quod poſitum eſt dignus poſitum eſſet, prædeſtinatus*, nihil certe ſcrupuli angeret animum. Ubi vides dignum eſſe, & prædeſtinatum eſſe, pro eodem ſumi ab Auguſtino; ſed prædeſtinatum eſſe, eſt à prædeſtinatione, ergo & dignum eſſe: ergo illa dignitas, ſeu diſtinctio, ſeu diverſitas qua unus eligitur præ alio, non ſupponitur ab illa prædeſtinatione, ſed fit. Unde & paulo poſt aït eum prædeſtinatione, dignum vocari, id eſt dignum ob prædeſtinationem: ſcilicet ad gratiam de qua ibi loquitur contra Pelagium. Et inferius loquens de gratiis Apoſt. Paulo collatis, aït eum *dignum fuiſſe* eas accipere, non ſecũdum merita; ſed *ſecundum prædeſtinationem*, id eſt ob prædeſtinationem. Et tandem expreſſiſſime: Si quæratur, inquit, *unde quiſque ſit dignus*, non deſunt qui dicant voluntate humana, nos autem dicimus *gratia*, vel prædeſtinatione divina: ubi non puto clarius exprimi potuiſſe iſtam dignitatem, diſtinctionem, diverſitatem qua unus eligitur præ alio, eſſe à prædeſt. & non ſupponi ad illam, cum dicat inde eſſe illam dignitatem, id eſt à prædeſtinatione: Ergo male aſtruit Author prædeſtinationem, quæ ſupponat diſtinctionem, præter eam quam defendimus, quæ eſt ex prævisis meritis. Cum loci illi quos adducit pro ſe in probationem talis commenti, clare oſtendant illam ipſam prædeſtinationem, quam adducit pro ſe in exemplum, prorſus non ſupponere; ſed facere diſtinctionem; ut ex dictis clarum eſt. Unde vanâ iſtâ diſcuſsâ ſubtilitate, nihil amplius rationabiliter debet ſupereſſe dubii, quin omnis prædeſt. ſecundum Auguſt. ſupponat peccatum Adæ prævisum, ſeu peccatum originale: cùm etiam certum ſit quod in ipſa definitione prædeſtinationis, de qua formaliter tractat Auguſtinus, quæ eſt reſpectu lapſorum hominum, ipſe ponat liberationem ab illa maſſa, ut quid ei intrinſecum, & proinde

prorſus

prorſus ſupponens maſſam illam peccati ante illam prædeſtinationem (de qua formaliter tractat Auguſtinus, quæ non eſt tantum ſecundum executionem; ſed etiam ſecundum intentonem) à qua maſſa prædeſtinati illi de quibus loquitur liberentur, atque ſalventur. Hæc prædeſtinatio (inquit libro de dono perſev. cap. 14.) Sanctorum nihil aliud eſt quam præſcientia, ſcilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime *liberantur quicunque liberantur.*

Sextum illius argumentum eſt contra eos qui diſtinguunt in prædeſtinatione duo decreta, ſcilicet decretum intentionis, & decretum executionis. (Quod ſane mirum eſt! cum mox ipſe illa duo decreta approbaverit, diſtinxerit, & diſtincta eis prædicata tribuerit) Et vult eum fieri unico, ac integro decreto efficaci dandi gloriam per media. Sed prima pars non eſt contra nos, qui decretum executionis rejicimus: ſecunda autem ſupra rejecta eſt in 1. argumento ex Scripturis, ubi oſtendimus opera noſtra bona, non eſſe media reſpectu Dei nos prædeſtinantis ad gloriam: Reliqua quæ ſequuntur uti valde implicata & confuſa, & parum ad rem facientia negligimus. *In præced. argum. ſub finem.*

Septimum argumentum eſt. Quia, inquit, inde ſequeretur optima quæque Dei opera non eſſe ex prima Dei intentione, & proprio motu; ſed tantum ex occaſione, ſeu occaſionata. Sequeretur Incarnationem Chriſti eſſe tantum ex occaſione peccati originalis, naturam humanam eſſe tantum ex occaſione lapſus Angelorum, &c.

Reſpondeo, nihil demi de perfectione operis, per hoc quod ſit ex occaſione, ſeu occaſionatum: imo vero aliquando hinc commendatur opus, ex addita, ſcilicet operantis prudentia, quæ opportuniſſime novit ſuum opus peragere, & tempori accommodare: ſaltem quod hoc non repugnet, patet ex hoc quod quotannis Eccleſia clamat, & prædicat per Miniſtros ſuos vere neceſſarium fuiſſe Adæ peccatum, quia nempe ex eo myſterium Dominicæ Mortis & Paſſionis occaſionatum eſt. Licet autem id concedamus de Incarnatione Dominica, quod ſcilicet occaſionata fuit ex peccato Adæ: non tamen omnino de natura humana, quod ſcilicet occaſionata ſit ex lapſu Angelorum, cum certum non ſit apud Auguſtinum, an tot tantum homines aſſumendi ſint quot Angeli lapſi ſunt: Ipſe enim innuit libro 22. de Civitate Dei cap. 1. & in Enchir. cap. 29. fortaſſe futuros plures, pro quo vide Janſenium lib. 9. de gratia Chriſti Salvat. cap. 26.

Ad id autem quod additur, ſcilicet nec Civitatem illam Dei, ex perfecta idæa, ac decreto ſui artificis, integram ſimul ac novam formari, & ædificari; ſed ex quibuſdam ſupplementis, & quaſi ſarcimentis ruinarum ejus.

Reſpondeo id male argui, vel eſſe contra Auguſtinum: Certum enim ex Auguſtino eſt, illam Civitatem magna ex parte formatam, & ædificatam eſſe ex ſupplementis ſucceſſivis hominum lapſorum; ut patet ex

Mmm

lib. 14. de Civitate Dei cap. 26. ubi aït Auguſtinus: Non defuit utique conſilium, quo certum numerum Civium in ſua ſapientia prædeſtinatum, etiam *ex damnato genere humano ſua Civitatis impleret.* Et ex Enchir. cap. 29. ubi aït: Placuit itaque univerſitatis Creatori, atque moderatori Deo, ut quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deſerendo perierat..... Alia creatura rationalis quæ in hominibus erat, quoniam peccatis atque ſuppliciis, & originalibus & propriis, tota perierat, ex *ejus parte reparata, quod Angelicæ ſocietati ruina illa diabolica minuerat, ſuppleret:* Et cap. 62. *In ipſo* (ſcilicet Chriſto) *inſtaurantur quæ in Cælis ſunt*, cum id quod inde in Angelis lapſum eſt, ex hominibus redditur. Ubi vides ſecundum Auguſtinum Civitatem illam ſanctam, & beatam Civitatem inſtaurari, formari, ædificari ex ſupplementis, & ſi vis etiam ſarcimentis ſucceſſivis ruinarum illius: nihil enim decidit de perfectione ædificii, quod non fiat ſimul, ſed ſucceſſive; & quod non fiat ex novis, & rudibus materiis; ſed veteribus & fabrefactis, modo egregium evadat, quale eſt iſtud Civitatis ſanctæ & beatæ, in qua, ut aït Apoſtolus, non eſt ulla macula, neque ruga.

Ad id autem quod tandem aït, corpus illud electorum, ſimul integre, ac perfecte concipi non poſſe; ſed primo quaſi acephalum, &c.

Reſpondeo, quod ſi vis illud concipere ut eſt in fieri, ſeu ut actu fit, non concipies illud integre & perfecte, quia nondum eſt integrum, & perfectum: Si autem vis illud concipere ut eſt in facto eſſe, concipies illud integrum & perfectum quod commune eſt omnibus ædificiis & Civitatibus & entibus quæ ſucceſſive fiunt; unde hinc nihil colligitur abſurdi. Et præterea in his comparationibus, non eſt magna vis apud Doctos, eo quod ſciant ſemper eas in aliquo claudicare, forte valerent apud populum, & plebem imperitam.

Octavum argumentum eſt, quod Auguſt. 1. retractat. 13. expreſſe ſupponit ſine peccato originali, naſcituros fuiſſe homines uſque ad certum Sanctorum numerum, quem prædeſtinavit Deus: Ergo non ſupponit peccatum originale prædeſtinationi, ſed è contra.

Reſpondeo, nihil aliud ibi innui, quam communem Auguſtini doctrinam, quam probavimus argumento 6. ex Auguſtino, & argum. 8. ex ratione: Qua ſupponit Auguſtinus, numerum ſalvandorum determinatum à Deo fuiſſe formaliter, id eſt ſecundum numerum certum, non vero materialiter, id eſt ſecundum perſonas ſingulares ad eum pertinente: ex qua doctrina, licet poſſet inferri, numerum ſalvandorum fuiſſe determinatum quoad ſe, & ut numerus numerans eſt, ante maſſam damnatam: non tamen bene infertur, quod fuit determinatus ſecundum perſonas ſingulares, & ut numerus numeratus eſt, ante illam maſſam damnatam: Quandoquidem permanente veritate propoſitionis prædictæ, poteſt certus ille numerus quem prædeſtinavit Deus, impleri perſonis ex illa maſſa electis, ſicut & aliis ante illam elec-

ctis, ſcilicet bonis Angelis. Et videtur eſſe ſenſus Auguſtini in præcedentibus textibus paulo ſupra à nobis ex eo relatis.

Nonum argumentum eſt, quia inquit ſuppoſitio illa peccati originalis, eſſet contra immaculatam conceptionem Dei-paræ Virgine;de qua beatus Auguſtinus; cum de peccatis agitur non vult fieri mentionem, ſup. Nam vel B. Virgo fuit præſervata ex vi ſuæ prædeſtinationis ante omnem permiſſionem aut prævifionem peccati originalis: vel fuiſſet ſaltem obnoxia peccato originali, & præſervanda decreto aliquo, ſeu privilegio poſteriori, tanquam neceſſario ſupplemento prioris alicujus improvidentiæ.

Reſpondeo B. Virginem fuiſſe præſervatam à peccato originali, per prædeſtinationem ad gratiam ſanctificantem in inſtanti ſuæ animationis recipiendam, eo tempore quo debebat infici à peccato originali: nec propterea ibi eſt aliqua improvidentia timenda, aut corrigenda: quia ſi eſt jam prædeſtinata ad gloriam iſta præſervatio, ſeu excellens liberatio erit executio iſtius prædeſtinationis: ſi autem nondum concipitur prædeſtinata ad gloriam, multo minus eſt timendum à correctione neceſſaria, cùm nullum præceſſerit decretum quod corrigatur, nec majorem video in eo difficultatem, quam in prædeſtinatione cæterorum ad gratiam, ſeu baptiſmi in parvulis, ſeu pœnitentiæ in adultis.

Decimum argumentum eſt, quia pleraque, inquit, pro prædeſtinatione pure gratuita, ſeu priore omni prævifione meritorum, ſunt etiam pro prædeſtinatione priore omni prævifione, ac permiſſione demeritorum.

Reſpondeo, hoc argumentum non eſſe contra nos, qui non cenſemus prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante præviſa merita; nec ullum agnoſcimus in Auguſtino locum qui ſit pro prædeſtinatione illa: unde relinquimus illud ſolvendum iis qui tenent prædeſtinationem illam, & putant pleraque eſſe in Auguſtino pro illa.

Undecimum argumentum eſt, quia inquit, ita B. Auguſtinum, etiam interpretati ſunt fideliores & celebriores ejus Diſcipuli, & Doctores Scholaſtici.

Reſpondeo; hoc facile dici, vellem probari. Quicquid ſit nullos puto fideliores & celebriores reperiri poſſe Auguſtini Diſcipulos, quam Fulgentium, Proſperum, Primaſium, Bedam, & alios ſupra relatos, qui tamen tenuerunt prædeſtinationem ad gloriam factam eſſe poſt præviſa merita, & per hoc poſt præviſum originale peccatum, qui certe noluiſſent contrariam Auguſtino ſententiam tueri, ac propugnare. Simili modo dicendum eſt de Doctoribus Scholaſticis, quorum celebriores, imo celeberrimi tenuerunt noſtram ſententiam, quæ ſupponit prævifionem originalis peccati; ut Alexander de Hales, Albertus Magnus, D. Thomas, D. Bonaventura, & alii multi ſupra relati, qui ſane noluiſſent contrariam Auguſtino ſectari ſententiam.

PARAGRAPHVS DECIMVS SEXTVS.

Decima octava proponitur & ſolvitur Objectio: multas alias continens diſparatas Objectiones, ex quarum Solutione magis ac magis apparebit puriſſima Auguſtini doctrina de prædeſtinatione & gratia.

DECIMUM OCTAVUM argumentum peti poteſt ex iis quæ habet Petavius tomo 1. Dogmatum Theologicorum lib. 9. cap. 6. & ſequentibus: licet enim poſtea ipſe teneat & defendat abſolute noſtram ſententiam, ibi tamen negat eam eſſe Auguſtini, cui etiam tribuit contrariam: In quo ſane multum diſtat à vero, explicans ſententiam Auguſtini ſecundum ſenſum ſuum, & non ſecundum ſenſum ipſiuſmet Auguſtini: Dicit enim Auguſtinum nunquam agnoviſſe aliam prædeſtinationem quam eam quæ eſt ad gratiam ſimul & ad gloriam, quas vult ita reſpici ab illa prædeſtinatione, ut non una reſpiciatur prius quam altera; ſed ſimul re, & ratione: in quo duo committit abſurda; unum eſt contra Auguſtinum, alterum contra ſeipſum: contra Auguſtinum, cum aït: Auguſtinum non agnoviſſe illam prædeſtinationem, quæ eſt ad gratiam ſolam, cujus contrarium tam clare ſupra demonſtravimus, ut non neceſſe ſit iſtam quæſtionem iterum hîc innovare: contra ſeipſum autem, cum aït: Illam prædeſtinationem eſſe ſimul re, & ratione, ad gratiam & ad gloriam; cujus contrarium ipſe ſatis innuit, cum fere ſemper ſupponat in ſuis argumentationibus, prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam prædeſtinationis ad gratiam; imo clare id dicat cap. 6. n. 5. ubi aït: Porro prædeſtinatio (ſcilicet Auguſtiniana de qua loquitur) qua electi ſunt, non ſolùm gratiam reſpicit; ſed etiam gloriam: imo hanc præcipue, & *hujus cauſa gratiam*. Et infra: *Idcirco* ad fidem & gratiam vocare *conſtituit* electos, *quod* eos ad gloriam perducere propoſitum habet, qua ex deliberatione *vocandi, ac juſtificandi conſilium* oritur. Et cap. 7. n. 1. & 2. aït: Voluntatem dandi gratiam pendere à voluntate dandi gloriam: & ſic unam eſſe cauſam alterius. Quis autem putet cauſam non eſſe ſaltem ratione priorem ſuo effectu; ſed eſſe ſimul re, & ratione? nemo, ut opinor, nec ipſe Petavius id diceret. Sed unde hoc ſibi perſuadere potuit Petavius Auguſtinum omnem aliam ignoraſſe prædeſtinationem, præter eam quæ eſt ad gratiam ſimul & gloriam, non video: niſi quia aliquando loquens Auguſtinus de prædeſtinatione ad gratiam, præcipue perſeverantiæ quæ ſemper conſequentem habet prædeſtinationem ad gloriam, loquitur concomitanter de gloria, de aliis fundamentis quæ habere potuit, nihil video quod tantiſper ſit veriſimile:

Lib. 9. c. 1. in fine. Lib. 9. c. 12. n. 1. 2. 3.

In ultima Object. ex Scripturis.

Nam quod aït cap. 6. n. 3. diſputationem illam quam habuit Auguſtinus cum Pelagio fuiſſe de prædeſtinatione ad gloriam, & non ad gratiam; mihi prodigii inſtar viſum eſt, quod id incidere potuerit in mentem alicujus, qui legiſſet Auguſtinum, cum nihil frequentius increpet Auguſtinus contra Pelagium quam gratiam, raro autem loquatur de gloria, idque ex accidenti & ratione gratiæ, quæ eſt ſemen illius. Unde & Janſenius ingenue faſſus eſt, nunquam Auguſt. hanc difficultatem ex profeſſo diſputaſſe, neque contra Pelagium, neque contra ullum alium. Et ſane ſi agitaſſet hanc difficultatem Auguſtinus cum Pelagio, quæ eſt de prædeſtinatione ad gloriam; an ſit ante, vel poſt prævifa merita: ſeu an ſit cauſa, vel non cauſa meritorum; ut illa prædeſtinatio eſt ad gloriam, & non ad gratiam (qui eſt ſenſus intentus à Petavio in loco præallegato) non haberetur illa difficultas, ut problematica inter Catholicos: ſed ut quid pertinens ad fidem, non ſolum quia Auguſtinus libro de dono perſeverantiæ cap. 19. initio aït: Hoc ſcio neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundum Scripturas Sanctas defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe; ſed etiam quia certum eſt quod doctrina illa quam directe agitavit Auguſtinus contra Pelagium, definita à Conciliis eſt iiſdem ſententiis, ac iiſdem ferme verbis quibus eam diſputavit Auguſtinus.

PUNCTUM PRIMUM.

Oſtenditur poſitive contra Petavium, nunquam diſputaſſe formaliter Auguſtinum de prædeſtinatione ad gloriam; ſed tantum de prædeſtinatione ad gratiam.

SED quid quærimus hîc argumenta extrinſeca contra iſtam ſententiam, cum habeamus ipſum Auguſtinum ſemetipſum explicantem in titulis librorum, quos contra Pelagianos exaravit, in quibus ſola fit mentio de gratia; nihil autem ibi de gloria. Primi tres ſunt de peccatorum meritis & remiſſionibus, nihil ibi de gloria; ſed totum eſt de gratia, per quam fit remiſſio peccatorum: ſequens eſt de ſpiritu & littera, nihil ibi de gloria, ſed totum de gratia, ſignificata per ſpiritum. Deinde liber de natura & gratia, dein liber de gratia Chriſti, dein liber de perfectione juſtitiæ, quæ idem eſt cum gratia, dein liber de gratia & libero arbitrio, dein liber de correptione & gratia; nihil ibi de gloria, ſed totum eſt de gratia.

At enim dicit Petavius ſub nomine gratiæ, intelligi etiam gloriam, quæ eſt cauſa gratiæ. Audiamus ergo Auguſtinum expreſſius ſemetipſum exponentem, libro 2. retract. cap. 33. loquens de tribus primis libris, ſic aït: Venit etiam neceſſitas quæ me cogeret adverſus novam Pelagianam hæreſim ſcribere.... Scripſi primum libros tres, quorum titulus eſt, de peccatorum meritis, & remiſſione: ubi maxime de baptiſmate

Gratiam illam quam defendit Auguſtinus. Dicit Proſper eam fuiſſe qua Chriſtiani ſumus

non vero di-citur qua beati ſumus. Gratiam Dei, inquit, qua Chriſtiani ſumus, *quidam dicere audent à ſanctæ memoriæ Auguſtino Epiſcopo non recte eſſe defenſã. Lib. contra collat. c. 1. initio.*

diſputatur parvulorum propter originale peccatum, & de *gratia Dei qua juſtificamur, hoc eſt juſti efficimur.* Ecce vides gratiam explicatam quæ juſtos efficit, non beatos. Eodem modo loquitur de ſequenti libro, qui eſt de Spir. & litt. cap. 37. libri 2. retract. Ad quem, inquit, ſcripſeram tres libros quorum titulus eſt de peccat. meritis & remiſſ. reſcripſit mihi ſe fuiſſe permotum, *quod dixerim, fieri poſſe ut ſit homo ſine peccato, ſi voluntas ejus non deſit, ope adjuvante divina:* (ubi vides occaſionem libri fuiſſe de ſola gratia juſtificante & ſervante à peccato) quamvis nemo tam perfectæ juſtitiæ in hac vita, vel fuerit, vel ſit, vel futurus ſit: Quæſivit enim quomodo dixerim poſſe fieri, cujus rei deſit exemplum: propter hanc ejus inquiſitionem, ſcripſi librum, cujus eſt titulus de Spiritu & littera, pertractans Apoſtolicam ſententiam, ubi ait: [Littera occidit, ſpiritus autem vivificat] in quo libro quantum Deus adjuvit, acriter diſputavit *contra inimicos gratiæ, qua juſtificatur impius.* Ecce de qua gratia loquitur quæ ſcilicet juſtificat, non quæ beatificat, ſeu quæ beatos formaliter efficit. De libro autem qui eſt de natura & gratia, ſic loquitur lib. 2. retract. cap. 42. venit etiam tunc in manus meas quidam Pelagii liber, ubi hominis *naturam contra gratiam* qua juſtificatur impius, & qua Chriſtiani ſumus (ecce gratia de qua agebatur à Pelagio) quanta potuit, argumentatione defendit: librum ergo, quo huic reſpondi, defendens gratiam, non contra naturam, ſed per quam natura liberatur, & regitur. Ecce gratia, de qua agebat Auguſtinus, ſcilicet quæ liberat à peccato præterito, & regit, ne cadatur in futurum, non vero quæ beatum facit hominem in æternum. Titulum libri de gratia Chriſti non explicuit, cum res per ſe manifeſta ſit. Eſt enim gratia Chriſti oppoſita legi & doctrinæ, quæ ſolùm illuminat intellectum: Illa autem excitat & ſanat voluntatem à languoribus ſuis, ut infra explicabimus in object. 13. ex ratione. Librum de perfectione juſtitiæ non retractavit: Sed totus eſt, inquiunt ibi Lovanienſes, in refellendis quibuſdam Cæleſtii argutiis, ſeu ratiocinationibus, quibus aſtruere conabatur, poſſe nos in hac corruptibili vita, ad eam venire juſtitiæ perfectionem, ut ſine omni prorſus peccato vivamus, oſtendens neminem id aſſecutum, aut aſſecuturum: cum Pelagius & Cæleſtius libero id etiam tribuerent arbitrio. Ubi nihil de gloria; ſed totum de gratia contra merum arbitrium. librum de gratia & libero arbitrio, ſic exponit lib. 2. retract. cap. 66. Propter eos, inquit, qui cum defenditur Dei gratia putantes negari lib. arbir. ut negent Dei gratiam, *aſſerentes eam ſecundum merita dari*, &c. Ubi vides agi de tali gratia, quæ non datur ob merita; ſed gloria datur ob merita; ergo non eſt illa gratia, de qua ibi loquitur Auguſt. Librum de correpr. & gratia, ſic exponit lib. 2. retract. cap. 67. Rurſus, inquit, ad eoſdem ſcripſi alterum librum, quem de correptione & gratia prænotavi: cum mihi nunciatum eſſet, dixiſſe ibi quendam neminem corripiendum, ſi Dei præcepta non facit; ſed pro illo ut faciat, tantummodo orandum. Ubi vides ſolum agi de gratia, quæ facit facere præcepta, & non de gloria,

Cùm ergo in præcipuis his libris contra Pelagianos conſcriptis, agat ſolùm Auguſtinus de gratia juſtificante, & ſeivante à peccato, & ad præcepta facienda adjuvante, & non beatificante, ſeu glorificante in æternum: Quis ſinecrus & prudens dicat Auguſt. & Pelagium diſputaſſe de prædeſtinatione ad gloriam, & non potius de prædeſtinatione ad gratiam ſolam, cum ibi nulla mentio fiat de gloria; ſed ſolùm de gratia, ut ſupra explicata? Eequis non abſurdiſſime dictum putet; fuiſſe controverſiam, imo in hoc poſitum fuiſſe ſtatum controverſiæ inter Auguſtinum & Pelagium, ut aït Petavius, utrum ex præviſa ſanctitate & juſtitiâ, per qualemcunque Chriſti gratiam (quaſi abſtraxiſſet Auguſtinus in ea diſputatione à qualitate gratiæ, & tantum attentus fuiſſet ad prædeſtinationem gloriæ) eligerentur, ac prædeſtinarentur homines ad gloriam, Regnumque Cælorum: An ex eo quod elegit, & prædeſtinavit Deus (ſcilicet ad gloriam) ſanctitatem ipſis, & juſtitiam indulgeat, cum viderimus in prædictis libris Auguſtinum agere formaliter de qualitate gratiæ, ut oppoſitæ naturæ; item & litteræ, id eſt, legi & doctrinæ: Et probare eſſe talem, qua juſti efficimur à Deo, & non à natura, & libeto arbitrio, in quo ponebat Pelagius gratiam. Sed videamus in uno illorum libro, veram ſententiam Pelagii quam impugnabat Auguſtinus, & quid formaliter poſcat ab eo, ut de propoſita inter eos quæſtione & controverſia, recte ſentiat: an ut fateatur prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam ſanctitatis & juſtitiæ, per quamcunque voluerit Pelagius gratiam: an vero ut talem fateatur gratiam, quæ pendeat à Deo, & ſine qua nihil boni agere poſſumus, non vero quæ pendeat à ſolo homine, & ſita ſit in libeto arbitrio, & in lege atque doctrina, ut volebat Pelagius.

Dicit Petavius lib. 9. cap. 6. n. 7. Quod ut de cujuſpiam è Patribus ſententia conſtet præcipue illud intuendum eſt, non quid uno alterove in loco quaſi obiter injecerit; ſed quæ ſit per ejus ſcripta continens, & perpetua doctrina, quod vult habere locum in Auguſtino: quod fideliter, & ubique obſervavimus, & utinam ipſe obſervaſſet, ut non hic contra eum inviti ſcribere cogeremur. Ex unico enim Auguſtini loco infra explicando, collegit magnam illam diſputationem quæ fuit inter Auguſtinum & Pelagium de gratia, fuiſſe de prædeſtinatione ad gloriam ex qualicunque gratia. Et hinc tota illius hallucinatio ſecuta eſt: Cum explicuerit de prædeſtinatione ad gloriam, ut mere gratuita, id omne quod dixit Auguſtinus contra Pelagium, de mere gratuita prædeſtinatione ad gratiam.

Punctum II.

Oſtenditur poſitive contra Petavium; nunquam diſputationem formalem fuiſſe inter Auguſtinum & Pelagium de prædeſtinatione ad gloriam, ſed tantum de prædeſtinatione ad gratiam.

Liber qui eſt de gratia Chriſti ad id aptiſſimus erit; nam cùm ex profeſſo ibi tractet de gratia (ſub qua vult comprehendi gloriam Petavius, ego vero ſolam gratiam) aptiſſime decidet hanc quæſtionem. Miſſum facio, quod toto illo libro vocat Auguſtinus gratiam, adjutorium quod non poteſt convenire gloriæ; ſed ſoli gratiæ adjuvanti arbi-

Cap. 7. trium. Incipio ab illo loco, ubi Pelagius explicat ſuam gratiam,& ſuam ſententiam: Hic nos, inquit, imperitiſſimi hominum putant, injuriam divinæ gratiæ facere, quia dicimus eam ſine voluntate noſtra, nequaquam in nobis perficere ſanctitatem(hoc perficere non convenit gloriæ, ſed ſoli adjutorio gratiæ adjuvantis, ut per ſe manifeſtum eſt) quaſi Deus gratiæ ſuæ aliquid imperaverit,& non illis quibus imperavit,etiam *gratiæ ſuæ auxilium* ſubminiſtret; & quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius poſſent implere per gratiam: quam nos, non ut tu putas in lege tantummodo,ſed & *in Dei eſſe adjutorio* confitemur. Supra quæ ſic ait Auguſtinus quis non hic deſideret, ut oſtendat quam velit intelligi gratiam (ecce ergo punctus controverſiæ quam gratiam admittat Pelagius;puto non gloriam) propter hoc enim maxime de illo expectare debemus, ut dicat hoc quod dicit, non in lege tantummodo ſe gratiam confiteri: ſed nobis hac expectatione ſuſpenſis (puto non ob aliquid accidentarium controverſiæ; ſed ob aliquid ei intrinſecum & eſſentiale)quid addiderit intuemini. *Adjuvat* enim nos, inquit, Deus per doctrinam, & revelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit, dum nobis ne præſentibus occupemur, futura demonſtrat, dum diaboli pandit inſidias, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminat. Deinde *ſententiam ſuam* quadam velut abſolutione concludens: Qui hæc dicit, inquit, gratiam tibi videtur negare, an & liberum hominis arbitrium, & Dei gratiam confitemur? (hæc eſt ergo ſententia Pelagii, quam ſic explicat ipſe Auguſtinus)in his omnibus non receſſit à commendatione legis atque doctrinæ: hanc eſſe *adjuvantem gratiam* (non prædeſtinationem ad gloriam)diligenter inculcans, & hoc exequens quod propoſuerat, cum diceret: Sed in Dei eſſe adjutorio

Cap. 8. confitemur. Et paulo poſt: Hinc itaque apparet hanc eum gratiam confiteri qua demonſtrat & revelat Deus, quid agere debeamus (quæ eſt agnitio legis, ut paulo poſt explicat) non qua donat, & *adjuvat*, ut agamus, cum ad hoc potius valeat legis agnitio (quæ eſt gratia Pelagii ſupra explicata) ſi *gratiæ* deſit *opitulatio*, ut fiat mandati prævaricatio. Ecce ergo de quo formaliter agebatur inter Auguſtinum & Pelagium de gratia, ſcilicet adjuvante, & firmante arbitrium, non de prædeſtinatione ad gloriam, influente ſanctitatem & iuſtitiam in hominem per qualemcunque gratiam quam voluiſſet Pelagius admittere. Unde & paulo

Cap. 9. poſt ſic arguit eum Auguſtinus: Quid ergo eſt quod iſte legem atque doctrinam deputat *gratiam, qua juvamur ad operandam juſtitiam*, quæ ut multum adjuvet,ad hoc adjuvat,ut requiratur gratia? Et infra: Quid juvat enim Pelagium quia diverſis verbis eandem rem dicit, ut non intelligatur in lege atque doctrina *gratiam conſtituere, qua poſſibilitatem naturæ aſſerit adjuvari*: quantum autem exiſtimo, ideo veretur intelligi, quia damnavit eos qui dicunt gratiam Dei & *adjutorium* Dei, non ad ſingulos actus dari (ecce ergo de quâ gratiâ agebatur, eſt adjutorium Dei, quo ad ſingulos actus datur, & hîc redarguitur ab Auguſtino Pelagius,

quod

quod non in hoc poneret ſuam gratiam, ſeu adjutorium Dei) ſed in libero arbitrio, vel in lege atque doctrina. Et ſub finem capitis ſequentis: Hæc autem gratiâ, quâ [Virtus in infirmitate perficitur] prædeſtinatos, & ſecundum propoſitum vocatos, ad ſummam perfectionem, glorificationemque perducit (ecce quid facit iſta gratia: non dicit unde ſit, an ex prædeſtinatione ad gloriam, an non ex illa; nihil de his dicit, quia non pertinebat ad quæſtionem. Quærebatur enim ſolùm quæ & qualis eſſet illa gratia; unde ſolum debebat illa deſcribi per ſuos proprios effectus, ut ſequitur) quâ gratiâ agitur, non ſolùm ut facienda noverimus, verumetiam ut cognita faciamus; nec ſolùm ut diligenda credamus (ut volebat Pelagius) verumetiam ut credita diligamus. Hæc gratia ſi doctrina dicenda eſt, certe ſic dicatur, ut altius & interius eam Deus cum ineffabili ſuavitate credatur infundere .... ita ut non oſtendat tantummodo veritatem (quæ erat gratia Pelagii poſita in agnitione legis) ſed etiam impertiat charitatem. Vides quanta cum inſtantia & ſolicitudine, veram gratiam, quæ eſt in voluntate ſtudeat diſtinguere Auguſtinus à falſa gratia, quæ eſt ſolum in intellectu, ſeu in agnitione legis, quam admittebat Pelagius: ut per hoc videas, non ex accidenti, & quaſi contingenter id tractaſſe Auguſtinum, quaſi ſcilicet permitteretur qualiſcunque gratia, modo prædeſtinatio ad gloriam ejus cauſa crederetur; ſed formaliter & directe, & omnino ex profeſſo, de illa gratia diſputaſſe, quæ adjuvat voluntatem, ut de quodam intrinſeco, imo ſolo intrinſeco illi controverſiæ, quæ inter illos agitabatur. Unde cum tandem aliquam in voluntate gratiam admiſiſſet Pelagius; ſed tantum ad facilius, & non ad ſimpliciter agendum, per hæc verba: Divinam mereamur gratiam, & *facilius* nequam ſpiritui, Sancti Spiritus auxilio (quod pertinet ad voluntatem ſtylo Auguſtini & adverſariorum ejus) reſiſtamus. Sic reprehendit eum Auguſtinus: Ut quid enim hoc verbum interpoſuit; id eſt, facilius? An vero non erat integer ſenſus: Ut nequam ſpiritui, Sancti Spiritus auxilio reſiſtamus. Sed quantum detrimentum hoc additamento fecerit (ergo non erat accidentale) quis non intelligat? volens utique credi, tantas eſſe naturæ vires, quas extollendo præcipitat, ut etiam ſine auxilio Spiritus Sancti, etſi minus facile, tamen aliquo modo nequam Spiritui reſiſtatur. Ut autem omnino clare videas; quod ſolùm hîc diſputavit Auguſtinus contra Pelagium de qualitate gratiæ, non autem de prædeſtinatione ad gloriam, per qualemcunque gratiam, ut vult Petavius: Vide quid poſtulet hîc ab eo, ut recte ſentiat & loquatur in hac materiâ de quâ hîc agitur. Item, inquit Auguſtinus in eodem libro alio loco, ut quid per liberum inquit (ſcilicet Pelagius) homines facere jubentur arbitrium, facilius poſſint implere per gratiam. Tolle (inquit Auguſtinus) facilius; & non ſolum *plenus*, verumetiam ſanus eſt ſenſus ſi ita dicatur: ut quod per liberum facere jubentur homines arbitrium, poſſint implere per gratiam. (Ibi nihil video de prædeſtinatione ad gloriam ut cauſa meritorum per qua-

Cap. 27.

Cap. 29.

lemcunque gratiam acquiſitorum; ſed totum & totaliter eſt de gratia adjuvante, non ad facilius, ut volebat Pelagius; ſed ad ſimpliciter agendum: Et tamen ibi dicitur ſenſus eſſe plenus, cui nempe nihil deſit, quod ſit ad controverſiam dirimendam neceſſarium: quia ſcilicet nihil prorſus poſcebat Auguſtinus à Pelagio, niſi ut admitteret gratiam in voluntate neceſſariam ad præceptum implendum, & nihil aliud. Sed quia volebat Pelagius tantum commodam, & non neceſſariam, ideo hîc reprehendit eum Auguſtinus, & non ob aliam niſi ob hanc rationem (ut patet ex eo quod ſequitur) Cùm autem *facilius* additur (ecce ſupradictum additamentum toti controverſiæ capitaliter contrarium) adimpletio boni operis, etiam *ſine Dei gratia* (id eſt in voluntate reſidente, nam probe ſciebat Auguſtinus eum admiſiſſe gratias internas intellectus v. g. illuſtrationes, ſeu illuminationes & revelationes intellectus, ut ſupra ſatis innuit) poſſe fieri tacita ſignificatione ſuggeritur; quem ſenſum redarguit qui dicit [Sine me nihil poteſtis facere.] (Ecce ergo de quo agebatur directe & formaliter in hac controverſia, ſcilicet de qualitate gratiæ, an ſcilicet ſufficeret ut ad facilius, an vero requireretur ut ad ſimpliciter agendum, & an ſufficerent in intellectu illuminationes, & revelationes internæ, an vero præterea requirerentur inſpirationes, ſeu piæ motiones à S. Spiritu in voluntate neceſſariæ, hoc ſolum agitabatur, & nihil præterea; & tantum requirit ibi Auguſt. à Pelagio, ut talem admittat in voluntate gratiam quæ ſit ad agendum ſimpliciter, & non tantum ad facilius, ut volebat Pelagius. Unde & ſequitur: Emendet hæc omnia (id eſt non ſolùm admittat gratiam in intellectu, ſed etiam in volũtate: & non tantum ad facilius, ſed ad ſimpliciter agendum neceſſariam) ne ſi in rerum magnarum profunditate, humana erravit infirmitas, etiam diabolica, huic accedat errori, vel fallacia, vel animoſitas, ſive negando quod ſenſit, ſive defendendo quod perperàm ſenſit (credo quod hæc non dicuntur de aliquo quod ſit accidentarium controverſiæ & ſententiæ Pelagianæ) cum id ſe non debuiſſe ſentire commemorata (id eſt ſupra explicata) veritate cognoverit. Iſtam quippe *gratiam qua juſtificamur* (non dicit qua glorificamur) id eſt quà [Charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis] in Pelagii & Cæleſtii ſcriptis, quæcunque legere potui, nuſquam eos inveni, quemadmodum confitenda eſt, confiteri. Ecce ergo de quo formaliter agebatur inter Pelagium & Auguſtinum, ſcilicet an veram Chriſti gratiam admitteret in voluntate neceſſariam, non vero an admitteret prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam meritorum per qualemcumque gratiam acquiſitorum, cùm prius non poſterius, tam ſollicite ſe quæſiiſſe dicat Auguſtinus in ſcriptis Pelagii & Cæleſtii: quod & expreſſius adhuc affirmat, dicens: Prorſus nuſquam eos adverti, ſicut agnoſcendi ſunt, agnoſcere filios promiſſionis (id eſt fideles factos per gratiam Chriſtianam Dei filios) de quibus dicit Apoſtolus [Non ii qui filii carnis, hi filii Dei; ſed filii promiſſionis deputantur in ſemen] quod

enim promittit Deus, non facimus nos per arbitrium (ſcilicet ſolum, ut volebat Pelagius) ſed per naturam; ſed *facit ipſe per gratiam*: (ubi vides ſolum inquiſiiſſe Auguſtinum gratiam quæ adjuvat, & facit facere bonum, non vero quæ glorificat, ſeu beatum facit hominem) Nam ut de Celeſtii Opuſculis interim taceam.... poteſtis advertere non eum ponere Dei *gratiam qua juvamur* (ecce ergo gratia de qua formaliter agebatur, ſcilicet qua juvamur) ad declinandum à malo, vel ad faciendum bonum, præter naturale arbitrium voluntatis, niſi in lege atque doctrina: ita ut ipſas orationes ad hoc afferat neceſſarias (id eſt ad hoc tantummodo neceſſarias) ut oſtendatur homini, quid concupiſcat & diligat (quæ eſt gratia intellectus, & non voluntatis qualem poſtulabat Auguſtinus.) Sed ut non fruſtra tempus teramus in probanda tam clara re, afferenda eſt ex Auguſtino, in eodem libro, brevis & dilucida totius controverſiæ definitio: Si conſenſerit, inquit, nobis (ſcilicet Pelagius) Cap. 47. non ſolam poſſibilitatem in homine (quā ponebat in ſolo voluntatis arb.) etiamſi nec velit, nec agat bene; ſed ipſam quoque voluntatem & actionem: id eſt ut bene velimus, & bene agamus, quæ non ſunt in homine niſi quando bene vult, & bene agit: Si, ut dixi, conſenſerit, etiam ipſam voluntatem & actionem, *divinitus adjuvari*, ut ſine illo *adjutorio*, nihil bene velimus & agamus: (ubi vides ſolum quæſtionem eſſe de gratia adjuvante arbitrium in bono, non vero de gratia glorificante & beatum faciente formaliter) eamque eſſe gratiam Dei, per JESUM CHRISTUM Dominum noſtrum, in qua nos *ſua* non noſtra *juſtitia* (ſcilicet mere naturali & humana, quam propugnabat Pelagius, & cum eo Celeſtius, alter Pelagianorum Dux & Primipulus) *Iuſtos facit*, ut ea ſit vera noſtra juſtitia, quæ nobis ab illo eſt, nihil de *adjutorio* gratiæ Dei (ecce adhuc de qua gratia formaliter & directe agebatur, ſcilicet adjuvante temporaliter non glorificante in æternum) quantum arbitror inter nos controverſiæ relinquetur. Hæc definitio per ſe clara eſt non indiget anxio & prolixo explicatore; ſed tantum attento, & non prævento Lectore. Nec unquam ab ea receſſit Auguſtinus, ſed uſque ad mortem eam retinuit: Unde & in poſtremis illius libris, ſemper Pelagium reprehendit, quod diceret gratiam ſecundum merita noſtra dari: ubi gratia non poteſt ſumi pro gloria, cum certum ſit quod gloria ſecundum merita noſtra datur, quod ſonat executionem; ſed neceſſario debet ſumi pro gratia quæ eſt homini ad bene operandum data, quæ ſive in prædeſtinatione, ſive in executione, ſeu collatione ſua eſt omnino gratuita. Unde non diſtinguit Auguſtinus inter prædeſtinationem & executionem, quod ſane facere debuiſſe juxta opinionem omnium tenentium prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam meritorum, ſi hanc opinionem tenuiſſet, & ibi defendiſſet. Sed omnino promiſcue & æqualiter tenet utramque eſſe mere gratuitam, imo fere ſemper probat illam prædeſtinationem eſſe mere gratuitam, quia effectus illius mere gratuitò & ſine præcedentibus meritis datur & confertur. Quod nullo modo po-

Si plura de his cupis habere, vide ea quæ diximus ad objectt. 13. ex ratione: ubi fundiùs diſſeritur de natura gratiæ Auguſt. & Pelagii.

teſt convenire gloriæ; ſed ſoli gratiæ Dei excitanti & juvanti hominem ad declinandum à malo, & faciendum bonum, ut ſuperius dictum eſt. Neque vero hîc inſtari poteſt pro Petavio dicendo quod merita illa de quibus loquebatur Auguſtinus, erant mere naturalia, qualia non ſunt ea ex quibus datur gloria. Nam fatetur Petavius infra citandus non pertinuiſſe ad quæſtionem ex qualibus meritis prædeſtinata, vel non prædeſtinata ſit gloria, modo acquiſita ſit per qualemcunque gratiam, quam admittebat Pelagius; unde hæc inſtantia pro Petavio nulla eſt.

Quæ cum ita ſint, concludendum eſt, nunquam Auguſtinum formaliter diſputaſſe de prædeſtinatione ad gloriam, an eſſet cauſa, vel non cauſa meritorum per qualemcunque gratiam acquiſitorum, ut vult Petavius; ſed de ſola prædeſtinatione ad gratiam excitantem, & adjuvantem humanum arbitrium ad bonum agendum; ſeu quod idem eſt, diſputaſſe tantum de prædeſtinatione ad actum bonum, an ſcilicet eſſet prædeſtinatus, an ſolùm præſcitus; an eſſet ex gratia in voluntate neceſſaria, an vero ex ſolo hominis arbitrio, vel lege & doctrina; an eſſet ex gratuitate gratiæ Dei, an vero ex meritis arbitrii, quæ omnia ſynonyma ſunt in doctrina Auguſtini.

Lib. 9. c. 6. n. 4.

PUNCTUM III.

Explicatur quidam locus Auguſtini, qui Petavio viſus eſt doctrinæ proxime traditæ contrarius: ſimulque 1. illius Argum. quod à loco iſto ſumptum eſt, diſſolvitur.

SED ad particularia Petavii argumenta deſcendendum eſt, & expendendus aliquis Auguſtini locus ex lib. de prædeſt. Sanct. cap. 18. & 19. quo contra prædicta probare nititur Petavius, Auguſtinum & Pelagium diſputaſſe formaliter de prædeſt. ad gloriam; an eſſet cauſa, vel non cauſa meritorum per qualemcunque gratiam acquiſitorum. Et eſt primum illius argum. quod habet lib. 9. c. 6. n. 2. ubi ſic ait: Horum capitum in priori, docet Auguſtinus Deum eligere & prædeſtinare homines ad gloriam, ut ex ea prædeſtinatione Sanctos & immaculatos faciat: non autem quia Sanctos & immaculatos præſcivit, ideo elegiſſe ac prædeſtinaſſe, quod Pelagius aſſerebat. Hæc eſt opinio Petavii perperam interpretantis electionem illam, de qua ibi Auguſtinus loquebatur, eſſe ad gloriam cum ſit tantum ad gratiam directe & formàliter, & non ad gloriam, de qua nulla prorſus erat ei cum Pelagio vel Pelagianis contentio: cùm totus & totaliter in hoc incumberet Auguſtinus contra eos, ut oſtenderet eis, gratiam Dei eſſe neceſſariam ad actus bonos, & nihil aliud; ut jam multis modis probatum eſt, & adhuc patebit inferius. Sed his non attendens petavius, ſic proſequitur ſenſum ſuum, dicens hoc inter ambos

** Poſtea Petavius melius ſenſit de hac materia prædeſt. Nam tom. 3. Theolog. Dogm. lib. de hæreſi Pelag. & Semip. 1. dubitavit c. 5. de qua præd. locutus ſit Pelag. & aſſerit n. 9. eum etiam locutum eſſe de præd. ad gratiam ſolam Deinde cap. 10. n. 20. dicit Auguſtinum non contendiſſe cũ Pelagianis de prædeſtinatione ſcilicet ad gloriam, quam intelligit per ſimplex nomen prædeſtinationis*

conſtare ait, Deum eligere Sanctos & immaculatos; ſed aliter idipſum à Pelagianis, quam à Catholicis intelligi, illos enim eligi putare homines à Deo, quia ſanctos & immaculatos fore prævidit: Catholicos autem dicere eligi à Deo, ut Sancti & immaculati ſint. Hoc quidem verum eſt, ſed non eſt de prædeſtinatione ad gloriam, ſed de ſola prædeſtinatione ad gratiam, ſeu ſanctitatem & juſtitiam. Per hæc enim nihil aliud vult dicere Auguſtinus, niſi quod Pelagiani volebant nos per nos ipſos ſine vera Chriſti gratia, eſſe ſanctos & immaculatos, quod aſſerere eſt hæreticum. Catholici autem volebant nos eſſe tales per gratiam, quod aſſerere eſt orthodoxum.

Pro quo ſciendum eſt quod præſcire ſimpliciter apud Auguſtinum & adverſarios, ſumebatur pro cognitione mere ſpeculativa, ſine influxu Phyſico-Morali prævidentis in rem prævisam, prædeſtinare vero è contrà. Præſcire enim, inquit Auguſt. eodem libro cap. 10. potens eſt Deus, etiam quæ ipſe non facit, ſicut quæcunque peccata: quia, etſi ſunt quædam quæ ita peccata ſunt, ut pœnæ etiam ſint peccatorum; unde dictum eſt: [Tradidit illos in reprobam mentem, ut faciant quæ non conveniunt] Non ibi peccatum Dei eſt, ſed judicium; id eſt non tamen eſt author peccati, ſeu cauſa illius, quaſi ad id impelleret, aut moveret peccatorem: ſed ſe habet ad illud mere permiſſive; & extrinſece permittendo ſolum ut fiat, & non movendo ut fiat. Et hoc eſt quod vocabat Auguſtinus præſcire, prævidere, prædicere, id eſt ita ſcire aliquid, ut ad illud non concurrat excitando & movendo, ut illud ſit. Unde paulo infra dicit, quod Deus poteſt *aliena* facta præſcire & prædicere, id eſt facta ab aliis cognoſcere, quorum ipſe cauſa non eſt. At vero prædeſtinare, ſignificat ſecundum Auguſtinum & ejus adverſarios, verum influxum prædeſtinantis, in rem prædeſtinatam, & eſt ita præſcire aliquid ut tu cauſa illius ſis. Prædeſtinatione quippe, inquit Auguſtinus, Deus ea *præſcivit quæ fuerat ipſe facturus*: unde dictum eſt: [Fecit quæ futura ſunt.] Et hinc & quod infra definiens prædeſtinationem, dat ei effectum. Prædeſtinatio, inquit, quæ in bono eſt, gratiæ eſt, ut dixi, præparatio: gratia autem eſt prædeſtinationis *effectus*. Prædeſtinare ergo & præſcire ſecundum Auguſtinum & adverſarios, in hoc opponebantur ad invicem quod prædeſtinare, dicebat cauſalitatem in rem prædeſtinatam, præſcire vero, non ſic in rem præſcitam: Unde cap. 9. ejuſdem libri loquens de quodam libro, in quo dixerat Chriſtum tunc voluiſſe apparere hominibus, & apud eos ſuam doctrinam prædicare, quando ſciebat, & ubi ſciebat qui in eum fuerant crediturí; ſic ait: Quid enim eſt verius, quam præſciſſe Chriſtum, qui & quando, & quibus locis in eum fuerant crediturí; ſed utrum prædicato ſibi Chriſto, à ſeipſis habituri eſſent fidem, an Deo donante ſumpturi; id eſt, utrum *tantummodo eos præſcierit, an etiam prædeſtinaverit* Deus, quærere ac differere neceſſarium non putavi. Ubi vides verbum, præſcire, mere ſumi ſpeculative, ſcilicet pro eo quod eſt Deum ſcire, an homines à ſeipſis

Explicatur locus Auguſtini, qui dedit Petavio cauſam errandi.

Ibidem.

ſolis ſine Deo habituri eſſent fidem: Prædeſtinare autem ſumi pro eo quod eſt à Deo ipſo donante & influente, ſumere fidem, qua duorum terminorum ſignificatione bene perſpecta, ſpero nihil amplius fore difficultatis, in illo loco Auguſtini, quem contra nos adduxit Petavius. In hoc enim ipſe deceptus eſt, quod putavit ibi Auguſtinum per præſcientiam ſanctitatis & juſtitiæ noſtræ, tam intelligere illam juſtitiam ad quam Deus concurrit per veram ſuam gratiam excitando, & præveniendo bonam actionem arbitrii, per adjutorium veræ gratiæ, quam eam juſtitiam, quæ eſt à mero hominis arbitrio, vel à qualibet falſa gratia ſine Deo, quod ſatis dat intelligi, cum n. 4. dicit: Neque vero pertinet ad rem quod Pelagius Sanctos & immaculatos *propriis nos eſſe viribus aſſeveraret.* Et infra cum dicit: Statum controverſiæ in eo fuiſſe poſitum, utrum ex prævisâ ſanctitate & juſtitia, per *qualemcunque* Chriſti gratiam adepta eligerentur homines ad gloriam: Et ſic putans indifferens eſſe, & non pertinere ad quæſtionem, id quod formaliter & ex profeſſo ibi diſputabatur, ſcilicet an noſtra juſtitia, ſeu an boni actus noſtri eſſent ex propriis noſtris viribus, an vero ex Deo per gratiam; non qualemlibet, ſed veram Chriſti gratiam in voluntate neceſſariam: quod ut clare demonſtrem, nihil aliud poſtulo niſi ut firma mente retineatur ſupradata ex Auguſtino vera explicatio horum verborum, ſcilicet, præſcire, quod ſignificat ſcientiam mere ſpeculativam reſpectu reipræſcitæ, ad cujus exiſtentiam præſciens non concurrat, ita ut dici poſſit Author & cauſa illius: Et prædeſtinare quod ſignificat influxum in opus prædeſtinatum; ita ut prædeſtinans dicatur vera cauſa illius. Jam videamus textum Auguſtini, quem ſubjicit Petavius. Elegit Deus in Chriſto ante mundi conſtitutionem membra ejus, & quomodo eligeret eos qui nondum erant, *niſi prædeſtinando?* (ecce vides quid contendat Auguſtinus, ſcilicet ut prædeſtinet eos quos eligit; ergo aliud eſt prædeſtinare, & aliud eligere ſecundum Auguſtinum; Nam ridicula phraſis eſſet Auguſtini, ſi idem ſignificarent apud eum, eligere, & prædeſtinare: Senſus enim eſſet quod elegit Deus eligendo; quod ſane ridiculum eſt; ſenſus ergo eſt quod elegit eos prædeſtinando, eos ad id quod ipſe facturus erat, & operatutus in eis, ſcilicet ſanctitatem & juſtitiam eorum, juxta ſupra datam notionem verbi prædeſtinare apud Auguſtinum, unde & ſequitur) Elegit ergo prædeſtinans nos (non dicit præſciens, ut infra dicit Pelagius, quaſi aliena facta præſciret Deus, & non ſua; ſed dicit prædeſtinans, id eſt præſciens quid fuerat ipſe facturus, ſcilicet ſanctitatem & juſtitiam noſtram in nobis) nunquid eligeret impios & immundos? (ibi vides ſimplex verbum, eligere, & non prædeſtinare, quia Deus non prædeſtinat, nec facit impietatem: At vero quia prædeſtinat, & facit ſanctitatem & juſtitiam noſtram; ideo eligit prædeſtinans ad ſanctitatem ſcilicet & juſtitiam) Nam ſi quæſtio proponatur; utrum hos eligat, an potius ſanctos & immaculatos: quid horum reſpondeat, qui requiratur, ac non ſtatim ferat pro ſanctis immacula-

tiſque ſententiam (id eſt, nunquid vellet eligere impios, & non potius ſanctos, immaculatoſque ut eſſent membra ejus: hæc eſt enim electio de qua ibi loquitur Auguſtinus, ut patet initio textus, ubi ait Auguſtinus: Elegit Deus in Chriſto ante mundi conſtitutionem *membra ejus:* At non ſumus membra ejus per beatitudinem, ut ſic; ſed per ſanctitatem & juſtitiam, ut cuilibet notum eſt. Ergo non ibi agitur de prædeſtinatione ad gloriam; ſed de prædeſtinatione ad ſanctitatem & ad juſtitiam, per quam ſumus membra Chriſti, quandiu in illa perſeveramus. Mox ſubjicit Auguſtinus quod caput eſt querelæ, ſeu controverſiæ, ſcilicet verba Pelagii ſtatuentis & dicentis: Illos ſanctos & immaculatos ſolum præſciri à Deo non prædeſtinari; id eſt eſſe tales per liberum voluntatis arbitrium, & non per gratiæ donum & auxilium) *Præſciebat* vero, ait Pelagius, qui futuri eſſent ſancti & immaculati, per *libera voluntatis arbitrium* (audis præſciri, non prædeſtinari, audis ſanctos & immaculatos eſſe per liberæ voluntatis arbitrium, non per divinæ gratiæ donum) Et ideo eos ante mundi conſtitutionem in ipſa ſua præſcientia (audis præſcientiam ſimpliciter, non prædeſtinationem) qua (ſcilicet præſcientia mere ſpeculativa, ut ſupra explicatũ eſt) tales futuros eſſe præſcivit, elegit (audis præſcivit, non prædeſtinavit; quia nempe ſenſus eſt, quod tales à ſeipſis futuros eſſe prævidit, non per gratiam divinam in voluntate neceſſariam quod eſſet, prædeſtinavit) Elegit ergo, inquit Pelagius, antequam eſſent, prædeſtinans filios (ibi dicit prædeſtinans, non ſimpliciter præſciens, quia ibi eſt effectus, & non mera ſpeculatio; eſt enim ibi gratia habitualis data à Deo, quam ipſe admittebat cum Auguſtino, non quidem in ratione gratiæ, cum vellet eam ſecundum merita noſtra dari, ut mox videbis: * ſed in ratione juſtitiæ) quos futuros ſanctos, immaculatoſque præſcivit (audis præſcivit, non prædeſtinavit, quia nempe Deus ſecundum Pelagium non concurrit ad eorum ſanctitatem & pietatem, per gratiam ſuam in voluntate neceſſariam: Et ſenſus eſt quod eos ideo prædeſtinavit filios, quia ſanctos & immaculatos ex ſeipſis eſſe futuros agnovit; & hoc eſt quod reprehendit Auguſtinus in Pelagio, quod negaret ſanctitatem noſtram eſſe à Deo per ſuam gratiam; ſed vellet eſſe ab homine, per liberæ voluntatis arbitrium, & ſic noſtram ſanctitatem mere præſciri à Deo, & non etiam prædeſtinari: id eſt, Deum non concurrere ad eam ſpecialiter per gratiam ſuam in voluntate noſtra neceſſariam; quod ut non putes falsò tibi confingi audi ſequentem Auguſtinum) utique ipſe (ſcilicet Deus) *non fecit* (ecce negat concurſum divinum ſpecialem ad illos actus) *nec ſe facturum*; ſed illos (ſcilicet ex ſeipſis tales) futuros eſſe præſcivit (id eſt mere ſpeculative ſe Deus habuit ad eorum ſanctitatem, juxta ſenſum ſupra explicatum verbi, præſcire. Et ſic clare vides quis fuit error Pelagii quem impugnabat Auguſt. ſcilicet quod Pelagius vellet noſtram ſanctitatem ſolum præſciri à Deo, non vero prædeſtinari: id eſt eam eſſe à nobis, & non à Deo per gratiam ſuam prævenientem

Cõmuniter Auguſt. & Pelagius dicebãt id fieri per libera voluntatis arbitrium, quod fiebat ſine gratia in ipſo libero arbitrio, ſeu in ipſa voluntate recepta, ut neceſſaria. Nam bene ſciebat Auguſtinus Pelagium admittere gratiã in intellectu, ab eo ſignificatam per legem atque doctrinam: ſed non in voluntate. Unde de hac gratia, ſemper intelligenda eſt ſimplex negatio gratia, vel ejus abſentia, cũ loquitur de nudo arbitrio quia de hac ſola gratia alter-

cabantur, non de alia quæ eſt in intellectu, ut infra late probabitur in object. 13. ex ratione.

** Janſenius lib. 5. de hæreſi Pelagiana cap. 22. & ſequentibus late demonſtrat Pelagianos admiſiſſe gratiam habitualem.*

& præexcitantem arbitrium. Quod ut clarius adhuc videas: nota impugnationem hujus erroris, quam mox ſubjicit Auguſtinus: ubi videbis, eum nihil aliud reprehendere in prædictis verbis Pelagii, niſi abſentiam gratiæ & effectionis divinæ, utpote qui Deo ſolùm tribueret præſcientiam futuri, quod mere ſpeculativum eſt: Non vero ejus prædeſtinationem, ſeu procurationem, ut eſſet, quod eſt practicum & effectivum, ut poſtulabat Auguſtinus. Intueamur ergo, inquit Auguſtinus, verba Apoſtoli, atque videamus; utrum propterea nos elegerit (ſcilicet membra ejus, ut ſupra declaravit, id eſt utrum nos elegerit ad gratiam habitualem, ſeu ſanctificantem, per quam ſumus membra ejus) ante conſtitutionem mundi, quia ſancti & immaculati futuri eramus (quod eſt mere ſpeculativum, & indicat illam futuritionem eſſe ſine Deo; ſed à ſolo arbitrio humano) an ut eſſemus (quod eſt practicum & effectivum, & indicat illam futuritionem eſſe à Deo per gratiam ejus excitantem & moventem arbitrium, ut agat) [Benedictus] inquit Apoſtolus [Deus & pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui nos benedixit in omni benedictione ſpiritali in cæleſtibus in Chriſto; ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati] Non ergo, inquit Auguſtinus, quia futuri eramus (quod eſt mere ſpeculativum, & indicat Deum non concurrere ad illam futuritionem per prævenientem ſuam gratiam) ſed ut eſſemus) quod eſt practicum & effectivum, & indicat Deum ad id concurrere per gratiam) nempe certum eſt, nempe manifeſtum eſt: ideo quippe tales eramus futuri, quia eligit ipſe *prædeſtinans* (non dicit præſciens, ſicut Pelagius, quod eſt mere ſpeculativum; ſed prædeſtinans, quod eſt practicum & effectivum, & indicat gratiam Dei, aut Deum per gratiam concurrere ad bonum opus, ſeu ad ſanctitatem & juſtitiam noſtram, ut mox ſequitur in textu: prædeſtinans) ut tales eſſemus *per gratiam ejus* (non per arbitrium, & voluntatem hominis, ſine gratia in voluntate neceſſaria, ut volebat Pelagius; ſed per gratiam & ſpecialem concurſum divinum, quem negabat Pelagius eſſe neceſſarium, ad hoc, ut voluntas bene ageret: Unde & poſt pauca ſubjicit hunc textum Apoſtoli contra eundem iſtum errorem: [In quo habemus redemptionem, per ſanguinem ipſius remiſſionem peccatorum, ſecundum divitias gratiæ ejus, quæ abundavit in nos in omni ſapientia & prudentia, ut oſtenderet nobis myſterium voluntatis ſuæ, ſecundum bonam voluntatem ſuam.] In hoc myſterio, inquit Auguſtinus, voluntatis ſuæ poſuit divitias gratiæ ſuæ, ſecundum bonam voluntatem ſuam, non ſecundum noſtram. Certe non negat ibi Auguſtinus noſtram voluntatem concurrere ad bonum opus, ſeu ad ſanctitatem & juſtitiam noſtram per veram libertatem & electionem ſuam, quod negare non eſſet Catholicum; vult ergo ſolum dicere quod non ſola voluntas ſine gratia concurrit ad bonum opus, ſeu ad ſanctitatem & juſtitiam noſtram, ut volebat Pelagius; ſed etiam gratia, ſeu Deus per gratiam. Quod mox ipſe declarat, dicens quæ bona eſſe non poſſet, niſi ipſe

ſecundum

ſecundum bonam voluntatem ſuam, ut bona fieret ſubveniret: ubi ſolùm declarat Auguſtinus neceſſitatem gratiæ ſubvenientis & opitulantis voluntati humanæ, ad hoc ut ipſa poſſit bene agere, quam neceſſitatem Pelagius cum aſſeclis ſuis pernegabat: Unde libro de geſtis Pélag. cap. ult. aït, quod *gratia Dei, & adjutorium, non ad ſingulos actus detur;* ſed in libero arbitrio ſit, & in lege atque doctrina: Et quod non ſit liberum arbitrium, *ſi indigeat auxilio Dei:* quoniam propriam voluntatem habeat unuſquiſque, aut facere aliquid, aut non facere, & quod victoria noſtra, ex Dei non ſit adjutorio; ſed ex libero arbitrio. Et hoc ipſum erat, quod impugnabat hîc Auguſtinus, non vero prædeſtinationem ad gloriam poſt præviſa merita, per qualemcumque gratiam acquiſita, ut vult Petavius, quaſi hîc abſtraxiſſet Auguſtinus à quæſtione certæ gratiæ ad bene agendum neceſſariæ, cui ſoli totus incumbit, oſtendens Pélagio & ejus ſequacibus, ſanctitatem & juſtitiam noſtram non eſſe ex mero hominis arbitrio, vel ex lege atque doctrina, quæ eſt gratia intellectus; ſed ex ipſo Deo per gratiam in voluntate noſtra neceſſariam. Quod adhuc clare oſtendit, poſt aliquem alium textum Apoſtoli, ubi ait Auguſtinus: Cernitis, proculdubio cernitis, quanta manifeſtatione Apoſtolici eloquii, defendatur *hæc* gratia, contra quam merita extolluntur humana (At in quo illa merita extolluntur contra gratiam: Audiamus ipſum Auguſtinum ſemetipſum explicantem) Tanquam homo, inquit, aliquid det prior, ut retribuatur ei. Certe hoc non poteſt intelligi de gloria; nam certum eſt quod priores damus merita, ut retribuatur nobis gloria. Ergo intelligitur de gratia: quia nempe Pelagiani volebant priores dare Deo ſanctitatem & juſtitiam ſuam per proprias arbitrii ſui vires ſine gratia in voluntate neceſſaria, ſeu ſiue gratia præexcitante: ut retribueretur eis gratia ſanctificans, ſeu faciens filios Dei, ut ſupra dixerat Pelagius, quod Deus prædeſtinat eos filios, quos ſanctos & immaculatos futuros eſſe (ſuo Marte) præſcivit. Unde contra iſtam humani arbitrii ſuperbiam extollentem ſe adverſus prædictam gratiam prævenientem quaſi eâ non indigeret, ad conſequendam ſanctitatem & juſtitiam Chriſtianam, ſic inſurgit Auguſtinus, urgens hæc verba Apoſtoli: Elegit ergo nos Deus in Chriſto ante mundi conſtitutionem, *prædeſtinans* nos in adoptionem filiorum (quæ eſt gratia ſanctificans) *non quia per nos* (nota valde, hoc eſt enim de quo agitur) non quia per nos (id eſt per propriam noſtram virtutem, ſine gratia præexcitante in volũtate noſtra neceſſaria) ſancti & immaculati futuri eramus (ut contendebant Pelagiani) ſed elegit *prædeſtinavitque* (id eſt non ſolum elegit, quod poteſt eſſe ſine actione eligentis in electo, quod admittebant Pelagiani: imo & contendebant, id ita eſſe reſpectu ſanctitatis & juſtitiæ noſtræ) ſed etiam prædeſtinavit, quod non poteſt eſſe ſine effectione prædeſtinantis in prædeſtinato, juxta ſenſum ſupra explicatum Auguſtini, quod non admittebant Pelagiani: Unde non dicit ibi præſcivit, Auguſtinus ut dicebat Pelagius, ne coïncideret in ſenſum ſuum;

ſed prædeſtinavit Deus, id eſt præſcivit, quod fuerat ipſe facturus, quod fuerat largiturus, quod fuerat donaturus, per præexcitantem & adjuvantem ſuam gratiam, ut ſæpe inculcat hoc libro & ſequenti de dono perſeverantiæ contra Semipelagianos, negantes initium fidei dari, & fieri à Deo per gratiam, & hic inculcat contra Pelagianos, negantes ſanctitatem & juſtitiam noſtram eſſe à Deo per gratiam in voluntate neceſſariam. Non ſolùm ergo elegit, ſed & prædeſtinavit) ut eſſemus (quod adhuc eſt practicum indicatque gratiam concurrentem neceſſariam; unde & ſequitur) *fecit autem hoc* ſecundum placitum voluntatis ſuæ. Et infra: *Fecit hoc ſecundum* divitias gratiæ ſuæ. Et adhuc infra: Uſque adeò, ut *ipſe in nobis operetur & velle, operatur* autem ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. Et infra: *Ipſe quippe operatur* ſecundum propoſitum ſuum, ut ſimus in laudem gloriæ ejus, *utique ſancti & immaculati.* Ubi nihil vides, aliud inculcari ab Auguſtino, quam effectionem & actionem Dei in creatura, ut ad ſanctitatem comparandam ſibi neceſſariam: quia nempe illam negabant Pelagiani, volentes ſanctitatem & juſtitiam noſtram eſſe ex nobis, & ex mero noſtro arbitrio ſine gratia Dei in voluntate neceſſaria: Ex quo manifeſtum eſt Auguſtinum ibi ſolùm agere cum eis de prædeſtinatione ad gratiam, & non de prædeſtinatione ad gloriam; cùm nequidem ibi fiat mentio de gloria; ſed totum & totaliter ſit de gratia, ut ad comparandam ſanctitatem & juſtitiam Chriſtianam omnino neceſſaria.

PUNCTUM IV.

Cuidam confirmationi prædicti textus à Petavio propoſitæ occurritur, & alius Auguſtini locus exponitur.

SED & id clarius adhuc evadet ex altero capite, quod objicit nobis Petavius. Capite, inquit, ſequenti contra Semipelagianos differens, quid inter hos & Pelagianos interſit, aperit & amborum de electione ac prædeſtinatione ſententiam expendit. Audiamus ergo, quid differat ibi Auguſtinus; ſed ut melius capiamus ſenſum ejus, nihil omittamus de textu; ſed totum huc adducamus. Sic autem incipit Auguſtinus caput iſtud: Sed hi noſtri (ſcilicet Semipelagiani) de quibus, vel pro quibus nunc agimus, forſitan dicunt Pelagianos hoc Apoſtolico teſtimonio refutari, ubi dicit: Ideo nos electos in Chriſto, & prædeſtinatos ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate (qui eſt locus ſupra tantopere ventilatus contra eos; ſed nota valde in quo formaliter Pelagiani dicuntur refutari per locum illum: In hoc enim maxime debet apparere, quis ſit finis & ſcopus totius diſputationis inter Auguſtinum & Pelagium, cùm hæc proponantur ab ipſomet Auguſtino contra Pelagianos in perſona Semipelagianorum) ipſi enim (ſcilicet Pelagiani) putant acceptis præceptis, jam *per noſipſos* (audis

modum actionis creatæ, non prædeſtinationis ad gloriam) fieri *liberæ voluntatis arbitrio* (ſcilicet ſolo. Nam gratia intellectus, quam admittebant, eſt extra liberum arbitrium, ſeu voluntatem: & per conſequens, non impedit quin ſit ſolum, & quin per ſe ſolum faciat) ſanctos & immaculatos in conſpectu ejus in charitate: quod futurum Deus quoniam præſcivit, inquiunt (audis præſcivit, non prædeſtinavit: nempe nullam ibi admittebant effectionem ex parte Dei per gratiam; ſed meram ſpeculationem & notitiam) ideo nos ante mundi conſtitutionem elegit & prædeſtinavit in Chriſto (ad gratiam ſcilicet habitualem, ut ſupra declaratum eſt: quod ſic ſupra explicuit Pelagius, prædeſtinavit filios: & Auguſtinus, elegit membra ejus) cum dicat Apoſtolus, non quia futuros tales nos eſſe præſcivit (quæ erat opinio impugnata Pelagianorum, nullam effectionem tribuentium Deo, vel gratiæ ejus, circa ſanctitatem & juſtitiam humanam; ſed meram præſcientiam, ſeu cognitionem mere ſpeculativam) ſed ut eſſemus tales (quod eſt effectivum & practicum, & proinde ſupponit gratiam influentem in ſanctitatem & juſtitiam humanam quod negabant) per ipſam electionem gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio ſuo. Cum ergo nos prædeſtinavit (ad prædictam, ſcilicet gratiam ſanctificantem, ſeu habitualem) *opus ſuum* præſcivit, quo nos ſanctos & immaculatos facit, (id eſt ſciebat quod nos faceret ſanctos & immaculatos per gratiam ſuam, ut filii ejus eſſemus. Ubi nota quod non dicunt nude & ſimpliciter præſcivit, ut dicebat Pelagius, quia hoc non dicit effectionem, nec proinde gratiam in voluntate neceſſariam, qua nos faceret ſanctos & immaculatos in conſpectu ejus; ſed dicunt *opus ſuum* præſcivit, quo nos immaculatos facit id eſt, præſcivit quod fuerat ipſe facturus, ſcilicet nos ſanctos & immaculatos per gratiam ſuam præexcitantem & adjuvantem, ut filii ejus eſſemus) unde hoc teſtimonio Pelagianus error arguitur. Ubi vides definiri à Semipelag. imo potius ab ipſomet Auguſt. ibi loquente in perſona Semipelagianorum, errorem Pelagianum ibi impugnatum fuiſſe ſolummodo contra prædeſtinationem ad gratiam, in quantum ſcilicet volebant ſolùm præſciri ſanctitatem & juſtitiam noſtram à Deo, non autem prædeſtinari: id eſt, volebant ſolummodo Deum cognoſcere, & ſpeculari ſanctitatem noſtram futuram ut à nobis, non autem ipſum eam efficere, ſeu concurrere ad eam per præexcitantem & adjuvantem ſuam gratiam, ut ſatis ſupra explicuimus. Et ſic manifeſtùm eſt controverſiam quam habuit Auguſtinus cum Pelagio, non fuiſſe de prædeſtinatione ad gloriam; ſed de prædeſtinatione ad gratiam: quod & adhuc magis patebit ex errore Semipelagianorum ibi explicato, qui talis eſt, ut ſequitur.

Nos autem dicimus, inquiunt, noſtrum Deum non præſciſſe niſi fidem, qua credere incipimus (ubi luce clarius apparet verbum, præſcire, ſumi pro mere ſpeculativo, & opponi practico: Non enim tam ſtulti erant, ut negarent Deum etiam præſcire bona opera ſequentia, quod

tamen vere negarent, ſi ibi verbum præſcire, abſtraheret à ſpeculativo & practico, quandoquidem exerte dicunt, Deum non præſciiſſe niſi fidem; & per conſequens non præſciiſſe bona opera. Sed & id patebit etiam ex ſequentibus) & ideo nos elegiſſe ante mundi conſtitutionem (ſiſtamus hic pauliſper; putaſne hoc intelligi de prædeſtinatione ad gloriam, ſi id putas, debes credere quod iſti Semipelagiani putarunt gloriam prædeſtinari, ſeu nos ad gloriam eligi ex prævisa ſola fide, & non etiam ex prævisis bonis operibus: hoc enim neceſſario conſequitur ex prædictis eorum verbis, cum dixerint, Deum non præſciiſſe *niſi* eorum fidem, quod excludit opera, & ideo illos elegiſſe ante mundi conſtitutionem. At quis credat Semipelagianos viros primores in Eccleſia Gallicana? imo etiam Epiſcopali dignitate fulgentes; ut deſcribit eos Proſper in Epiſtola ſua ad Auguſtinum, & Auguſtinus ipſe tribuit eis bona ingenia, ut infra videbimus: tam ignaros fuiſſe in Scripturis & dogmatibus Eccleſiæ Catholicæ, ut putarent homines prædeſtinari ad gloriam ex ſola fide, quæ ſine operibus mortua eſt; & inutilis ad ſalutem. Quis credat hos viros qui volebant ſe excuſare ab errore Pelagiano, & ſe innocentes demonſtrare, per hoc ipſum quo ſe excuſare volebant, in profundius baratrum ſe præcipitaſſe: dicentes hominem prædeſtinari ad gloriam ex ſola fide prævisa, quæ ut ſic inſufficiens eſt, & inutilis ad ſalutem, cùm Pelagiani adderent & bona opera, quæ cum fide ſufficiunt ad conſequendam ſalutem, ſi ſint ex vera Chriſti gratia, à qua abſtrahebatur in hac controverſia, ut putavit Petavius.

Longe ergo eſt iſte ſenſus à vero ſenſu hujus loci, cùm in hoc ſe excuſarent Semipelagiani ab errore Pelagianorum, quod hi non admitterent veram Chriſti gratiam, ſeu verum & efficiens, ſeu influens Dei adjutorium in bona noſtra opera, ut nec ad primam fidem. Illi autem admitterent veram Chriſti gratiam ad bona opera ſubſequentia, ut teſtis eſt Auguſtinus lib. de dono perſever. cap. 17. & ſolùm ſibi ſervarent initium fidei, ſeu primam fidem, ad quam non concurreret vera Chriſti gratia, ſeu verum & efficiens & influens Dei auxilium; ſed merum eorum arbitrium. In quo ſane minus errabant, quam Pelagiani qui errabant circa primam fidem & opera, hi autem ſolummodo circa primam fidem, & non circa opera: & hoc eſt quod dicunt, cum ſic explicant opinionem Pelagianorum & ſuam. Ipſi enim (ſcilicet Pelagiani) putant acceptis præceptis, jam per noſipſos (& proinde ſine gratia in voluntate neceſſaria, quæ eſt vera Chriſti gratia) fieri, liberæ voluntatis arbitrio (id eſt per merum liberum arbitrium) ſanctos & immaculatos in conſpectu ejus in charitate: quod futurum Deus, quoniam præſcivit (nude & ſimpliciter, & proinde non fecit per præexcitantem ſcilicet & adjuvantem ſuam gratiam; ſed mere ſpeculative cognovit id futurum eſſe à nobis per merum noſtrum liberum arbitrium) ideo nos ante mundi conſtitutionem elegit in Chriſto (ad gratiam ſcilicet habitualem, ſeu ad eſſe filios Dei, ut ſupra dixerat Pelagius: & hæc erat opinio Pe-

lagianorum : nunc vero ſubjiciunt ſuam) nos autem dicimus, noſtrum Deum non præſciſſe niſi fidem, qua credere incipimus : (id eſt ad ſolam primam fidem non concurrere per præexcitantem & adjuvantem ſuam gratiam) & ideo nos elegiſſe ante mundi conſtitutionem, ac *prædeſtinaſſe* (& per hoc vere concurrere & efficere per veram ſuam gratiam) ut etiam ſancti & immaculati *gratia atque opere ejus* eſſemus. Audis gratiam, & opus Dei ad opera noſtra bona concurrentis; non dicunt, per noſipſos & liberæ voluntatis arbitrio, ut dicebant Pelagiani; ſed gratia & opere Dei nos eſſe ſanctos & immaculatos : quia nempe non errabant circa bona opera primam fidem ſubſequentia ut Pelagiani; ſed tantum circa initium fidei, ſeu circa primam fidem, ad quam non admittebant veram Chriſti gratiam; ſed merum concurſum arbitrii per ſe credere Deo volentis : quod etiam clare patet ex reſponſione & impugnatione D. Auguſtini. Sed audiant, inquit, & ipſi (ſcilicet Semipelagiani) in hoc teſtimonio, ubi dicit (Apoſtolus) [Sortem conſecuti ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum, qui univerſa operatur] ipſe ergo ut credere incipiamus operatur, qui univerſa operatur. Ubi vides Auguſtinum probare operationem Dei, circa initium fidei, ex eo quod univerſa operatur : Ergo de operatione Dei, ſeu gratiæ formaliter & directè loquebatur, & non de prædeſtinatione ad gloriam. Et paulo infra, vide quantis inculcet illam operationem Dei circa initium fidei, & rejiciat meram præſcientiam & ſpeculationem Dei circa illud: Non enim quia credidimus (quod eſt inactivum & mere ſpeculativum, reſpectu Dei) ſed *ut credamus* elegit nos, ne priores eum elegiſſe dicamur (quod eſſet contra gratiam prævenientem) falſumque ſit quod abſit [Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos] nec quia credidimus; ſed *ut credamus* vocamur, atque illa vocatione (id eſt gratia) quæ ſine pœnitentia eſt, *id prorſus agitur & peragitur ut credamus.* Ecce ergo totum quod urget & contendit Auguſtinus adverſus Semipelagianos, ſcilicet quod Deus concurrit & influit in primam fidem, & nihil amplius. Quod & infra premit & urget ex gratiarum actione Apoſtoli, pro fide fidelium. Si, inquit, homini gratias ageret, pro eo quod eum vel *putaret non præſtitiſſe*, vel noſſet : adulatio, vel irriſio verius, quam gratiarum actio diceretur : [Nolite errare, Deus non irridetur] *donum enim ejus eſt etiam incipiens fides.* Et paulo infra : Nempe vanum eſt, atque inane, ſi cui gratias agit de hoc, quod ipſe non fecit; ſed quia hoc vanum & inane non eſt, profecto *Deus* cui de hoc opere gratias agit, *ipſe fecit.* (ubi vides ſemper urgeri Dei operationem & proinde gratiam, & nihil amplius) Sed ut brevitati conſulamus : veniamus ad concluſionem totius libri, ubi quid egerit formaliter Auguſtinus oſtendit. Multa diximus, inquit, & fortaſſe jam-dudum potuimus perſuadere quæ volumus, & adhuc *tam bonis ingeniis*, ſic loquimur, quaſi obtuſis, quibus & quod nimium eſt, non eſt ſatis : Sed dent veniam, nova enim quæſtio ad hoc nos compulit, quia cum in prioribus Opuſcu-

lis noſtris ſatis idoneis teſtimoniis egiſſemus, donum Dei eſſe etiam fidem: inventum eſt quod contradiceretur (nota valde illam contradictionem, & proinde controverſiam, quæ non eſt de prædeſtinatione ad gloriam; ſed de prædeſtinatione ad gratiam primæ fidei, ut ſequitur) ad hoc valere illa teſtimonia, ut oſtendant Dei donum eſſe incrementum fidei, (id eſt augmentum fidei eſſe à Deo per gratiam prævenientem & adjuvantem) initium vero fidei (ecce contradictionem, ecce controverſiam, ecce quæſtionem de novo natam) quo in Chriſtum primitus creditur, ab homine ipſo eſſe, nec eſſe donum Dei. (id eſt eſſe à mero hominis arbitrio, & non à gratia Dei) Et infra: Propter quod inſtitimus, quantum potuimus: ut etiam ipſum initium fidei, donum Dei eſſe oſtenderemus. Ecce ergo quod egit Auguſtinus, ecce quod diſputavit ex profeſſo, non utrum prædeſtinatio ad gloriam eſſet cauſa, vel non cauſa meritorum, per qualemcumque gratiam acquiſitorum: ſed an etiam prima fides eſſet donum Dei; id eſt, an non ſolum ſanctitas & juſtitia Chriſtiana, quæ ſequitur poſt primam fidem, quod jam expedierat adverſus Pelagianos: Sed etiam utrum ipſa prima fides eſſet à Deo per gratiam in voluntate neceſſariam, quod de novo negaverant Semipelagiani: hoc ergo unum egit Auguſtinus, & non aliud: ut clarum ex prædictis eſt.

PUNCTUM V.

Cuidam Petavii quæſito ſatisfit, & de quâ tandem gratiâ cum Pelagio diſputarit Auguſtinus, explicatur.

VERUM valde anxius eſt Petavius, de qua ergo gratia diſputavit Auguſtinus contra Pelagianos, cum non diſputaverit de gloria.

Reſpondeo diſputaſſe, & locutum eſſe de gratia voluntatis, ſeu de gratia in voluntate neceſſaria, cùm illi nullam ejuſmodi admitterent gratiam; ſed vel ſolùm in intellectu neceſſariam, ut legem, atque doctrinam, ad quas refert Auguſtinus internas revelationes & illuminationes: vel in voluntate commodam, non autem neceſſariam, quia ut ſupra notatum eſt, ipſi putabant, non eſſe liberum arbitrium, id eſt voluntatem liberam, ſi auxilio Dei indigeret, & dicebant unumquemque habere propriam voluntatem, aut facere aliquid, aut non facere; & ideo victoriam noſtram non eſſe ex Dei adjutorio, ſed ex libero arbitrio. Unde eſt quod in prædicta diſputatione ſupra relata, reprehendit eos Auguſtinus, quod dicerent Deum præſcire qui futuri eſſent ſancti & immaculati *per liberæ voluntatis arbitrium.* (ſcilicet ſolum ſine gratia in eo ad bene agendum neceſſaria.) Et rurſum loquens in perſona Semipelag. reprehendit eos quod crederent acceptis præceptis: Jam *per noſipſos fieri liberæ voluntatis arbitrio* (ſcilicet ſolo, ut dictum eſt) *ſanctos & immaculatos* in conſpectu ejus, in charitate, quia nempe cum nullam admitterent gratiam in voluntate neceſſariam, ſeu ad bene agendum in arbitrio humano ſimpliciter & abſolute requiſitam, bene ſequebatur ex eis, quod bonum opus eſſet ex libero arbitrio, tanquam ſolo ſine Deo.

Punct. III.

Cum non eſſet ex Deo in eo agente & operante; ſed ſolum in intellectu. Hinc enim eſt quod ſæpe taxat eos ſuperbiæ, tanquam prætendentes ſe habere arbitrium ſatis ſanum, & firmum ad bene agendum ſine Deo: cum haberent male ſanum & invalidum: & vocat eos præcipitatores, & non defenſores; ſed & inflatores liberi arbitrii, pro eo quod rejicerent gratiam à voluntate, ut non ei neceſſariam ad bene agendum, cum ſine illa nihil boni agere poſſet. Hæc eſt ergo gratia de qua agebatur inter eos, quæ ſanaret voluntatem, & daret ei poſſe bene agere: quæ faceret, ut boni actus eſſent à Deo confortante & ſanãte voluntatem infirmam; & ſic dante illi ſanctitatem & juſtitiam ſuam, non vero ex mero libero arbitrio tanquam poſſemus per noſipſos, & non per gratiam prædictam bene agere & mereri, ut volebant Pelagiani reſpectu omnium actuum voluntatis, & Semipelagiani reſpectu initii fidei.

Ex qua reſponſione, plene, ut opinor, ſatisfit his omnibus, quæ habet Petavius in hoc 1. argumento: Patet enim quod ibi de gratia agebatur, & non de gloria; patet etiam de qua gratia: patet quod ibi quærebatur; utrum per noſipſos, an ex auxilio gratiæ, ſcilicet ſupradictæ ad ſanctitatem perveniamus, quod ibi quæri negabat Petavius: Denique patet quod non fuit ſtatus quæſtionis, utrum ex prævisa ſanctitate & juſtitia per qualemcumque Chriſti gratiam adepta eligerentur, ac prædeſtinarentur homines ad gloriam, cum nihil ibi ſit de gloria, ſed totum ſit de gratia. Nam excepto uno loco, quem adducit Petavius ex Epiſt.95. ubi ait Auguſtinus, quod de ea gratia agebatur cum Pelagio, qua prædeſtinati vocamur, juſtificamur, & glorificamur, nihil prorſus ibi videas de gloria; ſed totum de gratia. Ad illum autem locum reſpondeo, in eo valde diſtinguendum eſſe, id quod ibi eſt per ſe, ab eo quod eſt de per accidens. Solebat enim Auguſtinus, cum tanta veneratione tractare locos S. Scripturæ, ut licet ex eis eliceret, quod ſibi neceſſarium erat ad probandam veritatem gratiæ non tamen reliqua omitteret: Unde cum vellet hîc diſtinguere gratiam, de qua loquebatur à gratia naturæ & liberi arbitrii, quam aſtruebat Pelagius, alludens ad hunc locum Apoſtoli, ubi ait: Quos præſcivit, & prædeſtinavit... hos vocavit, & quos vocavit, illos & juſtificavit, & quos juſtificavit, illos & glorificavit: In quo continetur vera Chriſti gratia, ſed non ſola; dixit quod quæſtio vertebatur de illa gratia, qua prædeſtinati vocamur, juſtificamur, glorificamur: quia nempe in illo loco Scripturæ non ſolum fit mentio de vocatione & juſtificatione, quæ pertinebant ad ſuum propoſitum; ſed etiam de glorificatione, quæ non erat ad ſuum propoſitum; ſed nihil voluit omittere de textu. Quod fere perpetuum eſt apud illum, quoties utitur illo loco Scripturæ propter rationem ſupra tactam: vix autem reperias eum loqui contra Pelagium de glorificatione, aut gloria extra has occaſiones S. Scripturæ: Sed ut ſcias ex hac ipſa Epiſtola quæ ſit illa gratia de qua formaliter & directe diſceptabat in ea Auguſtinus contra Pelagium: Audi quid conſulat ibi ſummo Pontifici,

cui in hac Epiſtola ſcribebat, ad hoc ut veram Chriſti gratiam, de qua ipſe Auguſtinus diſputabat cum Pelagio, à Pelagio ipſo eliceret, aut ſaltem qualem ille hæreticus admitteret, plene deſcire poſſet. Aut ergo, inquit, à tua veneratione acciendus eſt (Pelagius) Romam, & diligenter interrogandus (certe debet ibi tradere veram regulam, cognoſcendi illam gratiam, de qua inter eum & Pelag. tunc quæſtio vertebatur) *quam dicat gratiam quâ fateatur*, ſi tamen fateatur, *ad non peccandum, juſteque vivendum homines adjuvari.* Hæc ergo erat gratia de qua formaliter agebatur, ſcilicet de ea quæ adjuvat ad non peccandum, & ad juſte vivendum, quæ non eſt niſi aliquod adjutorium, vel auxilium in homine reſidens, non vero gloria, aut prædeſtinatio ad illam. Et infra, urgens fieri idem diligens examen, ſic ait: Sive enim gratiam dixerit eſſe liberum arbitrium, ſive gratiam eſſe remiſſionem peccatorum, ſive gratiam eſſe legis præceptum, (ubi nihil prorſus vides curare Auguſtinum de prædeſtinatione ad gloriam; ſed totum & totaliter incumbere in hoc, ut ſciatur qua gratia, quo adjutorio, quo auxilio, velit Pelagius hominem adjuvari ad non peccandum, ad juſte vivendum, & ad vincendas tentationes, ut mox dicetur: unde cum prædictæ gratiæ à Pelagio admiſſæ, ad id non ſufficerent, mox ſubjicit) nihil eorum dicit, quod per *ſubminiſtrationem Spiritus Sanct pertinet ad concupiſcentias, tentationeſque vincendas*: quem ditiſſime effudit in nos, qui aſcendit in cælum, *& captivavit captivitatem*, [Dedit dona hominibus] hinc enim oramus, *ut peccatorum tentationem ſuperare poſſimus.* Quis non videat ibi agi formaliter & directe de aliquo certo auxilio, ad vincendas tentationes neceſſario? non autem abſtrahi ab illo qualecumque illud fuerit: quis non videat etiam non agi ibi formaliter de prædeſtinatione ad gloriam; ſed de prædeſtinatione ad gratiam, quæ adjuvat hominem ad bonum, & quæri quæ & qualis illa gratia ſit? Quod ut adhuc plenius percipias, vide quomodo ſemper urgeat illud auxiliũ, & quod & quale illud ſit, inquirat, & falſum à vero ſecernat. Qui autem orat, inquit, & dicit [Ne nos inferas in tentationem] non utique id orat ut homo ſit, quod eſt natura (hoc eſt falſum auxilium) neque id orat, ut habeat liberum arbitrium quod jam accepit, cum crearetur ipſa natura (& hoc adhuc falſum auxilium) neque orat remiſſionem peccatorum, quia hoc ſuperius dicitur: Dimitte nobis debita noſtra. (& hoc adhuc falſum auxilium) Neque orat, ut accipiat mandatum: Si enim in tentationem inductus fuerit, hoc eſt in tentatione defecerit, facit utique peccatum, quod eſt contra mandatum (& hoc adhuc falſum auxilium; ſed ecce ſubjicit verũ) orat ergo, *ut non peccet*, hoc eſt ne quid faciat mali (per prædictam ſcilicet gratiam, ſeu ſubminiſtrationem Spiritus Sancti, quæ eſt pia motio in voluntate, ſeu gratia in voluntate neceſſaria de qua toties locuti ſumus) quod pro Corinthiis orat Apoſtolus Paulus, dicens; [Oramus autem ad Dominum, ne quid faciatis mali] unde ſatis apparet quod ad non peccandum, id eſt ad non faciendum malum quamvis non dubitetur

eſſe

eſſe arbitrium voluntatis, tamen ejus poteſtas non ſufficiat, *niſi adjuvetur infirmitas.* Ubi luce clarius eſt agi formaliter de certo aliquo adjutorio, quod non eſt liberum arbitrium, ſed aliquid in ipſo reſidens, & ipſi voluntati inhærens; quod non eſt gloria, ſeu vita æterna, cum ſit nobis in hac vita degentibus extrinſeca. Et paulo infra, determinans quod ſit officium iſtius gratiæ, de qua loquitur, ſic ait: Diſtinguenda eſt lex & gratia: lex jubere novit, *gratia juvare:* hoc eſt officium iſtius gratiæ, non vero beatificare, ſeu beatum facere, quod eſt officium gloriæ: Et adhuc infra, commendans eidem Papæ, idem diligens examen Pelagii de gratia: Illam, inquit, confiteatur apertiſſime gratiam, quam doctrina Chriſtiana demonſtrat & prædicat eſſe propriam Chriſtianorum, quæ non eſt natura; ſed qua ſolvatur natura: non auribus ſonante doctrina, vel aliquo adjumento viſibili, ſicut plantatur quodammodo & irrigatur extrinſecus; ſed *ſubminiſtratione Spiritus, & occulta miſericordia:* ſicut facit ille qui dat incrementum Deus. Ubi vides ſemper commendari illam ſubminiſtrationem Spiritus, ſeu piam motionem in voluntate neceſſariam tanquam illam gratiam, de qua ibi formaliter & directe agitur, & à Pelagio exigitur: Et poſt multa quaſi concludens totam iſtam materiam, & loquens de illa gratia quæ fuit omni tempore neceſſaria, ſic ait: Quapropter ſi ante tempus legis & tempore ipſo legis, juſtos patres & ex fide viventes, non paſſibilitas naturæ infirmæ & indigæ, ac vitiatæ, & ſub peccato venundatæ; ſed Dei gratia per fidem *juſtificat* (non dicit & glorificat) & nunc eadem in apertum jam veniens, revelata *juſtificat* (nec addit & glorificat, quod ſane addere debuerat, ſi gloria fuiſſet huic intrinſeca gratiæ, cùm eam hîc doctrinaliter definiat, & diſtinguat à falſa, & tradat ibi regulam quam Pelagius ſequi debeat in ſententia gratiæ: unde & mox ſequitur) anathematiſet ergo Pelagius ſcripta ſua, ubi contra eam (ſcilicet gratiam ſupra deſcriptam juſtificantem, & non glorificantem) etſi non per contumaciam, tamen per ignorantiam diſputat poſſibilitatem defendendo naturæ, ad vincenda peccata & implenda mandata. Ubi totum quod contendit Auguſtinus, eſt ut fateatur Pelagius gratiam juſtificantem, id eſt juſte vivere facientem, & non defendat amplius poſſibilitatem naturæ, tanquam ad vincenda peccata, & implenda præcepta per ſe ſufficientis. Ubi nihil de glorificatione.

Ex quibus manifeſtum eſt Auguſtinum ſolummodo ibi egiſſe cum Pelagio de adjutorio divinæ gratiæ, contra poſſibilitatem naturæ, & non de glorificatione: & proinde quod cum locutus eſt in prææallegato textu de iſta glorificatione ſimul cum juſtificatione, locutus eſt ea de re per accidens, & non formaliter, & per ſe; ſed occaſione Scripturæ, quæ mentionem etiam faciebat de glorificatione, ut ſupra demonſtravimus.

PUNCTUM VI.

Duo ſequentia Petavii argumenta, ſcilicet 2. & 3. proponuntur & ſolvuntur.

SECUNDUM argumentum ſumitur ex lib. de prædeſt. Sanct. cap. 17. ubi loquens Auguſtinus de electione æterna & de temporali, quæ eſt executio æternæ; vult utramque fieri ſine prævisis meritis, quod probat ex hoc textu: Electi ſunt itaque ante mundi conſtitutionem ea prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſcivit: electi ſunt autem de mundo, ea vocatione qua Deus id quod prædeſtinavit, implevit.

Reſpondeo primò, quod etſi hic textus intelligeretur de prædeſtinatione ad gloriam, ut vult Petavius, non tamen probaret quod illa prædeſtinatio facta fuerit ante prævisa merita: Dicit enim ibi Deum impleviſſe, quod prædeſtinavit, non tamen dicit quomodo illud prædeſtinavit, an ex prævisis meritis, an ſine prævisis meritis.

Reſpondeo ſecundò, & ad mentem Auguſtini, quod prædeſtinatio illa non eſt ad gloriam ſaltem ſolam; ſed eſſe ad fidem primam, quam Semipelagiani, contra quos ibi agebat, negabant prædeſtinari; id eſt, Deum ad eam concurrere per gratiam in voluntate neceſſariam: Unde ſic agit contra eos initio capitis: Intelligamus ergo vocationem quâ fiunt electi; non qui eliguntur quia crediderunt; ſed qui eliguntur *ut credant*: Ecce totum objectum prædeſtinationis, eſt ut credant, & non ut beati ſint: Et immediate ante textum qui nobis objicitur, ſic ait: Quid eſt quod ait Apoſtolus [Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem] quod profecto ſi propterea dictum eſt, quia præſcivit credituros? (id eſt mere ſpeculative ſe habuit ad eorum fidem, ut ſupra explicatum eſt, & non eam prædeſtinavit, ſeu non concurrit ad eam, per gratiam ſuam prævenientem in voluntate neceſſariam; ut mox ſequitur) non quia *facturus* fuerat ipſe credentes; contra iſtam præſcientiam, (mere ſpeculativam) loquitur filius dicens: [Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos] cum hoc potius præſcierit Deus, quod ipſi erant eum electuri, ut ab illo mererentur eligi: (id eſt quia hinc ſequeretur quod potius Deus prævidiſſet eorum fidem, ut ex ejus merito eligerentur, quam quod ex ſeipſo, & ex mera ſua bonitate & gratiâ elegiſſet eos, prout dicit Apoſtolus: unde bene ſequitur textus ſupra allatus. Electi ſunt itaque ante mundi conſtitutionem ea prædeſtinatione (non præſcientia, quæ eſt mere ſpeculativa; ſed prædeſtinatione, quæ eſt effectiva & practica, ut ſequitur) in qua Deus ſua futura *facta*, præſcivit: Electi ſunt autem de mundo ea vocatione qua Deus id quod prædeſtinavit, *implevit*. Ubi ſolum oſtendit Auguſtinus Deum nos elegiſſe ad fidem, quam ipſe facturus fuerat in nobis per gratiam ſuam prævenientem & præexcitantem neceſſariam, non vero quam prævideràt futuram

eſſe à nobis ſine Deo (ut volebant Semipelagiani) operantibus. Et ſic tota illa prædeſtinatio eſt ad ſolam primam fidem , non vero ad gloriam.

Verum inſtat Petavius , & ait , quod iſti prædeſtinati ibi dicuntur ſecundum propoſitum vocati; ergo & prædeſtinati, non ſolum ad gratiam, ſed etiam ad gloriam : quod confirmat ex eo quod paulo poſt dicit Auguſtinus , quod (Deus) eligendo facit divites in fide , ſicut hæredes regni : Et aliàs ſequeretur , quod reprobi qui receperunt fidem , ſeu gratiam , poſſent dici prædeſtinati.

Reſpondeo negando primam conſequentiam : Supra enim oſtenſum eſt Object. 15. ex Auguſt. vocationem ſecundum propoſitum , ſumi pro prædeſtinatione ad gratiam , non autem ſemper pro prædeſtinatione ad gloriam ſaltem ſolam. Ad primam autem ejus confirmationem dico iſtum textum non intelligi de prædeſtinatione ad gloriam ; ſed de prædeſtinatione ad gratiam , ſeu ad primam fidem : Et ſenſus eſt , quod ſicut eligendo Deus ad gratiam ſanctificantem quia ſimus hæredes Dei , concurrit ad illam gratiam , & facit eam in nobis , ſic eligendo nos ad fidem , concurrit ad eam , & facit eam in nobis , per gratiam ſuam prævenientem & adjuvantem neceſſariam. Si autem vis per hoc quod eſt facere hæredes regni , intelligi beatos ; non multum obeſt : Senſus enim erit , quod ſicut facit beatos , non præſciendo ſolùm ; ſed etiam prædeſtinando & faciendo in eis gloriam : ita facit fideles , non præſciendo ſolùm , ut volebant Semipelagiani; ſed etiam prędeſtinando & faciendo in eis fidem , per præexcitantem & adjuvantem gratiam. Quod enim ibi intendit Auguſtinus eſt ut Deus concurrat ad illam fidem , & quod fides ſit à Deo , contra prædictos Semipelagianos qui nolebant eam eſſe à Deo per prævenientem gratiam ; ſed tantum eſſe à nobis. Unde immediate poſt contra eos ſequitur : Recte quippe in eis hoc eligere dicitur , quod ut *in eis faciat* eos elegit. Ubi vides Auguſtinum ſolum contendere quod ad illam fidem Deus concurrat , ſeu quod idem eſt illam faciat. Et ſequitur : Rogo quis audiat Dominum dicentem : [Non vos me elegiſtis , ſed ego elegi vos ?] Et audeat dicere , credere homines , ut eligantur (quod eſt mere ſpeculativum) cum potius eligantur ut credant (quod eſt practicum & effectivum , & totale objectum prædeſtinationis de qua loquitur) Ne contra ſententiam veritatis priores inveniantur elegiſſe Chriſtum , quibus dicit Chriſtus : [Non vos me elegiſtis , ſed ego elegi vos.] Ubi nihil aliud contendit , niſi Deum concurrere ad iſtam fidem per prævenientem ſuam gratiam ; non autem expectare ut ipſi ex ſeipſis credant , & ſic priores dent Deo , ut volebant Semipelagiani . Quod multis capitibus deinde proſequitur , in o uſque ad finem libri , ut in præcedenti argumento expoſuimus. Quod autem ibi ſolùm loquatur de electione ad fidem, præter ſupradicta , patet ex paulo ſupra allatis verbis, ubi ait : Recte quippe in eis hoc eligere dicitur,quod ut in eis faciat,eos elegit : atqui hoc totum quod facit in eis , eſt prima fides , ut ex dictis manifeſtum eſt ; ergo eligit fidem & non gloriam ; ſed

Vide infra , ſect.3.parag. 10. puncto 18. quomodo facere Dei , ſit tantum concurrere ad bona opera , ſecundum Auguſtinum.

eligere fidem, & eligere ad fidem, idem ſunt apud Auguſtinum: Ergo illa electio de qua ibi loquitur eſt ſolùm ad fidem, & non ad gloriam: Sed etſi concederemus ibi loqui Auguſt. de prædeſtinatione ad fidem & ad gloriam, ut vult Petavius, ne minimum quidem gravaret nos, nihili enim facimus illos textus Auguſt. qui afferuntur contra nos, ubi loquitur Auguſtinus de prædeſtinatione ad gratiam ſimul & ad gloriam: Nam cum probe ſciamus Auguſtinum in illis textibus agere formaliter & per ſe de gratia, per accidens autem de gloria, ſcimus etiam eum ſolùm concludere ratione gratiæ; & proinde dicere prædeſtinationem illam eſſe ratione gratiæ; non autem gloriæ, gratuitam. Et præterea cum per ſe incertum ſit (cum ſermo eſt de prædeſtinatione ad gratiam ſimul & ad gloriam) an dicatur, illa prædeſtinatio cauſa gratiæ & meritorum, quatenus eſt ad gloriam; an vero quatenus eſt ad gratiam, cum reſpiciat utramque: Hinc etiam ſequitur quod eſt incertum, an illa prædeſtinatio ad gloriam ſit ante, vel poſt merita prævisa, quandoquidem non poteſt eſſe ante prævisa merita, niſi ſit cauſa gratiæ & meritorum, quatenus eſt ad gloriam, & non quatenus eſt ad gratiam, ut ſciunt & dicunt omnes qui tenent opinionem iſtam. Si enim eſt cauſa gratiæ & meritorum, quatenus eſt ad gratiam: tunc potius habet rationem prædeſtinationis ad gratiam quam prædeſtinationis ad gloriam, cum ut ſic gloria, ſit ei prorſus extrinſeca: Unde nihil prorſus efficiunt contra nos argumenta Petavii ex Auguſtino deſumpta, cum fere ſemper arguat ex Auguſtini textibus, ubi inquit, fit mentio, non ſolùm de gratia; ſed etiam de gloria. Debet enim mentio ſolùm fieri de gloria, & non de gratia, ad hoc ut recte concludat contra nos, ut ex dictis clarum eſt.

Ad ſecundam autem confirmationem, qua dicit quod ſi illi qui ibi dicuntur prædeſtinati, ſunt tantum prædeſtinati ad gratiam, reprobi poterunt dici prædeſtinati.

Reſpondeo quod poterunt dici prædeſtinati ſecundum ſubjectam materiam, quæ cum ibi ſit de prima fide, ibi dicuntur prædeſtinati ad primam fidem: ſi eſſet de juſtitia, dicerentur prædeſtinati ad juſtitiam de qua denominatione vide plura in ultima Object. ex Scripturis.

Tandem inſtat, ex eo quod ibi affirmat Auguſt. Deum non alios glorificaſſe, quam quos prædeſtinavit, vel prædeſtinatione elegit. Nam, non poteſt, inquit, electio ac prædeſtinatio iſta, ſolâ circumſcribi gratiâ, quam communem habent illi cum reprobis, ſed ad ſalutem neceſſario comparatur.

Reſpondeo, bene & optime hanc prædeſtinationem circumſcribi gratiâ primæ fidei, cum de hac ſolâ ibi quæſtio eſſet. Et ſenſus eſt, quod non alios glorificavit, quam quos prædeſtinavit ad fidem, id eſt quam hos quorum fidem effecit per gratiam prævenientem, & adjuvantem ſuã, contra errorem Semipelagianorum, quos ibi impugnabat, qui dicebant nos à nobiſmetipſis habere primam fidem, & non à Deo per gratiam prævenientem: Et ſic illam fidem ſolùm præſciri à Deo, & non prædeſtinari; & ſic non prædeſtinatos à Deo ad illam fidem, glorificari: contra

vero Auguſtinus dicebat, nonniſi prædeſtinatos à Deo ad illam fidem glorificari, juxta textum Apoſtoli: Quos præſcivit & prædeſtinavit, hos vocavit, juſtificavit, glorificavit: unde ſic concludit: Elegit ergo Deus fideles; ſed ut ſint, non quia erant. Id eſt elegit eos ad fidem, quam fuerat ipſe facturus, non quam habituri & effecturi erant ex ſemetipſis ſine Deo: nihil enim ibi contendit Auguſtinus formaliter, niſi fidem à Deo prædeſtinari, id eſt fieri, non vero ſolum præſciri, ut volebant Semipelagiani.

Tertium argumentum ſumitur ex lib. de corrept. & grat. cap. 14. ubi, ut ait, Auguſtinus voluntatem ſalvandi, quam erga electos peculiarem ex æterno Deus habuit, abſolutam eſſe docet; & quod dicere ſolet infallibilem, ex quâ & cujus implendæ cauſa Deus efficacem gratiam præſtat, quod probat ex illo textu Apoſtoli [Deus vult omnes ſalvos fieri] quem ideo Auguſtinus ibi exponit de ſolis prædeſtinatis, quia quos vult ſalvat, & aliis ſimilibus probat Auguſtini teſtimoniis eandem omnipotentiſſimam & efficaciſſimam Dei voluntatem.

Reſpondeo, Auguſtinum quidem docuiſſe voluntatem Dei eſſe omnipotentiſſimam, efficaciſſimam & infallibilem, quia nempe ſalvat omnes quos ſalvare decrevit: At vero quod ita ſit abſoluta, ut decreverit eos ſalvare ante præviſa eorum opera, & quod ſit cauſa gratiæ dandæ, nego illud abſolute, cujus contrarium ſatis oſtendimus in argumentis ex Auguſtino petitis. Ad primum autem teſtimonium quo prætendit id probare Petavius, reſpondeo locum illum Apoſtoli non ſic Auguſtinum expoſuiſſe, ex proprio ſenſu, ſed in ſuppoſitione Pelagianorum qui ſumebant & intelligebant eum de voluntate efficaci, in qua ſuppoſitione veriſſimum eſt, illum ſolùm debere intelligi de ſolis prædeſtinatis: ubi etiam non explicat Auguſtinus, an illi prædeſtinati de quibus intelligendus eſt, ſint ante vel poſt merita prædeſtinati, cùm de utriſque rectè intelligi poſſit. Verum alibi exponens locum illum ex proprio ſenſu, intelligit illum de voluntate ſalvandi omnes generaliter, & non ſolum prædeſtinatos, ut patet ſupra ex 2. argumento ex ratione, ubi illud probavimus ex profeſſo. Imo & ipſe Petavius idem probat, & admittit lib. 10. cap. 4. n. 7. & ſequentibus. Quantum autem ad alios textus Auguſtini, tam copioſe ſupra eis reſponſum eſt in object. 3. ex Auguſtino, ut ſuperfluum omnino ſit de his quicquam hìc repetere. Et præterea cum dicat locos illos eſſe interpretandos de electione ad gratiam ſimul & ad gloriam, non poſſunt eſſe contra nos, cum non loquamur de illa electione quæ eſt ad gratiam ſimul & ad gloriam; ſed de eâ ſolum quæ eſt ad gloriam ſolam. Præterquam quod certum eſt quod illi loci, qui ſunt de prædeſtinatione ad gratiam ſimul & ad gloriam, non poſſunt probare prædeſtinationem ad gloriam ut ſic eſſe cauſam meritorum & gratiæ; nec proinde eſſe ante præviſa merita, ut in præcedenti argumento ſatis demonſtratum eſt.

PUNCTUM VII.

Argumentum quartum Petavii ſolvitur, oſtenditurque quid ſit illa diſcretio de qua ordinarie loquitur Auguſtinus.

QUARTUM argumentum ſumitur ex doctrina Auguſtini de diſcretione à maſſa damnationis, quam diſcretionem vult Auguſt. eſſe mere gratuitam, eamque ad gloriam, ut aït Petavius.

Concedo quod voluerit Auguſtinus illam prædeſtinationem, ſeu diſcretionem eſſe mere gratuitam; ſed nego quod ſit ad gloriam, ſaltem ſolam.

Probat Potavius eſſe ad gloriam, ut & ad gratiam: (non enim ſolet diſtinguere inter prædeſtinationem ad gloriam ſolam, & prædeſtinationem ad gratiam ſimul & ad gloriam, quod magnum vitium eſt in tota ſua diſputatione, cum intrinſecum ſit interpretationi locorum Auguſt.) Probat autem ejuſmodi: Illa diſcretio, ſeu prædeſtinatio de qua loquitur Auguſtinus, eximit abſolute hominem à maſſâ damnationis, ſed prædeſtinatio ad ſolam gratiam non ſic eximit hominem à maſſa perditionis, ut patet in reprobis juſtificatis: Ergo illa diſcretio, non eſt prædeſtinatio ad gratiam; ſed eſt prædeſtinatio ad gloriam.

Reſpondeo, quicquid ſit de majori, diſting. min. diſcretio quæ eſt ad ſolam gratiam habitualem, non eximit hominem abſolute ab illa maſſa, concedo, quia poteſt homo juſtificatus in eam reincidere per peccatum actuale: At vero diſcretio, ſeu prædeſtinatio ad gratiam perſeverantiæ, abſolute eximit hominem ab illa maſſa, quia homo qui habet illam gratiam, nunquam reincidit in illam maſſam, quia non poteſt amplius peccare, ut bene probat Auguſt. lib. de dono perſev. præcipue cap. 6. Unde non eſt neceſſe quod illa diſcretio, ſeu prædeſtinatio ſit ad gloriam. Sed ſufficit quod ſit ad perſeverantiam, cùm illa gratia eximat abſolute à maſſa damnationis, quod requirebatur, ut neceſſarium ad iſtam diſcretionem. Ubi notandum eſt, quod maſſa damnationis à qua liberat abſolute iſta diſcretio, ſeu perſeverantia, non ſumitur pro maſſa, quæ detruſa eſt in infernum; nam ab iſta maſſa nemo liberatur: à maſſa autem damnationis, de qua loquitur Auguſtinus, multi liberantur, quod ideo dico, quia Petavius, ut melius conficiat intentum ſuum, videtur confundere damnationem illam, cum damnatione æterna: Cui, inquit, proprie ſalus æterna opponitur: Sed hæc damnatio, de qua loquitur Auguſtinus, non eſt damnatio æterna; ſed ſolùm reatus damnationis æternæ, cui ſola liberatio opponitur: unde cum ſit duplex liberatio; una perfecta, altera imperfecta, & eſt diſcretio ab illâ maſsâ damnationis, una imperfecta quæ eſt per gratiam habitualem, quæ non eſt perpetua; ſed cum periculo reincidentiæ conjuncta: altera

Ibi oſtendis Auguſt. donum perſeverantia tantum eſſe in inſtanti mortis.

+duplex

perfecta & abſoluta, quæ eſt perpetua, & extra omne periculum relapſus, qualis eſt illa, quæ fit per donum perſeverantiæ. Quæ inſinuatur ab Auguſtino libro de dono perſev. cap. 9. ubi ait: Vera ſunt hæc, ſecundum hæc omnia ex nobis erant, (in quo comprehenditur diſcretio imperfecta per gratiam habitualem) verumtamen ſecundum *aliam* quamdam diſcretionem non erant ex nobis; nam ſi fuiſſent ex nobis *manſiſſent* (id eſt perſeveraſſent) nobiſcum. Et hæc eſt diſcretio quæ plene & perfecte & abſolute liberat à maſſa perditionis, cùm non ſit amplius periculum reincidentiæ, ſeu recidivæ in peccatum. In hoc ergo deceptus eſt Petavius, quod putavit Auguſtinum nullam aliam agnoviſſe diſcretionem, ſeu prædeſtinationem ad gratiam, quam eam quæ eſt ad gratiam habitualem, cum frequentiſſime loquatur Auguſtinus de iſta alia, quæ eſt ad perſeverantiam, & eam velit eſſe perfectam & abſolutam à maſſa damnationis liberationem. Cum ergo non adverterit hoc Petavius, non eſt mirum quod multos locos Auguſtini perperam interpretetur de prædeſtinatione ad gloriam, qui tamen ſunt de prædeſtinatione ad perſeverantiam, quales ſunt illi loci quos citat in hoc argumento ex cap. 7. libri de corrept. & gratia, & ex lib. de dono perſever. cap. 9. qui vere ſunt de prædeſtinatione ad iſtam gratiam, ſeu donum perſeverantiæ, non autem ad gloriam ſaltem ſolam, prout probavimus in Object. 2. & 6. ex Auguſtino. Fefellit etiam eum, quod aliquando Auguſtinus, propter individuam ſocietatem, quæ eſt inter perſeverantiam, & gloriam, ſeu prædeſtinationem ejus, loquendo de unâ etiam concomitanter loquitur de altera, ſcilicet de gloria; ſed diſcernenda ſunt ea, quæ ſunt intrinſeca textui ab eis, quæ ſolum ſunt ei accidentalia, ut bene capiatur ſenſus ejus. Dubitari autem non poteſt perſeverantiam eſſe intrinſecam textibus ſupra ab eo allegatis, cum in iis formaliter & directe agat Auguſtinus de perſeverantia. Nam in primo textu qui eſt de corrept. & gratia, ſatisfacit cuidam objectioni, quæ eſt de ipsâ perſeverantiâ. Dicebant enim ibi Pelagianiſantes Monachi quibus ſcribebat, Quid feci qui non accepi? Accepi enim fidem quæ per dilectionem operatur; ſed in illa uſque in finem *perſeverantiam* non accepi; an quiſquam dicere audebit, iſtam *perſeverantiam* non eſſe donum Dei, &c. Cui objectioni ſic reſpondet, ad hæc nos negare quidem non poſſumus, etiam *perſeverantiam* in bono proficientem uſque in finem, magnum eſſe Dei munus, &c. Et cap. 7. initio, unde ſumptus eſt textus objectus, ſic ait: Quæ cum ita ſint, corripimus tamen eos juſteque corripimus, qui cum bene viverent, non in eo *perſeveraverunt*, &c. Et capite ſequenti initio: Hîc ſi à me quæratur, cur eis Deus *perſeverantiam* non dedit, quibus eam quâ Chriſtiane viverent, dilectionem dedit, me ignorare reſpondeo. Ubi manifeſtum eſt eum agere directe, & formaliter de dono ſeu gratia perſeverantiæ. Imo in eodem capite, aſſerit ſe diſputare de perſeverantia. Ubi tantum abeſt, ut dicat illam eſſe ex prædeſtinatione ad gloriam, quin ut mox vidimus, clare reſpondet ſe ignorare cauſam *Argum. 9. ex Auguſt.*

illius, ſeu cui uni detur, & non alteri: quod non vere dixiſſet, ſi putaſſet eam eſſe ex prædeſtinatione ad gloriam, ut alibi oſtendimus. Quantum ad alterum textum, qui ſumptus eſt ex libro de dono perſeverantiæ, præter expoſitionem ejus peculiarem in prædicta object. 6. datam, ſatis indicat titulus libri, ibi agi formaliter & directe de gratia perſeverantiæ, & per conſequens, quod ſi ibi aliquid reperiatur de prædeſtinatione ad gloriam, mere accidentarium ſit ad diſputationem; & ratione, ut dixi, connexionis individuæ quæ eſt inter perſeverantiam & gloriam, & prædeſtinationem illius: quicumque enim prævisus eſt perſeveraturus in bono uſque in finem, conſequenter & indiviſibiliter prædeſtinatus eſt ad gloriam.

Tam autem certum eſt iſtam diſcretionem de qua loquimur, eſſe de gratia, & non de gloria: ut ſæpe tribuat ei Auguſtinus talia, quæ non poſſunt convenire gloriæ; ſed ſoli tantũ gratiæ: quod poſſem probare multis textibus illius, ſed ſolùm id probabo ex duobus à Petavio ipſo adductis, ut brevitati conſulam. Primus textus citatur ex Enchiridio cap. 99. ubi *In hoc cap. n. 8.* aït Auguſtinus. Quod *ſola gratia* redemptos diſcernit à perditis. Sed fortaſſe dices; ibi gratiam ſumi pro gloria. Imo vero quod ſequitur ita convenit gratiæ, ut non poſſit convenire gloriæ. Ibi enim aït, iſtos à maſſa illa diſcretos, ſic oportuiſſe liberari, ut ea pluribus non liberatis, atque in damnatione juſtiſſima derelictis, oſtenderetur quid meruiſſet univerſa conſperſio, & quò etiam iſtos debitum Dei judicium duceret, niſi ejus indebita miſericordia *ſubveniret*. At cui convenit ſubvenire, niſi gratiæ juſtificanti, & liberanti à peccato, & dono perſeverantiæ, ne poſtea recidivetur: hoc ſane non convenit gloriæ, quæ omnia iſta ſupponit jam facta; ſed ſoli gratiæ, quæ ſubvenit, liberat, juſtificat, & ſervat à peccato uſque ad mortem. Alter locus citatur ex Epiſt. 105. ubi aït Auguſtinus, acceptionem nullam fieri perſonarum, ubi una eademque maſſa damnationis & offenſionis involvit, ut liberatus de non liberato diſcat, *quod etiam ſibi ſupplicium conveniret, niſi gratia ſubveniret* (ubi adhuc vides ſubventionem gratiæ liberantis à ſupplicio debito, quod non convenit gloriæ, quæ nullum invenit ſupplicium debitum in ſubjecto ſuo, ſed potius præmium ei debitum, cum mundatum ſit à peccato; juxta illud Apocal. 21. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum) Si autem *gratia*, utique *nullis meritis reddita* (nullo modo poteſt convenire gloriæ: Certum enim de fide eſt illam reddi aliquibus meritis, ſoli ergo convenit gratiæ. Et iterum) Ubi quia univerſa iſta maſſa meritò damnata eſt, contumeliam debitā reddit juſtitia, *honorē donat indebitum gratia, non meriti prærogativa.* Ubi adhuc rejiciũtur merita à donatione, ſeu collatione iſtius gratiæ, & dicitur indebita. Quod prorſus non poteſt dici de gloria, ſed de ſola gratia. At forte dices, ibi ſolum rejici merita liberi arbitrii; non vero merita gratiæ, ſeu merita à gratiâ profecta, quibus ſolis debetur gloria. Sed occurrit ipſe Petavius dicens: Auguſtinum non ſolum excludere ea merita, quæ propria ſunt,

ſunt, hoc eſt ex arbitrii viribus ſine gratiâ præſtitâ, ſed etiam excludere ea quæ ſunt ex ſpiritu fidei, & gratiæ profecta. Ex quo manifeſtum eſt nihil amplius habere Petavium quo poſſit præſcribere, contra illos locos, quominus probent diſcretionem illam eſſe ad gratiam, & non ad gloriam, quandoquidem tam ingenue, & tam vere fatetur in iis locis omnia rejici merita, non ſolùm liberi arbitrii; ſed etiam gratiæ. Ubi valde deceptus eſt Petavius putans ibi ſermonem eſſe de prædeſtinatione ſecundum intentionem, & eſt ſermo de prædeſtinatione ſecundum executionem, ſeu de collatione rei prædeſtinatæ. Ex quo etiam ſequitur peremptorium iſtud argumentum contra eum: quod certum eſt Auguſtinum numquam aliter locutum eſſe de diſcretione ab illa maſſa ſecundum executionem, quam de ea ſecundum intentionem, ſemper enim facit utramque mere gratuitam & indebitam: At quis tenens prædeſtinationem ad gloriam eſſe mere gratuitam, audeat dicere illius executionem eſſe etiam mere gratuitam? iſte ſane non eſſet Catholicus, ut in confeſſo eſt apud omnes: Ergo indubitatum omnino eſt per diſcretionem illam, non intellexiſſe Auguſtinum prædeſtinationem ad gloriam; ſed tantum prædeſtinationem ad gratiam, cujus executio non minus gratuita & indebita eſt, quam eſt ejus intentio, quod non poteſt dici de prædeſtinatione ad gloriam.

PUNCTUM VIII.

Duo ſequentia Petavii proponuntur & ſolvuntur argumenta, ſcilicet quintum & ſextum.

QUINTUM argumentum ſumitur ex diverſis locis Auguſtini, quos jam ſupra ſolvimus. Quorum primus eſt ille, quem paulo ſupra ſolvimus in 1. Petavii argumento, ubi voluit probare cap. 18. libri prædeſtin. Sanct. diſputationem fuiſſe inter Auguſtinum & Pelagium de prædeſtinatione ad gloriam ex prævisâ ſanctitate per qualemlibet gratiam adepta. Secundus eſt ex libro de dono perſev. cap. 9. quem ſoluimus in in Object. 6. ex Auguſtino. Tertius ex libro de corrept. & gratia cap. 7. quem ſolvimus in Object. 2. & 13. ex Auguſtino; ubi etiam oſtenſum eſt impoſſibile eſſe quod Auguſtinus dixerit, aut innuerit prædeſtinationem eſſe cauſam perſeverantiæ, aut negationem illius prædeſtinationis, cauſam eſſe negationis perſeverantiæ (ut hîc vult Petavius) cum in eodem libro cap. 8. clare aſſerat Auguſtinus, ſe neſcire cur hic perſeueret, ille vero non perſeveret, quod eſt negare ſe ſcire cauſam perſeverantiæ & non perſeverantiæ. Unde cum dicit Auguſtinus eodem libro cap. 11. (quod nobis hîc objicitur) nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt: quibus autem datur ſecundum gratiam datur, non ſecundum debitum. Per hoc non prætendit reddere cauſam proximam, ſingularem & adæquatam iſtius negationis adjutorii

quam ſe neſcire toties affirmat) ſed tantum remotam, generalem & partialem, quæ conſiſtit in hoc, quod numquam negetur iſtuda djutorium, niſi præexiſtente peccato, vel originali, vel actuali (non enim diſtinguit Auguſtinus; ſed tantum aït eſſe pœnam peccati in genere) ſed per hoc non reddit rationem cur ex duobus exiſtentibus in peccato, uni detur tale adjutorium, alteri denegetur, in quo eſt punctus difficultatis, & ubi deſideratur cauſa proxima, ſingularis & adæquata hujus negationis, quam fatetur Auguſtinus ſe neſcire. Unde manifeſtum eſt eum illam non referre ad prædeſtinationem gloriæ, ut volebat Petavius; ſed ad meram Dei voluntatem uni favere volentis, alterum vero punire ſine ulla alia ratione quam ſciamus : quod ſic etiam explicat luculente libro de dono perſeverantiæ cap. 8. ubi aït : Quantum autem ad juſtitiam, ſpectat & gratiam, poteſt & de reo qui liberatur, recte dici: *Volo*. Poteſt & de eo qui damnatur [Tolle quod tuum eſt, & vade, huic autem *volo*, quod non debetur donare : an non licet mihi facere quod *volo*, an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum] hic ille ſi dicat, cur non & mihi, merito audiet : [O homo ! tu quis es qui reſpondeas Deo ?] quem certe in uno veſtrum benigniſſimum largitorem, in te vero exactorem juſtiſſimum, in nullo tamen cernis injuſtum : cum enim juſtus eſſet, etiamſi utrumque puniret, qui liberatus habet unde gratias agat, qui damnatur non habet quod reprehendat. Ubi vides Auguſtinum ea omnia referre in meram Dei voluntatem tanquam in cauſam proximam ſpecificam, & ſingularem conceſſionis gratiæ, aut negationis gratiæ, ſi tamen mera voluntas ratio eſſe poſſit. Certe ibi fatetur Auguſtinus ſe aliam non agnoſcere. Unde eidem qui ſupra perſequenti ſuam querelam, & dicenti : Cur in eâdem causâ (id eſt in eodem reatu peccati) me potius quam illum puniet: ita reſpondet Auguſt. Hoc non dico, ſi quæris quare, quia *fateor me non invenire quid dicam* (niſi ſcilicet ſupradictum volo) ſi & hoc quæris, quare, quia in hac re, ſicut juſta eſt ira ejus, ſicut magna eſt miſericordia ejus, ita *inſcrutabilia judicia.* Ubi eamdem ſemper neſcientiam ſuam fatetur Auguſtinus : unde ſatis mirari non poſſum quod cum tam accurate, & tam expreſſe fateatur Auguſtinus ſe neſcire cur in eadem cauſa, ſeu reatu peccati, uni Deus det gratiam, & alteri deneget: Iſti tamen volunt ut ſciverit, & dixerit id fieri, ex eo quod unum prædeſtinavit Deus ad gloriam, alterum non prædeſtinavit ad gloriam, quæ eſt cauſa à priori iſtius conceſſionis, aut negationis gratiæ. Quæſo te, ſi quis ſciens aliquem patrem velle filium ſuum primogenitum eſſe doctum, ſecundo genitum autem ſuum indoctum; & poſtea videns eumdem patrem mittere primogenitum ſuum ad ſcholas, ſecundo genitum autem ſuum non mittere ad ſcholas ? Poſſet-ne vere dicere, ſe neſcire cur iſte pater mittat primogenitum ſuum ad ſcholas, & non mittat ſecundo genitum : cum ratio per ſe pateat, quia nempe vult primogenitum ſuum eſſe doctum, & ideo mittit ad ſcholas, quæ medium ſunt doctrinæ acquirendæ, non vult

autem ſecundo genitum eſſe doctum, & ideo non mittit ad ſcholas, quod eſt medium ignorantiæ. At non eſt minor connexio inter prædeſtinationem ad gloriam & perſeverantiam, quam inter ſcholam & doctrinam, ſi prædeſtinatio eſt cauſa perſeverantiæ: Quomodo ergo vere potuiſſet dicere Auguſtinus ſe neſcire, cur is perſeveret, ille autem non perſeveret, ſi putaſſet prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam perſeverantiæ, cùm ratio per ſe pateret, ſcilicet quod huic Deus dat perſeverantiam, quia prædeſtinavit eum ad gloriam, ſeu voluit eum eſſe ſalvum, illi autem non dat perſeverantiam, quia non prædeſtinavit eum ad gloriam, nec voluit eum eſſe ſalvum in æternum. Indubitatum ergo omnino eſt Auguſtinum numquam putaſſe prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam perſeverantiæ, aut negationem ejus eſſe cauſam negationis perſeverantiæ, ut ex dictis manifeſtum eſt.

Sextum argumentum ſumitur ex differentia, quam indicat Auguſtinus lib. de corr. & gr. cap. 11. inter gratiam Adamo datam ad perſeverandum, cùm qua tamen actu non perſeveravit: & gratiam quæ nunc datur ex meritis Chriſti hominibus electis, cum qua actu perſeverant. Ex qua differentia colligit Petavius hanc poſteriorem gratiam nunc electis hominibus datam, eſſe ex intentione efficaci perducendi eos ad regnum.

Reſpondeo negando conſequenriam: Ex hinc enim tantum ſequitur, quod illa gratia eſt efficax, & effectum habitura, quandoquidem ſine tali gratia nemo conſequitur ſalutem, quam iſti omnes conſecuturi ſunt. Ar vero quod detur ex hac potius intentione, quam illa non ibi prorſus apparet. Poteſt enim Deus eam dare, vel negare ob multas alias rationes, quam ob finem perducendi, vel non perducendi ad regnum: ut v.g. poteſt eam dare ob præcedentes orationes, ad obtinendam illam ad Deũ fuſas, quibus concedit eam Deus aliquando, ut admittit Auguſtinus, dicens quod poſſumus eam ſuppliciter emereri, imo dicit eam nonniſi orantibus prædeſtinari. Poteſt etiam eam dare ob bonam vitam præcedentem, tamquam ob meritum de congruo; poteſt etiam maximis quibuſdam peccatoribus eam dare, ut alii non deſperent, ſicut poteſt eam negare viris etiam optimis, qui in aliquo tandem infideliter ſe geſſerunt, circa honorem & cultum ei debitum (nunquam enim negat eam Deus, juxta Auguſtinum, niſi ob præcedens aliquod peccatum quod mereatur punitionem, unde communiter vocat iſtam negationem judicium, ſupplicium, punitionem: vel dicit eſſe ex judicio, pœna, ſupplicio, punitione) ut alii non inflentur, & ex bonis operibus ſuis lethaliter ſuperbiant, juxta id quod aït Auguſtinus lib. de dono perſeverantiæ cap. 8. Hominibus, inquit, videtur, omnes qui boni apparent fideles, perſeverantiam uſque in finem accipere debuiſſe: (nota judicia Dei occulta) Deus autem melius eſſe judicavit, miſcere quoſdam non perſeveraturos, certo numero Sanctorum ſuorum, ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione ſecuritas, non poſſint eſſe ſecuri: multos enim à perniciosa elatione reprimit, quod aït Apoſtolus [Quapropter qui viderur ſtare,

Lib. de dono perſev. c. 6. & 16.

videat ne cadat] voluntate autem ſua cadit, qui cadit, & voluntate Dei ſtat, qui ſtat. Et ſic poteſt Deus iſtam perſeverantiæ gratiam efficacem dare: vel negare propter alias, & alias rationes quas ipſe ſcit, nos autem eas neſcimus: propter quod in his anguſtiis bene recurrit ſanctus Doctor, in hoc ipſo libro, ad inſcrutabilia Dei judicia, nec pudet eum fateri ſe neſcire cauſam judicii iſtius, cur uni Deus det perſeverantiam, alteri non det eam: quia nempe [Incrutabilia ſunt Dei judicia, & inveſtigabiles viæ ejus] Quod vere hîc dicere non potuiſſet, ſi credidiſſet cauſam perſeverantiæ, eſſe prædeſtinationem ad gloriam: & cauſam negationis ejus, eſſe negationem ejuſdem prædeſtinationis: cùm ſic cauſam perſeverantiæ, & non perſeverantiæ probe ſciviſſet. Sed de hac difficultate ſumpta ex diverſitate prædictarum gratiarum Adami & noſtri, ut in prædicto loco indicata, iterum recurret ſermo in Object. 13. è ratione, ubi eam penitus enodare conabimur: hæc autem ſufficiunt ad ſolvendam eam, prout à Petavio hîc objicitur.

Lib. de corr. & gr. c. 8.

Punctum IX.

Septimum Petavii proponitur & ſolvitur argumentum de vocatione ſecundum propoſitum.

Sic reſpondimus in Objectione præcedente Puncto I. quapropter ſolùm ſatisfaciendum eſt inſtantiæ hic allatæ, de vocatione ſecundum propoſitum.

SEPTIMUM argumentum ſumitur ab exemplo prædeſtinationis Chriſti mere gratuitæ, quæ eſt exemplar noſtræ, ut ait Auguſtinus libro de prædeſt. Sanctorum cap. 15. Si autem reſpondeas, ibi ſolùm indicari eam eſſe exemplar prædeſtinationis noſtræ quoad gratiam, non vero quoad gloriam: contra inſtat, & probat eſſe exemplar prædeſtinationis noſtræ quoad gloriam, ex eo quod, inquit, ſubinde declarat Auguſtinus, non ſe quamcumque intelligere vocationem, communemque reprobis, pariter & electis, qua cum illam Chriſti prædeſt. comparat; ſed quandam certam vocationem eorum, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt, quos præſcivit & prædeſtinavit, conformes fieri imaginis filii ſui, & quam intuebatur, cum diceret ſine pœnitentia ſunt dona Dei &c. Quiſquis ergo inde eſt, omnino non perit, nec erit inde qui perit.

Reſpondeo, Auguſtinum in eo loco non dicere, quod iſta vocatio ſit peculiaris electis ad gloriam, & non communis reprobis: ſed tantum dicere quod eſt peculiaris electis ad gratiam, in quantum ſcilicet eſt vocatio efficax, & non inefficax ad credendum, quæ ſolùm datur electis ad gratiam fidei: quam ſic exprimit Auguſtinus. Dixit ergo (ſcilicet Apoſtolus) [ſed ex vocante] non quacumque vocatione; ſed *qua vocatione fit credens.* Quæ verba non debebat omittere Petavius, cum ſint intrinſeca textui, & totaliter deciſiva quæſtionis. In quibus ſatis apparet, illam vocationem, prout ibi conſideratur formaliter eſſe communem reprobis, & electis, cùm terminetur ad fidem cujus quilibet eorum per ſe capax eſt, imo & illam multi reprobi actu habuerunt. Unde licet etiam

ibi loquatur Auguſtinus de vocatione efficaci ad gratiam habitualem, quæ eſt conformitas illa, de qua fit mentio ſupra in Object. quæ etiam eſt communis tam reprobis, quam electis: non tamen loquitur de ea formaliter ut ad gratiam habitualem, ſed ut eſt vocatio efficax per cujus comparationem probat vocationem efficacem ad fidem, de qua ibi formaliter diſputabat cum Semipelagianis eam negantibus: unde immediate poſt illum textum, qui eſt de vocatione efficaci ad gratiam habitualem, mox ſubjicit alium (qui etiam omiſſus eſt in objectione) qui eſt de ſola vocatione divina, ut oppoſita operibus humanis. Quam, inquit, vocationem ſignificans, ait (ſcilicet Apoſtolus) Non ex operibus, ſed ex vocante (ubi vides oppoſitionem operum cum vocatione divina) dictum eſt, quia major ſerviet minori: [Numquid dixit, non ex operibus, ſed ex credente (ubi vides formalem fuiſſe diſputationem de fide ſola, & non de gloria. Senſus enim eſt: Numquid dicit Apoſtolus, quod non ex operibus, ſed ex fide prælatus eſt Jacob Eſaü: quod dicebat, quia Semipelagiani fatebantur quidem opera noſtra bona eſſe ex Deo: ſed volebant primam fidem, ſeu credulitatem in Deum eſſe ex nobis, & non ex vocatione divina. Unde, & mox ſubjicit id quod intrinſecum eſt quæſtioni, dicens: Prorſus etiam hoc abſtulit homini (id eſt etiam & ipſam fidem voluit tribui Deo, ut & opera, & noluit eam tribui homini per ſeipſum ſolum credenti, ut volebant Semipelagiani) dixit ergo, ſed ex vocante, non quacumque vocatione; ſed qua vocatione fit credens (ecce de qua vocatione formaliter ibi agitur, ſcilicet de vocatione efficaci ad fidem, & non de alia: quia ibi erat quæſtio de actu, an eſſet ex Deo, an ex homine ſolo: ad actum enim exiſtentem, eſt ſolum gratia efficax, & non alia) Hanc etiam intuebatur, cùm diceret [Sine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei.] Quia nempe non eſt obnoxium pœnitentiæ, quòd cum fructu efficitur, qualis eſt iſta vocatio, quæ eſt efficax, ſeu effectiva fidei. Unde & poſtea probat Deum ipſa mala in bonum convertere & ordinare. Ibi ergo ſolum ſermo eſt de vocatione efficaci ad fidem, quam negabant Semipelagiani. Quantum autem ad poſtrema verba in Object. poſita, ſcilicet, quiſquis ergo inde eſt non perit, nec erit inde qui perit. Tam longe diſſita ſunt à præcedenti textu, ut ad illum non pertineant. Diſtant enim una columna integra, & eſt digreſſio Auguſtini explicantis aliquem alium textum Scripturæ. Sed ecce quod pertinet ad quæſtionem, cum ſit collectio præcedentium. Intelligamus ergo vocationem qua fiunt electi (ecce vocatio de qua quæſtio eſt) non qui eliguntur quia crediderunt (ſcilicet ex ſeipſis, ut volebant Semipelagiani) ſed qui eliguntur *ut credant:* (ecce totale objectum iſtius electionis ut credant, non ut beati ſint) quæ electio manifeſte eſt ad fidem, nec ad aliud objectum, cum tota & totaliter (ut conſtat ex terminis) terminetur ad fidem: quod & late deinde proſequitur uſque ad finem libri, prout ſupra expoſuimus in reſponſione ad primum argumentum Petavii. Ubi & hæc verba habet cap. 19. quæ ſunt perempto-

In explicando Auguſtino valde attendendum eſt ad principalia, ſæpe enim digreditur in explicandis locis S. Scripturæ.

ſ̶ia ad noſtram explicationem : Ibi enim loquens nitide de illa vocatione de qua hîc diſceptamus , quam putat Petavius eſſe tantum electorum ad gloriam , ego vero puto eſſe [illegible] electorum ad ſolam fidem , quæ eſt communis reprobis & electis, & ſic eſſe de ſola fide : ſic ait: Non enim quia credidimus; *ſed ut credamus vocamur, atque illa vocatione, quæ ſine pœnitentia eſt, id prorſus agitur & peragitur, ut credamus.* Quid clarius, & liquidius dici poterat pro noſtra ſententia ? Ibi enim vides ſolam fidem elici ex dictis, & non aliud. In his ergo nihil eſt pro prædeſtinatione ad gloriam ante prævisa merita, cum illa electio de qua loquitur Auguſtinus non ſit ad gloriam ; ſed ad fidem ſolam , aut ſi etiam ad gloriam, at certe non ſolam, ſed ad fidem & gloriam ; quo caſu neque eſt contra nos, qui tantum loquimur de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, nec etiam ut ſic, quicquam probare poteſt contra prædeſtinationem poſt prævisa merita , ut ſatis ſupra declaratum eſt.

In Reſp. ad argum. 2. Petavii.

PUNCTUM X.

Octavum Petavii proponitur & ſolvitur argumentum , & explicatur quod ſit Deum nolle aliquos ſalvos fieri, ſecundum Auguſtinum.

OCTAVUM argumentum ſumitur ex textu Apoſtoli 1. Timoth. 2. [Deus vult omnes ſalvos fieri] quem Auguſtinus vult tantum intelligi de prædeſtinatis , & non de aliis , & ſic negat illam Dei voluntatem generalem ſalvandi omnes quantum eſt in ſe : quæ neceſſaria eſt ad opinionem prædeſtinationis ad gloriam poſt prævisa merita.

Reſpondeo , Auguſtinum ita interpretatum eſſe illum locum Apoſtoli in ſenſu & ſuppoſitione adverſariorum , qui volebant illum locum intelligi de voluntate efficaci ; non vero ita intepretatum eſſe ſecundum ſenſum ſuum , ſecundum quem interpretatus eſt illum de voluntate illa Dei generali , qua vult omnes ſalvos fieri quantum eſt in ſe, ut late demonſtravimus in argum. 2. è ratione ; imo & idipſum fatetur Petavius infra lib. 10. cap. 4. n. 7. & ſequentibus, ubi non ſolum tribuit hanc opinionem de voluntate Dei generali quoad omnes Auguſtino : Sed etiam illius Diſcipulis , Proſpero ſcilicet & Primaſio. Quantum autem ad id quod dicit n. 10. in fine , Auguſtinum non eſſe arbitratum, omnes Deum velle ſalvos eſſe ; ſed quoſdam nolle ſalvos eſſe , non quia ipſi nolunt; ſed quia Deus non vult : pro quo citat Epiſt. 108. pag. 190. Reſpondeo non ibi ſermonem eſſe de prædeſtinatione ad gloriam ; ſed de prædeſtinatione ad gratiam : oſtendit enim ibi tantum gratiam non dari, aut negari ſecundum hominis diſpoſitionem , aut bonum , vel malum ejus meritum , ut volebat Pelagius : ſed ſecundum meram voluntatem Dei. Unde ſi ratione prædicti textus in ſenſu adverſariorum ejus intellecti , ibi dicat aliquid quod videatur ſpectare ad gloriam , non tamen ratione iſtius gloriæ concludit ; ſed ratione tantum gratiæ , quam ibi directe in-

tuetur, prout patet ex textu: Quomodo, inquit, dicitur *gratia Dei*, in natura eſſe liberi arbitrii, vel in lege atque doctrina, cum & iſtam doctrinam Pelagius ipſe damnaverit, proculdubio confitens *gratiam Dei ad ſingulos actus dari*, eis utique qui jam libero arbitrio utuntur. (credo quod ibi ſatis eſt manifeſtum, ſermonem eſſe ſolum de gratia, non quatenus aliquo modo poteſt ſumi pro gloria, ſed quatenus non poteſt ſumi pro illa, ut pote cum dicatur ad ſingulos actus dari, quod non poteſt convenire gloriæ) quomodo dicitur omnes homines *eam* accepturos, ſi non illi quibus non datur, *eam* ſua voluntate reſpuerent, quoniam [Deus vult omnes ſalvos fieri] (ubi adhuc clarum eſt ſermonem eſſe de prædicta gratia, & non de gloria: & oſtendit gratiam non pendere à voluntate humana, ut eam habeat, aut non habeat, ſeu reſpuat: ſed à mera Dei voluntate. Quod mox oſtendit, ſolito ſuo argumento efficaciſſimo, petito ab exemplo parvulorum, qui non poſſunt habere, aut reſpuere pro libito gratiam baptiſmi, quæ eſt gratia eorum: & tamen Deus qui vult omnes ſalvos fieri, dat, & negat eam illis prout vult, & quando vult ſine ordine ad voluntatem, aut diſpoſitionem eorum: de qua ibi erat formaliter diſputatio) Cum multis, inquit, non detur parvulis, & ſine illa plerique moriantur, *qui non habent contrariam voluntatem* (quod erat principale comparationis, ut modo notatum eſt) Et aliquando cupientibus, feſtinantibuſque parentibus, miniſtris quoque volentibus, & paratis, Deo nolente (id eſt voluntarie permittente, ut infra demonſtrabitur) non detur: Cum repente antequam detur, expirat, pro quo ut acciperet currebatur. (Ubi vides ſemper ſermonem eſſe de gratia, ſcilicet baptiſmi quæ defuit parvulo ex voluntate divina, quia ſi Deus voluiſſet eam dare illi, per potentiam ſuam abſolutam, illam ei procuraſſet; ſed quia noluit, non procuravit: licet nec ipſe, nec parentes ejus pro eo, eam reſpuiſſent, quod tamen putabant Pelagiani eſſe cauſam ſolam & unicam, cur gratia non daretur?) unde manifeſtum eſt, eos qui huic reſiſtunt, tam perſpicuæ veritati (ſcilicet quod gratia non datur, aut negatur ſecundum voluntatem, aut noluntatem hominis; ſed ſecundum voluntatem, aut noluntatem Dei) non intelligere qua locutione dictum ſit quod [Omnes homines vult Deus ſalvos fieri] cum tam multi ſalvi non fiant, non quia ipſi (ſupple nolunt, qui erat punctus difficultatis, cum huic noluntati Pelagiani attribuerent, quod homo non haberet gratiam ſanctificantem: Cum Deus qui vult omnes ſalvos fieri, paratus eſſet eam dare, modo eam non reſpuerent; ſed ad eam ſe diſponerent, petendo, quærendo, & pulſando ad Deum, ut dicere ſoliti erant, quod ſoli attribuebant voluntati humanæ, & non divinæ. Auguſtinus autem id attribuebat ſoli Dei noluntati, ut ſequitur) ſed quia Deus non vult, quod ſine ulla caligine manifeſtatur in parvulis: (cum ſcilicet ipſi non habeant uſum voluntatis & rationis, quo gratiam reſpuant: & tamen eis negatur, quam Pelagiani tamen dicunt, ſolùm negari ob contrariam volun-

tatem. Ubi advertendum eſt quod illa noluntas directe reſpicit gratiam, & conſequenter tantum gloriam: quia ideo dicebant Pelagiani quod nollent homines ſalvari, quia nolebant ſe diſponere ad gratiam prout poterant propriis actibus arbitrii, ſine Deo. Unde Auguſtinus directe impugnans fundamentum iſtud erroneum in eodem ſenſu eis reſpondebat, cum diceret quod Deus nolebat eis dare ſalutem, id eſt quod nolebat eis dare ſalutem, quia nolebat eis dare gratiam. Ubi manifeſtum eſt quod noluntas gratiæ, eſt radix & cauſa noluntatis gloriæ, & non è contra. Quod huic difficultati capitale eſt, & omnino notabile. Cur autem illis parvulis noluerit Deus gratiam baptiſmi conferri, penes Deum eſt: qui nihil facit, niſi in numero, pondere, & menſura. Cum enim omnes rei ſint, ſi dat eis gratiam, miſericors eſt: ſi negat, juſtus eſt; quia ſunt in peccato originali. Sufficit autem nobis quantum ad præſentem difficultatem, quod non indicatur ibi voluntas non ſalvandi, ut cauſa negationis gratiæ, de quo nunc diſputamus; ſed ſola & nuda voluntas non dandi gratiam, quæ adhuc magis videtur permiſſiva, quam effectiva; cùm non neget gratiam ordinariam; ſed tantum extraordinariam, & miraculoſam: Cùm non poſſet Deus illis parvulis ſubvenire, eiſque gratiam baptiſmi procurare, ſine miraculo ſpeciali, ut patet ex circumſtantiis ibi notatis, feſtinationis parentum, & parationis miniſtrorum, quæ ſunt omnes viæ ordinariæ ad conferendum baptiſmum parvulis, quæ non habuerunt effectum in illis. Sed cum ex negatione iſtius gratiæ mere voluntaria Deo, ſequereretur inſeparabiliter non ſalvatio iſtorum parvulorum, quandoquidem prorſus non poſſint parvuli ſine baptiſmo ſalvari, idque videretur eſſe contra ſententiam Apoſtolicam; quâ dicitur, quod [Deus vult omnes homines ſalvos fieri.] Huic difficultati ſic reſpondet Auguſt. Sed ſicut illud quod dictum eſt:[Omnes in Chriſto vivificabuntur] cum tam multi æterna morte puniantur, ideo dictum eſt,quia omnes quicumque vitam æternam percipiunt, non percipiunt niſi in Chriſto: ita, quod dictum eſt[Omnes homines vult Deus ſalvos fieri]cum tam multos nolit ſalvos fieri(ex præſuppoſita ſcilicet negatione gratiæ,ut ex dictis manifeſtũ eſt)ideo dictum eſt, quia omnes qui ſalvi fiunt,niſi ipſo volente non fiunt: *Et ſi quo alio modo, illa verba Apoſtolica intelligi poſſunt:* (Ubi vides Auguſt.nihil determinate aſſerere circa verum ſenſum hujus loci; ſed tantum repellere objectionem Pelagianorum, ex hoc loco depromptam, contra gratiam gratuitam,quam volebant meritis hominum eſſe reddendam, & non meræ Dei voluntati tribuendam: unde & ſequitur) ut huic apertiſſimæ veritati, in qua videmus tam multos, volentibus hominibus (id eſt ſemetipſos diſponentibus, & quaſi merentibus: videbantur enim feſtinatione parentum ſupra relata, habere aliquam rationem diſpoſitionis, & meriti pro parvulo, ut daretur ei baptiſmus) ſed Deo nolente (conferre iſtam gratiam) ſalvos non fieri, contraria eſſe non poſſint. (ubi vides negationem gratiæ eſſe cauſam negationis ſalutis: non vero negationem ſalutis eſſe

eſſe cauſam negationis gratiæ, ut contendit Petavius: ut autem clare videas hæc omnia dicta fuiſſe ratione ſolius gratiæ ex voluntate divina conferendæ, aut negandæ, & non ratione gloriæ; ſic proſequitur Auguſtinus) quomodo ut *detur* gratia divina, voluntas *meretur* humana, ſi eis quibus *datur*, gratuita miſericordia datur (Ubi vides rejici merita præcedentia ab illa gratia, quæ proinde non poteſt ſumi pro gloria: cùm hæc è contra ſupponat, & poſtulet merita antecedentia in ejus collatione de qua ibi ſermo eſt. Clare enim verbum, *datur*, ſignificat collationem, ſeu executionem, & non intentionem) ut vere ſit gratia; quomodo in hac re *merita* penſantur voluntatis humanæ, quandoquidem illis quibus gratia iſta non *datur*, nullo plerumque merito nulla voluntate diſtantibus; ſed ſimilem cum eis quibus *datur* habentibus cauſam, juſto autem judicio non datur (ubi manifeſtum eſt quod gratia non ſupponit pro gloria; non enim gloria datur (quod indicat executionem) ſimilem habētibus cauſam cum eis quibus negatur. Cùm eis detur, qui habent bona opera, & ea digni ſunt: eis autem negetur, qui habent mala opera, & ea indigni ſunt: nec de ea dici poteſt, quod nullo plerumque merito, & nulla voluntate diſtantibus, detur & negetur, ut dicit hìc Auguſtinus, cùm certum ſit quod valde diſtant merito & voluntate, pii quibus datur, & impii quibus negatur: nec de ea verificari poſſunt verba ſequentia, ſcilicet) [Non enim eſt iniquitas apud Deum] ut intelligant quibus *datur*, quam gratis eis *detur*, quando utique juſte non daretur (at certe gloria, non tam gratis datur, quin injuſte negaretur, iis quibus confertur) quoniam ſimilem habentibus cauſam juſte non datur (at modo oſtenſum eſt non habere ſimilem cauſam quibus datur, & negatur: unde nullo prorſus modo poſſunt iſta verificari de gloria; ſed tantum de prima gratia, de qua iſta veriſſima ſunt; qui enim recipiunt iſtam gratiam, omnes in peccato ſunt, ſicut & ii quibus negatur (loquitur enim Auguſtinus de primâ gratiâ, non de augmento ejus) & ſic nec merito, nec voluntate diſtant; ſed omnes ſimilem habent cauſam, & eis quibus datur, tam gratis datur, ut non injuſte negaretur, cum omnes ſint in peccato. Quæ omnia ibi clare teſtatur Auguſtinus. Quod etiam confirmatur, ex eo quod ibi dicit hanc doctrinam pertinere ad fidem, qualis ſane non eſt ea, quæ eſt de mera gratuitate voluntatis gloriæ; ſed ea quæ eſt de mera gratuitate voluntatis gratiæ: Sic enim loquitur Auguſtinus illi Semipelagiano, cui ibi ſuadebat, ut prorſus recederet ab erroribus Pelagii. Si ergo iſtas duodecim ſententias, quas nos dixi ſcire, *ad fidem rectam & Catholicam pertinere*, etiam tu frater *nobiſcum* tenes, ago Deo gratias, quas profecto non veraciter agerem, niſi gratia Dei fieret, ut teneres. Quæ tibi tenenti, nullum omnino remanet nobiſcum de hac quæſtione certamen: (ecce ergo de quo totaliter & adæquate ibi agitur, ſcilicet de tali re quæ omnino pertinet ad fidem) ut enim eadem duodecim, brevi expoſitione percurram (hic repetit breviter iſta duo-

decim, quæ dixit pertinere ad fidem, & per conſequens ea quæ ſequuntur pertinent ad fidem Catholicam, & ſine errore negari non poſſunt) quomodo voluntatis humanæ meritum ſequitur gratia, cum detur & parvulis, qui hoc nondum poſſunt velle, ſeu nolle. Quomodo gratiam, vel in majoribus dicuntur præcedere merita voluntatis, ſi gratia ut vera ſit gratia, non ſecundum merita noſtra *datur*, quam ſententiam Catholicam (vides ergo ſententiam Catholicam, quam ibi tuetur Auguſtinus, ſcilicet gratiam non dari ſecundum merita: At non eſt ſententia Catholica, quod gloria non detur ſecundum merita, imo eſt hæretica. Ergo ibi non loquitur de gloria; ſed tantum de gratia, de qua dicere quod ſecundum merita datur) Pelagius ipſe ſic timuit, ut eos qui dicunt gratiam Dei ſecundum merita noſtra *dari*, ſine dubitatione damnaret, ne a Catholicis judicibus damnaretur. Quomodo dicitur gratia Dei, *in natura eſſe liberi arbitrii, vel in lege atque doctrina*, (ubi clare vides ſermonem eſſe de gratia adjuvante hominem, non vero de gratia eum glorificante, ut etiam mox ſequitur) cum & iſtam ſententiam Pelagius ipſe damnaverit, proculdubio confitens gratiam Dei *ad ſingulos actus dari*, eis utique qui jam libero arbitrio utuntur: quomodo dicitur omnes homines eam fuiſſe accepturos, ſi non illi, quibus non donatur, eam ſua voluntate reſpuerent, quoniam Deus vult omnes ſalvos fieri. Et cætera quæ ſupra late expoſuimus, pertinentia, ut vides, ad quartum è duodecim, quæ ait Auguſtinus eſſe de fide.

Ex quibus manifeſtum eſt Auguſt. non ibi eſſe locutum de gratuita voluntate, aut noluntate ſalvandi, ſeu de gratuita voluntate & noluntate gloriæ (ut vult Petavius) quæ non pertinet ad fidem; ſed de gratuita voluntate & noluntate gratiæ quæ pertinet ad fidem: neque ibi arbitratum eſſe Auguſtinum: non omnes velle ſalvos eſſe Deum; ſed quoſdam nolle ſalvos eſſe: non quia nolunt; ſed quia non vult, ut dicit Petavius, intelligendo id de gloria. Sed tantum arbitratum eſſe cum omnibus Catholicis, Deum non omnes velle vocare efficaciter ad gratiam; ſed quoſdam nolle, non quia ipſi nolunt (ut dicebant Pelagiani & Semipelagiani, perperam putantes Deum expectare noſtras volitiones bonas & pias, quaſi eſſent ex nobis, ut earum merito daret nobis primam gratiam, quaſi ob diſpoſitionem, ſcilicet ad id per ſe neceſſariam, quâ poſitâ teneretur dare gratiam, non poſitâ eam negare, quod acriter hîc impugnat Auguſtinus) ſed quia non vult. Quod ſane non verſatur in quæſtione apud Catholicos; ſed univerſaliter ab eis creditum eſt ut orthodoxum, & contrarium reprobatum, ut hæreticum. Et ſic nihil ibi eſt contra prædeſtinationem ad gloriam poſt præviſa merita: cum nequidem ibi loquatur de prædeſtinatione illa; ſed tantum de prædeſtinatione ad primam gratiam, quam voluit eſſe mere gratuitam, & non meritis mere humanis debitam, ut volebant ibi hæretici.

Quantum autem ad id quod addit ſub finem argumenti, ſumptum ex lib. de dono perſeverantiæ cap. 9, quod aliqui non perſeverent, unde fieri

quod electi non ſunt ante conſtitutionem mundi : veriſſimum eſt , ſed id non intelligitur de prædeſtinatione ad gloriam ſolam ; ſed de prædeſtinatione ad perſeverantiam , prout illum locum explicuimus in Objectione 6. ex Auguſtino : ubi etiam eidem loco alias ſolutiones adhibuimus.

PUNCTUM XI.

Nonum proponitur Petavii , & ſolvitur argumentum de duobus fratribus , Iacob & Eſaü.

NONUM argumenttum ex iis petitur , inquit Petavius , quæ S. Auguſtinus ad illum Apoſtoli locum docere conſuevit , qui eſt Epiſt. ad Rom. cap. 9. ubi de duobus fratribus Jacob & Eſaü loquens , aït : [Cum enim nondum nati fuiſſent , aut aliquid boni egiſſent , aut mali : ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret , non ex operibus , ſed ex vocante dictum eſt , quia major ſerviet minori , ſicut ſcriptum eſt : Jacob dilexi , Eſaü autem odio habui:] quam electionem mere gratuitam , vult eſſe ad gratiam & gloriam.

Reſpondeo primò , iſtam electionem eſſe ad ſolam gratiam , ut ſic : tum quia locus iſte Apoſtoli eſt ſolum de gratia, & non de gloria, ut fatetur ; imo & probat ipſe Petavius libro 10. cap. 1. à n. 5. uſque ad 8. Et licet putet Auguſtinum eum & ſimiles locos Apoſtoli, qui erant de gratia , uſurpaſſe pro prædeſtinatione etiam ad gloriam , non habet authoritatem : cùm hoc procedat ex præconcepta ſua opinione , qua putavit, Auguſtinum diſputaſſe formaliter cum Pelagio de prædeſtinatione ad gloriam , quod ſupra confutatum eſt. Tum quia omnes loci quos ibi adducit pro iſta interpretatione , ſunt contra Pelagianos , contra quos ſolum diſputavit Auguſtinus de prædeſtinatione ad gratiam , & non ad gloriam , ut ſupra probatum eſt. Tum denique quia in illis locis indicatur iſtius prædeſtinationis executionem eſſe mere gratuitam , & peccatoribus etiam conceſſam , quod non poteſt convenire gloriæ. Sic enim habetur in aliquo loco Auguſtini n. 1. allato. Quod neminem Deus liberet niſi gratuita miſericordia. Et n. 6. Quid nos docuit (ſcilicet Apoſtolus) niſi ex illâ maſsâ primi hominis cui merito mors debetur , non ad merita hominum , ſed ad Dei miſericordiam pertinere , quod quiſque liberetur. Ubi hoc verbum liberari ſonat executionem , & non intentionem : Aliud enim eſt intendere , ſeu deſtinare in corde ſuo liberare aliquem ; & aliud eſt eum liberare : & nemo eſt qui non videat liberationem eſſe executionem iſtius intentionis , ſeu prædeſtinationis præcedentis. At iſta executio , ſeu liberatio dicitur gratuita miſericordia , & non ad merita relata : Ergo non poteſt convenire prædeſtinationi gloriæ , cujus executio fit ex juſtitia , & ob merita præcedentia , ut nos docet fides , & Scriptura. Et in eodem numero ſic aït Auguſtinus. Ibi enim gra-

tia eſt indulgentia, ubi juſta poſſet eſſe vindicta. (At quis dicat juſtam poſſe eſſe vindictam in eo, qui recipit gloriam, cum ſit juſtificatus, & mortuus in gratia, & ab omni peccato mundatus). Et hinc evidenter apparet, à pœna debita liberato, & gratia juſtificato (vides ergo ibi ſermonem eſſe ſolum de gratia liberante & juſtificante) quantum beneficii conferatur, (quod ſonat executionem) quod alter æqualiter reus, ſine punientis iniquitate punitur. Ubi vides iſtud beneficium conferri reo : dicitur enim æque reus ac is qui punitur : At quis dicat gloriam conferri reo, & non potius juſto, & non coinquinato, ut dicit Scriptura. Ergo illud beneficium, de quo loquitur ibi Auguſtinus, non eſt gloria ; ſed gratia. Quod etiam ex hoc patet, quod in eo illud ponitur formaliter, & directe quod homo ſit à pœna debita liberatus, & gratia juſtificatus, ut patet ex textu. Ergo non eſt ibi ſermo de gloriâ, ſed ſolùm de gratiâ.

Verum contra iſtam reſponſionem inſtat Petavius in tribus. Primum eſt, quod in illis locis Auguſtini, liberatio opponitur damnationi : At damnatio, inquit, eſt deſtinatio ad pœnam æternam ; ergo liberatio eſt deſtinatio ad vitam æternam. Secundum eſt quia loquitur Auguſtinus de præmio & pœna, qualis non eſt gratia ; ſed ſola vita æterna, & æterna damnatio. Tertium denique eſt, quod loquens Auguſtinus de eo quod datum eſt Jacob fratri Eſaü, rejicit reſpectu illius merita illius futura, quæ cum fuerint ex gratia, ſequitur quod quæſtio erat de gloria, cujus ſolius reſpectu ſunt illa merita.

Ad primum reſpondeo, id non ſolum non eſſe contra nos, ſed eſſe contra ipſum Petavium. Nam certum eſt quod damnatio illa de qua loquitur Auguſtinus, & cui opponit liberationem non eſt damnatio æterna, ſeu deſtinatio ad pœnam æternam : quandoquidem à damnatione æterna nemo umquam liberatur, ab illa autem damnatione ſecundum Auguſtinum multi liberantur, & eruuntur : Ergo non eſt damnatio æterna ; ſed tantum reatus ejus, à quo multi liberantur. At per quid liberantur niſi per gratiam, quæ liberat eos à peccato, & ſolvit eos ab hoc reatu, ſeu à pœna debita pro peccato ? Quæ omnia ſupponit, & non facit gloria : Ergo non loquitur ibi de gloria Auguſtinus ; ſed ſolùm de gratia, & de prædeſtinatione ejus.

Aliud eſt deſtinatio ad pœnam æternã, & aliud reatus ejus. Nam ab illa deſtinatione qualẽ exemplificat in reprobis, nemo umquam liberatur, cùm ſit propoſitũ efficax Dei. Et proinde infallibile : At vero à reatu, ſeu dignitate pœnæ, multi liberantur.

Quantum ad ſecundum reſpondeo, quod gratia vocabatur à Pelagianis præmium (quandoquidem volebant eam ſecundum merita noſtra dari) & negatio ejus pœna : & in hoc ſenſu in perſona Pelagianorum, uſurpat Auguſtinus hæc verba, non vero in ſua : ut patet ex textu ipſo, prout ab ipſo Petavio refertur. Quomodo ergo (aiebant illi, ſcilicet Pelagiani) in infantibus hæc agentibus nullum eſt, vel ad bonum, vel ad malum, propriæ voluntatis arbitrium, unde præmia, ſive ſupplicia meritis præcedentibus ſubſequantur. Sic locutus eſt Auguſtinus de gratia, ut de præmio ; non quod illud approbaret, ſed quod impugnaret in Pelagianis : Unde, & paulo poſt ſic ait contra eos : Cur meritis præveniri gratia perhibetur, quæ gratia non eſſet, ſi ſecundum meritum imputa-

retur? De hac ergo gratia ſermo erat, & non de gloria: id eſt de falſo præmio, & non de vero; de vera Chriſti gratia omnino gratuita, & omnibus meritis indebita, quam defendebat Auguſtinus contra merita humana, falsò à Pelagianis inducta.

Ad tertium reſpondeo, ibi non rejici merita futura gratiæ; ſed merita futura meri arbitrii, in ſenſu Pelagianorum prævisa, ob quæ dicebant gratiam datam eſſe Jacobo, & negatam Eſaü, ne cogerentur dicere eam eſſe gratuitam, ut contendebat Auguſtinus; ſed defenderent aliquo modo eam eſſe meritis redditam, ſed meritis mere humanis, quæ ſola admiſerunt Pelagiani, ut præcedentia gratiam. Et ſic patet, quod omnia ibi allata, ſunt tantum de gratia, & non de gloria: & proinde quod pertinent tantum ad prædeſtinationem gratiæ, & non ad prædeſtinationem gloriæ, de quâ ſolâ hîc loquimur.

Reſpondeo ſecundò quod etſi eſſent de prædeſtinatione ad gloriam, cùm tamen ibi fateatur Petavius ſermonem eſſe de prædeſtinatione ad gratiam & gloriam: nihil efficerent contra nos: Tum quia non loquimur de ejuſmodi prædeſtinatione; ſed de eâ ſolâ quæ eſt ad gloriam, & non etiam ad gratiam. Tum quia ſupra oſtenſum eſt, omnes illos locos, qui ſunt de prædeſtinatione ad gratiam ſimul & gloriam, inefficaces eſſe ad probandum prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam meritorum, ſeu ad infirmandam prædeſtinationem illam, quæ eſt poſt prævisa merita. *In 2. Petav. Argum.*

Punctum XII.

Duo ſequentia Petavii proponuntur & ſolvuntur argumenta, ſcilicet 10. & 11.

Decimum argumentum nihil habet novi, cum fundetur ſolùm in illa diſcretione à maſſa damnata, quam diſcretionem falsò putavit eſſe prædeſtinationem ad gloriam, & eſt tantum ad gratiam, ut ſupra demonſtratum eſt. *In 4. Petav. Argum.*

Undecimum argumentum ſumitur ex diſputatione Auguſtini cum Semipelagianis, quam exiſtimat fuiſſe de prædeſtinatione ad gloriam, & non ad gratiam ſolam: Et ideo quicquid Auguſtinus concludit contra eos de prædeſtinatione mere gratuita, id concluſiſſe putat de prædeſtinatione ad gloriam, perperam exiſtimans errorem Semipelagianorum circa gratiam, nihil ad rem pertinuiſſe; ſed totam molem diſputationis fuiſſe circa gloriam, adeo ut dicat, quod ſi Auguſtinus ſolius fidei, aut perſeverantiæ meminit, loquens de prædeſtinatione; ibi tamen gloria ſubaudienda ſit. Si Auguſtinus, inquit, in recenſendis effectis prædeſtinationis ſalutis æternæ, ſæpe non expreſſe meminit, nihil hoc movere debet. Nam plerumque unius tantum, ac primi omnium, nempe fidei meminit non juſtificationis, aut charitatis, ut cap. 14. de prædeſt. Sanct. ſub initium, ex Tyriorum & Judæorum exemplis. Et cap. 17. ſub finem,

enumerat eadem dona prædeſtinationis, ac ſolius fidei, & in eâ perſeverantiæ meminit: Ergone charitas excluditur & juſtitia? Perinde ergo qui ita concludunt, faciunt atque hæretici, qui ex eo quod ſæpe ſola in Scripturis fides ad ſalutem requiritur, nihil aliud eſſe neceſſarium exiſtimant. Sic illi, cum interdum ab Auguſtino prædeſtinationis effecta quædam commemorari vident, nulla præter illa putant eſſe. Hæc ibi Petavius. Ubi non poſſum quin vehementer admirer, ſummam præconceptæ opinionis vim, ac violentiam, quæ doctiſſimum quemque ita excæcat, & aliorſum avertit, ut acceſſorium, imo accidentarium, ſumat pro principali, & principale pro accidentario. Quid enim clarius eſt Auguſtinum, v. g. in libro de prædeſtinatione Sanct. qui primus eſt contra Semipelagianos, egiſſe formaliter, & non ſolum principaliter; ſed totaliter, & adæquate de initio fidei, prout circa illud verſabatur falſa opinio, & error Semipelagianorum volentium illud initium eſſe ab homine, contra Auguſtinum, qui volebat eſſe ex Deo, & ex gratia illius; & tamen vult Petavius id non pertinuiſſe ad rem: ſed ſolam prædeſtinationem ad gloriam, de quâ vix ibi loquitur Auguſtinus, idque tantum accidentariò, ratione forte alicujus loci Scripturæ, in quo de eâ fit mentio ſimul cum gratia, de qua ibi formaliter agebat Auguſtinus. Certe de prædicto initio fidei, ut objecto erroris Semipelagianici, ita clare teſtatur Auguſtinus ſub finem illius libri, ſe locutum eſſe & diſputaſſe formaliter & adæquate, ut ſi rogaſſemus eum, ut tandem ſe explicaret & declararet de quo formaliter fuit diſputatio ſua, in illo libro contra Semipelagianos, nihil ſane clarius dicere potuiſſet: Nova quæſtio; inquit, ad hoc (id eſt ad hanc diſputationem) nos compulit, quia cum in prioribus opuſculis noſtris, ſatis idoneis teſtimoniis egiſſemus, donum Dei eſſe etiam fidem: inventum eſt quod *contradiceretur*, (ecce ergo ſubjectum diſputationis) ad hoc valere illa teſtimonia, ut oſtendant Dei donum eſſe incrementum fidei, *initium vero fidei, quo in Chriſtum primitus creditur ab homine ipſo eſſe, nec eſſe donum Dei:* (vides ergo totum ſubjectum diſputationis illius libri, fuiſſe quod Semipelagiani dicerent, initium fidei eſſe ab homine, Auguſtinus vero diceret eſſe à Deo, ſeu eſſe donum Dei: ubi nihil prorſus de gloria, nec de prædeſtinatione ejus, de qua tamen totum debebat eſſe, ſi, ut dicit Petavius, totum fuiſſet ſubjectum diſputationis iſtius: ſed non ſufficit Auguſt. ſubjectum iſtud ita clare explicuiſſe, aſſerit adhuc ſe in hoc quantum potuit inſudaſſe) Propter quod, inquit, *inſtitimus, quantum potuimus: ut* etiam ipſum *initium fidei, donum Dei eſſe oſtenderemus.* (putabis-ne igitur cum Petavio hoc non pertinuiſſe ad rem) quod ſi *diutius fecimus*, quam forſitan vellent hi, propter quos fecimus: hinc ab eis reprehendi parati ſumus, dum tamen, & ſi diutius quam vellent, & ſi cum faſtidio & tædio intelligentium fateantur, nos feciſſe quod fecimus? (Ubi vides quanto affectu & ardore poſcit à Semipelagianis, id quod dicebat Petavius non pertinuiſſe ad rem) id eſt etiam *initium fidei*, ſicut continen-

tiam, patientiam, juſtitiam, pietatem, & cætera de quibus cum his nulla contentio eſt, *donum Dei eſſe docuiſſe.* Credo rem per ſe patere; ſcilicet Auguſtinum in illo libro formaliter & totaliter egiſſe contra Semipelagianos de gratia primæ fidei, ſeu de initio fidei, proüt noſcebat eos circa illud errare. Similiter dicendum eſt de altero, quem conſcripſit contra eos libro, quod ſimiliter fuit de altera gratia, circa quam errabant, ſcilicet de gratia perſeverantiæ; cum titulus ipſius libri ſit de dono perſeverantiæ: Ex quo etiam poteſt apparere, cur loquens Auguſtinus in illis libris de effectibus illius prædeſtinationis, de qua agebat contra eos, loquitur tantum de prima fide, & de perſeverantiâ, aut, ut ait Petavius, aliquando de ſola fide, aliquando de fide, & de perſeverantia: non autem de charitate & juſtitia. Non ſane quia ſub illis effectibus comprehenderet cæteros, qui cadere poſſunt ſub prædeſtinatione in genere, qualis eſt gloria, ut vult Petavius; ſed quia de ſola illa prædeſtinatione contra eos loquebatur, quæ tota & totaliter terminatur ad fidem, & ad perſeverantiam; non autem ad charitatem, aut juſtitiam, & ſimilia. Quia nempe circa ſolam fidem, & perſeverantiam ipſi errabant, non vero circa juſtitiam, & charitatem, & ſimilia. Unde ſupra teſtatus eſt Auguſt. nullam de iſtis ſe habuiſſe contentionem cum eis: imo vero circa iſta tam erant orthodoxi ut cuperet Auguſtinus eos eſſe tales circa fidem & perſeverantiam, ſeu circa prædeſtinationem eorum, ut patet ex libro de dono perſeverantiæ cap. 17. ubi etiam clare teſtatur Auguſtinus, ſe nullam aliam prædeſtinationem prædicare, quam eam qua pernicioſiſſimus ille error evertitur, quo dicitur, gratia ſecundum merita noſtra dari: Quod nullo modo pertinet ad gloriam, de qua non eſt error dicere, quod ſecundum merita noſtra datur, cum hoc ſonet executionem, ſecundum quam de fide eſt illam ſecundum merita noſtra dari: præcipue cum Petavius non diſtinguat de meritis, & qualicumque gratia contentus ſit. Ex quo etiam firmari poteſt, quod in illis libris nullatenus locutus eſt Auguſt. de prædeſtinatione ad gloriam, ut cauſa gratiæ, ſeu meritorum, ſicut dicit Petavius, quia nempe ſemper loquitur eodem modo de executione, ſuæ prædeſtinationis, ac de intentione ejuſdem, faciens utramque mere gratuitam, imo etiam ſæpe probans gratuitatem ſuæ prædeſtinationis ex gratuitate illius doni, ſeu executionis illius, quod nullo modo poteſt Catholice dici de gloria, neque tantus error poteſt attribui D. Auguſtino, qui nec tribueretur cuivis Chriſtiano, tantiſper in Scripturis docto & erudito.

Quantum autem ad locos illos quos adducit initio argumenti ex Epiſtolis Hilarii & Profperi: ubi inter explicandum Semipelagianum errorem fit mentio de gloria, & de Regno cælorum: dicimus illud fuiſſe mere accidentarium ad diſputationem ſuſceptam, eſſentiale autem fuiſſe, quod vellent nos ad gloriam perduci, per fidem mere humanam, & ſimilem perſeverantiam non vero per fidem divinam, & perſeverantiam à Deo datam, ut late oſtendimus in reſponſione ad argumentum 16. ex

Auguſt. Et ſatis patet ex dictis, cum oſtenderimus quod duo libri quos poſt iſtas Epiſtolas acceptas ſcripſit Auguſtinus contra eos, ſunt toti & totaliter de fide & perſeverantia, ut circa quas ſolas errabant, & non de gloria. Unde quoties ibi loquitur de prædeſtinatione ut gratuita, ſemper intelligendus eſt de prædeſtinatione ad fidem, aut ad perſeverantiam formaliter; non autem de gloria, etiamſi miſceatur gloria cum gratia, quia nempe cum ibi principale ſuum ſit gratia, ideo concludit de gratia, & non de gloria, quæ ibi omnino eſt accidentaria, ut ſatis jam probavimus.

PUNCTUM XIII.

12 *Proponitur & ſolvitur argumentum, & oſtenditur contra Petavium, falsò imponi Auguſtino quod cenſuerit reprobationem, tam poſitivam quam negativam factam fuiſſe ante prævisa peccata actualia.*

DUODECIMUM argumentum ſumitur ex iis quæ habet cap. 9. ubi probat quantum poteſt Auguſtinum cenſuiſſe reprobationem à gloria, ſive poſitivam, ſive negativam factam fuiſſe ante prævisa peccata actualia: ex quo etiam concludit Auguſtinum cenſuiſſe prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante prævisa merita.

Reſpondeo falſum eſſe antecedens, quoad utramque reprobationem: quoad poſitivam quidem, ut patet ex libro 1. de peccat. mer. & remiſſ. cap. 17. ubi dicit reprobos, eſſe damnandos prædeſtinatos (id eſt prædeſtinatos ad damnationem, aut ut alibi dicit ad mortem, ad interitum, ad pœnam ſempiternam) *propter iniquitatem ſuperbiæ*. Et per conſequens non ſine prævisis eorum peccatis actualibus, ut id videri etiam poteſt in argumento 23. ex Auguſtino: ubi clare explicat Auguſtinus reprobationem impiorum, ſicut & prædeſtinationem bonorum poſt prævisa eorum opera. Vide etiam argumentum 13. & 17. ex eodem Auguſtino. Et adhuc aperte id declarat, fragm. 4. initio, ubi loquens de morte temporali & æterna; ſic ait: Prima mors omnibus præparata eſt (id eſt prædeſtinata) *ſecunda ſolis malis, impiis, infidelibus, blaſphemis*. Quoad negativam autem reprobationem, patet ex 8. noſtro argum. ex Auguſt. ubi oſtendimus eum repudiaſſe iſtam reprobationem, & etiam eſſe contra communem illius doctrinam: Sed & habemus fidelem ejus interpretem, & Diſcipulum D. Proſperum, qui ab eiſdem calumniis defendit eum: Nam cum idipſum imputaretur ei, à quibuſdam Gallis perperam intelligentibus ejus doctrinam; ſic reſpondet D. Proſper pro eo: A ſanctitate ad immunditiam, à juſtitia ad iniquitatem, à fide ad impietatem, pleroſque tranſire non dubium eſt.: & ad tales prædeſtinationem filiorum Dei, coheredum Chriſti, non pertinere certiſſimum

In 3. Reſp. ad cap. Gall.

ſte.

eſt. Quod ergo hujuſmodi in hæc prolapſi mala ſine correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo neceſſitatem pereundi habuerunt, quia prædeſtinati non ſunt; ſed *ideo prædeſtinati non ſunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præſciti.* Quid clarius dici poterat, pro repellenda etiam negativa reprobatione ſine prævifis peccatis actualibus, à ſancti viri doctrina. Et infra: Non enim relicti ſunt à Deo, ut relinquerent Deum; ſed reliquerunt, & relicti ſunt: & ex bono in malum propria voluntate mutati ſunt. Atque ab hac licet fuerint renati, fuerint juſtificati, ab eo tamen *qui tales præſcivit, non ſunt prædeſtinati.* Ergo tales futuros eſſe præſciebat, cum eos non prædeſtinabat, ſeu cum negative multo autem magis, cum poſitive eos reprobabat: ergo reprobatio ſive negativa, ſive poſitiva, non eſt ſecundum Auguſtinum ante præviſa peccata actualia; ſed potius poſt ea; cùm facta ſit propter illa, ut clare dicit ſanctus interpres, & conſtantiſſimus ſancti viri defenſor & Diſcipulus S. Proſper, in loco prærallegato, & etiam in alio, ubi defendens ejuſdem ſancti viri doctrinam, ſic aït de reprobis: *Quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati.* Ubi clare ponuntur peccata eorum actualia, ut cauſa reprobationis, etiam negativæ, quanto magis poſitivæ. Et alter notus ejuſdem ſancti viri, & prorſus incomparabilis Doctoris Diſcipulus; ſic loquitur de reprobis: *Prædeſtinavit* (Deus) *illos ad ſupplicium, quos à ſe præſcivit voluntatis malæ vitio diſceſſuros.* Ubi ſemper ponuntur peccata reproborum actualia præſcita, antequam ipſi reprobentur. Unde ergo contrarium ſibi perſuaſit Petavius, niſi quia male ab initio interpretatus Auguſtinum, putavit eum loqui de prædeſtinatione & reprobatione reſpectu gloriæ, ubi tantum loquebatur de prædeſtinatione & reprobatione reſpectu gratiæ, quæ ſine dubio eſt ante præviſa merita, ſive bona, ſive mala actualia, cum non ob ea merita detur, aut negetur; ſed tantum ob meram Dei voluntatem, ut toties explicat Auguſt. Et re vera in hoc deceptum fuiſſe Petavium ſatis patet, ex eo quod in omnibus locis ab eo allegatis in quibus putat Auguſtinum fuiſſe locutum de reprobatione à gloria, loquitur tantum de relictis in maſſa, quæ cum non ſit deſtinatio ad damnationem æternam, proüt ſupra oſtendimus contra ipſum Petavium: ideo iſta derelictio in maſſa non eſt reprobatio à gloria; ſed eſt tantum derelictio in reatu damnationis æternæ, à quo cum liberemur tantum per gratiam, non vero per gloriam (quia gloria non ſalvat liberandos, ſed tantum jam liberatos, ſeu ab omni jam peccati reatu factos liberos per ſanctificantem gratiam) ideo iſta derelictio, non eſt vera reprobatio, ſeu reprobatio à gloria; ſed tantum reprobatio impropria, ſeu reprobatio à gratia, cum opponatur ſoli gratiæ, & non formaliter gloriæ. Ex quo manifeſtum eſt quod illi relicti in maſsâ prædictâ, nulli alii ſunt, quam illi qui rei & digni ſunt damnatione æterna, non vero reprobi, ſeu, ut loquar cum Auguſtino, prædeſtinati ad mortem, ſeu damnationem æternam. Unde in illis locis vix unum videas verbum reprobationis à gloria, ſeu prædeſtinationis ad

In 12. Reſp. ad Object. Vincentianas.

D. Fulgent. l. 1. c. 24 ad Monimum.

Ibi dicitur r ſau reprobatus, ſed illa reproba-

Sſſ

mortem, pœnamque ſempiternam, quibus ſolet Auguſtinus exprimere veram reprobationem, ſeu excluſionem à gloria, quia ibi non de reprobatione loquitur; ſed de ſola negatione gratiæ, quod & pro tanto certum eſt, ut ibi multa videas quæ nõn poſſunt explicari de gloria; ſed tantum de gratia) ut v. g. in primo textu, [a] dicitur quod in eadem cauſa idem ſupplicium non incurrit. Quis dicat, eum qui ſalvatur in æternum, eamdem habere cauſam cum eo qui damnatur in æternum, & idem mereri ſupplicium? Hoc autem veriſſimum eſt de eo, qui recipit primam gratiam, cum in eodem peccato originali ſit, ac is cui denegatur, & mereatur idem ſupplicium. In ſecundo textu [b] vides miſerationem & obdurationem, quæ formaliter ſunt à gratia, & à denegatione ejus. Miſereri enim ſecundum Auguſtinum, lib. 1. ad Simplic. qu. 2. & alibi, eſt dare gratiam efficacem: obdurare, eſt negare eam. Cum autem dicitur quod ſola gratia redemptos diſcernit à perditis, reſpondeo quod eſt illa gratia de qua alibi loquitur [c] dicens, quod *ſola* dilectio (id eſt charitas) diſcernit inter filios Dei, & filios Diaboli: unde non eſt ibi ſermo de gloria; ſed ſolùm de illa gratia quæ ſanctificat impium, & diſcernit illum ab aliis. In tertio textu [d] dicitur quod indebita miſericordia ſubvenit. Hoc non poteſt dici de gloria, quæ nec ſubvenit, nec umquam datur indebita; ſed ſoli convenit gratiæ, cujus proprium eſt ſubvenire miſerrimo peccatori; & cùm datur, eſt indebita, quia alioqui non eſſet gratia. Nec poteſt dici quod prædeſtinatio ad gloriam ſubvenit: [e] Aliud enim eſt quod quis decernat ſubvenire, & aliud eſt quod ſubveniat; ut per ſe manifeſtum eſt: At prædeſtinatio tantum decernit ſubvenire; ergo ut ſic non ſubvenit. In quarto textu dicitur, quod Deus multos ſine bonis meritis liberet: At quis hoc dicat de gloria, cùm illa nec liberet; ſed liberatum ſupponat: nec detur ulli ſine meritis: Ubi etiam dicitur quod talibus liberatis pœna debita relaxetur, & indebita gratia condonetur, quod nullomodo gloriæ convenire poteſt, cum ſi liberet aliquos (quod ſonat executionem; ut ſupra declaratum eſt [f]) jam illi nulla habeant delicta quæ relaxentur, ne pro illis puniantur, cum juſti & ſancti ſint: nec indebita gratia condonetur, cum merita juſtitiæ habeant, quibus illam ſibi debitam faciant, ita ut non niſi contra juſtitiam denegari eis poſſit. In alio textu dicitur quod per illam gratiam, Spiritus ſanctus, quem vult religioſum facit, quod proprie convenit gratiæ, non vero gloriæ, quæ non religioſum, ſeu devotum; ſed tantum beatum facit. In alio dicitur quod liberatus, gratis liberatur, & quod in eadem ille cauſa eſt, cum eo qui non liberatur, quod proprie convenit gratiæ, nullo vero modo gloriæ, ut jam declaratum fuit [g]. In alio, quod liberatur indignus, & quod liberatus non debet jactare ſua merita, quia ſi digna ſuis meritis redderentur, non eſſet niſi damnatus, quod prorſus non conuenit gloriæ, cum certum ſit quod qui potitur gloria (quod ſignificaret liberatus ſi intelligeretur de gloria) non eſt indignus ea, nec poſſeſſione ejus, & poteſt jactare ſua merita,

tio eſt indifferens ad gratiam aut gloriam ſicut & illa electio cui opponitur. Ibi enim reprobatus idem eſt, ac repulſus, & rejectus, quod indifferens eſt ad gratiam & gloriam. Unde infra Puncto XIV. demonſtrabimus, quod illa comparatio Iacob & Eſau, non minus uſurpatur ab Auguſt. pro reprobatione à gratia ſola, quam pro reprobatione à gloria.

[a] Ex Enchiridio c. 98.

[b] Ibi. c. 99

[c] Tract. 5. in Epiſt. Ioan.

[d] Ex lib. 4. contra Iul. cap. 8.

[e] *Nota valde hanc rationem, quæ etiam valet pro cæteris textibus.*

[f] In Argumento 9.

[g] Paulo ſup. in hoc Argumento.

id eſt de meritis ſuis in Domino gloriari, quia cum redditur ei gloria, veris illius meritis redditur. Et in alio dicitur quod in aliquorum pœna clare oſtenditur, quid vaſis miſericordiæ per non debitam, ſed veram gratiam, hoc eſt gratuitam conferatur: Quod cum ſignificet executionem, nullo modo dici poteſt de gloria, quod ſcilicet non debita ſit; ſed vere dicitur de gratia, quæ cum per ſe gratuita ſit, ita & neceſſe eſt ut non debita ſit. Fere autem iſta omnia repetuntur in aliis textibus: ubi etiam obſervandum eſt, quod ibi nunquam gloria, ſed ſemper gratia nuncupetur: mirum autem prorſus eſſet quod ibi omnia eſſent de gloria, & illa ſuo nomine, vel ſub alio æquivalenti, ut ſub nomine vitæ æternæ, aut Regni cælorum numquam nuncuparetur. Denique obſervandum eſt quod de quocumque decreto ibi loquatur Auguſtinus, ſive reſpiciat gloriam, ſive reſpiciat gratiam, loquitur eodem modo de eo, tam ſecundum executionem, quam ſecundum intentionem, volens illud utroque modo eſſe mere gratuitum, & non ſolùm decernere; ſed etiam conferre, & dare rem indebitam: quod prorſus non poteſt convenire prædeſtinationi ad gloriam, ſed ſoli prædeſtinationi ad gratiam: Item, & cùm loquitur de excluſione ab iſto decreto, ſub qua ſolùm poteſt intelligi reprobatio, loquitur de illa eodem modo, tam ſecundum executionem, quam ſecundum intentionem, volens utroque modo fieri ſine meritis malis, ſeu ſine peccatis actualibus: At quis dicat, Auguſtinum virum eruditiſſimum in Scripturis, atque in fide Catholica ſaniſſimum, putaſſe reprobationem ſecundum ſuam executionem, id eſt damnationem æternam, eſſe ſine prævisis peccatis, & meritis malis actualibus? Sane non puto quemquam velle tam craſſum errorem tribuere Auguſtino, in quem nec minimus Theologus impingeret. Quod ſi quiſpiam tamen ei tribueret, poſſem ego eum cõvincere falſi, ex ſexcentis illius locis: ubi clare aſſerit cum omnibus Catholicis, reprobationem, ſeu prædeſtinationem ad mortem, pœnamque ſempiternam, ſecundum ſuam executionem, id eſt ipſam damnationem æternam eſſe ob peccata actualia, vel commiſſionis, vel omiſſionis: ſed quia non eſt neceſſe rem tam claram latè perſequi cum tædio Lectoris, hinc eſt quod unico contentus ero loco, idcirco à me aſſumpto, quia non ſolùm probat reprobationem iſtam ſecundum executionem, ſed etiam ſecundum intentionem fuiſſe factam ex prævisis peccatis actualibus ſecundum Auguſtinum: eſtque ille locus in libro 1. contra adverſarium Legis & Prophet. cap. 16. qui liber orthodoxiſſimus eſt de gratia, cum ſcriptus ſit in vigore diſputationis Auguſtini cum Pelagianis, poſt libros de natura & gratia, & de gratia Chriſti, & inter poſtremos ſuos. Ibi ergo verſans illum locum Matth. 25. Ite in ignem æternum qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus, ſic ait: Quæris *cauſam* hujus tanti ſupplicii? (ecce quæritur cauſa reprobationis ſecundum executionem, ſeu damnationis æternæ: & mox ſubdit) Eſurivi, inquit, & non dediſti mihi manducare: (ecce peccatum omiſſionis, non originis, quod affertur ut cauſa damnationis æter-

Idem habet in Pſal. 30. Conc. 1. & fere quoties exponit illa verba Scripturæ.

næ, ſeu reprobationis ſecundum executionem: unde & ſequitur) Ecce *pro* eſca temporali non ablata; ſed non data æternum & horrendum ſupplicium comminatur (quid clarius dici poterat ad oſtendendum quod illa pœna æterna & horrenda, quæ eſt damnatio æterna, ſeu reprobatio ſecundum executionem, imponitur pro peccato temporali & actuali, & non ſolo originali: & proinde quod loci illi à Petavio citati, in quibus dicitur imponi pœna ſine ordine ad merita mala actualia; ſed tantum ob peccatum originale, non ſunt de reprobatione a gloria, ſed tantum de negatione gratiæ, quæ ut pœna imponitur, quibus placet Deo, ob peccatum commune originale, & non neceſſariò propter actualia. Sed proſequamur textum ſancti Doctoris, & videbimus, quod non tantum reprobatio ſecundum executionem, ut mox vidimus; ſed etiam quod majus eſt, ſecundum intentionem, quæ eſt vera reprobatio, ſeu prædeſtinatio ad mortem, pœnamque ſempiternam, aſſeritur ab Auguſtino eſſe ob peccata actualia) Et recte (id eſt imponitur illa pœna æterna ob peccatum illud omiſſionis) ſi conſulas veritatem: Perparvum enim eſt, quod in eleemoſynis datur; ſed cum pie datur, æternum inde meritum comparatur. Et ideo potius quia parvum eſt quod datur, magna impietate non datur (hæc omnia ſunt de reprobatione ſecundum executionem, facta ob peccatum actuale omiſſionis: ſed ecce de eadem reprobatione ſecundum intentionē, quæ nihil aliud eſt ſecundum Auguſt. quam prædeſtinatio, ſeu præparatio pœnæ æternæ: idem enim eſt apud *Argum. 11. ex Auguſt. in margine.* ipſum præparatio, & prædeſt. vitæ, vel mortis, ut ſupra demonſtravimus) Unde non mirum eſt quod tantæ ſterilitati (id eſt peccaminoſæ omiſſioni actuali) velut infructuoſarum arborum ignis æterni ſupplicium *preparatur*. Ergo vides præparari, id eſt prædeſtinari ſupplicium ignis æterni peccato actuali omiſſionis, id eſt ob peccatum actuale omiſſionis; & proinde reprobationem ſecundum intentionem, ſeu ſecundum prædeſtinationem, & non tantum ſecūdum executionem fieri ob peccatū actuale, & non tantum ob originale, ut volebat Petavius eſſe aſſertum ab Auguſtino: Quod & confirmatur amplius ſub finem ejuſdem capitis, ubi clare dicit Auguſtinus quod Deus præparat (id eſt prædeſtinat) mittere impios ad ſupplicium ignis æterni, quod eſt dicere Deum prædeſtinare homines ad ſupplicium ignis æterni propter impietatem eorum actualem, nempe illam de qua ante locutus fuerat, ſcilicet ob omiſſionem eleēmoſynæ neceſſariæ: Et poſtea cap. ſequenti clare dicit, damnationem æternam, ſeu reprobationem ſecundum executionem, imponi ob peccata actualia, his verbis: *Propter* unum contumelioſum verbum mittit in gehennam, & pro temporali cibo non accepto igne damnat æterno. Ubi vides peccatum tam omiſſionis, quam commiſſionis eſſe veram cauſam damnationis, ſeu reprobationis prædictæ. Quæ cum ita ſint quod D. Auguſtinus, tam clare & nitide dicit reprobationem tam ſecundum intentionem, quam ſecundum executionem fieri ob peccata actualia: Quid eſt quod Petavius talia ei attribuit, quæ ſi vera eſſe cenſuiſſet

Auguſtinus, & in eo ſenſu intellexiſſet in quo intelligit ea Petavius, ſcilicet de reprobatione à gloria, ſeu à beatitudine æterna, cenſuiſſet hæretice reprobationem illam ſecundum ſuam executionem eſſe ſine prævisis peccatis actualibus factam, cum prædicti textus ab eo allegati, & de illa reprobatione intellecti, ſint de executione, & non tantum de intentione; quo ſenſu eſt hæreticum cenſere illam reprobationem eſſe ante præviſa peccata actualia factam.

PUNCTUM XIV.

Quibuſdam inſtantiis contra præcedentem doctrinam à Petavio allatis, ſatisfit: & primò primæ quæ eſt de duobus fratribus Iacob ſcilicet & Eſaü, in exemplum prædictæ reprobationis adductis.

AT enim dicit Petavius, utitur in illis locis Auguſtinus comparatione Jacobi & Eſaü, in quibus ipſe & alii Patres ſolent intelligere prædeſtinationem ad gloriam, & reprobationem a gloria, ſeu à beatitudine æterna: & præterea ibi loquitur de pænali judicio, de ſupplicio, & pœna, per quam intelligit æternam, & tandem relicti illi, de quibus ibi loquitur formaliter & per ſe, dicuntur omnes damnati: Et per conſequens, non poteſt ibi intelligi, niſi reprobatio à gloria, ſeu à beatitudine æterna.

Reſpondeo, quantum ad primum quod aliquando quidem intelligit Auguſtinus in Eſaü, veros reprobos à gloria, ſeu à beatitudine æterna; Sed tunc explicat illam reprobationem tamquam poſt præviſa peccata actualia, ut patet ex tribus locis, quos omiſſis aliis ſolùm deprompſi ex opere quod confecit in Pſalmos, ubi clarius & nitidius ſolet exponere Chriſtianis doctrinam rectam, & Catholicam. In Pſalmo ergo 46. non longe ab initio, in hæc verba Scripturæ: [Duo populi ſunt in utero tuo, & major ſerviet minori] ſic aït: Per omnes Gentes major, per omnes Gentes minor: *ſed minor in bonis Chriſtianis, electis, piis, fidelibus; major in ſuperbis, indignis, peccatoribus, contumacibus, ſua peccata defendentibus.* Ubi vides Jacob, ſeu minorem, ſignificare electos, ut bonos & pios; Eſaü autem, ſeu majorem, ſignificare reprobos, ut ſuperbos, indignos, & contumaces peccatores, Et per hoc ſignificare reprobationem poſt præviſa peccata actualia. Item, in Pſalm. 113. Conc. 1. non longe ab initio, ſic aït: Turba Judæorum, quæ *merito ſuperbiæ reprobata eſt*, voluptate carnalia vendidit primogenita ſua, ut non ad Jacob; ſed *ad Eſaü* potius *pertineret*. Ubi vides per Eſaü ſignificari reprobationem ob meritum ſuperbiæ, & ob voluptatem illicitam, quæ ſunt peccata actualia. Et in Pſalm. 136. verſus finem, ſic aït: Eſaü omnes carnales; Jacob autem omnes ſignificat ſpiritales, *minores* (id eſt ſpiritales) *electi; majores* (id eſt carnales) *reprobati*. Ubi adhuc vides Auguſtinum per

iſtos duos fratres intelligere quidem prædeſtinatos ad gloriam, & reprobos à gloriâ, ſeu à beatitudine æterna: ſed propter opera præcedentia, ſive bona, ſive mala, non tamen ſine illis, cum ob hoc reprobi ibi dicantur eſſe carnales, id eſt vitioſi & improbi: Electi autem dicuntur eſſe ſpirituales, id eſt virtutibus dediti, & ſpiritui ſervientes ex quo bona opera manarę ſolent. Unde valde ſibi contradiceret Auguſt. ſi in locis à Petavio allegatis, ſumeret iſtam comparationem in eodem ſenſu, id eſt pro prædeſtinatione, & reprobatione reſpectu gloriæ, cum in illis faceret utramque ſine præviſis operibus, in prædictis autem faceret ex præviſis operibus, quod nimis contradictorium eſt: Dicendum ergo eſt quod licet, ut vidimus, ſumat aliquando illam comparationem reſpectu gloriæ, prædeſtinatis concedendæ, & reprobis denegandæ: tamen ſumit eam etiam aliquando reſpectu gratiæ, prædeſtinatis ad illam concedendæ, & reprobatis ab illa denegandæ, maxime quando ſcribit contra Pelagianos & Semipelagianos, qui errabant circa gratiam, & non circa gloriam: aut cum explicat aliqua circa materiam gratiæ: Cum enim electio Jacob, & reprobatio Eſaü, ut aſſumpta ab Apoſtolo, ex quo deſumit eam, ſit ſine præviſis operibus, ſive in intentione, ſive in executione: ideo maxime erat idonea ad revincendos iſtos hæreticos, qui volebant gratiam utroque modo ſumptam eſſe ex præviſis operibus, & non ex ſolo vocante, ut volebat Apoſtolus, & poſt eum Auguſtinus. Et ſic intellexit iſtam comparationem Auguſtinus in locis ipſis à Petavio allegatis quorum primus eſt, ex Enchiridio ad Laurentium cap. 98. alter vero ex Epiſtola 105. Nam caput 98. Enchiridii, eſt totum contra Pelagianos, contra quorum errorem inſtruit Laurentium de doctrina veræ gratiæ, id eſt, ut à mera Dei voluntate pendeat, quod actus bonus fiat, non vero à prædiſpoſitionibus hominum, quas velut neceſſarias aſtruere Pelagiani moliebantur, per male interpretatum iſtud Apoſtoli teſtimonium [Deus vult omnes ſalvos fieri] præcedenti cap. 97. confutatum. Sic enim incipit caput iſtud 98. Quis porro tam impie deſipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, *quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non poſſe convertere*: Sed cum facit, per miſericordiam facit, cum non facit, per judicium non facit. Quoniam cujus *vult* miſeretur, & quem *vult* indurat. Ubi vides thema totius controverſiæ eſſe, quod Deus poteſt convertere, ſicut vult, malas hominum voluntates: quod ſane merum actum ſignificat, & non aſſumptionem ad gloriam. Et per conſequens indicat ibi ſermonem eſſe de gratia, quæ eſt neceſſaria ad actum, non vero de gloria quæ non eſt neceſſaria ad actum. Quod & mox applicat duobus fratribus, Jacobo ſcilicet & Eſaü, dicens: Quod cum diceret Apoſtolus, gratiam commendabat (contra ſcilicet meritum prævium Pelagianorum) ad cujus commendationem de illis in Rebeccæ utero geminis fuerat jam locutus: quibus [Nondum natis, nec aliquid agentibus boni, ſeu mali, ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret; non ex operibus, ſed *vocante* (vocatio autem indicat gratiam

Hujuſmodi exemplum ipſe Petavius profert cap. 12. n. 7. ex libro ad Simplic. q. 2.

prævenientem, ſeu præexcitantem arbitrium) dictum eſt: quia major ſerviet minori,] Propter quod adhibuit alterum Propheticum teſtimonium, ubi ſcriptum eſt [Jacob dilexi, Eſaü autem odio habui. Et paulo poſt, iiſdem fratribus applicans expreſſius id quod ſupra dixerat de mere voluntaria Dei collatione & negatione gratiæ, ſic aït: Jacob dilexit (Deus) per miſericordiam gratuitam (id eſt mere voluntariam) Eſaü autem odio habuit per judicium debitum, id eſt debitum ob originale peccatum; unde & ſubditur. Quod cum deberetur ambobus, in altero alter agnovit, non de ſuis diſtantibus meritis ſibi eſſe gloriandum, quod in eadem cauſa idem ſupplicium non incurrit; ſed de divinæ gratiæ largitate, quia [Non volentis, neque currentis; ſed miſerentis (id eſt ſubvenientis per gratiam efficacem, quam ſolet Auguſtinus exprimere per miſerationem) eſt Dei.] In quibus omnibus nihil prorſus agitur, niſi ut commendetur mera Dei voluntas in danda, vel neganda efficaci gratia, quibus voluerit, & quando voluerit, & ubi voluerit; & ſic fiat, aut non fiat actus bonus, prout ipſe voluerit. Quod etiam confirmatur ex fine intento totius hujus diſcurſus, quem mox ſic exprimit, dicens: Altiſſimo quippe ac ſaluberrimo Sacramento univerſa facies, atque, ut ita dixerim, vultus ſanctarum Scripturarum bene intuentes, id admonere invenitur, ut qui glorietur, in Domino glorietur. Ubi nihil aliud contendit niſi ut tota bona actio, ſeu converſio peccatoris detur Deo, contra ſcilicet Pelagianos, qui volebant illam eſſe ab hominibus, prius petentibus, quærentibus, & pulſantibus ſine Deo, ut poſtea gratia ſubjungeretur à Deo, qui vult omnes ſalvos fieri: tamquam præmium debitum huic merito petitionis, quæſitionis, & pulſationis mere humanæ, & ſic gratia non eſſet gratia, cum non eſſet gratuita; ſed meritis reddita: Unde quam hic diſcurſus longe ſit à diſcurſu gloriæ, vel prædeſtinationis ad illam, nemo eſt qui non videat: cùm totus ſit & totaliter de adjutorio gratiæ, per quam Deus convertit in bonum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, ut qui gloriatur, v. g. de ſua converſione, aut alia bona actione, non in ſe; ſed in Domino glorietur, ut ex dictis manifeſtum eſt.

Nec aliter, alter locus intelligendus eſt, qui eſt ex Epiſt. 105. Nam cum illa ſit tota contra Pelagianos, qui errabant circa gratiam, & non circa gloriam, aut prædeſtinationem ejus, ut ſupra demonſtratum eſt: hinc fit clarum & apertum, quod illa comparatio Jacobi & Eſaü, aſſumpta fuit ab Auguſtino ad probandum quod gratia, ſeu prædeſtinatio ad eam, item & negatio ejus eſt ſine ullis meritis ſpecialibus præcedentibus, quemadmodum dicit Apoſtolus allegatus ab Auguſtino, quod electio, & repulſio Jacobi, & Eſaü factæ fuerunt ſine prævifis ſpecialibus eorum meritis, bonis, aut malis; ſed ex mera voluntate divina. Unde & de materia illa gratiæ, ſic proponitur ab ipſomet Auguſtino, thema totius Epiſtolæ, contra prædictos Pelagianos. Quod enim putant auferri Puncto II.

ſibi liberum arbitrium, ſi nec ipſam bonam voluntatem *ſine adjutorio Dei* hominem habere conſenſerint, non intelligunt, non ſe firmare humanum arbitrium; ſed impellere, ut per inania feratur, non in Domino, tamquam in petra ſtabili, collocetur. [*Paratur enim voluntas à Domino.*] Ubi vides ſolùm ſermonem eſſe de gratia, ut neceſſaria ad habendam bonam voluntatem, contra iſtos hæreticos, qui volebant eam dari ob meritum arbitrii, per ſe ſolùm agentis, & per hoc gratia non indigentis. Unde contra iſtud meritum totus poſtea Auguſtinus incumbit, demonſtrans iſtam gratiam eſſe mere gratuitam, & non meritis debitam, & per hoc mere pendentem ab arbitrio divino, ut eam det, aut neget, cum nulli faciat injuriam dando, vel negando eam pro libito, quandoquidem, omnes rei ſunt, & indigni gratiâ; ſed digni qui ea priventur. Unde cum dat alicui gratiam, facit ei miſericordiam: cum negat, (ſcilicet efficacem, nulli enim negat ſufficientem) facit ei judicium: quia non meretur niſi ſupplicium: & hoc eſt de quo formaliter ibi agit Auguſtinus, & non de gloria: Et ad hoc ibi affert comparationem prædictam, quæ eſt etiam de rejectione meriti, & de aſſertione mere gratuiti: Sed & etiam inter exponendum eam, indicat Auguſtinus ſermonem eſſe de adjutorio divinæ gratiæ, ut ad bene agendum neceſſariæ, non vero de gloria. De *ipſa*, inquit, *gratia* ſatis agebat Apoſtolus, & ideo promiſſionis filios commendabat. Quod enim promittit Deus, *non facit niſi Deus* (ubi vides ſermonem eſſe de actu bono, ad quem neceſſaria eſt gratia Dei) habet namque aliquid rationis & veritatis, ut homo promittat, & *Deus faciat*: ut autem homo *ſe facere* (per ſeipſum) dicat, quod promiſerit Deus ſuperbæ impietatis eſt reprobus ſenſus, (ubi vides Auguſtinum nihil aliud agere, niſi ut oſtendat gratiam Dei eſſe neceſſariam ad actum bonum, ſed ad converſionem peccatoris, non autem ſufficere liberum hominis arbitrium ſicut volebant hæretici, ut illius merito gratia illa redderetur. Unde mox reſumens eamdem comparationem, oſtendit illam gratiam eſſe mere gratuitam, & nullis meritis debitam; ſed quia id nimis longum eſt, ideo videatur in textu. Sed in eâdem Epiſtolâ, ipſe definit illam gratiam de qua ibi formaliter agebatur, ut ad juſtificationem peccatoris, non vero ut ad beatificationem juſti. Et proinde ibi agebat de gratia convertente & juſtificante impium, non vero de gloria, aut beatitudine æterna. Ea eſt enim (inquit gratia) *qua juſtificatur impius*, id eſt *ſit juſtus, qui prius impius erat*, & ideo percipiendæ hujus gratiæ, merita nulla præcedunt, quoniam meritis impii non gratia; ſed pœna debetur. Et paulo infra: Non iſtam gratiam commendat Apoſtolus, qua creati ſumus, ut homines eſſemus: (quæ erat gratia Pelagianorum, ſcilicet liberum arbitrium) Sed *qua juſtificati ſumus ut homines juſti eſſemus. Iſta eſt enim gratia per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Ubi tam clare demonſtratur illam gratiam, de qua agebat Auguſtinus, eſſe gratiam juſtificantem, ut terminum formalem prædeſtinationis,

nationis, & rejectionis: de qua ibi loquebatur, ut ſupervacaneum prorſus foret, id amplius velle oſtendere cum amplius oſtendi, & clarius, prorſus non poſſit.

PUNCTUM XV.

Cæteris ſatisfit Petavii inſtantiis, quæ ſunt de nomine pœnæ & ſupplicii: & de relictione in maſſa damnationis. Vbi & alia generalis omnium præcedentium ſolutio profertur.

QUANTUM ergo ad ſecundum, ſcilicet, quod loquitur in illis locis Auguſtinus, de pœnali judicio, de ſupplicio, de pœna, per quam intelligit æternam, inquit Petavius.

Reſpondeo, eſſe aliam pœnam Auguſtino, quam ipſe vocat pœnam peccati, quæ omnino temporalis eſt; ſed aliquando cauſat æternam, ſi non diluatur in hac vita: & iſta pœna, eſt privatio, ſeu negatio gratiæ efficacis ad implendum præceptum, & ad vincendam gravem tentationem, qua negatione poſita ſemper inciditur in peccatum: Unde illud peccatum vocat Auguſtinus pœnam peccati, quo nihil frequentius eſt apud Auguſtinum, maxime in iis operibus, quæ contra Pelagianos exaravit. Licet autem iſta pœna per ſe temporalis ſit, & finita, poteſt tamen per accidens fieri æterna, nam ſi poſt negatam iſtam gratiam, quis moritur, iſta pœna fit æterna, non ratione ſui; ſed ratione adjuncti, ſcilicet mortis ſequentis, quæ cum ſit in peccato, ſtipendium ejus eſt altera mors, ſeu damnatio æterna. De prædicta ergo pœna loquitur Auguſtinus; ſcilicet de negatione gratiæ efficacis ad vincendam tentationem, aut implendum præceptum, quæ per ſe quidem eſt temporalis, per accidens tamen, & ratione adjuncti poteſt eſſe æterna: & ſic abſolute falſum eſt, quod omnis pœna, ſeu ſupplicium, ſeu pœnale judicium, Auguſtino, ſit æternum, ut volebat Petavius.

Quantum ergo ad tertium, ſcilicet, quod relicti illi in maſſa damnationis, de quibus ibi loquitur Auguſt. dicuntur damnati, unde infertur quod ibi ſermo ſit de reprobatione à gloria, ſeu à beatitudine æterna:

Reſpondeo, negando conſequentiam: Nam primo poteſt dici, quod ſicut in illis locis, damnatio non ſumitur pro damnatione æterna, ut ſupra notatum eſt; ſed tantum pro reatu damnationis æternæ, ita & illi qui dicuntur damnati, non ſumuntur pro iis quibus inflicta eſt pœna æterna, qui ſunt vere damnati, & inſeparabiliter reprobi; ſed tantum pro iis qui rei ſunt, ſeu digni damnatione æterna, quo pacto ſunt tantum reprobi à gratia, non vero à gloria. Et ſic dicti ſunt damnati, ſeu relicti in maſſa damnationis, quia non ſunt per gratiam, à prædicta damnatione, ſeu reatu ſuo liberati, quo merentur pœnam æternam. In IV. Argumento.

Secundo dici poteſt quod illi relicti, ſunt damnati damnatione æterna;

non tamen formaliter, ſed tantum conſequenter: ita ut idcirco dicantur damnati, quia ex illa ſua derelictione, ſeu negatione ultimæ gratiæ, ſeu doni perſeverantiæ, ſemper ſequatur damnatio, atque reprobatio, quemadmodum dicimus de homine qui accepit vulnus lethale, atque inſanabile, quod eſt homo mortuus: non ſane quod mortuus ſit actu, & formaliter; ſed quia perinde eſt, ac ſi eſſet mortuus, cum ex illo vulnere ſequatur infallibiliter & inſeparabiliter ejus mors: ita & poteſt dici de iſtis relictis, quod damnati ſunt damnatione æterna; quia nempe ex iſta eorum derelictione, ſemper ſequitur eorum reprobatio, & damnatio æterna; ſed tamen hinc non ſequitur quod eadem dici poſſint, ſeu quod eadem tribui poſſint iſti derelictioni, ac damnationi æternæ, aut reprobationi, cum illa ſit tantum æquivoce damnatio, atque reprobatio, & illi relicti, ſint tantum æquivoce damnati, & etiam reprobi, Quemadmodum diximus de lethaliter vulnerato, qui æquivoce tantum mortuus eſt, non vero realiter; ſed realiter eſt vivus. Unde nihil hinc ſequitur contra nos, cum illi damnati non ſint vere reprobi; ſed tantum reprobandi, & reprobationis proximi, quod valde diverſum eſt, & omnino pro nobis eſt, cùm ſi nondum ſunt reprobi, ſequitur quod tantum ſunt reprobi poſt prævíſum illud peccatum, quod in derelictione illa committitur, quod cum ſit actuale, conſectaneum prorſus eſt, quod reprobatio illa ſit poſt præviſa peccata actualia, & non tantum originalia, ut volebat Petavius.

Tandem pro univerſali totius hujus argumenti ſolutione, advertendum eſt, quod ipſemet Petavius n. 3. aſſerit in illis locis Auguſtini, ſermonem eſſe de reprobatione à gratia ſimul & à gloria: ſed ſupra oſtendimus quod ex prædeſtinatione illa quæ eſt ad gratiam ſimul & ad gloriam, nihil concluditur pro prædeſtinatione ad gloriam ſine præviſis meritis ergo ſimiliter dicendum eſt, quod ex reprobatione illa, quæ eſt à gratia ſimul & à gloria, nihil concluditur pro reprobatione à gloria ſine præviſis meritis, cum omnia ſint paria, & facile ſit perſpicere quod in utroque caſu concludit Auguſtinus de gratia, non vero de gloria, cùm ageret ex profeſſo de gratia, non vero de gloria, ut ſupra demonſtravimus. Quod etiam notari poteſt ex D. Thoma, qui licet admittat, rationabiliter dici poſſe; prædeſtinationem ad gloriam ſolam, eſſe ex præviſis meritis, non ſic tamen admittit de prædeſtinatione illa, quæ eſt ad gratiam & ad gloriam: quod facile applicare eſt in reprobatione prædicta, ſcilicet, quod licet admittat Auguſtinus reprobationem illam, quæ eſt à gratia & gloria, eſſe ſine præviſis peccatis actualibus, non tamen idem admittit de reprobatione illa, quæ eſt à gloria ſola, quia nempe alia formalitas eſt cõſiderationis gloriæ per ſe & ſolitarie ſumptæ, & alia eſt formalitas conſiderationis gratiæ & gloriæ ſimul ſumptæ: unde & diverſa eis poſſunt prædicata convenire, quæ non liceat eorum alteri cui volueris communicare. Licet ergo concederemus (quod nequaquam concedimus) ibi Auguſtinum agere de illa reprobatione, quæ eſt à gratia

ſimul & à gloria, quam dicit eſſe ſine meritis : non tamen idem concederemus de illa reprobatione, quæ eſt à gloria ſola, quæ ſola oppoſita eſt illi prædeſtinationi de qua agimus : quia nempe ibi ſunt diverſæ formalitates, quæ proinde diverſa fundant prædicata, uni quidem convenientia; ſed alteri prorſus diſconvenientia, & oppoſita.

Punctum XVI.

Poſtremum Petavii ſolvitur argumentum petitum ex prædeſtinatione & reprobatione parvulorum, ſecundum Auguſtinum.

Postremum denique argumentum ſumitur ex prædeſtinatione & reprobatione parvulorum, quibus vult Auguſtinus eſſe ſimiles prædeſtinationem & reprobationem adultorum : Unde, cùm illæ ſint aperriſſime ſine meritis, ita & iſtæ adultorum.

Reſpondeo, perperam ſumi in hoc argumento ſicut & in aliis, prædeſtinationem & reprobationem, quaſi reſpicerent gloriam, & tantum reſpiciunt gratiam, ſecundum ſenſum Auguſtini : quod duplici ratione monſtratur. Prima eſt quia de illis loquitur Auguſtinus, ut ſine præcedentibus meritis : tam ſecundum executionem, quam ſecundum intentionem ſumptis, quod non poteſt dici de illis, ſi reſpiciant gloriam ſolam; ſed tantum ſi reſpiciant gratiam, quæ ſemper eſt ſine præcedentibus meritis, ſive in intentione, ſive in executione ſua conſideretur.

Quod autem ita loquatur Auguſtinus, patet ex illo ipſo textu, quem tanta cum fiducia n. 4. pro ſua opinione citat Petavius, ut ne quidem, inquit, contra eum mutire, audeamus : Abſit ſane ut contra eum mutiamus, cum totus pro nobis ſit, & arguat illum leviſſimæ in legendo Auguſtino conſiderationis, & attentionis, cum non adverterit ibi Auguſt. loqui de prædeſtinatione & reprobatione ſecundum executionem, quæ ſi reſpiciant gloriam, non poſſunt eſſe ſine meritis ſpecialibus; ſed tantum ſi reſpiciant gratiam. Is autem textus eſt hujuſmodi : ubi autem dicitur, ergo cui vult miſeretur, & quem vult obdurat : qui facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, bonum quidem immerito *datur*, quia ex eadem maſsâ eſt cui *datur*. Credo quod donatio, & collatio ſignificant executionem; quis autem Catholicus dicat gloriam immerito dari, cum numquam detur ſine meritis ? Ergo non ibi agitur de prædeſtinatione & reprobatione quæ reſpiciunt gloriam; ſed tantum de prædeſtinatione & reprobatione quæ reſpiciunt gratiam. Quod etiam patet ex præcedente textu, num. 3. allato, ubi aït Auguſtinus: Non putantes gratiam ſecundum ſua merita cuiquam *dari*. Quod adhuc ſonat executionem : quis autem Catholicus, quantò minus Auguſtinus, dicat gloriam non ſecundum merita noſtra dari, cum numquam ſine meritis detur; non ergo id intelligitur de gloria, ſed tantum de gratia, quæ non ſecundum merita noſtra datur, & ob hoc ibi gratia, non gloria nuncupatur. *Lib. 2. ad Bonif. c. 7.*

Secunda ratio eſt quia ibi loquitur Auguſtinus de diſcretione à maſſa, quam ſupra oſtendimus, eſſe prædeſtinationem ad gratiam, & non ad gloriam, cùm maſſa illa nihil aliud ſit, quam reatus peccati, à quo liberamur per gratiam, & non per gloriam, quæ ſupponit iſtam liberationem eſſe factam, & proinde non ibi ſermo eſt de prædeſtinatione ad gloriam; ſed tantum de prædeſtinatione ad gratiam.

Sed etſi concederemus, iſtam prædeſtinationem & reprobationem reſpicere gloriam: cùm tamen ipſe fateatur Petavius illam non reſpicere gloriam ſolam, ſed etiam gratiam: quid ad nos argumentatio hæc, cum non loquamur de iſta prædeſtinatione, quæ reſpicit gratiam ſimul & gloriam; ſed tantum de ea quæ reſpicit ſolam gloriam? Scimus enim quod in iis textibus in quibus loquitur Auguſtinus de gratia & gloria, ſemper concludit ut de gratia, & non ut de gloria, quia de hac non agebat contra adverſarios; ſed ſolùm de illâ, & proindè de illâ ſolâ ſollicitus erat, & contendebat.

Tandem Petavius ipſe ibi adducit textum Auguſtini, qui ſolus deberet ſufficere ad dirimendam controverſiam: cum in illo dicat Auguſtinus ſe neſcire; cur hic vocetur efficaciter, ille non ſic vocetur; cur hic perſeveret, ille vero non perſeveret: Quod vere non potuiſſet dicere ſi putaſſet prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam vocationis efficacis, & perſeverantiæ, ut & reprobationem eſſe cauſam negandæ vocationis efficacis, & perſeverantiæ, ſeu quod idem eſt ſecundum adverſarios: Si putaſſet prædeſtinationem & reprobationem eſſe ſine prævisis meritis actualibus, ut late probavimus argum. 7. ex Auguſtino. Quod ſi plura videre vis de iſta materia prædeſtinationis parvulorum, vide Object. 12. ex Auguſtino, ubi de ea late tractavimus contra Janſenium.

PUNCTUM XVII.

Defenditur contra Petavium aliquis locus Auguſtini pro prædeſtinatione ad gloriam poſt prævisa merita, ex libro primo ad Simplicianum ſumptus.

Libro 9. c. 14. RELIQUUM ergo eſt, ut ſatisfaciamus quibuſdam ejus reſponſionibus, quas adhibet aliquibus textibus qui adducuntur ex Auguſtino pro prædeſtinatione illa quam defendimus poſt prævisa merita, & quæ ego ſupra propoſui inter argum. ex Auguſtino deprompta. Quorum textuum primus eſt ex libro 1. ad Simplicianum quæſt. 2. ubi ait Auguſtinus, quod quia manet ut juſtificet (Deus) credentes: ideo invenit opera, quæ jam eligat ad Regnum cælorum. Quod cum non retractaverit, imo vero poſtea probaverit, atque laudaverit, magnum indicium eſt illum cenſuiſſe electionem illam ad gloriam, quæ eſt propter opera, eſſe veram & probandam, & menti ejus conformem.

Non reſpondet Petavius ad hoc quod dicimus Auguſtinum ea omnia probaſſe & laudaſſe, quæ in illa quæſt. docuerat, & proinde prædeſtinationem illam quæ eſt poſt præviſa opera, (quod tamen præcipuum argumenti eſt, cum nullo modo probabile ſit, quod probarit Auguſtinus, aut laudarit falſa cum veris, maxime cum eſſet circumſpectiſſimus, & exactiſſimus rerum omnium ad veram doctrinam ſpectantium ponderator) ſed reſpondet tantum illi parti qua dicimus cum aliis, eum hanc opinionem non retractaſſe, pro quo dicit, Auguſtinum non omnia quæ ut cumque explicarat, aut ſenſerat aliter quam fecit poſtea, retractaſſe, aut de eo Lectorem monuiſſe; ſed illa fere tantum in quibus ſe erraſſe, aut minus Catholice eſſe locutum, animadverterat.

Reſpondeo, quod ſi per hoc quod eſt errare, intelligit aliquid dicere, quod eſt contra veritatem, aut fidem, proculdubio debebat iſtam opinionem retractare, cum eam poſtea ſcribens contra Pelagianos, tam multis, ut aït Petavius, demonſtrarit eſſe falſam, & contra veram doctrinam. Si autem per τὸ errare, intelligat eſſe contra fidem Catholicam aliquid docere, næ ille vehementer errat, cum putat Auguſtinum ea ſolùm retractaſſe, cùm etiam ea retractet quæ minus probabilia, aut etiam minus graviter dicta, in ſuis libris deprehendit. Sic enim in retractando illo ipſo 1. libro ad Simplic. quidpiam minus probabiliter dictum, notat & reprehendit his verbis: Illa Apoſtoli verba [Lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum, &c.] quibus caro contra ſpiritum confligere oſtenditur, eo modo expoſui, tamquam homo deſcribatur adhuc ſub lege, nondum ſub gratia conſtitutus. Longe enim poſtea, & ſpiritalis hominis (*& hoc probabilius*) eſſe poſſe illa verba cognovi. Et paulo poſt retractans libros de doctrina Chriſtiana, ſic aït: In 2. libro de Authore libri, quem plures vocant Sapientiam Salomonis, quod etiam ipſum, ſicut Eccleſiaſticum, Jeſus Sirach. ſcripſerit, non ita conſtare, ſicut à me dictum eſt, poſtea didici, & omnino *probabilius* comperi, non eſſe hunc hujus libri Authorem. Et paulo poſt retractans libros Confeſſionum, ſic aït in 4. libro: Cum de amici morte, animi mei miſeriam confiterer, dicens quod anima noſtra una quodammodo facta fuerat ex duabus: Et ideo, inquam, forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaueram. Quæ mihi quaſi declamatio *levis magis, quam gravis* confeſſio videtur. Quamquam utcumque temperata ſit hæc *ineptia*, in eo quod additum eſt, forte. Ubi vides quam exacte & quam ſcrupuloſe caſtigarit S. Doctor ſua ſcripta, ut non ſolùm minus probabilia; ſed etiam minus graviter dicta caſtigaverit, atque reprehenderit, quanto magis caſtigaſſet, & reprehendiſſet falſa, & contra veram doctrinam dicta, ſi in iis illa deprehendiſſet, quale vult eſſe Petavius, id quod ſupra retulimus, ſcilicet, cum dixit, quod Deus invenit operá, quæ eligat ad Regnum cælorum: quæ verba manifeſte declarant, prædeſtinationem ad gloriam eſſe poſt præviſa merita. Neque enim dici poteſt, id illi tunc excidiſſe è memoria, cùm illo ipſo

Lib. 1. retr. cap. 1.

Ibid. c. 4.

Ibid. c. 6.

tempore quo retractationes ſuas condebat: contra Pelagianos & Semipelagianos ageret, contra quos, ut aït Petavius, prædeſtinatonem ad gloriam ante præviſa merita formaliter ſuſtinebat, & prædeſtinationem ad gloriam poſt præviſa merita, tamquam falſam ſententiam, & omnino improbandam impugnabat.

At enim, inquit, Petavius, aliud de electione poſtea judicavit, & gratuitam alteram ad gratiam agnovit, neque tamen mutationis illius mentionem facit in opere iſto retractationum.

Reſpondeo, non aliud poſtea judicaſſe de iſta electione ſecundum rem, cùm & tunc illam gratuitam ut poſtea judicavit, & ad gratiam: ſed tantum aliud judicavit de nomine: Nam cum aliud de ea judicavit ſecundum rem, ut in libro Expoſitionis quarumdam propoſit. ex Epiſt. ad Rom. cap. 6. ubi aït: Non ergo elegit Deus opera cujuſquam in præſcientia, quæ ipſe daturus eſt, *ſed fidem elegit in præſcientia, ut quem ſibi crediturum eſſe praſcivit, ipſum elegerit*, cui Spiritum ſanctum daret, ut bona operando etiam vitam æternam conſequeretur: ſic putans nos non prædeſtinari, aut eligi ad fidem ex gratiâ, quia putabat Deum nos non excitare ad eam per gratiam, in quo erat error de rè, & non ſolùm de nomine, tunc ſe retractavit, dicens: Nondum diligentius quæſiveram, nec adhuc inveneram qualis ſit electio gratiæ: cùm autem in prædicto loco quem verſamus, non erraret circa rem, ut ſupra explicatum eſt; ſed tantum circa nomen, neglexit quæſtionem illam de nomine, probe ſciens quod ubi de re conſtabat, non erat curandum de nomine, ut ipſe dicit lib. 1. de quantit. animæ cap. 6. Et etiam practicavit libro de dono perſever. cap. 6. ubi cum aliquid aliter de perſeverantia Semipelag. definirent quam ipſe, aït: Verborum controverſias auferamus, &c. Hæc ergo fuit ratio cur prædictam nominis electionis definitionem neglexit, præcipue cum recte locutus fuiſſet, ſecundum leges nominum & verborum, quæ ita uſurpantur communiter, ut ipſe uſurpabat: ſed noluit corrigere Scripturam, quæ eſt ſuper leges Grammaticæ, & quæ ei imponere leges poteſt. Cum ergo ibi eſſet tantum quæſtio de nomine, in noſtro autem caſu eſſet maxima quæſtio de re, ſcilicet, an prædeſtinatio ad gloriam eſſet ante, vel poſt præviſa merita, non ſequitur quod ſi priorem neglexit hanc etiam negligere potuerit, maxime cùm Petavius aſſerat ingentem ipſius cum Pelagianis & Semipelagianis, ea de re diſputationem totam fuiſſe, quod certo argumento eſt Auguſtinum eam rem eſſe magni momenti putaſſe, & proinde non neglecturum eam fuiſſe, ſi circa illam erraſſet, falſa dicendo pro veris. Unde bene videns Petavius ſuam primam ſolutionem non eſſe firmam, dicit ipſemet, eâ ſe nolle uti: Quapropter aliam adhibet dicendo, quod duplicem agnovit Auguſtinus electionem ad gloriam, quarum prima eſt quam vocat antecedentem, qua Deus certos deſtinat ad gloriam per merita conſequendam. Altera quam vocat conſequentem, qua eoſdem perfunctos meritis & laboribus aſſumit ad gloriam, & de hac ſolà vult

Auguſtinum loqui in loco ſupracitato, non de prima quam vult docere contra Pelagianos eſſe mere gratuitam: quod deinde late proſequitur, ſemper ſupponens in hac etiam quæſtione ſecunda ad Simplicianum, locutum eſſe Auguſtinum tantum de prædeſtinatione ad gratiam, & ad gloriam, & non ad gratiam ſolam.

Sed reſpondeo ibi ſupponi falſum: ſcilicet Auguſtinum admiſiſſe electionem antecedentem ad gloriam mere gratuitam, quod hucuſque ſatis impugnavimus, oſtendendo ipſum Petavium in hoc deceptum fuiſſe, quod putarit Auguſtinum ſolùm diſputaſſe contra Pelagianos & Semipelagianos de prædeſtinatione ad gloriam: cùm ſolùm diſputarit contra eos de prædeſtinatione ad gratiam. Unde facile ei fuit labi in errorem, ſumendo & intelligendo de prædeſtinatione ad gloriam, id quod ſolùm dicebatur de prædeſtinatione ad gratiam, quam cùm voluerit Auguſtinus eſſe mere gratuitam, ideo putavit Petavius eum tenere prædeſtinationem ad gloriam eſſe mere gratuitam.

Sed & non minus etiam labitur, cum putat in ſolvenda hac quæſt. 2. Simpliciani ſolùm formaliter egiſſe Auguſtinum de prædeſtinatione ad gratiam ſimul & ad gloriam, & non ad gratiam ſolam, cùm certum ſit quod ibi ſolùm loquitur formaliter & directe de prædeſtinatione ad gratiam, & non de prædeſtinatione ad gloriam, cum excepto perbrevi textu qui in quæſtione eſt, ubi obiter loquitur de prædeſtinatione ad gloriam, ſemper loquitur de gratia, vel fidei, vel primæ juſtificationis, quam ideo vult gratis prædeſtinari. Nec enim alicujus momenti eſt, id quod contra id commentatur Petavius, dicens quod licet ita ſit, ut loquatur ſolùm de gratiâ, & de vocatione ad fidem, tamen debet ibi ſubintelligi gloria, quia, inquit, loquitur de illâ gratiâ, quæ eſt prædeſtinatorum, quæque certo annexam habet perſeverantiæ gratiam, & ſalutem: num. 6. Quod probat primo ex eo quod in exẽplis perfectius ſumimus, qualis eſt fides, ſeu gratia prædeſtinatorum, potius quam reproborum, & deinde ex eo quod Deus vult immortalia eſſe beneficia ſua, qualia ſunt illa quæ ſunt in prædeſtinatis ad gloriam, & non in reprobis: Unde, inquit, ſæpius tantumdem eſt illum de gratia & fide loqui, ac de perſeverante, & ad Regnum cælorum perducente gratiâ.

Sed iſtæ rationes leviſſimæ ſunt: nam primo unde probabit Petavius fidem, aut gratiam prædeſtinatorum eſſe perfectiorem, quam reproborum: cùm dubitari non poſſit quin fides, & gratia Angelorum rebellium, & Judæ prævaricatoris Apoſtoli, longe perfectior fuerit, quam multorum prædeſtinatorum, qui ob negligentias & tepiditates ſuas diu fuerunt in Purgatorio, parum habentes fidei, & etiam gratiæ ſanctificantis dum in hoc ſæculo viverent. Quomodo etiam probabit Auguſtinum ſumpſiſſe in exemplum fidem prædeſtinatorum, cum loquatur ſolum de fide ſecundum ſe, & ſine ordine ad perſonas ſingulares, ſed tantum in ordine ad voluntatem divinam, quæ dat, aut negat eam quibus vult, quod tam reſpicit perſonam reproborum, quam prædeſtinatorum:

cùm ipſi æqualiter huic dependentiæ, & divinæ providentiæ ſubſint; præterea, & ſi daretur quod Deus velit immortalia eſſe beneficia ſua, quantum eſt ex ſe, quid hoc impedit, quin poſſit diſputari de iis quæ actu talia ſunt, & non ſunt ſub una ratione communi, v. g. gratuitatis, aut ſimilis alicujus conſiderationis, & non ſub una ratione ſingulari, cum ſic ſoleat diſputari, & id ordinarium ſit in ſcientiis, quæ potius tractant de generibus & ſpeciebus, quam de ſingulis ſpecierum, aut generum; ſic enim cum loquuntur Metaphyſici de animalitate, loquuntur de ea ſecundum ſe, & ut communis eſt omnibus animalibus, non vero ut peculiaris eſt aliquibus: nec ſub ea intelligunt rationalitatem, licet cum ea conjuncta ſit in homine, qui eſt perfectius exemplum quod dari poſſit in hoc genere, ſic cum loquuntur Phyſici de materia, non potius loquuntur de materia cælorum qui ſunt æterni, quam de materia animalium, quæ ſunt corruptibilia, & mortalia. Sic cùm loquuntur Medici de virtute remediorum, loquuntur de ea ſecundum ſe, & non ſolùm proüt in aliquibus habet effectum ſanitatis, & non in aliis; ſed proüt poteſt habere illum. Sic ergo potuit Auguſtinus loqui de fide & gratia, proüt poſſunt habere effectum ſalutis æternæ in omnibus, & non ſolùm ut habent illum in aliquibus; unde valde divinare eſt, quod dixit Petavius Auguſtinum ſolùm locutum eſſe de fide & gratia prædeſtinatorum, quæ habet adjunctam gloriam, non vero reproborum, cùm ex dictis pateat, quod potuerit loqui de ea, ut communis eſt reprobis & prædeſtinatis, ſub aliqua nempe ratione communi: v. g. gratuitatis, aut alterius ſimilis conſiderationis, imo vero longe probabilius ſit, ita locutum eſſe Auguſtinum, cùm loquatur de eâ ſub tali formalitate quæ communis eſt reprobis & prædeſtinatis, ſcilicet ſub ea ratione ſub qua utrique pendent à Deo, ut illam habeant, aut non habeant, ſeu ſub illa ratione, quâ Deus poteſt eam dare, aut negare proüt vult, & quibus vult, & quando vult, quod tam habet locum in reprobis, quam in prædeſtinatis.

Ad id vero quod aït n. 11. nos teneri in opinione noſtra aliter, & aliter explicare nomen electionis de qua loquitur ibi Auguſtinus: Reſpondemus hoc eſſe forte verum de iis qui putant cum eo Auguſtinum in illa quæſtione locutum eſſe formaliter, & directe de electione ad gratiam ſimul & ad gloriam, non vero de iis qui nobiſcum ſentiunt, & bene noverunt eum eſſe tantum locutum directe, & formaliter de prædeſtinatione ad gratiam ſolam, & obiter tantum in perbrevi prædicto loco de prædeſtinatione ad gloriam: Sic enim locus exponendus eſt. Non ergo ſecundum electionem (id eſt ſecundum notionem nominis electionis, quæ poſtulat diſtantiam meritorum) propoſitum Dei (dandi gratiam) manet; ſed ex propoſito (dandi gratiam) manet electio: (id eſt oritur vera electio ad gloriam, quæ habet diſtantiam meritorum ad notionem nominis electionis requiſitam: quod mox ſic explicat ipſe Auguſtinus dicens) id eſt, non quia invenit Deus opera bona

in

in hominibus quæ eligat, (electione ſcilicet proprie dictâ ſecundum Grammaticos quæ ſupponit diſtantiam meritorum) ideo manet propoſitum juſtificationis ipſius (id eſt gratiæ dandæ) ſed quia manet, ut juſtificet credentes: ideo invenit opera (ſcilicet in juſtificatis) quæ jam eligat (electione proprie dicta, quæ ſupponit diſtantiam meritorum) ad Regnum cælorum. Ubi vides ſemper eodem modo ſumi nomen electionis, non autem aliter, & aliter incondite, & perplexe, ut putabat Petavius.

PUNCTUM XVIII.

Defenditur contra Petavium locus Auguſtini ex Sermone 7. de verbis Domini ſumptus, pro prædeſtinatione ad gloriam poſt praviſa merita.

SECUNDUS textus Auguſtini, cui reſpondet Petavius, eſt ille quem adduximus argumento 13. ex Auguſtino: ubi dicit Auguſtinus, Chriſtum elegiſſe aliquos, & ſecundum ſuam gratiam, & ſecundum illorum juſtitiam. Tum poſtea explicans verba illa ad Rom. 11. 4. Reliqui mihi ſeptem millia virorum qui non curvaverunt genua ante Baal. Sic aït: Quid eſt reliqui mihi? Ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præſumentes, non de ſe, nec de Baal. Et infra: Sunt quos elegi, ſicut & te, de me ſcilicet præſumentes. Cui textui reſpondet Petavius, in illo non agi de prædeſtinatione ad gloriam; ſed de electione ad uberiorem, peculiaremque gratiam, ſcilicet aliquam tutelam, ſeu protectionem Dei, qualis erat illa quam præbuerat illis Prophetis, ita ut Baalis ſacrilegio non pollluerentur. Unde, & paulo poſt, ſic interpellat Auguſtinus Heliam ipſum: Et tu qui loqueris, niſi de me præſumeres, ubi eſſes, niſi gratia mea plenus eſſes? nonne ante Baal etiam ipſe genu flecteres?

Reſpondeo ibi loqui Auguſtinum de prædeſtinatione ad gloriam per ſe, & formaliter, non autem ad illam protectionem, niſi occaſionaliter, ut infra explicabitur. Pro quo ſciendum eſt, quod ibi differebat Auguſtinus de tribus viris, quorum unus dixerat Chriſto: Domine ſequar te, quocumque ieris; quem Chriſtus noluit admittere: Alter dicenti Chriſto, Sequere me: reſpondit; Ibo priùs ſepelire patrem meum: Tertius denique ex ſemetipſo dixerat Chriſto: Proſequar te Domine; ſed vado primùm renuntiare his qui in domo ſunt. Et hi duo electi ſunt, primus autem reprobatus. Supra quod ſic differit Auguſtinus; & de primo ſic aït: Quid eſt hoc quod magiſtro bono Domino Jeſu Chriſto invitanti diſcipulos, quibus daret Regnum cælorum (ergo ibi loquebatur de Regno cælorum, & de prædeſtinatione ad illud) diſplicuit tam paratus? ſed quia talis magiſter erat qui futura præviderèt, intelligimus fratres, iſtum hominem, ſi ſequeretur Chriſtum ſua quæſiturum fuiſſe, non quæ

Nota, quod aliud eſt dicere, quod Auguſt. loquitur formaliter de prædeſtinat. ad gloriam; & aliud dicere quod formaliter diſputat de eâ, an ſit ante, vel poſt præviſa gratiæ merita. Primũ dicimus, non ſi-

cundum : quia numquam formaliter, & ex profeſſo de eo diſputavit Auguſtinus, ut ſæpe monuimus: hic autem ſolùm inſtructive, & doctrinaliter explicat locum Evangelii de electione quorumdam ad gloriam, & reprobatione aliquorum aliorũ à gloria.

Jeſu Chriſti (ubi vides opera prævisa in hac electione & reprobatione attendi) ipſe enim dixit: Non omnis qui dicit mihi , Domine , Domine, intrabit in Regnum cælorum (ubi adhuc vides ſpectari Regnum cælorum,ut objectum iſtius electionis, & reprobationis ; nam quia Deus præviderat iſtum non bona, ſed prava opera habiturum,ideo dicit eum Auguſtinus eſſe à Deo reprobatum ; quod & paulo poſt inculcat per hæc verba , quæ tribuit Chriſto Domino. Iſtum , inquit , (ſcilicet Chriſtus) declino,*quia* video ibi foveas, video nidos: per quæ intelligit mala opera, ſeu peccata, ob quæ Deus reprobavit iſtum à Regno cælorum. Ergo manifeſtum eſt ibi ſermonem eſſe de tali electione & reprobatione, quæ reſpiciunt gloriam , ſeu Regnum cælorum ; non autem tutelam, aut protectionem aliquam peculiarem , ut volebat Petavius : Quod etiam patet in duobus aliis , quos elegit Dominus : Ubi cum reprehendiſſet eos , eò quòd unus eorum vellet ire ſepelitum patrem ſuum , alter vellet ire renunciatum iis qui domi erant , quod Dominum totaliter ſequi vellet, & ſic aliquantulum à Domino recedere vellent, & per hoc interrumpere perſeverantiam ſuam, quæ neceſſaria eſt ad acquirendum Regnum cælorum ; unde & uni eorum dixit: Nemo ponens manum ſuper aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt Regno cælorum (quod eſt objectum prædeſtinationis ad gloriam) ſic concludit : In hoc capitulo hoc diſcimus, quoniam quos voluit Dominus hos elegit:(certe non ad tutelam, aut protectionem aliquam , de qua ne unum quidem verbum vidimus ; ſed ad Regnum cælorum, de quo ſemper hucuſque locutus eſt : ſed quomodo hos elegit, an ex mera gratia, an vero etiam ex juſtitia ? ecce dicit)Elegit autem ſicut dicit Apoſtolus , & ſecundum ſuam gratiam , & *ſecundum illorum juſtitiam.* Ergo non ex mera gratia , & ſine prævisis eorum meritis ; ſed etiam ex juſtitia , & ex prævisis eorum(per gratiam datis) operibus & meritis. Ut autem illuſtraret ſuam concluſionem, per aliquem idoneum Scripturæ locum , aſſumpſit unum ex Apoſtolo , in quo duo illa quæ concluſerat, maxime apparent, ſcilicet : Deum illos elegiſſe, & ſecundum ſuam gratiam , & ſecundum illorum juſtitiam. Locus autem eſt hujuſmodi: Attendite quid dicit Helias : Domine , Prophetas tuos occiderunt , altaria tua everterunt , & ego relictus ſum ſolus , & quærunt animam meam : Sed quid dicit illi reſponſum divinum ? Reliqui mihi ſeptem millia virorum qui non curvaverunt genu ante Baal. Quem locum applicans illi electioni de qua locutus fuerat , quæ ex meritis eſt facta ; ſic interpretatur eum quaſi ibi diceretur : Reliqui (ſeu quod idem eſt , ut infra patebit , elegi) mihi ſeptem millia virorum , *quia* non curvaverunt genu ante Baal , quod ſignificat electionem ob merita : quod etiam patet ex paraphraſi, quam mox adhibet huic textui dicens : Solum te putas eſſe ſervum bene laborantem (id eſt , bene merentem , ſeu dignum præmio , & vita æterna) ſunt & alii me timentes , (& per hoc digni vita æterna , ſeu digni qui prædeſtinentur ad vitam æternam) & non pauci. Nam ſeptem millia ibi habeo (ſcilicet à me electos propter

Ad Rom. 11.

merita) Et adjunxit [Sic ergo & in hoc tempore.] Crediderunt enim aliqui Judæi, & multi fuerunt reprobati, ſicut & ille qui vulpium foveas geſtabat in animo (qui eſt ille primus, quem ſupra diximus Chriſtum noluiſſe admittere, ſeu eligere, quia videbat Chriſtus in eo foveas & nidos, id eſt mala opera, & peccata. Per quod vides connexionem hujus textus cum præcedenti, qui omnes tendunt ad unum ſcopum, ſcilicet Deum ſemper prædeſtinaſſe homines ad gloriam ex prævisis meritis gratiæ, tum in novo cum in veteri Teſtamento, ut etiam mox ſequitur) Sic ergo inquit Apoſtolus : [Et in hoc tempore, reliquiæ per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt] id eſt idem Chriſtus eſt, qui tunc & modo, qui & illic tunc Eliæ dixit [Reliqui mihi] Quid eſt, Reliqui mihi? Ego eos elegi, *quia* vidi mentes illorum de me præſumentes, non de ſe, nec de Baal (ubi vides prædictam explicationem prædictorum verborum Sacræ Scripturæ, quam diximus eſſe Auguſtini : quaſi diceretur, Elegi mihi ſeptem millia virorum, *quia* non curvaverunt genua ante Baal : Et hîc dicit, Elegi illos, *quia* vidi mentes illorum de me præſumentes, non de Baal : Quod idem omnino eſt, & ſemper ſignificat electionem ex meritis. Sed quia volebat electionem iſtam fieri ex meritis gratiæ, & non ex meritis meræ naturæ, ut volebant Pelagiani, propter quod dixerat in ſupra allata ſua concluſione, Elegit eos, & ſecundum ſuam gratiam (id eſt ob merita gratiæ) & ſecundum illorum juſtitiam (id eſt propter eorum cooperationem propriam) mox addit : Non ſunt mutati, ſic ſunt, ut à me facti ſunt (id eſt per gratiam meam perſeveraverunt in bono, & ego per eam conſtitueram illos in eo : ubi commendat gratiam, ut ad opera illa neceſſariam, ob quæ fit electio, ſeu prædeſtinatio ad gloriam ; unde & ſequitur) & tu qui loqueris, ubi eſſes, niſi gratia mea plenus eſſes? nonne ante Baal etiam ipſe genu flecteres (ubi adhuc commendat neceſſitatem ſuæ gratiæ, ſine qua ipſe Helias, nec perſeveraſſet, nec tunc temporis communem idololatriæ tentationem ſuperaſſet ; ſed in eam conſenſiſſet, & conſequenter peccaſſet. Hæc eſt illa tutela, & protectio peculiaris, ad quam volebat Petavius eſſe electionem illam, de qua agitur in illo ſermone, & ipſa nihil aliud eſt quam gratia divina ſine qua non fiunt opera bona, propter quæ prædeſtinatur nobis gloria. Unde nihil aliud inculcat Auguſtinus, & docet Chriſtianos in ſequentibus, quam neceſſitatem iſtius gratiæ, prorſus ad opera æternæ beatitudinis meritoria requiſitæ, contra veſanam Pelagianorum ſuperbiam, qui negabant iſtam gratiam ſibi eſſe neceſſariam ad bene agendum, & dicebant, ſi aliquando daretur, eam ſibi dari ut debitam, ob præcedentia ſua opera ſine gratia facta, per quæ promeruerant habere eam. Cave, inquit, ô Chriſtiane, cave ſuperbiam : Licet enim imitator Sanctorum ſis, totum gratiæ ſemper reputa, quia ut eſſet aliquid reliquum, gratia in te Dei, non tuum meritum fecit. Et infra : Non de tuo merito extollaris, (quaſi ſcilicet eſſet ex te ſine gratia) [Alioquin gratia jam non eſt gratia] ſi enim de tuo opere (quaſi eſſet ex te ſolo) præſumis, ergo

merces tibi redditur (ipſa ſcilicet gratia pro iſto opere) non gratia condonatur ; ſi autem gratia eſt , gratis datur. Et infra : Quid tu juſte, credis te ſine Deo poſſe ſervare juſtitiam? ipſius ergo totum reputa quod juſtus es pietati; quod autem peccator es, tuæ iniquitati adſcribe. In quibus ſolùm , ut videre eſt , inſtruit Chriſtianos de neceſſitate gratiæ ad opera meritoria gloriæ , de qua antea locutus fuerat , ut de objecto electionis divinæ , proüt ſupra ſatis declaratum eſt.

PUNCTUM XIX.

Defenditur contra Petavium quoddam Argum. ex dictis Auguſtini ſumptum , pro prædeſtinat. ad gloriam poſt præviſa merita , & oſtenditur illud eſſe rectum , & legitimum.

TANDEM ad hoc argumentum quod deducitur , ex eo quod cùm quæreret Auguſtinus quomodo gloria dici potuit ab Apoſtolo gratia , cùm merces & præmium ſit, quod opponitur gratiæ : non reſpondit ideo dici gratiam , quia gratis prædeſtinata erat , quæ videretur eſſe optima reſponſio , ſi vera eſſet : ſed aliquid aliud reſpondit , minus idoneum ad ſatisfaciendum quæſtioni , ſcilicet , quod ideo eſt gratia , quia iis meritis redditur, quæ gratia contulit homini : Ex quo ſequitur quod altera reſponſio quæ melior eſt , ſcilicet de prædeſtinatione illius mere gratuita , vera illi viſa non eſt. Reſpondet Petavius , Gratiam ab Auguſtino plerumque accipi pro effecto ipſo gratificantis divinæ voluntatis, ac dono, quod in tempore largiendum deſignat , ita ut voluntas ipſa, vel Dei propoſitum, gratia non vocetur, tametſi gratuitum aliquod donum, ac ſine meritis tribuendum reſpiciat. Quod probat duobus textibus Auguſtini, in quibus effectus prædeſtinationis dicitur gratia, de ipſa autem prædeſtinatione ſeu voluntate , & propoſito dandi illam gratiam nihil dicit , nec determinat , an ſit gratia , vel non.

Sed reſpondeo hanc rationem quæ petitur ab authoritate negativa, non valere : fieri enim potuit quod ideo electionem illam , ſeu voluntatem gratificandi , non vocarit ibi gratiam, quia id ſatis erat notum ex objecto , ſeu effectu , quem ei tribuebat ; cum notum ſit omnibus hominibus quod voluntas illa quæ eſt principium donorum & gratiarum , ſit maxime donum , & gratia : Unde Spiritus ſanctus, qui eſt principium omnium donorum Dei , vocatur à Theologis maxime donum Dei. Quapropter cum vocaret ibi Auguſtinus effectum voluntatis gratificantis , ſeu prædeſtinationis , gratiam , ſeu donum ; multo magis ſupponebat ipſam voluntatem , ſeu prædeſtinationem, eſſe donum, & gratiam : juxta illud Philoſophicum , propter quod unumquodque tale , & illud magis: unde non habebat neceſſe illam voluntatem , ſeu prædeſtinationem formaliter & expreſſe vocare gratiam , cùm id ſatis intelligeretur : ſed ſi ita eſt , quod Auguſt. noluerit vocari gratiam prædeſtinationem ipſam ,

ſeu voluntatem gratificandi, ut poſtea dicit Petavius, cur quoties ipſe Petavius reperit in aliquibus textibus Auguſtini nomen gratiæ, illud interpretatur de prædeſtinatione ipſa ad gloriam: Quid enim ſignificant apud eum hæc verba Auguſtini de duobus fratribus, Jacobo ſcilicet & Eſaü, In altero alter agnovit, non de ſuis diſtantibus meritis, ſibi eſſe gloriandum, quod in eadem causâ, idem ſupplicium non incurrit, ſed de *divina gratiæ* largitate: niſi prædeſtinationem ad gloriam (de quâ illâ verbâ intelligit) eſſe veram gratiam? cum non alius ſenſus illorum verborum ſit ſecundum ejus ſuppoſitionem, niſi quod de divinæ prædeſtinationis, ſeu voluntatis gratificandi largitate, non incurrit idem ſupplicium. Et quid hæc alia ibidem relata Auguſtini verba ſignificant ſecundum eum? *Sola gratia* redemptos diſcernit a perditis, quos in unam perditionis concreverat maſſam ab origine ducta cauſa communis: niſi quod ſola prædeſtinatio, ſeu voluntas gratificandi, redemptos diſcernit! Ubi gratia & prædeſtinatio, pro uno & eodem ſumuntur à Petavio. Non enim per iſtam gratiam, poteſt intelligere effectum ipſum illius prædeſtinationis, de qua hæc verba interpretatur, ſcilicet collationem gloriæ, cum certum de fide ſit, non ſolam iſtam collationem; ſed etiam merita diſcernere redemptos iſtos à perditis: ergo neceſſario intelligit prædeſtinationem ipſam, ſeu voluntatem gratificandi, & per hoc fatetur Auguſtinum vocaſſe prædeſtinationem & voluntatem iſtam, gratiam. Sed & ipſe fatetur, imo & contendit cap. 8. n. 8. Auguſtinum cùm de prædeſtinatione ad ſalutem, ac vitam loquitur, eam vocare gratuitam gratiam, & gratuitum miſericordiæ donum. Quid ergo nobis obtendit Petavius duos textus Auguſtini, ubi neglexit Auguſtinus vocare prædeſtinationem gratiam, quaſi videlicet propter hoc, non ita vellet eam appellari: cum in tam multis aliis locis ſecundum ipſum Petavium, & gratiam, & gratuitum miſericordiæ donum eam appellarit: Cùm ergo ſecundum ipſum Petavium, prædeſtinationem ipſam, gratiam Auguſtinus eſſe putaverit, & ita eam vocaverit; quæritur, cur in prædicta difficultate in qua quærebatur, cur Apoſtolus Paulus vocet gloriam gratiam, non reſpondit, ideo eam ſic dici, quia orta erat à gratia, nempe à gratia prædeſtinationis, ſeu à prædeſtinatione gratuita. Reſpondet, & dicit quod appellatio ipſa gratiæ, non tam ex natura conditioneque cauſſæ, ſeu propoſiti ipſius, ac voluntatis petitur, quam ex modo & ratione conferendi. Æterna gloria ſi ad electionem ipſam, ac prædeſtinationem ipſam, cujus in Deo cauſa eſt nulla, etiam ut vocant, objectiva referatur, gratia gratuita, & eſt, & appellari poteſt. Sin ita conſideretur, ut ab eodem Deo, illa ipſa prædeſtinatione tribuenda decernitur, ac reipſa in tempore aliquando dabitur, gratia non eſt abſolute, ſive gratuita; ſed gratia pro gratia. At Auguſtinus, inquit, poſterioris hujus, quod in objecto, & effecto ipſo cernitur, rationem habuit, non prioris: unde gratiam ſimpliciter negavit eſſe gloriam.

Lib. 9. c. 6. n. 8.

In eodem libro.

Reſpondeo, hanc rationem non ſatisfacere: non enim quærebat Au-

guſtinus, cur gloria ſit abſolute & ſimpliciter gratia; ſciebat enim hoc eſſe falſum, & proinde non fuiſſe ſenſum Apoſtoli, vocantis gloriam gratiam; ſed tantum quærebat ſub qua ratione, gloria licet eſſet merces, & corona, tamen aliquo modo poſſet dici gratia: Cùm ergo fateatur Petavius, ſub ea ratione qua reſpicit prædeſtinationem ut cauſam, & eſſe, & poſſe appellari gratiam gratuitam, quæritur cur non id dixit Auguſtinus, cum tam prona, & facilis, & idonea videretur iſta reſponſio: Nec enim dici poteſt quod tunc hujus reſponſionis non meminit, cùm in illis ipſis locis ſecundum Petavium defenderet contra Pelagianos iſtam prædeſtinationem, ut mere gratuitam, & in hac ipſa defenſione poterat adjuvari, ex illo ipſo loco Apoſt. ubi vocabatur ipſa gloria gratia: quod poterat tribuere ipſius prædeſtinationi: Et ſic probare illam eſſe mere gratuitam: Quis ergo præſumat tam ſolertem & circumſpectũ Doctorem, qualis erat Auguſt. neglecturum hanc reſponſionem ſibi tam favorabilem, ſi vera eſſet? Nam quod dicit Petavius appellationem ipſam gratiæ, non tam ex natura, conditioneque cauſæ peti; quam ex modo, & ratione conferendi, mere gratis dicitur. Item, & quod dicit Auguſt. habuiſſe potius rationem modi iſtius quo gloria confertur, quam voluntatis mere gratuitæ, quo ipſa prædeſtinatur mere voluntarie dicitur, & ſine probatione aſſeritur. Imo vero ipſi Auguſtino adverſatur, cum ipſe in reddenda ratione denominationis gratiæ in gloria aſſignatæ, recurrat ad modum quo datur, ſcilicet ad merita, ut ex gratia profecta, qui eſt modus ſecundum adverſarios quo Deus exequitur ſuum decretum gratuitum de ſalvandis prædeſtinatis: & in ſua reſponſione nihil aliud probat, niſi gloriam eſſe gratiam pro gratia, quod putabat Petavius eſſe contrarium gratuitati gloriæ, ut patet ex ſupra allatis illius verbis; ſed non ſic putavit Auguſtinus, cùm totam gratuitatem gloriæ, repetat à modo illo, quo eſt gratia pro gratia, ut patet ex his verbis: *Sine ulla* dubitatione confitendum eſt, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini. Recte quippe ipſa intelligitur quæ in Euangelio legitur, *gratia pro gratia*, id eſt pro his meritis quæ contulit gratia. Tantum ergo abeſt, quod modus ille impedierit Auguſtinum, ne vocaret gloriam gratiam, quin potius ab eo gratuitatem illius ſumpſit, & ab eo vocavit illam, gratiam: quod ſi putaſſet modum illum eſſe gratuitati illius contrarium, non debebat recurrere ad illum; ſed ad cauſam illius, ſcilicet prædeſtinationem illius, ſeu voluntatem gratificandi (in qua ſecundum adverſarios nihil eſt non gratuitum) quod non fecit. Ex quo concludendum eſt, quod non ideo neglexit Auguſtinus ad probandam gratuitatem gloriæ, recurrere ad prædeſtinationem ipſius, ob hoc quod impediretur à modo quo confertur, qui non eſt mere gratuitus: ſed ideo quia non putavit illam prædeſtinationem eſſe mere gratuitam, ſicut autumabat Petavius; ſed ex prævisis gratiæ meritis factam, & cauſſatam, & ideo totam gloriæ gratuitatem, eſſe ab illis meritis repetendam, ut à quibus ſolis, ut pote per gratiam

Lib. de corr. & gr. c. 13.

datis, poſſet in gloriam, per hæc acquiſitam, & propter hæc etiam prædeſtinatam, aliquid gratuitatis redundare, & ſic aliquo modo gratiam denominari, ut volebat Apoſtolus: quod ſatis aperte innuit Auguſtinus in illos ipſo textu, quem ibi citavit Petavius, & per quem nos id probavimus in argumento 15. ex Auguſtino: ubi dicit Auguſtinus: Si vita æterna bonis operibus redditur, ſicut apertiſſime dicit Scriptura [Quoniam Deus reddet unicuique ſecundum opera ejus] quomodo gratia eſt vita æterna, cum gratia non operibus reddatur; ſed gratis detur? Illa ergo quæſtio, *nullo modo mihi videtur poſſe diſſolvi*, *niſi* intelligamus, & ipſa bona opera noſtra, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere. Ubi clare indicat non ſolum ab his meritis poſſe iſtam gratuitatem repeti; ſed etiam non poſſe aliunde repeti, quam ab illis, quod vere dicere non potuiſſet, ſi putaſſet, ut vult Petavius, prædeſtinationem gloriæ eſſe mere gratuitam, cum ad illam recurrrere potuiſſet ad demonſtrandum gratuitatem gloriæ: quandoquidem ipſe fatetur Petavius, quod ſi gloria referatur ad electionem, & prædeſtinationem ſuam, cujus in Deo cauſſa eſt nulla, ut vocant objectiva, *gratuita gratia, & eſt, & appellari poteſt.* Cùm ergo in perſcrutanda gloriæ gratuitate, ad hanc cauſſam, ſeu prædeſtinationem, non ſolùm non recurrerit; ſed nec ad eam recurri poſſe judicaverit, cùm omnem aliam præter merita gratiæ, excluſerit, ut ex dictis manifeſtum eſt: Sequitur quod non putavit illam eſſe mere gratuitam; ſed ex prævisis antecedentibus meritis factam, & cauſſatam, & proinde quod in indaganda ejus opinione. valde Petavius erraverit: quod tamen pace tanti viri dictum velim, ſalvoque in cæteris, honore illi debito, qui forte multis aliis lectionibus occupatus, huic Auguſtinianæ, quæ totum hominem poſtulat, non omnino potuit, quantum ſatis erat, incumbere.

PARAGRAPHVS DECIMVS SEPTIMVS.

Decimanona proponitur & ſolvitur Object. petita ex authoritate Fulgentii Auguſtini Diſcipuli.

DECIMUMNONUM argumentum ſumitur ex Fulgentio Auguſtini Diſcipulo, ex quo nobis objiciuntur duo textus.

PUNCTUM PRIMUM.

Primus textus exponitur.

PRIMUS textus eſt lib. 1. ad Monimum cap. 13. ubi aït: Deum quos prædeſtinavit ad gloriam, eoſdem prædeſtinaſſe ad juſtitiam.

†Nota ibi comparationem nõ fieri inter prædeſtinationem & ejus executionem, ut intendit object. quaſi ſenſus eſſet quod eorum procurat Deus ſalutem, quos mere voluntarie prædeſtinavit ad illam: Sed comparatio fit inter prædeſtinationem, & reprobationem, ut patet ex textu integro à nobis allato: Et ſenſus eſt quod ad reprobationẽ non cõcurrit Deus, cùm illa ſit ex noſtris peccatis totaliter ex nobis exiſtẽtibus; ad prædeſt. autem noſtram concurrit, cum ſit ex operibus ad quæ ipſe concurrit per prævenientem, & præexcitantem ſuã gratiam: & ſic multum debemus grati eſſe Deo, pro

Reſpondeo, D. Fulgentium nolle ibi dicere quod Deus prædeſtinavit prius ad vitam, quam ad juſtitiam, cum nullum ibi ſit comparativum, ex quo deducatur iſta prioritas: ſed velle dicere quod electos non ſolum prædeſtinavit ad vitam; ſed etiam ad juſtitiam: Reprobos autem prædeſtinavit ad pœnam; ſed non etiam ad culpam, quam directe non vult Deus, ut vult juſtitiam hominum; ſed tantum indirecte, conſequenter, & præſuppoſitive: † Inſtituit enim ibi Fulgentius comparationem, inter prædeſtinationem, & reprobationem hoc modo. Potuit, inquit, (ſcilicet Deus) ſicut voluit, prædeſtinare quoſdam ad gloriam, & quoſdam ad pœnam; ſed quos prædeſtinavit ad gloriam, prædeſtinavit ad juſtitiam; quos autem prædeſtinavit ad pœnam, non prædeſtinavit ad culpam. Poſſet enim peccatum aliquod ex prædeſtinatione Dei eſſe, ſi poſſet aliquis hominum juſte peccare, nullus autem hominum juſte peccat. Hæc ibi Fulgentius. Ubi nihil aliud innuit niſi quod Deus nos prædeſtinat ad juſtitiam, impertiendo gratiam excitantem, & adjuvantem, non autem ſic ad culpam, cum ad eam non excitet, nec moveat; ſed è contra ab ea deterreat per comminationem pœnarum æternarum, & temporalium. Ubi & notandum quod ᵃ Auguſtinus, & illius Diſcipuli per prædeſtinationem, principaliter intelligebant gratiam excitantem, ſeu auxilium efficax, ſuadens, & movens ad actum: per quod auxilium dicebant Deum maxime illum actum facere, & eſſe authorem illius: Unde cum ad malum non indigeamus iſta excitatione, & motione, quandoquidem per noſipſos nimis ſumus ad illud proclives, & propenſi, negabant nos ad illud prædeſtinari; ſed ſolùm præſciri: Unde eſt illud Auguſtini libro de prædeſt. Sanct. cap. 10. Prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit quæ fuerat ipſe facturus: præſcire autem potens eſt, etiam quæ ipſe non facit, ſicut quæcumque peccata. Et hinc etiam eſt quod dicunt ſæpenumerò nos non niſi ad malum valere, ad hoc ſolùm ſufficientes eſſe: quod aliqui perperam interpretantes dicunt eos per hoc voluiſſe innuere, Quod poſſemus peccare, in eo quod non poſſemus evitare, etiamſi Deus nullam dediſſet gratiam ad non peccandum: quod eſt falſiſſimum & abſurdiſſimum, & à mente Auguſtini & Diſcipulorum ejus alieniſſimum: Sed verus ſenſus verborum eſt quod non indigemus aliquo excitante, movente, adhortante, ſuadente, auxiliante, & per hoc prædeſtinante ad malum, cùm ad illud nimis parati ſimus; ad bonum autem cum non ſic parati ſimus, imo vero ſimus averſi, ideo indigemus gratia excitante, & adjuvante, & per hoc prædeſtinante ad bonum, per quam præparetur voluntas à Domino, ut communiſſime dicunt Auguſtinus, & illius Diſcipuli.

Sed redeundo ad textum, dico quod etiamſi ſolùm haberemus rationem verborum illius: Non innuunt Deum potius voluiſſe gloriam prædeſtinatis, quam juſtitiam; ſed tantum innuunt individuam ſocietatem prædeſtinationis ad gloriam cum prædeſtinatione ad gratiam, ſeu juſtitiam: ita quod nemo prædeſtinetur ad vitam, ſeu gloriam, qui non prædeſtinetur

prædeſtinetur ad gratiam,ſeu juſtitiam. Sicut ſi quis diceret: Quos Deus facit riſibiles, facit rationales: non enim per hoc vellet dicere, quod Deus prius facit homines riſibiles, quam rationales, quod eſſet abſurdiſſimum: Sed quod nullos facit riſibiles, quos non faciat, aut fecerit rationales; ita etiam in propoſito: cùm dicitur quos Deus prædeſtinavit ad vitam, eoſdem prædeſtinavit ad juſtitiam: Senſus eſt, quod nullum Deus prædeſtinat ad vitam, quem non prædeſtinet ad juſtitiam: Qui ſenſus non magis indicat prædeſtinationem ad gloriam eſſe cauſam prædeſtinationis ad juſtitiam, ſeu juſtitiæ ipſius, quam è contra: Sed tantum indicat individuam ſocietatem, quæ eſt inter utramque, ſcilicet inter prædeſtinationem ad vitam, & prædeſtinationem ad juſtitiam, ſeu juſtitiam ipſam perſeverantem.

noſtra prædeſtinatione, cum ab eo & à nobis ſit: non vero conqueri de eo pro noſtra reprobatione, cũ tota & totaliter ex nobis ſit.

**Nota valde hunc modũ loquendi Auguſt. & Diſcipulorum ejus.*

Secundus Fulgentii textus eſt ex lib. de fide ad Petr. c. 3. ubi reſpiciens ad locum Apoſt. ad Rom. 8. aït: Illi cum Chriſto regnabunt, quos Deus gratuita ſua bonitate prædeſtinavit ad Regnum: quia enim tales prædeſtinando præparavit, ut Regno digni eſſent: Præparavit utique ſecundum propoſitum vocandos, ut obediant: præparavit juſtificandos, ut accepta gratia recte credant, & bene vivant: præparavit etiam glorificandos, ut Chriſti heredes effecti Regnum cælorum ſine fine poſſideant.

Reſpondeo, Fulgentium ibi ſolum velle dicere, quod ii qui regnabunt cum Chriſto, habebunt Regnum illud ex meritis gratiæ, & non ex meritis naturæ. Quod peremptorie oſtenditur ex immediate conſequentibus verbis, ubi brevi repetit id quod ibi diffuſe diſſeruerat, dicens: Ad quod Regnum (ſcilicet cælorum quod prius ita nominaverat) diverſis temporibus per Sacramenta, quæ ad fidem Incarnationis ſuæ Chriſtus inſtituit, illi pervenerunt quos Deus *gratis, nullo bonæ voluntatis, vel boni operis merito præcedente, ſalvavit.* Numquid illos ita gratis ſalvavit, ut nulla omnino merita habuerint? Certe hoc falſum eſt: nam cum ibi ſermo ſit de executione, ſeu de collatione gloriæ (ut patet per hæc verba ſalvavit, & pervenerunt, quæ ſignificant executionem) quæ executio ſeu collatio gloriæ ſecundum fidem Catholicam non fit ſine meritis, ideo cum ibi dicit Fulgentius, gratis & ſine merito voluntatis & operis, ſalvavit, intelligit ſolùm, & ſolùm excludit meritum naturæ, & arbitrii, & non meritum gratiæ. Et ſic cum ſuperius dixit: Quos Deus gratuita ſua bonitate prædeſtinavit ad Regnum: eo modo illa verba intellexit quomodo & iſta: Quos Deus gratis, nullo bonæ voluntatis, vel boni operis merito præcedente ſalvavit: ſcilicet per illa ſolùm excludens meritum naturæ, & non gratiæ. Et ſic ille textus non eſt contra nos, ſed ſolùm contra Pelagianos & Semipelagianos, qui aſtruebant meritum naturæ, & nolebant meritum gratiæ, quod nos cum Auguſtino & veris illius Diſcipulis admittimus, & profitemur. Certe rationabiliter non dici poteſt quod ibi ſit aliquid contra prædeſtinationem ex meritis gratiæ, cùm non dicat ibi Fulgentius, *mere* gratuita bonitate; ſed tantum, gratuita boni-

tate ; per quod ſolent Auguſtinus & illius Diſcipuli ſolùm rejicere merita naturæ, & non merita gratiæ, ut ſatis compertum eſt iis qui legerunt Auguſtinum, Fulgentium & Proſperum, cum contra ſola merita naturæ, & arbitrii illi agerent, & non contra merita gratiæ, quæ potius ſtatuebant, & inculcare volebant contra falſa merita naturæ, & arbitrii: Unde D. Auguſtinus explicans illa verba Apoſtoli: [Gratia autem vita æterna] non rejicit ab ea omnia merita ; ſed ſolùm merita naturæ, & admittit ibi merita gratiæ, propter quæ vult etiam ipſam gloriam eſſe gratuitam & gratiam, dicens: Ideo gratiam vitam æternam vocari, quia iis meritis *redditur*, quæ *gratia* contulit homini.

Sed & audiamus ipſum Fulgentium alibi ſe explicantem libro ſcilicet 1. ad Monimum cap. 10. ubi loquens de illo loco Matthæi 25. Venite benedicti Patris mei, &c. quem locum adverſarii noſtri volunt omnino intelligi de collatione gloriæ, ſeu de prædeſtinatione ad gloriam ſecundum executionem, quam debent tenere cum omnibus Catholicis, eſſe ex prævisis meritis ; ſic ait: Ipſe quippe Chriſtus, dicturum ſe dextris oſtendit [Venite benedicti Patris mei percipite Regnum quod vobis paratum eſt ab initio mundi] ſed & hoc ipſum *opus eſt gratia. Ex gratia* enim *datur* non ſolum juſtificatis vita bona ; ſed etiam *glorificatis vita æterna.* Et infra: Hæc autem *utraque gratia*, id eſt vita bona, & vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro eſt. De plenitudine quippe ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, ſcilicet *gratiam glorificationis æternæ*, pro gratia juſtificationis indebitæ, ut gratia juſtificationis, omne meritum malum deleat indebito beneficio, & *meritum bonum* (ibi vides meritum bonum, ſeu gratiæ, cum *gratia, aut gratuitate*) jugi confirmet auxilio, cui *gratia glorificationis juſta* (ibi etiam vides juſtitiam cum gratia) reddatur in præmio. *Gratia* autem etiam ipſa (ſcilicet gloria, ſeu collatio gloriæ) ideo non injuſte dicitur, quia non ſolum donis ſuis Deus dona ſua reddit (quæ eſt ratio Auguſtini) ſed quia tantum etiam ibi *gratia* divina retributionis exuberat, ut incomparabiliter, atque ineffabiliter omne *meritum* (ergo etiam eſt ibi meritum) quamvis bonæ voluntatis, atque operationis excedat. Et infra : *Hanc gratiam* non ſolum in præſentis vitæ juſtificatione ; ſed etiam in futuri ſæculi *remuneratione*, dicit *gratiam permanere.* Et adhuc infra : Gratia eſt illa juſta retributio, qua bonis ſuis meliora *retribuens* Deus, *glorificaturus* eſt juſtos: & hoc enim *opus gratiæ* erit. Quia ut hoc mereantur ipſa præveniendo miſericorditer incipit, ipſa ſubſequendo cuſtodit. Ubi vides ea omnia explicata quæ ſunt in objectione, ſcilicet : Quomodo prædeſtinatio ad gloriam, imo vero quod majus eſt, ipſa collatio gloriæ, ſit gratia, licet meritis, & ex juſtitia reddatur : & quomodo gratia juſtificationis ordinetur ad gratiam glorificationis, quæ ſunt duæ partes textus in objectione allati. In prima enim parte illius vides prædeſtinationem ad gloriam eſſe gratuitam, ſeu gratiam propter merita gratiæ prævisa, ex quibus eſt : dicitur enim ibi : Illi cum Chriſto regnabunt,

quos Deus (non *mere* gratuita, quo pacto excluderet omnia merita, ſed tantum) gratuita ſua bonitate (quo pacto ſolùm excludit merita naturæ, & non gratiæ, quæ & ipſa ſunt gratiæ) prædeſtinavit ad Regnum.

In ſecunda vero parte vides prædeſtinationem ad gratiam, ſeu gratiam ipſam juſtificationis, ordinari ad prædeſtinationem gloriæ, ſeu ad glorificationem noſtram. Dicitur enim ibi: tales enim prædeſtinando (non ad gloriam de qua prædeſtinatione mox locutus eſt; ſed ad gratiam, de qua prædeſtinatione jam nunc loquitur: nam ut diximus de Auguſtino, ita & dicendum eſt de Diſcipulis ejus, ſcilicet quod ubi loquuntur ſimpliciter de prædeſtinatione, non addendo Regnum, aut vitam æternam, aut aliquid ejuſmodi, ſemper intelligendi ſunt de prædeſtinatione ad gratiam, cum illa eſſet prædeſtinatio, de qua diſputabant cum adverſariis, & quam totis viribus in ſcriptis ſuis commendabant: Tales ergo, inquit, prædeſtinando ad gratiam, ſeu per prædeſtinationem ad gratiam) præparavit, ut Regno digni eſſent, & cætera quæ ſequuntur uſque ad hæc verba, ut Chriſti heredes effecti, Regnum cælorum ſine fine poſſideant: per quæ indicatur quod illa poſſeſſio, ſeu noſtra glorificatio ibi ponitur finis juſtificationis noſtræ, ſeu prædeſtinationis ad gratiam, ut in prædicto textu ad Monimum, quem textum diximus eſſe huic noſtro ſimilem. Et ſic nihil aliud ibi eſt, quam commendatio gratiæ, prout reperitur in prædeſtinatione, ſive ad gloriam, ſive ad ipſam gratiam: ad ipſam quidem gratiam, immediate cum ratio gratuiti ei immediate conveniat: ad gloriam vero mediate, quia ratio gratuiti ei ſolùm convenit ratione gratiæ, quæ concurrit ad merita ob quæ prædeſtinatur, & conceditur nobis gloria.

Et ſic nihil ibi eſt contra prædeſtinationem ad gloriam ex meritis gratiæ, quæ ſola defendimus; ſed tantum contra merita naturæ, quæ cum Auguſtino & illius Diſcipulis toto corde deteſtamur, & rejicimus.

PARAGRAPHVS DECIMVS OCTAVVS.

Proponitur & ſolviturObject. vigeſima, ex authoritate S. Proſperi alterius D. Auguſtini Diſcipuli petita.

VIGESIMUM argumentum ſumitur ex Proſpero D. Auguſtini Diſcipulo, ex quo duos textus citant, licet non adducant adverſarii.

Primus textus ſumitur ex ejus reſponſionibus, pro Auguſtino cap. 7. ubi, inquiunt hanc electionem ad gloriam, vocat præordinationem, ex qua manat perſeverantiæ donum.

Reſpondeo, me ſæpius & accuratiſſime legiſſe illam reſponſionem,

nec quicquam ejuſmodi reperiſſe: nec enim ibi loquitur D. Proſper de eo, à quo manat perſeverantiæ donum; ſed de eo à quo manat non perſeverantia, quam aït eſſe à malitia hominum præſcita,& præcognita: & tantum ibi vult removere errorem Pelagianorum, qui attribuebant perſeverantiam, & non perſeverantiam libero hominis arbitrio: At ipſe contra aſſerit, quod licet non perſeverantia ſit à libero arbitrio. Ipſa tamen perſeverantia non eſt à libero hominis arbitrio, ut patet ex his verbis: Ne quemadmodum, inquit, ex libero arbitrio oritur cauſa labendi, (& per hoc non perſeverandi) ita & ex ipſo videatur, & ſtandi: cùm illud humano fiat opere (Deo ſcilicet ad illud non excitante, nec prædeſtinante) hic divino impleatur ex munere.

Verum tamen eſt quod in medio reſponſionis habet hæc verba, ſuper quæ forte fundata eſt Objectio: Quomodo, inquit, eos (ſcilicet non perſeverantes, de quibus loquebatur) haberet præordinata in Chriſto electio, cum dubium non ſit, donum Dei eſſe perſeverantiam in bono uſque in finem, quam iſtos, ex eo ipſo quod non perſeveraverunt, non habuiſſe manifeſtum eſt. Sed hæc verba non indicant perſeverantiam manare à prædeſtinatione ad gloriam, cum ibi nullum ſit verbum de gloria, aut de præordinatione ad illam; ſed tantum de præordinatione ad perſeverantiam: Et ſenſus illius textus eſt, quod cum illi qui non perſeveraverunt, donum perſeverantiæ non habuerunt, ſequitur quod ad illam prædeſtinati non ſunt: Nam cum illa perſeverantia donum Dei ſit, non potuerunt illam accepiſſe niſi prædeſtinata illis fuiſſet perſeverantia, juxta illud quod toties Auguſtinus & Diſcipuli ejus inculcant: ſcilicet quod Deus prædeſtinat illa quæ facturus eſt: unde cum Deus perſeverantiam non fecit in eis, ſeu non dedit eis, ideo infert Proſper quod Deus non prædeſtinarat eos ad illam: Ubi nihil de prædeſtinatione ad gloriam; ſed tantum de prædeſtinatione ad gratiam, ſeu donum perſeverantiæ.

Quod etiam confirmant hæc verba ſequentia, ſcilicet non eſt calumniandum Deo, quare iſtis non dederit, quod aliis dedit (ſcilicet perſeverantiam) ſed confitendum eſt, & miſericorditer eum dediſſe, quod dedit: & *juſte* non dediſſe, quod non dedit: Ne quemadmodum ex libero arbitrio oritur cauſa labendi, ita & ex ipſo videatur & ſtandi: cum illud humano fiat opere, hoc divino impleatur ex munere. Ubi totum quicquid ibi agitur eſt de prædeſtinatione ad gratiam, ſeu donum perſeverantiæ: non vero de prædeſtinatione ad gloriam: Tantum autem abeſt, ut D. Proſper attribuat ibi perſeverantiam prædeſtinationi ad gloriam: ſeu quod, ut aïunt adverſarii, dicat prædeſtinationem ad gloriam, eſſe id ex quo manat perſeverantiæ donum, quin potius habet ibi aliqua, quibus aperte negat prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante prævifa merita, proindeque eſſe cauſam perſeverantiæ, ſeu ut utar adverſariorum verbis, eſſe id ex quo manat perſeverantia: Aït enim D. Proſper in illo capite: Quod quia illos (ſcilicet non perſeverãtes) cuituro

propria voluntate *præſcivit*, *ob hoc* à filiis perditionis nulla prædeſtinatione diſcrevit: Ex quo neceſſario ſequitur quod Deus præſcivit eorum opera, antequam faceret prædeſtinationem hominum ad gloriam, cum dicat D. Proſper quod cauſa cur eos non prædeſtinavit, ea fuerit quod præſcivit eorum demerita, ſeu peccata: ex quo manifeſtum eſt, quod oportuit eum prius ſcire eorum merita mala; & per conſequens eorum opera antequam ſtatueret, an eos prædeſtinaret, an non: cùm ſi jam prædeſtinatio facta eſſet, notitia iſtorum operum non poſſet dici cauſa cur eos non prædeſtinaſſet, cùm jam ſtatutum eſſet de prædeſtinatione, quicquid de ea ſtatuendum eſſet: Unde & ſequitur quod ſecundum Proſperum prædeſtinatio ad gloriam non eſt cauſa meritorum, & perſeverantiæ, ſeu quod idem eſt, non eſt id ex quo manat donum perſeverantiæ, proüt falsò inferebant adverſarii ex illo loco Proſperi, cùm potius ibi ſatis idem Proſper innuat, ipſa bona opera uſque ad finem vitæ perſeverantia eſſe cauſam prædeſtinationis ad gloriam.

Et certe male ibi defenderet Proſper Auguſtinum, utendo illa doctrina, quæ vult perſeverantiam manare, & fluere à prædeſtinatione ad gloriam: cùm toties Auguſtinus fateatur contra illam doctrinam ſe neſcire cauſam perſeverantiæ, ſeu quod idem eſt, cur hic perſeveret, ille non perſeveret: Quod ſane incompoſſibile eſt, cum eo quod crederet perſeverantiam illam eſſe, ſeu manare & fluere à prædeſtinatione ad gloriam: cùm ſic cauſam illius ſciret & poſſet dicere, quod hic perſeverat, quia eſt prædeſtinatus ad gloriam; ille non perſeverat, quia non eſt prædeſtinatus ad gloriam: cùm ea eſſet cauſa à priori talis effectus: Cùm ergo illam doctrinam negaret Auguſtinus, non poterat per illam recte defendi, & ſic non eſt veriſimile quod de ea ibi Proſper loquatur, & afferat illam ad defenſionem Auguſtini, de qua ſolùm ibi agebat.

Præterea, ſi prædicta verba intelligerentur de prædeſtinatione ad gloriam mere voluntaria, & ut cauſa perſeverantiæ, aut non perſeverantiæ, non ſolveret Proſper objectionem contra Auguſtinum factam: Sed eam potius admitteret, & ſuccumberet difficultati: Nam ibi objiciebatur ei ſecundum ſenſum iſtum, quod Auguſtinus diceret: Iis qui non perſeverant, ob hoc perſeverantiam à Deo negari, quod non eſſent prædeſtinati ad ſalutem æternam: Si autem reſponſio Proſperi ſumeretur in ſenſu adverſariorum: illud omnino Proſper admitteret: Senſus enim adverſariorum eſt quod iis ſolis, quos Deus mere voluntarie prædeſtinavit ad vitam, Deus dat perſeverantiam, quia prædeſtinavit eos ad vitam: & è contra quod iis, quos mere voluntarie, & ante præviſa eorum peccata noluit prædeſtinare ad vitam, ob hoc negavit perſeverantiam, quia non prædeſtinavit eos ad vitam: quod eſt illud idem quod objiciebatur Proſpero contra Auguſtinum: Ergo illud admitteret: ergo ita ſuccumberet difficultati, quod nimis eſſet abſurdum, & contra mentem ipſius Proſperi, qui clare dicit & profitetur in hac ipſa reſponſione,

Vide D. Fulgentium l. 1. ad Monim. §. Neque vero ſicut, &c. Vide etiam quæ dixi ad Argumentũ 8. ex Auguſt. ſub finem.

non perſeverantiam non manare à Deo, ſed ab homine: ſi autem admitteret, eam manare à prædeſtinatione, vel non prædeſtinatione ad gloriam, clare fateretur ipſam manare à Deo, qui ſolus eſt author iſtius prædeſtinationis mere Deo voluntariæ in ſententia adverſariorum, & ita ſibi contradiceret, quod vere dici non poteſt: Quapropter concludendum eſt quod hic locus non eſt de prædeſtinatione ad gloriam ante præviſa merita, ſeu ut cauſa perſeverantiæ, proüt volunt adverſarii: ſed vel eſſe de prædeſtinatione ad perſeverantiam, proüt ſupra explicuimus, vel ſi de prædeſtinatione ad gloriam, eſſe de illa proüt facta eſt poſt præviſa merita: quod ſane longe melius congrueret quam oppoſita interpretatio toti Proſperi reſponſioni, in qua præcipue contendit ipſam non perſeverantiam hominis non debere Deo tribui; ſed negligentiæ, vel malitiæ hominis: tunc enim ſenſus ſupradictorum verborum eſſet, quod ideo eos (ſcilicet non perſeverantes) non haberet electio Dei ad gloriam (de qua electione immediate ante locutus fuerat, ut facta poſt præviſa merita, proüt ſupra notavimus) Quod ideo, inquam, eos non perſeverantes non haberet electio illa ad gloriam, quia eos præviderat Deus ex ſua culpa, & negligentia non perſeveraturos, ſeu donum illud perſeverantiæ in finem propter perverſitatem ſuam non eſſe conſecuturos: qui ſenſus optimè concordat cum antecedentibus & conſequentibus, & proinde cum tota reſponſione Proſperi, in qua nihil aliud prætendit quam oſtendere, quod non perſeverantia hominum non eſt tribuenda Deo, nec prædeſtinationi illius; ſed hominum negligentiæ & perverſitati; quod recte convenit noſtræ de prædeſtinatione poſt præviſa merita ſententiæ. Et ſic nihil ibi eſt contra prædeſtinationem illam quam defendimus, imo vero multa pro illa.

Alter Proſperi textus eſt, tota illius Epiſtola ad Auguſtinum quæ eſt ante librum de prædeſtinatione Sanctorum, quam volunt eſſe contra nos: Sed

Reſpondeo, illam Epiſtolam non agere de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, de qua ſola agimus: cum tantum referat errores Semipelagianorum, qui numquam diſputarunt de prædeſtinatione ad gloriam ſolam; ſed tantum de prædeſtinatione ad gratiam primæ fidei, & perſeverantię in bono uſque in finem: Et ſic ea quæ ibi tractantur non pertinent ad nos, qui de prædeſtinatione ad gratiam ſive ſolam, ſive cum gloria conjunctam non agimus, proüt ſæpe ſupra proteſtati ſumus.

†
I H S.

PARAGRAPHVS DECIMVSNONVS.

Duæ ſequentes proponuntur & ſolvuntur Objectiones, ſcilicet 21. ex autheritate D. Bernardi petita, & 22. ex D. Leone.

VIGESIMUM PRIMUM argumentum ſumitur ex Bernardo egregio Auguſtini ſectatore: In Serm. de illis verbis Sapientiæ: Juſtum deduxit Dominus, &c. qui eſt Sermo 21. de diverſis breviſſimus, ubi habet hæc verba: Regnum Dei conceditur, promittitur, oſtenditur, percipitur: conceditur in prædeſtinatione: promittitur in vocatione: oſtenditur in juſtificatione: percipitur in glorificatione. Cum ergo dicat quod Regnum cæleſte conceditur in prædeſtinatione, per hoc vult dicere quod prædeſtinatio ad gloriam eſt mere gratuita, & ſine præviſione meritorum hominum.

Reſpondeo primò, prædeſtinationem ad gloriam dici poſſe mere gratuitam radicaliter, in quantum Deus mere gratis & voluntarie propoſuit hominibus vitam æternam per merita ſua acquirendam: cum potuiſſet, ſi voluiſſet, illos omnes relinquere in maſſa perditionis, nec ullum eorum aſſumere ad Regnum cælorum: Sed non loquitur ibi Bernardus de mere gratuito; ſed tantum de gratuito. Unde

Reſpondeo ſecundò, poſſe dici Regnum cælorum dari gratis, & concedi in prædeſtinatione ſine præjudicio meritorum præviſorum: tum quia conceditur ex meritis gratiæ, & ſic aliquatenus eſt gratia, ut ſupra vidimus ex Auguſtino & Fulgentio: Tum quia longe ſuperat, & ſuperexcedit meritum ipſum gratiæ, ut dicit Fulgentius ſupra in ultimo textu ipſius, per quod etiam probat quod poteſt dici gratia.

Reſpondeo tertiò, verbum illud, concedo, eſſe verbum generale, vimque ſecundum naturam contractus, cui adjungitur accipere, proüt notat Baldus ad L. ambigitur, in fine ff. de Legibus: Et ſic de ſe non magis innuere contractum gratuitum, quam oneroſum; ſed aliunde id accipere debere. Unde prius probandum eſſet quod prædeſtinatio ad gloriam eſt mere gratuita, quam certò dicere quod ibi verbum, concedo, ſignificat conceſſionem mere gratuitam; cum ſit verbum generale, & ad gratuitum & non gratuitum indifferens: Et re vera non minus proprie, & recte dicitur aliquid concedi meritis alicujus, quam illius amicitiæ, & non minus juſtitiæ, quam gratiæ: quod patet hoc exemplo: Si enim Petrus commodaſſet Paulo centum nummos, & poſtea dediſſet ei damnum æquivalens, poſſet recte dicere Paulo: Concedo tibi centum nummos quos debes mihi, pro damno quod dedi tibi, & tunc ſine dubio conceſſio illa eſſet juſtitiæ, & non gratiæ: & videmus etiam in Scriptura ſacra verbum, concedo, aliquando uſurpari in his quæ debentur in ju-

ſtitia: ut 2. Mach. cap. 11. multoties ita uſurpatur & præcipue n. 24. ubi dicit Rex Anthiochus Judæos poſtulare à ſe concedi legitima ſua: id eſt ſecundum Vatablum jura ſua, quæ conceſſio, ut patet, non eſt gratiæ; ſed juſtitiæ: & ſic verbum illud, concedo, tam bene uſurpatur in non gratuitis, quam in gratuitis: imo vero verbum, concedo, videtur ex ſua ratione ſupponere aliquid prævium, quod invitet concedentem ad concedendum, ut v.g. petitionem aliquam, aut meritum, aut neceſſitatem aliquam præcognitam, cui ſatisfiat per illam conceſſionem: & communiter in Scholis conceduntur propoſitiones, quæ jure negari non poſſunt, ut cum major, aut minor propoſitio alicujus argumenti conceditur; quæ ita certa eſt, ut non poſſit negari: tunc enim gratis non conceditur; ſed ex debito, & tamen vere conceditur, ergo verbum concedo, non ſemper ſignificat id quod gratuitum eſt; ſed eſt generale reſpectu gratuiti, & non gratuiti: Et ſic cum Bernardus dicit quod Regnum Dei conceditur in prædeſtinatione, non vult dicere quod illa conceſſio ſit mere gratuita, niſi, ut dixi, radicaliter, ſed vult dicere quod aliquo modo eſt gratuita, & aliquo modo onerosa: onerosa quidem in quantum redditur, ſeu prædeſtinatur ob merita; ſed etiam gratuita, quia talibus meritis prædeſtinatur, quæ confert nobis gratia, in quo eſt vere gratuita, ſeu, ut ait Auguſtinus, gratia pro gratia. Certe ſi per hanc conceſſionem intellexiſſet Bernardus, quid mere gratuitum in prædeſtinatione, oppoſuiſſet illi meritum in glorificatione, dicendo: In glorificatione redditur, aut retribuitur, ſicut dixerat, quod in prædeſtinatione conceditur: ſed nihil habet ejuſmodi, ergo veriſimile eſt, quod nihil de tali mera gratuitate cogitavit, quam prætendit Objectio.

Græca νόμιμα, æqua, juſta, legitima, ſecundum leges & jura: unde & ſequitur: Volentes igitur & hãc Gentem extra turbationẽ eſſe, judicamus, & templum ipſis reſtitui. Quod eſt juſtitia, & non gratia, ut per ſe manifeſtum eſt.

Vigeſimum ſecundum argumentum ſumitur ex D. Leone Serm. 2. de Nativitate Domini, ubi ait: Opus fuit nobis ſecreti diſpenſatione conſilii Dei, ut incommutabilis Deus, cujus voluntas non poteſt ſua benignitate privari, primam pietatis ſuæ diſpoſitionem Sacramento occultiore compleret, & homo diabolicæ iniquitatis verſutia actus in culpam contra Dei propoſitum non periret. Unde inferunt adverſarii primam Dei diſpoſitionem; & primum propoſitum fuiſſe de ſalvando homine, ſecundum autem de mediis ad ſalutem. Imo & prædeſtinationem fuiſſe factam ante præſcientiam peccati Adæ.

Reſpondeo id non ſequi ex textu allegato: non enim ibi ſermo eſt de prædeſtinatione; ſed tantum de benigna Dei voluntate, ſeu de prima generali Dei voluntate circa ſalutem omnium, cui Deus videns obſtare peccatum Adæ, diabolicæ iniquitatis verſutia adinventum, & in omnes propagatum, per quod omnes perierant, & ut ſic incapaces erant illius ſalutis, ad quam acquirendã ſtatuerat eos creare, ſtatuit mittere filium ſuũ ad redimendum genus humanum, quam miſſionem vocat Sacramentum occultum; alludens ad illud Pauli ad Epheſ. 3. ubi vocat Incarnationem filii Dei, diſpenſationem Sacramenti abſconditi à ſæculis. Et hoc patet tum ex eo quod loquitur de homine ſalvando in genere, ſeu indefinite, & non

& non de ſolis prædeſtinatis, non de quibuſdam ſingularibus; ſed de homine in communi, quem nolebat perire generaliter: tum etiam ex eo quod loquitur de miſſione filii, ſeu de ejus Incarnatione, quæ ſpectat ad omnes homines generaliter, & non ad ſolos prædeſtinatos. Et ſic nihil ibi eſt contra nos, cùm nequidem ſermo ſit de prædeſtinatione; ſed de ſola filii Dei Incarnatione, & de ſalute noſtra in genere.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Vigeſima tertia proponitur & ſolvitur Objectio, ſumpta ex D. Gregorio Magno.

VIGESIMUM TERTIUM argumentum ſumitur ex D. Gregorio, libro 5. in 1. Regum cap. 14. ubi verſans illud Pauli 1. Timoth. 2. [Vult omnes ſalvos fieri] de prædeſtinatis exponit, eorumque prædeſtinationem vult primo & per ſe, eſſe ad vitam æternam, indeque habere, ut media certa, & infallibilia ad talem finem conſequendum præſtituat.

Reſpondeo, me locum citatum adiiſſe; ſed nihil in hunc ſenſum repeperiſſe: legendo autem loco citato ea quæ ſcripſit Gregorius in hunc verſiculum. Quocumque ſe vertebat, ſuperabat: reperi hæc verba, ſuper quæ videtur objiciens fundaſſe ſuam Objectionem: Omni creaturæ (Deus) Euangelium prædicare præcipit, quia omnia genera hominum duci ad fidem voluit, ut dum nobiles Regum ſuorum (id eſt Doctorum ſuorum) triumphos oſtenderet, eos ſuperare ubique monſtraret: unde ſcriptum eſt [Qui vult omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire] omnes quippe homines vult ſalvos fieri, quia de omni hominum genere, eligit quos ad gaudium æternæ ſalutis trahit. Hæc ſunt quæ reperi in illo loco. Ubi nihil video de prædeſtinatis, primo & per ſe ad vitam æternam, nec de mediis certis, & infallibilibus ad hunc finem conſequendum præſtitutis, ut vult Objectio: Sed nequidem puto ibi ſermonem eſſe de prædeſtinatione ad gloriam, ſed tantum de prædeſtinatione ad fidem, de qua ibi formaliter loquitur, ut patet ex his verbis: Quia omnia genera hominum duci ad fidem voluit: & in illo loco Apoſtoli, à Gregorio allegato, fit etiam mentio de eadem fide per hæc verba: Vult omnes... ad agnitionem veritatis venire. Nec obſtat quod infra dicit illos electos trahi ad gaudium ſalutis æternæ: Unuſquiſque enim trahitur ad illud gaudium, cum trahitur ad fidem, & ad gratiam juſtificantem, cùm utraque vocetur in Scripturis vita æterna, in quantum utraque conducit ad vitam æternam: Sic Joan. 3. dicitur: Qui credit in Filium habet vitam æternam: Ubi fides manifeſte ſumitur pro vita æterna. Et 1. Joan. 3. Omnis homicida, non habet vitam æternam

in ſe manentem: Ubi etiam vita æterna ſumitur pro gratia ſanctificante, quæ non remanet in homicidis. Et communiter illud verbum, trahi, ſumitur in materia prædeſtinationis & gratiæ, pro gratia efficaci ad fidem, & gratiam ſanctificantem. Sic Auguſtinus libro 1. ad Bonifac. cap. 3. Ille, inquit, trahitur ad Chriſtum, cui datur ut *credat* in Chriſtum: Datur ergo poteſtas, ut [Filii Dei fiant, qui *credunt* in eum] cum hoc ipſum datur, ut *credant* in eum. Et Tract. 26. in Joan. Si trahitur, inquit, aliquis, invitus venit; ſi invitus venit, non *credit*; ſi non *credit*, non venit: non enim ad Chriſtum ambulando currimus; ſed *credendo*. Et Tractatu 52. in Joan. Et [Ego] inquit [ſi exaltatus fuero omnia traham ad me] quæ omnia, niſi ex quibus ille (ſcilicet Princeps mundi) ejicitur foras, non autem dixit omnes; ſed omnia [non enim omnium eſt *fides*.] Ubi vides per tractionem intelligi fidem in Chriſtum. Et D. Proſper contra collatorem cap. 3. loquens de eo, quem Pater trahit ad Filium, ſic ait: Qui eum vocatum ad Filium trahit, non reſiſtentem, invitumque compellit; ſed ex invito volentem facit, & quibuſlibet modis *infidelitatem* reſiſtentis inclinat, ut cor audientis *obediendi* (id eſt credendi) in ſe delectatione generata, ibi ſurgat, ubi premebatur, &c. Ubi vides verbum, trahi, ſumi pro gratia efficaci ad fidem. Sic ergo D. Greg. videtur hic ſumpſiſſe illud verbum, trahit, pro gratia efficaci ad fidem, per quam poſtea perveniatur ad gloriam, ſeu ad gaudium ſalutis æternæ: Nam illud idem videtur voluiſſe ibi ſignificare, quod prius dixerat per hæc verbà, ſcilicet: quod omnia (Deus) genera hominum duci ad fidem voluit: Duci enim, & trahi, idem ſignificant in materia prædeſtinationis, & gratiæ: Et præterea cum hæc omnia ſint in eodem diſcurſu, & eâdem materiâ videntur eadem ſignificare: Loquebatur enim ibi Gregorius de modo quo Doctores, & Prædicatores adducunt, ſeu trahunt homines ad Deum: At illi non trahunt homines ad Deum, niſi trahendo illos ad fidem, qua mediante poſtmodum trahunt homines ad Deum, ſeu ad gaudia ſalutis æternæ, quæ in illo reconduntur: Ergo in utroque loco loquitur de eadem ductione, vel tractione ad fidem: ſed in primo manifeſte declarat ſenſum ſuum, loquendo de ipſa fide, ad quam ſive duci, ſive trahi homines volebat per prædicationem: In ſecundo vero illum minus clare indicat, loquendo de ſalute æterna, ad quam fides & gratia ordinantur, quæ in Scripturis vita æterna nominantur. Et ſic ibi tantum ſermo eſt de prædeſtinatione ad fidem, & ad gratiam ſanctificantem, non vero de prædeſtinatione ad gloriam.

Sed etſi ibi ſermo eſſet de prædeſtinatione ad gloriam: non tamen ibi apparet quod voluerit Gregorius illam prædeſtinationem eſſe primò, & per ſe ad vitam æternam, indeque habere, quod media certa & infallibilia ad talem finem conſequendum præſtituat, ut dicitur in Objectione: cùm nulla ibi cauſalis appareat, quæ indicet prædeſtinationem illam eſſe cauſam meritorum, ſeu præſtituere ſuis electis media infallibilia ad vitam æternam conſequendam. Fateor quidem ibi eſſe electionem quæ

apparet per hæc verba : De omni hominum genere eligit. Qualis autem ſit illa electio dixi & oſtendi eam eſſe ad fidem : Sed ponamus quod ſit ad gloriam. Fateor etiam ibi eſſe tractionem, ſeu eſſe gratias efficaces ad bonum, quæ apparent per hæc verba : Quos ad gaudium æternæ ſalutis trahit ; ſed non video ibi eſſe cauſalem, quæ indicet illam tractionem, factam eſſe propter illam electionem, ſeu factam eſſe propterea quod illi electi ſunt ad vitam æternam, ſeu ideo illos tractos eſſe ad gaudium ſalutis æternæ, quia Deus ad illud gaudium prius elegerat eos. Aliud enim eſt, Deum trahere quos eligit : & aliud eſt, Deum ideo eos trahere, quia eos elegit: cùm unum tantum determinet & ſpecificet eos, quos Deus trahit, ſcilicet electos. Alterum autem dicat etiam influxum electionis in tractionem eorum ; quod prius non dicebat. Unde nemo eſt qui dubitet de prima propoſitione : in omni enim ſententia certum eſt, quod Deus eligit quos trahit, cum nullatenus dubitari poſſit, quin datæ ſint gratiæ trahentes, ſeu efficaces, iis quos Deus elegit ; ſed valde controvertitur : an ideo datæ ſint illæ gratiæ trahentes, ſeu efficaces, quia electi ſunt : an vero è contra, ideo electi ſunt, quia illi habuerunt gratias trahentes, ſeu efficaces, quibus conſenſerunt : quod non determinat ibi Gregorius, nec proinde debuit objiciens determinare. Neque enim eſt alius ſenſus prædictorum verborum Gregorii, quam iſtorum Fulgentii : ſcilicet, Quos prædeſtinavit Deus ad gloriam, prædeſtinavit ad juſtitiam. Quæ ſupra explicuimus de individua ſocietate prædeſtinationis ad gloriam, cum prædeſtinatione ad juſtitiam perſeverantem : nam ut ſenſus horum verborum Fulgentii eſt, quod quos Deus prædeſtinavit ad gloriam, eoſdem prædeſtinavit ad juſtitiam ; ita ſenſus verborum Gregorii eſt, quod quos elegit Deus ad gloriam (ſi de illa electione loquatur) eoſdem traxit ad gaudia ſalutis æternæ : quod tantum indicat individuam ſocietatem electionis iſtius, cum illa tractione, non cauſalitatem illius in tractionem. Certe debebat objiciens conſiderare, quod non dixit Gregorius, Quod Deus eligit quos trahat ad gloriam ; quo pacto videretur indicare illam tractionem eſſe quodammodo finem, quem ſibi præſtituit illa electio : ſed quod dixit : Utrumque in eodem tempore præſenti indicativi modi, ſcilicet, eligit quos attrahit : quod potius videtur ponere tractionem illam ut objectum electionis, & proinde priorem electione, quam è contra. Saltem nihil amplius affirmat, quam utrumque eſſe à Deo ſine determinatione modi, quo eſt ab eo. Vel, ut prædictum eſt, indicat individuam ſocietatem electionis & tractionis : ita quod nemo trahitur qui non ſit electus, nec quiſpiam ſit electus qui non trahatur ; quod non magis indicat cauſalitatem electionis in tractionem, quam tractionis prævisæ in ipſam electionem : Et ſic nihil ibi eſt contra prædeſtinationem ad gloriam poſt præviſa merita. Tantum autem abeſt, ut hic pater dixerit, aut cenſuerit, prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante præviſa merita, quin potius reperio illum eſſe contrariæ opinionis. Cùm libro 9. Moralium cap. 2. vocet multitudinem

Supra in objectione 19. ex Patribus Puncto 1.

prædeſtinatorum, *Generationem præſcitam:* per hoc demonſtrans quod ipſe cenſet, præſcientiam eſſe intrinſecam prædeſtinationi: cum per illam denominet ipſos prædeſtinatos, ſumatque præſcitum pro prædeſtinato.

SECTIO III.

Objectiones ex ratione.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Duæ primæ Objectiones proponuntur & ſolvuntur.

PUNCTUM PRIMUM.

Prior Objectio proponitur, ſumpta ex ratione finis, & ei quadrupliciter reſpondetur.

PRIMUM argumentum eſt: Quicumque ordinate vult aliquid efficaciter, prius vult finem quam media, quia ex affectu finis aſſumuntur media: & intentio efficax finis prior eſt electione mediorum: Sed gloria æterna eſt finis omnium hominum, & media illius aſſequendæ, ſunt bona opera, ſeu merita: Ergo Deus qui ordinate vult omnia, prius vult nobis gloriam, quam merita. Hoc argumentum conantur aliqui confirmare authoritate D. Auguſtini, & D. Thomæ, quorum textus infra referemus, cum eos ſolvemus, ne confundatur memoria.

Reſpondeo primò quod hoc argumentum nihil probat, quia nimis probat: ſi enim probaret & valeret, non tantum probaret quod prædeſtinatio facta eſt ante præviſa merita; ſed etiam quod aliter fieri non potuit, quod eſt abſurdum, & contra opinionem communem, cùm non implicet contradictionem quod Deus prius voluerit noſtra merita, quàm *In argum. 1. ex ratione.* noſtram glorificationem, præcipue cum oſtenderimus, noſtra merita magis ſpectare & propius attingere, rebus poſitis ut ſunt, honorem & gloriam Dei, propter quam ipſe fecit omnia, quam glorificatio noſtra. Quod autem id ſequatur ex argumento, patet, quia cum Deus nihil non ordinate velle poſſit, cum & ipſe ſapientiſſimus ſit: ſequitur quod ſi ut ordinate vellet, prius noſtram glorificationem velle deberet, quam noſtra merita, non poſſet aliter velle noſtram glorificationem quam ante præviſa merita, quod cum abſurdum ſit, ideo & illud unde ſequitur, ſcilicet quod ad hoc ut ordinate velit prius debet velle glorificationem noſtram, quam noſtra merita.

Reſpondeo ſecundò majorem eſſe tantum veram reſpectu proprii finis, & non alieni. Poteſt enim quis v. g. velle opera artificis, priuſquā velit ei dare pecuniam ad illa obtinenda, licet opera illa artificis non ſint finis illius artificis; ſed tantum media quæ aſſumit ad pecuniam illam obtinendam: & ratio in promptu eſt, quia finis habet tantum ordinem ſuum reſpectu illius, cujus eſt finis, non vero reſpectu alterius, cujus non eſt finis: At vero glorificatio noſtra non eſt finis Dei, ſed noſtri: & merita non ſunt media reſpectu Dei, ſed noſtri, ut ſupra probatum eſt: Ergo cum glorificatio noſtra non habeat rationem finis, nec merita noſtra rationem mediorum reſpectu Dei, ſed tantum noſtri: non eſt neceſſe, quod Deus prius velit glorificationem noſtram, quam noſtra merita; ſed poteſt recte & ordinate velle merita noſtra, antequam velit glorificationem noſtram. Scio Eſtium velle rem ſe aliter habere quoad illum ordinem reſpectu Dei, quam hominum, quia Deus non indiget noſtris operibus, ſecus vero homines qui proinde poſſunt prius velle opera quam mercedem. Sed præterquam quod ſcimus Chriſtum uſum eſſe ſimili exemplo in eâdem materiâ prædeſtinationis ad gloriam: ſcilicet exemplo patrisfamilias conducentis operarios in vineam ſuam, ut laborarent in ea ex denario diurno: ubi ſatis apparet in patrefamilias Deum repræſentante, voluntas laboris prior voluntate mercedis, ut ibi explicatum eſt; ſatis iſti inſtantiæ reſpondimus, cum idipſum nobis objiceretur in Argumento 1. ex ratione: Sufficit enim nobis hîc pro ſolutione hujus objectionis, oſtendiſſe per prædictum exemplum artificis, quod major illius propoſitio non eſt univerſaliter vera, & quod ſupra allata diſtinctio, ſcilicèt de fine proprio & alieno eſt prorſus admittenda.

In 1. argum. ex Script. in 2 explicatione duplicis decreti.

Sub finem.

Reſpondeo tertiò quod major tantum vera eſt de fine abſoluto, & non de conditionato, qualis eſt glorificatio noſtra, quam Deus vult nobis ſub ratione præmii, & per hoc ſub conditione meriti, ut latè probavi in 1. Argumento ex ratione: Nam in hujuſmodi finibus conditionatis, includitur intrinſece ipſa conditio, ita quod ſi conditio illa non ponatur, totum corruat de re agenda propoſitum; quia nempe illa conditio, cum eo cui apponitur, facit unum finem totalem & adæquatum, & ſic volenti æqualiter in omnibus ſuis partibus neceſſarium: Ut v.g. volenti vendere equum qui eſt finis conditionatus: eſt enim velle alienare equum ſub conditione pretii, tam intrinſecum & neceſſarium eſt, quod detur ei pretium, quam quod alienet equum ſuum, quia finis ſuus non fuit alienare equum ſimpliciter, ſed ſub conditione pretii, ſeu ſub ratione venditionis. Ita in propoſito, quando Deus voluit nobis dare gloriam ſub ratione præmii, qui eſt finis conditionatus, eſt enim velle dare gloriam ſub conditione meriti: non voluit nobis prius dare gloriam, quam nos habere merita, quandoquidem non voluit nobis dare gloriam ſimpliciter & abſolute; ſed ſub ratione præmii, & ſub conditione meriti. Qui fuit finis illius totalis & adæquatus & ex omni parte ſua neceſſarius. Unde valde diſtinguendi ſunt fines illi: & dicendum,

quod major vera eſt, quoad finem abſolutum, non autem quoad finem conditionatum qualis eſt glorificatio noſtra, quam Deus vult tantum nobis ſub ratione præmii, & ſub conditione meriti: unde vult prius noſtrum meritum, quam velit nobis iſtud præmium: ubi etiam advertendum eſt quod licet ibi dicam merita noſtra eſſe conditionem ſub qua Deus vult nobis dare gloriam, non tamen ita voco conditionem, quin etiam velim eſſe cauſam; ſed ideo voco conditionem, quia omnis cauſa eſt conditio ſine qua non: Licet non è contra, omnis conditio ſit cauſa: Eſt enim mera conditio ſine qua non: ſed non ita voco merita noſtra.

Reſpondeo quartò & ultimò poſſe retorqueri argumentum in adverſarios ſic: ordinate volens aliquid, prius vult efficaciter finem, quam media: ſed merita noſtra habent quaſi rationem finis reſpectu Dei & glorificatio noſtra quaſi rationē medii: cum ipſe proponat nobis gloriam ad ſollicitanda noſtra merita, ut alibi probatum eſt, Ergo ex ipſomet principio adverſariorum ſequitur quod Deus prius voluit merita noſtra quam glorificationem noſtrā: & ita quod prædeſtinatio noſtra ad gloriam eſt poſt prævisa merita. Poſſet etiam reſponderi quod ad ordinate volendū ſalutem humanam non requiritur in Deo voluntas abſoluta finis iſtius, ſed tantum voluntas complacentiæ & conditionata circa ſalutem omnium ſub conditione meritorum; nam illa voluntas complacentiæ & conditionata, cito tranſit in abſolutam & efficacem poſita præviſione meritorum in iis qui habent merita, & eſt prædeſtinatio ad gloriam propter præviſa merita, ut late oſtendimus in 3. noſtro argum. ex ratione.

In 3 argum. ex ratione.

PUNCTUM II.

Explicantur quædam D. Auguſtini & D. Thomæ teſtimonia, in confirmationem prædictæ objectionis allata.

RESTANT ergo tantum ſolvenda quædam teſtimonia D. Auguſt. & D. Thomæ quæ proferunt adverſarii in confirmationem ſui argumenti: ex quorum primo quod eſt Auguſtini, ſic arguunt & dicunt: D. Auguſtinus loquens de Tyriis & Sidoniis cur actu non crediderint; qui tamen credidiſſent ſi vidiſſent opera Chriſti, ait: Sed quia ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent eſt negatum. Quibus verbis innuit Deum prius eligere ad fidem, deinde dare media ad fidem: Ergo, inquiunt, voluntas finis ſemper eſt prior voluntate mediorum.

Reſpondeo negando conſequentiam. Tum quia ex una ſpecie actus, non infertur inductio pro cæteris: inductio enim conſtat ex pluribus: Ibi autem eſt unica ſpecies prædeſtinationis, ſcilicet prædeſtinationis ad gratiam: Unde tantum habetur ex hoc exemplo quod electio mediorum poſſit aliquando fieri poſt voluntatem finis, ſcilicet in illa ſpecie prædeſtinationis, non vero quod ita fieri ſemper debeat, ut concludit objectio. Tum quia ab uno comparato, non bene arguitur ad aliud,

niſi oſtendatur paritas in eo in quo ipſa comparantur : At vero non ſolum non eſt paritas, ſed maxima diſparitas inter prædeſt. ad fidem, ſeu gratiam,de qua ſermo eſt in illo exemplo, & prædeſtinationem ad gloriam ſolam, de qua nobis controverſia eſt, idque in iis in quibus comparantur, ſcilicet in finibus & in mediis eorum. Nam finis prædeſtinationis ad fidem eſt abſolutus, nec enim fides pendet à meritis cum fides præcedat omne meritum; finis autem prædeſtinationis ad gloriam ſit conditionatus & limitatus ad merita : & ſic non conveniunt in finibus, cum unus ſit abſolutus, alter conditionatus, in quo eſt maxima diſparitas, eaque intrinſeca illi ipſi rationi in qua comparatio inſtituitur, cum non repugnet rem abſolutam decerni abſolute : Rem autem conditionatam repugnet decerni ſine præviſione, ſeu ante præviſionem conditionis futuræ:Unde licet concedamus facile, quòd in fine abſoluto, qualis eſt fides, ſeu actus fidei qui non ſupponit merita, volitio finis poſſit præcedere volitionem mediorum, negamus tamen quod in fine conditionato, qualis eſt volitio glorificationis noſtræ, quæ ſupponit merita, debeat eſſe priuſquam volitio mediorum, cujus rei peculiarem rationem ſupra attulimus in 3. noſtra ſolutione, quam vide ſi placet.

Sed non tantum differunt in finibus, ſed etiam in mediis : Nam media fidei, ſeu actus fidei, quæ ſunt gratiæ & auxilia Dei actualia, ſunt tantummodo media, & media reſpectu Dei, intendentis actum fidei ut finem: & ſic debent eſſe poſteriora fine in mente Dei intendentis illum finem, quia media ut media ſunt poſteriora fine: At vero media reſpectu glorificationis noſtræ, quæ ſunt merita noſtra, non ſunt media reſpectu Dei,ſed tantum noſtri,proüt notatum eſt in 2.ſolutione,& ſic non poſtulant neceſſario eſſe poſteriora in mente Dei, ſed potius poſtulant eſſe priora, cum ſint motiva reſpectu Dei, quia motiva ut motiva ſemper debent eſſe priora in mente decernentis, quam id quod decernitur ex vi illorum: & ſic nihil habetur ex hoc textu, vel exemplo contra nos, cum ſit nimis diſparatum à prædeſtinatione ad gloriam ſolam de qua agimus. Vide etiam eumdem textum paulo aliter ſolutum in argumento 7. ex Auguſtino.

Secundum autem teſtimonium per quod confirmant ſupradictum argumentum, ſumitur ex D. Thoma 1. p. qu. 23. A. 4. ubi aït D. Thom. prædeſtinationem eſſe providentiæ partem : providentiam autem eſſe præceptivam ordinationis aliquorum in finem, nihil autem præcipi ordinandum in finem, niſi præexiſtente voluntate finis : unde inferunt prædeſtinationem aliquorum in ſalutem æternam præſupponere ſecundum rationem, quod Deus illorum velit ſalutem.

Reſpondeo D. Thomam ibi non ſumere prædeſtinationem, proüt eſt electio ad gloriam ſolam, & ut præciſam, & condiſtinctam à prædeſtinatione ad gratiam, quomodo eam hîc ſumimus, ſed proüt eſt electio ad gratiam ſimul & ad gloriam, proüt ſupra ſatis probavimus in

reſponſione ad eumdem textum, poſt teſtimonia D. Thomæ: Unde illa quæ hîc dicit de iſta prædeſtinat. non debent ſecundum illum convenire & noſtræ: ſatis enim ipſe declaravit in loco à nobis citato initio diſputationis, quam diverſimode tractet has prædeſtinationes, quandoquidem ibi aſſerit prædeſtinationem illam quæ eſt ad gratiam ſimul & ad gloriam, eſſe ſine meritis, alteram vero dici poſſe eſſe ex meritis. Unde non eſt arguendum ſecundum D. Thomam ex una prædeſtinatione ad alteram, nec per conſequens tribuendum prædeſtinationi ad gloriam ſolam, quod dicit hîc de prædeſtinatione ad gratiam ſimul & ad gloriam. Præterquam quod dici poſſet quod finis iſtius prædeſtinationis ſic compoſitus ex gratia & gloria eſt abſolutus & independens à meritis, cum ante gratiam quam includit nulla ſupponantur merita, & ſic longe differt à fine prædeſtinationis ad gloriam, qui eſt conditionatus, & limitatus ad merita, ut ſupra declaratum eſt. Et tandem poſſet dici quod quidem prædeſtinatio, ut eſt pars providentiæ, ſupponit voluntatem finis, non abſolute, ſed vel conditionate, vel abſolute futuri. Nihil enim vult ibi aliud D. Thomas, niſi quod præexiſtat voluntas finis ante mediorum ordinationem, cùm id non ſolum providentia; ſed etiam prudentia poſtulet: ſed non dicit qualis ſit ille finis: At poteſt eſſe conditionatus, ut merces & præmium: Ergo potuit illum intelligere, & ſic inferre tantum media ſufficientia præparata & ordinata, non vero ſola efficacia: quod non magis infert prædeſtinationem ante prævisionem meritorum quam poſt prævisionem meritorum. Cum illa media ſint tantum generalia, & nondum ſingulo cuique aſſignata.

Sed iterum nobis objicitur idem D. Thomas ibidem qu. 24. A. 2. ubi inquiunt adverſarii, ex profeſſo docet, librum vitæ, quem dicit eſſe notitiam prædeſtinationis, reſpicere tantum vitam gloriæ, eo quod illa habeat rationem finis reſpectu vitæ gratiæ: unde inferunt quod Deus prius voluerit nobis gloriam, ut finem, quam merita quæ ſunt media ad finem, ut gratia reſpectu gloriæ.

Secundum D Th. duæ conditiones ſunt requiſita ad prædeſtinationē propriam ſcilicet ut objectum ſit ſupernaturale, & ſit finis prædeſtinati.

Reſpondeo neg. anteced. Non enim dicit ibi D. Thomas librum vitæ, ſeu prædeſtinationē reſpicere tantum vitam gloriæ, eo quod illa habeat rationem finis reſpectu vitæ gratiæ; ſed dicit electionem hominis eſſe proprie ad gloriam, & non ad gratiam ſolam, quia finis hominis eſt gloria; & non gratia. Eligitur, inquit, aliquis ad id quod non competit ſibi ſecundum ſuam naturam (id eſt ad id quod non debetur ei ex principiis ſuæ naturæ, & eſſentiæ) & iterum id ad quod eligitur aliquis, habet rationem finis, non enim miles eligitur ad hoc quod armetur; ſed ad hoc quod pugnet: Hoc enim eſt proprium officium ad quod militia ordinatur (id eſt militis) finis autem (ſcilicet hominis) ſupra naturam exiſtens, eſt vita gloriæ, ut ſupra dictum eſt, unde proprie liber vitæ reſpicit vitam gloriæ. Hæc ſunt quæ dicit ibi D. Thomas, ſcilicet quod ideo prædeſtinatio reſpicit proprie gloriam, quia gloria eſt finis ſupernaturalis hominis, ſeu ad quem homo omnis ordinate à Deo eſt, non autem

autem quia eſt finis gratiæ ut dicebat objectio. Quamvis enim gloria non eſſet finis gratiæ, ut ſi Deus voluiſſet eam poſſe comparari per merita humana: non tamen defineret eſſe verum objectum prædeſtinat. ſecundum D.Th. cum tunc etiam haberet duas illas conditiones ſupradictas quas poſtulat D. Thomas ad eſſe objectum prædeſtinationis, ſcilicet quod non competeret homini ſecundum ſuam naturam, id eſt ex principiis ſuæ naturæ, & quod haberet rationem finis ad quem ſcilicet homo ordinatus eſſet à Deo: Et ſic impertinens eſt ad ſenſum D. Thomæ quod gloria ſit finis gratiæ, cum non conſideret eam ut finem gratiæ; ſed ut finem hominis, ad conſtituendam veram rationem prædeſtinationis, ſeu electionis illius. Unde negatur conſequentia, cum in falſo fundata ſit.

Per hoc autem quod dicit ibi D. Thomas prædeſtinationem ad gratiam non eſſe proprie prædeſtinationem; ſed tantum hoc competere prædeſtinationi ad gloriam: Non negat aliquando nomen prædeſtinationis bene uſurpari pro prædeſt. ad gratiam: ſed tantum vult dicere, ut ipſemet ſe explicat in eodem articulo ad tertium, quod illa non eſt dicenda ſimpliciter prædeſtinatio; ſed tantum ſecundum quid: id eſt quod prædeſtinatio dicta ſimpliciter & abſolute, & extra omnem propoſitionem, non ſumitur pro prædeſtinatione ad gratiam, ſed pro prædeſtinatione ad gloriam, in propoſitione autem ex ſubjecta materia bene poteſt prædeſtinatio poni, & ſumi pro prædeſtinatione ad gratiam, ut ſupra explicatum eſt in ultima objectione ex Scripturis, quæ eſt de prædeſtinatis & prædeſtinationibus.

PUNCTUM III.

Poſterior duarum objectio ſumpta ex ratione effectuum proponitur & ſolvitur.

SECUNDUM argumentum eſt ejuſmodi: Effectus eſt poſterior ſuâ causâ ſaltem in aliquo ſigno rationis; ſed bona opera, ſeu merita à Deo efficaciter volita, ſunt effectus prædeſtinationis, ſeu electionis ad gloriam, prout communiter docent Theologi: Ergo bona opera ſunt à Deo volita, in aliquo poſteriori ſigno poſt factam prædeſtinationem: & ſic prædeſtinatio eſt ante præviſa merita.

Reſpondeo neg. min. cum Ochamo, Gabriele, & D. Bonaventura citatis à Valentia & Mæratio hîc, & cum Fabro Faventino in 1. diſp. 58. cap. 10. n. 172. & noviſſime cum Iſamberto in 1. D. Thomæ part. qu. 23. diſp. 5. A. 10. ad 2. cum quo & cæteris mox citatis dico: Unicum eſſe verum & proprium effectum prædeſtinationis de qua agimus, eumque eſſe gloriam, ſeu viſionem beatificam, quia nempe id unum nobis confertur ex vi prædeſtinationis illius: quæ doctrina tanto magis nobis probatur, quanto magis conformis eſt doctrinæ Auguſtini, qui loquendo de prædeſtinatione ad gratiam libro de prædeſtinatione Sanct. cap. 10.

Unicum ponit illius effectum, ſcilicet gratiam ad quam eſt, ſeu quam ſolam reſpicit, dicens: Quod prædeſtinatio Dei quæ in bono eſt, eſt gratiæ præparatio, gratia autem eſt ipſius prædeſtinationis effectus: ita & nos dicimus quod prædeſtinatio ad gloriam de qua loquimur, eſt præparatio gloriæ, gloria autem eſt ipſius effectus, & nihil amplius: Et ſic neganda eſt conſequentia argumenti quæ ſupponebat ut indubitatum, opera noſtra, ſeu merita eſſe prædeſtinationis ad gloriam veros effectus, ſed non ſunt.

Ad id autem quod dicunt, eam eſſe communem Theologorum ſententiam: Reſpondeo quod ſi ſermo ſit de veris & propriis iſtius prædeſtinationis effectibus, non minus eſt communis noſtra opinio quam oppoſita: cum nullus eorum qui nobiſcum ſentiunt prædeſtinationem ad gloriam eſſe poſt prævíſa merita, (quos ſupra magno numero citávimus) cenſeat iſta merita eſſe veros & proprios iſtius prædeſtinationis ſecundum ſe ſumptæ, effectus; ſed tantum improprios & alienos: Non enim tribuunt illos ipſi prædeſtinationi ſecundum ſe ſumptæ, ſed tantum executioni illius, ſeu prædeſtinationi illi ſecundum executionem conſideratæ: ut explicat Valentia in 1. p. D. Thomæ Tract. de prædeſt. diſput. 1. Puncto III. nec ego ullo modo cenſeo, quempiam ſanæ mentis poſſe tenere prædeſtinationem ad gloriam eſſe poſt prævíſa merita (prout tenent hi omnes qui numerantur in prædicto §.) & ſimul tenere, illa merita eſſe veros & proprios iſtius prædeſtinationis effectus: cùm id nimis aperte ſit pugnans & contradictorium, quam ut ab hominibus ſanæ & integræ mentis non agnoſcatur, & proinde non rejiciatur.

Parte 1. Sectione 5. § 4.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Tertia Object. proponitur ſumpta ex ratione mediorum.

TERTIUM argumentum eſt ejuſmodi: Qualitas mediorum quæ aſſumuntur ad finem, optime nos deducit in cognitionem volitionis, quam habuimus de illo fine, priuſquam illa media eligeremus, ita quod ſi media quæ aſſumimus, cognoſcamus eſſe efficacia, ſignum eſt quod volitio noſtra fuit efficax: ſi vero illa media cognoſcamus eſſe inefficacia, cùm ea eligimus, ſignum eſt quod volitio noſtra fuit inefficax: Sed media, ſeu auxilia, quæ Deus aſſumit ad ſalutem electorum procurandam ſunt efficacia, cùm per ea ſalventur electi, & cognoſcantur ab eo eſſe efficacia, antequam det, aut eligat ea, cùm res omnes comprehenſive & intuitive cognoſcat: ergo ſignum infallibile eſt, quod antequam illa media Deus eligeret, habuit voluntatem efficacem ſalvandi eos: Et ſic quod prædeſtinatio eſt ante prævíſa merita, cùm illa media efficacia electa ſint, antequam merita prævíderentur.

Punctum primum.

Propoſitæ Objectioni dupliciter reſpondetur.

Respondeo primò, quod hoc argumentum nihil probat quia nimis probat: Nam ſi hoc argumentum probaret: non tantum probaret prædeſtinationem ad gloriam factam eſſe ante præviſa merita, ſed etiam quod aliter non potuit fieri: nam cum per noſipſos non poſſimus acquirere gloriam; ſed tantum per auxilia divina: vel illa auxilia quæ nobis Deus decernet, erunt efficacia, vel non: ſi primum, ſequitur ex illo principio quod ex tunc Deus prædeſtinat nos ante præviſa merita, cum illa media quæ aſſumit ad noſtram ſalutem procurandam, ſint efficacia. Ex quo principio volunt argui, & inferri voluntatem prædeſtinandi ante præviſa merita: quod ſi non ſunt efficacia, tunc non nos prædeſtinat, quia neceſſario prædeſtinatio debet eſſe efficax: & ſic ſequitur ex illo argumento, quod vel Deus nos non prædeſtinat, vel quod nos prædeſtinat ante præviſa merita, nec aliter poteſt nos prædeſtinare. Quod nimis abſurdum eſt, & liberæ Dei voluntati contrarium.

Reſpondeo ſecundò diſting. majorem ſic: Qualitas mediorum quæ aſſumuntur ad finem, optime nos deducunt in cognitionem volitionis quam habuimus de illo fine, priuſquam illa media eligeremus, ſi nempe illa media aſſumantur ut efficacia ad hunc finem, concedo. Secus vero nego: ad minorem autem reſpondeo, quod quidem illa media quæ dantur electis, ſunt efficacia ad ſalutem completam, & quod ut talia cognoſcuntur à Deo antequam det illa: Sed hoc non probat, quod Deus det illa ut efficacia ad ſalutem: nam cum Deus dat gratiam mere ſufficientem & inefficacem ad obſervandum præceptum, vere ſcit quod homo cum illa non obſervabit præceptum, & quod peccabit & quod damnabitur, & tamen Deus non dat illam ad hoc ut peccet, & ut damnetur, aliàs eſſet Author peccati & mera cauſa damnationis ejus, quod ſecundum rectam fidem dici non poteſt: Ergo licet Deus det gratias efficaces per quas homo ſalvabitur, non tamen hinc ſequitur quod Deus det illas ad hoc ut ſalvetur, ſeu ut efficaces ad ſalutem æternam; ſed poteſt illas dare ob alias rationes, & alios fines peculiares, ſicut dat gratias inefficaces, ob alias rationes, & alios fines quam ut peccet homo & damnetur: In quo eſt altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei, & ſiunt incomprehenſibilia judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus: Quod ut melius capiatur.

PUNCTUM II.

Secunda reſponſio explicatur, & œconomia dandarum gratiarum aperitur.

SCIENDUM eſt quod non eſt neceſſe quod Deus decernat cuilibet homini ſimul & ſemel omnes gratias, ſeu media ad ſalutem conſequendam neceſſaria, proüt objectio videtur ſupponere, quaſi ſcilicet abſolute dixiſſet Deus: Volo his dare gratias efficaces ad ſalutem, illis autem inefficaces: quod ſane ſi daretur adverſariis, non eſſet amplius de propoſita quæſtione diſputandum; ſed totum quod intendunt, eſſet eis concedendum, & fatendum prædeſtinationem ad gloriam eſſe ſine prævisis meritis, quandoquidem poſito quod ſic Deus ſtatuerit, indubitatum omnino eſt, quod Deus abſolute & ſine præviſione futuri prædeſtinavit illos, quibus abſolute decrevit dare iſta omnia media efficacia: & è contra rejecit eos quibus ſtatuit dare ſolum inefficacia: cum hæc efficacia mediorum ſic abſolute determinatorum, ſatis arguat efficacitatem intentionis abſolutæ & independentis à futuro de ſalvando homine, & è contra inefficacia aliorum mediorum ſic abſolute determinatorum ſatis arguat intentionem contrariam de non ſalvando: Sed ſane non eſt neceſſarium, quod ſic Deus abſolute, ſimul & ſemel ea omnia ſtatuerit; ſed potuit partite, ſigillatim & ſucceſſive noſtro modo concipiendi, ea omnia ſtatuere, & cuilibet homini diverſa media decernere, pro ſingulis actibus & occaſionibus, modò efficacia, modò inefficacia, ſecundum quod ipſe pro ſua infinita ſcientia & prudentia magis putaverit expedire: hoc autem non tantum non repugnat ex ſe, ut per ſe manifeſtum eſt; ſed etiam eſt maxime congruum: decet enim ſummum omnium proviſorem omnia ordinate facere, & ad omnia reſpicere adjuncta circumſtantias, loci, temporis, & ſtatus perſonæ ad hoc ut prudenter ſtatuat circa illam quod congruum eſt, & non ligare creaturam liberam decreto aliquo abſoluto, & prædeterminativo actionum illius, ubi rationabiliter aliter fieri poteſt: maxime cum videamus in Scripturis ita Deum ſe habere erga ſalutem creaturæ, ut ſatis indicet illam pendere à creatura, & nihil circa illam eſſe determinatum ante præviſum illius conſenſum, cum invitet illam ad ſalutem tanquam exiſtentem omnimode liberam, indifferentem, & expeditam ad bene agendum, vel non agendum cum gratia, nunc promittendo, nunc minando, nunc alliciendo, nunc terrendo, nunc ſuadendo, nunc præcipiendo: Denique proteſtando quod vult omnium hominum ſalutem, & quod neminem vult perire: Quod ſane non bene concordat cum illa primaria determinatione, quæ nullo habito reſpectu ad ſingulas actiones creaturæ bonas, vel malas: diligentias, vel negligentias: orationes & cooperationes ferventes (quarum intuitu tamquam ob merita congrui ſæpe Deus dat perſeverantiam,

Vide ult. argumentum ex ratione de promiſſionibus & cōminationibus divinis.

& ob defectum earum negat eam, ut clarum eſt ex Auguſtino) his determinat media efficacia ad ſalutem, illis ſolùm inefficacia, quod non aliud quicquam eſt quam decernere abſolute hos ſalvare, & illos non ſalvare: quod bene non concordat cum illa bona generali Dei voluntate circa ſalutem omnium hominum, quam ſupra late oſtendimus eſſe cum illa ſalvandi, vel non ſalvandi abſoluta voluntate incompoſſibilem.

Id infra probabitur hac object. Puncto V.

In 2. Argumento ex ratione.

Quapropter concludendum eſt, Deum non determinaſſe illa media ſimul & ſemel, & in genere; ſed partire, ſigillatim, & ſucceſſive; ut ſupra dictum eſt. Quomodo autem id factum ſit, aut fieri potuit, dicam ego quid ſentiam, nihil tamen determinando, aut affirmando in hac ſumma difficultate quid verum ſit [Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?] ſed tantum proponendo quid mihi probabilius, aut veriſimilius in hac parte videtur eſſe.

Ad Rom. 11.

PUNCTUM III.

Eadem œconomia dandarum gratiarum amplius declaratur.

PRIMÒ ergo Deus ſecundùm noſtrum modum concipiendi, voluit generaliter, & ex complacentia generali omnibus omnino hominibus ſalutem æternam, prout late probatum eſt in 2. Arg. ex ratione.

Dein videns in ſecundo inſtanti rationis, quod non poſſunt homines ſalutem illam ex ſe, & ex ſuis viribus acquirere, ſtatuit, illis omnibus dare auxilia ad hoc neceſſaria, ſcilicet gratias excitantes & adjuvantes ad faciendum bonum, & evitandum malum.

Tertiò unumquemque hominem deducens ab inſtanti conceptionis ſuæ, uſque ad inſtans mortis, per omnes omnino circumſtantias & differentias rerum temporum, & locorum illi competentium, videt quas illi daturus ſit gratias, in quibus temporibus efficaces, vel ob probitatem parentum, vel ob orationes aliorum fuſas pro illo, vel ob proprias orationes, vel ob bonum uſum gratiarum, vel ob aliquod bonum commune, ad quod illas dare utile, vel conveniens eſt, vel ob alias rationes, quas ipſe pro ſua ſumma ſapientia pervidet; ſed quas ut fatetur Auguſtinus, nec ipſe Auguſtinus, nec quiſquam alius certò poteſt cognoſcere. Item quibus temporibus inefficaces, vel ob negligentiam, & tepiditatem, & indignitatem ſubjecti, vel ob contemptum præcedentium, vel ad exemplum aliorum, ut alii cautiores ſint, & fideliores, ut aït Auguſtinus libro de dono perſeverantiæ cap. 8. vel ob omiſſionem alicujus tunc prærequiſiti ad obtinendas gratias efficaces, orationis, vel cautioris ſtudii ad evitandas mali occaſiones, vel denique ob alias rationes, quas ipſi non cognoſcimus; ſed tamen certum eſt quod nunquamid fit ſine ratione aliqua. Aliàs enim male exclamaret admirabundus Apoſt. dicens: [O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei!] niſi Deus id omne ſtatueret, ex ſumma ratione & prudentia, non vero ex mera voluntate

Nota valde quod licet Auguſt aliquando dicat Deum negaſſe baptiſmum filiis optimorum parentum, & conceſſiſſe illum filiis peſſimorum: nō tamen per hoc negat aliquando concedere eum filiis bonorum ob probitatem illorum: per

ſua, nihil aliud quam ſemetipſam conſiderante, quæ ſane ut ſic nihil habet admirationis, & ſtuporis. Imo vero audeo dicere ex Auguſt. quod numquam gratia illa inefficax, ut inefficax datur: aut efficax ut efficax negatur, niſi ob præſuppoſitum peccatum: cum illam negationem ſemper referat Auguſtinus, ad judicium Dei, ad juſtitiam, ad debitum, ad meritum, ad ſupplicium, & pœnam peccatoris, * quæ omnia præſupponunt peccatum, illudque vel actuale præcedens, vel originale non remiſſum & deletum per baptiſmum: Nam peccatum originale per baptiſmum deletum, nullum amplius habet reatum ſecundum Auguſtinum, nec amplius ſecundum eum, conſideratur Adamus in baptiſatis; ſed ſolus Chriſtus: unde non merentur pœnam, aut ſupplicium; ſed potius favorem & adjumentum: nec proinde poteſt eis imponi ſupradicta negatio in pœnam & ſupplicium: pro quo vide argumentum 1. ex Script. Puncto XI. ſub finem.

prædicta enim ſolùm voluit innuere, nullum eſſe meritum juſtitiæ, quod præcedat baptiſmū, vel converſionē peccatoris; ſed tantum meritum congrui; non tamen in eo ſed in aliis, cujus meritis intuitu aliquando dat baptiſmum, ſeu primā gratiam aliquando non dat, prohibito. Quia illud meritum non eſt ſtrictum & obligans, ſed liberum, ut conſideretur, vel non conſideretur, unde nō eſt oppoſitum gratiæ.

**. Hoc probabitur infra Punct. 6.*

Quartò denique inſtanti, videt Deus punctum mortis advenientis, vel in peccato, vel in gratia, & tunc prædeſtinat illos quos deceſſuros videt eſſe in gratia, reprobat autem, & non prædeſtinat illos quos deceſſuros videt eſſe in peccato: juxta illud Proſperi Reſponſ. 12. ad objectiones Vincentianas: *Quia*, inquit, *præſciti* ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati, eſſent autem prædeſtinati *ſi* eſſent reverſuri, & in ſanctitate manſuri. Et ſic patet quomodo Deus non aſſumat media efficacia ut efficacia ad ſalutem completam pro electis, ut nec inefficacia, ut inefficacia pro reprobis ſine ulla conſideratione, & præviſione futuri, ut volebat objectio, quandoquidem ad ea diſtribuenda habet rationem circumſtantiarum, loci temporis & perſonarum, juxta quas omnia ſtatuit in numero, pondere, & menſura: non vero ex mera, & nihil conſiderante, & ut ita dicam [illegible] voluntate, quæ eligat quos vult ad gloriam, & quos vult excludat à gloria, ſine præviſione futuri meriti cui tribuitur gloria, & ſine præviſione demeriti cui negatur gloria, ſeligendo ſcilicet pro illis gratias efficaces, ut abſolute ſalventur, & pro his gratias inefficaces ne ſalventur, ſed pereant, quod ſane duriſſimum eſt & contrarium ſummæ Dei bonitati & clementiæ, & etiam præcipuæ illius intentioni, quæ eſt reddere bonitatem ſuam ſuper omnia attributa ſua, & opera ſua eminentem, & etiam doctrinæ Auguſtini & Proſperi, prout videre eſt in argumento 8. ex Auguſtino.

Dicendum itaque eſt, quod Deus omnia ſtatuit & determinat ſecundum loca, tempora, & momenta, & circumſtantias ſingulares, quas attendit in diſtribuendis ſuis gratiis, † non vero his dat gratias efficaces, quia illos abſolute vult ſalvare: illis autem inefficaces, quia non vult eos ſalvare ſine ulla alia ratione, niſi quia non vult ſalvare, quod aliter dicitur, ſit pro ratione voluntas.

† Vide Auguſt in Enchir. c. 95 ubi clare indicat eſſe aliquas cauſas, cur parvuli & adulti aſſumantur ad primam gratiam, aut ab ea excludantur, quas noſcemus, inquit, in beatitudine æterna, cum nos [illegible] lateant in hac vita. Et hinc eſt quod cùm quærit has cauſas, ſemper recurrit ad inſcrutabilia judicia Dei, & non ad meram ejus voluntatem

quia nempe ibi ſupponit eſſe aliquam cauſam, ſed nobis incognitam, & non meram voluntatem. Aliud autem eſt cauſa, aliud meritum, licet enim omne [illegible] *meritum ſit cauſa, non tamen omnis cauſa meritum: unde ibi ſupponit cauſam Auguſtinus non meritum, quod & clarius aſſerit lib. contra Secund. c. 8. ubi ait: Quaſi diſtributio (ſcilicet gratiarum) judicantis & miſerentis Dei, cur alius ſic, alius ſic? occultis fit* cauſis, *juſtis tamen.*

Punctum IV.

Prædicta dandarum gratiarum œconomia ab omnibus inconvenientiis defenditur, & omnibus Chriſtianæ Religionis fundamentis convenientiſſima demonſtratur.

NEque vero hinc ſequitur quod gratiæ non dentur gratis, eo quod dentur reſpectu habito ad quaſdam circumſtantias. Illæ enim circumſtantiæ non conſiderantur à Deo tamquam imponentes ſibi debitum ex juſtitia, quod ſolùm opponitur gratiæ: ſed tantum ut quodammodo determinantes ſuam bonam voluntatem de ſe indifferentem, & communem, quâ nempe voluit omnibus hominibus indifferenter communicare ſuam gloriam, & viſionem beatificam. Cum enim gratiæ & auxilia eis neceſſaria ad conſequendam gloriam non ſint ejuſdem inter ſe rationis, ſicut bona voluntas quam habet de illis omnibus indifferenter ſalvandis; ſed alia ſint efficacia, alia inefficacia: Ideo ſtatuit hunc modum & ordinem ſervare ut convenientiorem in diſtribuendis illis gratiis, non quaſi ex merito creaturæ, quod proprie meritum ſit (cum nulli quicquam debeat, ſed omnia præſtet, decernat, & exequatur ex ſua ſumma voluntate & ratione) ſed ex congruitate, & majori convenientia cum propoſito ſuo æquali, & communi pro omnibus omnino ſalvandis hominibus, quantum eſt ex ſe. Et per hæc omnia ſalvantur Chriſtianæ fidei fundamenta. Secundum hoc enim optime ſtat, quod prima gratia detur gratis: Nam licet detur aliquando propter orationes aliorum, vel propter aliquas alias cauſas extrinſecas, ut v. g. ob bonum aliorum, quales forte fuerunt eæ quæ converterunt Paulum & Auguſtinum, quorum doctrina tantopere fuit utilis & proficua toti orbi Chriſtiano, vel eæ quæ converterunt Conſtantinum Magnum Imperatorem, & Clodovæum primum Francorum Regem Chriſtianum, quorum converſiones tam utiles & proficuæ fuerunt ſuis populis: nullo modo id arguit quod ipſi ſuam converſionem promeriti ſint, cum illam non habuerint intuitu propriorum meritorum; ſed intuitu alicujus extrinſeci ad eos ſpecialiter non pertinentis, ſed ad alios. Loquor autem hîc ſpeciatim de prima gratia; nam de aliis nihil vetat quin dentur aliquando ob proprium meritum, ut ob bonum uſum gratiarum præcedentium, vel ob orationes ferventes fuſas ad Deum tamquam ex merito de congruo, cum & ipſe Auguſtinus libro de dono perſever. cap. 6. dicat ipſam perſeverantiam ſuppliciter à nobis emereri poſſe, id eſt emereri poſſe de congruo, & non de condigno; meritum enim de congruo non impedit rationem

Nota valde quod aliud eſt congruitas alicujus rei ad exequendũ propoſitum divinum, & aliud congruitas rei, ad obtinendum præmium. De prima loquimur non de ſecunda: At vero prima ne minimam quidem habet umbrã meriti, etiam cõgrui, cùm tantum reſpiciat rectitudinem divinæ voluntatis, quæ.

gratiæ (cum ſit tantum meritum decentiæ) ſed tantum meritum de condigno, ſeu meritum juſtitiæ. Sic ergo prima gratia datur omnino gratis, ſecunda vero & ſubſequentes poſſunt dari ob meritum de congruo, hinc forte ortum eſt iſtud commune adagium, talis mors qualis vita: Quia ſæpe Deus in compenſationem bonæ vitæ, dat bonam mortem, juxta illud Sapientiæ 4. Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, placita enim erat Deo anima illius, *propter hoc* properavit Deus educere eum de medio iniquitatum: Quod maximæ cuique debet eſſe conſolationis, cum certo ſciat quod poſt converſionem ſuam ſuppliciter emereri poteſt gratias omnes ſubſequentes, & ipſammet perſeverantiam uſque ad mortem, á qua ultimate pēdet ſalus ſua,* juxta quod forte illud tributum eſt Aug. Si tu non es prædeſtinatus, fac ut prædeſtineris: ſcilicet per tuam fidelem & ferventem cooperationem gratiis datis, & per ferventes orationes tuas, quæ impetrent gratias efficaces, cum iſta de congruo mereantur iſtam perſeverantiam.

nihil facit niſi ex ſūma ratione & ordine, & eſt actus prudentiæ. At vero ſecunda habet rationē meriti, & eſt actus juſtitiæ, vel propria, vel impropria, quā omnino excludimus à collatione primæ gratiæ.

* *Iſta refertur à Dionyſio Carth. in hunc verſiculum,* Cum electo electus eris, *Pſalmo 17.*

Per hoc etiam ſalvatur maxima Dei bonitas, qua vult ſalutem omnibus, & neminem repellit, aut excludit ab eâ, cum non elegerit auxilia, ſeu media efficacia ut efficacia pro aliquibus ad ſalutem æternam ineſſicacia vero ut ineſſicacia pro cæteris: quod ſane non commendaſſet ſuam ſummam bonitatem & clementiam; ſed propter varias, & varias rationes quas cenſuit ex ſummâ ſuâ ſapientiâ congruentes pro loco, tempore & aliis circumſtantiis, & non pro mero libito, & ex mera ſua voluntate, nihil extrinſecus conſiderante.

Per hoc etiam ſalvantur ſinceræ promiſſiones & exhortationes divinæ, cum poſſimus per orationes noſtras, & per bona opera noſtra ipſam perſeverantiam ſuppliciter, & humiliter emereri: Quod vix reperias in oppoſita ſententia, quæ præſtituit omnia illa opera, & ipſas orationes ante noſtram determinationem prævíſam.

Per hoc etiam ſalvantur comminationes divinæ de puniendo eo per privationem gloriæ, qui mandata non obſervaverit, nec in bono perſeveraverit uſque in finem, cùm his ſuppoſitis clare appareat quod noſtra culpa ſit quod non-perſeveremus in bono, & adipiſcamur gloriam, & quod incidamus in pœnas æternas juſte à Deo comminatas, eo quod neglexerimus orare, & vigilare in bono, & cavere à malo, juxta gratias ſufficientes nobis ad hoc datas; quod vix ſalvare poſſis in oppoſita ſententia, in quâ ante prævíſa opera excluſi ſunt multi à gloria per non prædeſtinationem, ſeu reprobationem negativam.

Per hoc denique commendatur illa altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, & incomprehenſibilitas judiciorum ejus: quando uni dat gratiam efficacem, alteri ineſſicacem: uni dat perſeverantiam, alteri negat eam, propter ſcilicet rationes nobis occultas, illi tamen cognitas, nobis tandem aliquando detegendas, cum ad ipſum pervenerimus, qui eſt cauſa omnium mirabilium iſtorum: Quod ſane vix reperias in oppoſitâ ſententiâ, quæ vult Deum mere voluntarie omnia facere, &

nihil

nihil prævidere & conſiderare eorum quæ pertinent ad noſtram ſalutem antequam nos prædeſtinet, & eligat: Nam, ut aït D. Bonav. in 1. diſt. 41. qu. 2. in reſponſione ad 7. ſi non eſſet alia ratio, quare Deus iſtum elegit, & illum non, niſi quia placet, certe jam non occulta dicerentur divina judicia; ſed manifeſta, cùm quilibet hanc rationem capiat: nec dicerentur mirabilia, ſed potius voluntaria: quod omnino competit oppoſitæ ſententiæ, & non noſtræ.

Punctum V.

Quædam incidens de abſtractivis Dei actibus difficultas exolvitur.

Verum contra ſolutionem datam & contra hanc inſtantium coordinationem objicies quod in Deo non ſunt admittendi iſti actus abſtractivi & negativi, quos admittimus in eo, cùm dicimus quod dat gratias efficaces ut efficaces ad aliquos actus ſingulares, & non dat illas ut efficaces ad ſalutem completam, licet ex iis eam ſecuturam eſſe ſciat.

Reſpondeo primò, nullos actus abſtractivos & negativos debere admitti in Deo ſecundum rem, ſeu à parte rei: poſſe tamen bene admitti ſecundum noſtrum modum concipiendi, quia nempe non poſſumus aliter concipere ſenſus excellentes & reconditos actuum divinorum, niſi per iſtas abſtractiones, & negationes ulterioris formalis terminationis ad alia objecta: ſed & ipſi adverſarii admittunt actus hujuſmodi abſtractivos & negativos in Deo, in ſua opinione de prædeſtinatione ad gloriam ante præviſa merita: cùm in eâ admittant reprobationem negativam, quæ abſtrahit à poſitiva à qua tamen inſeparabilis eſt, & in ipſo eorum decreto intentionis admittunt abſtractionem, & indeterminationem modi quo Deus ſalvabit eos, quos elegit ad gloriam: Ergo non deberent in nobis improbare quod pro ipſis admittunt.

Reſpondeo ſecundò, non eſſe hîc abſtractionem, vel negationem proprie dictam; ſed eſſe terminationem ſingularem actus divini ad ſingulare objectum, ſcilicet ad actum creaturæ producendum non progrediendo ad aliud. Nam ſicuti Deus, licet ſecundum rem, & à parte rei habeat unicum actum voluntatis circa omnia omnino objecta, tamen p r diverſas illius actus terminationes ad ſingularia objecta, idem efficit ac nos per plures actus voluntatis, & multiplicatur ſecundum nos, pro multiplicatione terminationum illarum, ita ut voluntas v. g. creandi quæ fit per terminationem unici actus iſtius ad creaturam producendam, non bene dicatur voluntas convertendi peccatorem, vel augendi gratiam, vel conferendi gloriã, quia nempe ibi diverſæ ſunt terminationes ad diuerſa objecta, quæ proinde habẽtur pro diverſis actibus, ita & in caſu propoſito cum Deus decernit dare gratiam efficacẽ ad converſionẽ hujus peccatoris, vel ad augmentũ gratiæ illius juſti, cenſetur eſſe diverſus actus, ab eo qui

eſt velle dare gloriam, ſeu procurare gloriam, licet hic actus ſequatur ex iſto: quia ibi ſunt diverſæ terminationes ad diverſa objecta, & proinde cenſentur eſſe diverſi actus: in actibus enim ſubordinatis poteſt quis in aliquo eorum ſubſiſtere, non progrediendo ad alium ſine abſtractione, vel actu negativo, ut patet hoc exemplo etiam ſumpto ex Deo. Nam, ut ſupra dicebamus, ex gratia inefficaci data à Deo; ſequitur infallibiliter peccatum, & damnatio, & tamen certum eſt, quod Deus vult dare gratiam illam inefficacem ad aliquem bonum finem, ſine eo quod velit etiam illam dare ad hoc ut fiat peccatum, vel eveniat damnatio: Ergo à pari poterit Deus ſine ulla abſtractione, vel actu negativo velle dare gratiam efficacem ad aliquem actum ſingularem, ſine eo quod velit illam dare ad hoc ut homo actu ſalvetur, aut conſequatur gloriam, licet forte gloria ſequatur ex collatione illa gratiæ ad ſingularem actum illum datæ: ut cum homo moritur poſt gratiam illam acceptam. Quia nempe diverſi ſunt actus in Deo ſecundum rationem velle dare gratiam, & velle dare gloriam: Unde bene poteſt ſiſtere in uno, non progrediendo ad alium ſine abſtractione, eo vel maxime quod non ſit intrinſeca connexio inter gratiam efficacem ad ſingularem aliquem actum datam, cum volitione efficaci gloriæ: quandoquidem multi reprobi habent tales gratias efficaces ad ſingulares actus, qui tamen non ſalvantur, & ſæpe in ipſis prædeſtinatis tales gratiæ efficaces ad ſingulares actus interrumpuntur per peccata mortalia per quæ gloriâ indigni conſtituuntur: & ſi in illo ſtatu morerentur damnarentur: Ergo per hoc quod dicimus Deum dare gratias efficaces ad ſingulares actus, non dirigendo eas ad conſecutionem gloriæ, ex quibus tamen etiam & ipſa ſequitur, non admittimus in Deo actus abſtractivos, vel negativos, proüt ſupponit argumentum; ſed actus terminatos ad ſingularia ſua objecta propria, non progrediendo ad alia, cum quibus non habet ex ſua natura intrinſecam, & indiſſolubilem unionem.

Denique reſpondeo multa in divinis videri abſtracta quæ non ſunt, vel ſi ſunt non dicunt imperfectionem. v. g. Pater ut pater, diſtinguitur realiter à filio, & tamen ut Deus non ſic diſtinguitur à filio, licet paternitas ejus & divinitas realiter idem ſint: filius ut filius diſtinguitur realiter à Spiritu ſancto, & tamen ut Deus, non ſic diſtingitur ab illo, licet filiatio ejus, & divinitas realiter idem ſint. Item intellectio ut eſt in patre, producit filium, ut eſt in Spiritu ſancto, non ſic, licet eadem ſit illa intellectio realiter in illis: Ita volitio divina, ut eſt in patre & filio, producit Spiritum ſanctum, ut eſt in Spiritu ſancto, nil producit, licet eadem à parte rei ſit in illo, ac in illis. Item filius divinus ut filius, terminat humanitatem ſuam, non tamen ut Deus, licet à parte rei filiatio ejus, & divinitas idem ſint: Item intellectio divina ut communis omnibus Perſonis, terminatur ad omnes creaturas tam exiſtentes quam poſſibiles; ut autem eſt patri peculiaris, & ut productiva filii, non terminatur ad exiſtentes ut communis fert opinio: Et ſic de aliis, in quibus videtur

eſſe abſtractio & non eſt, vel ſi eſt non dicit imperfectionem: cum Deus ſit incapax imperfectionis. Similiter igitur dicendum eſt quod etſi in hoc videatur eſſe abſtractio, quod Deus det gratias efficaces ut efficaces ad ſingulares actus, & non ut efficaces ad gloriam, ſeu ſalutem completam, licet ad utramque realiter efficaces ſint, non tamen ibi eſt abſtractio, vel ſi eſt non dicit imperfectionem, quod perinde nobis eſt quantum ad valorem noſtræ ſolutionis, & coordinationis.

PUNCTUM VI.

Quædam contra prædictam doctrinam inſtantiæ proponuntur, & ſolvuntur.

INSTABIS primo, & dices quod cum Deus dat gratiam ultimam efficacem ad bonum, videt hinc ſecuturam proxime ſalutem æternam, ergo tunc ſaltem intendit gloriam.

Reſpondeo negando conſequentiam: Nam ſicut cum dat ultimam gratiam inefficacem ad præceptum obſervandum, videt etiam peccatum, & damnationem proxime ſecuturam, & tamen non intendit formaliter peccatum, nec damnationem: ita etiam poteſt non intendere formaliter & directe gloriam, cum dat ultimam gratiam efficacem electis ſuis, quantumlibet ex ea videat ſequi gloriam, ſeu ſalutem æternam: quia nempe iſti actus ſunt diſparati, unde poteſt ſiſtere in uno propter rationes peculiares non progrediendo ad alium.

Per id tamen non nego quin aliquando Deus poſſit dare gratiam ultimam efficacem alicui eo fine ut ſalvetur: ſed tunc etiam illa volitio efficax ſalvandi poterit cauſari, vel quaſi cauſari, à præcedentibus hominis meritis congruis, à quibus ipſa gratia efficax cauſabitur: ut vel quia ferventer oravit, vel quia diligens fuit in evitandis occaſionibus peccatorum, vel quia bene uſus eſt gratiis præcedentibus, & ob hoc valde Deo placuit, juxta illud Sapientiæ 4. [*Placens Deo factus*, dilectus eſt, & vivens inter peccatores tráſlatus eſt:] Et [Placita erat Deo anima ejus, *propter hoc* properavit educere illum de medio iniquitatum.] Quis enim neget hominem ferventem, & fidelem, & in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini incedentem, eſſe valde dignum, cui Dominus concedat hanc ultimam gratiam efficacem ad finem ſalutis ejus, cum ſciamus ex Auguſtino perſeverantiam finalem ſuppliciter emereri poſſe. Sed hoc ſemper præſupponit præſcientiam, quia ſupponit vel orationes, vel opera, vel aliqua extrinſeca præcedentia, quorum occaſione, vel intuitu illa gratia datur homini: Ex quo tamen non eſt inferendum, quod talis gratia non ſit vera Chriſti gratia quia datur ob meritum. Non enim dicimus quod detur ob meritũ condigni, quod tollit rationem gratiæ; ſed tantum quod detur ob meritum congrui, quod bene compatitur cum ratione gratiæ. Ita enim illa gratia huic habenti tale meritum conceditur,

Vide id explicatum in Object. 18. ex Script. in reſponſ. 2.

ut etiam ſine ulla protſus injuſtitia negaretur. Unde bene admittit Auguſtinus iſtud meritum congrui, reſpectu gratiarum ſubſequentium ; ut patet ex Epiſt. 106. ubi ait: Si quis autem dixerit quod gratiam bene operandi fides *mereatur*, negare non poſſumus : imo vero gratiſſime confitemur. Et infra : Cum ergo fides *impetrat* juſtificationem, ſicut unicuique Deus partitus eſt etiam ipſius menſuram fidei,non gratiam Dei,aliquid meriti præcedit humani, ſed ipſa gratia *meretur* augeri, ut aucta *mereatur* perfici. Et adhuc infra : Nec ob aliud *meretur* ampliora, niſi pie fideliterque ſciendo à quo ſibi bona ſunt omnia. Ubi manifeſtiſſimum eſt iſtud meritum congruum de quo loquimur reſpectu gratiarum ſubſequentium ab Auguſtino fuiſſe admiſſum, ut & recognoſcit ipſe Janſenius lib. 9. de gr. Salv. cap.6. §. Porrò. Ubi ait quod remiſſio peccatorum,& charitas, & opera bona, & in iis perſeverantia uſque in finem, & gloria ex aliquibus [meritis (id eſt congruis) conferuntur : Et paulo infra, ait Auguſtinum docere omnia iſta, præter initium fidei, ex meritis dari, & conſequenter, homines ad illa dona ex aliquibus meritis eligi : in quo fatetur meritum iſtud congruum quod aſſerimus : Sed mirum eſt quomodo ibi fateatur nos eligi ex his meritis ad gloriam,quod ſane ſupponit prævisionem illorum meritorum, & independentiam illorum ab iſta electione : & tamen ubique vult iſtam electionem eſſe cauſam meritorum.

Inſtabis ſecundo, & dices impoſſibile eſſe quod bonus uſus gratiarum antecedentium, ſit meritorius etiam de congruo gratiarum ſubſequentium: quandoquidem bonus ille uſus eſt à Deo, qui dat quas vult gratias, & quando vult efficaces, & quando vult inefficaces : Unde id totum pendet à Deo, & à mera ejus miſericordia, & per conſequens falſum eſt quod per bonum uſum illum mereamur de congruo ſubſequentes gratias efficaces, cum iſte bonus uſus totus & totaliter à Deo ſit.

Reſpondeo diſt. anteced. Bonus ille uſus eſt à ſola Dei miſericordia, radicaliter & initialiter conc. formaliter & in ſe nego : Nam licet antequam Deus illum det per gratiam ſuam efficacem, poſſit illum non dare, & ſic radicaliter à Deo ſolo ſit. tamen formaliter & in ſe, non eſt à ſolo Deo; ſed eſt etiam à creatura ut libere, & non neceſſario conſentiente gratiis illis efficacibus, cum iis non conſentiret ſi vellet : unde meretur de congruo ſubſequentes gratias efficaces, quia omnino libere, & nulla neceſſitate antecedente pulſus, conſenſit gratiis præcedentibus, cùm iis non conſenſiſſet ſi voluiſſet, juxta illud Eccli. 31. Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, & facere mala, & non fecit; *ideo* ſtabilita ſunt bona illius in Domino. Unde nego conſequentiam:Non enim iſte bonus uſus eſt à Deo totus & totaliter ; ſed etiam eſt ab homine. Eodem modo reſpondendum eſt ſimili inſtantiæ quæ fieri poteſt de oratione, ad quam Deus dat gratiam efficacem : Nam cum voluntas noſtra omnino libere & non neceſſario conſenſerit illi gratiæ, quam etiam repudiare poterat, ſi voluiſſet:ideo attribuitur & imputatur ei impetratio illius orationis, ut

principio formali & vero illius impetrationis. Quæ omnia confirmantur ex Auguſtino ſupracitato ex Epiſt. 106. ubi expreſſe aſſerit meritum de congruo, & impetrationem gratiarum ſubſequentium per bonum uſum fidei & gratiarum præcedentium.

Hoc Puncto in 1. inſtantia.

Verum contra inſtabis, & dices quod admiſſo hoc merito de congruo reſpectu gratiarum efficacium ſubſequentium, noſipſos diſcernimus in ordine ad illas gratias efficaces, contra Apoſtolum dicentem [Quis te diſcernit? quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?] & contra Auguſtinum qui ſemper rejicit merita prævia reſpectu gratiæ à Deo dandæ, dicendo cum Apoſtolo: Quod ſi gratia eſt ex operibus, jam non eſt gratia.

Reſpondeo nihil ibi eſſe contra Apoſtolum, nec contra Auguſtinum: cum enim dicit Apoſtolus, Quis te diſcernit, &c. per hæc non prohibet nobis omnem diſcretionem & gloriationem; ſed tantum eam quæ eſt ex nobis, & non ex Deo, prout multis locis explicat Auguſt. Epiſt. 89. & libro 2. de peccat. mer. & remiſſ. cap. 18. & libro 2. ad Bonif. cap. 7. & libro de prædeſt. Sanct. c. 5. imo & ſemetipſum ſic explicat Apoſtolus, dicens: Quaſi non acceperis? id eſt quaſi ex Deo non ſint. At merita illa de quibus loquimur, ſunt ex Deo, cum ſint merita gratiæ, & non naturæ, qualia volebant eſſe Pelag. & Semipelag. aſſertores naturæ & inimici gratiæ. Et præterea in tantum merita iſta nos diſcernunt, in quantum acceptantur à Deo, cum ex ſe nihil habeant quod obliget Deum ad acceptanda illa, & ad dandam gratiam ſubſequentem eorum intuitu: cum ut diximus ſupra, talia habenti merita negabit eam ſine injuſtitia ſi velit. Unde per ipſa non noſipſos diſcernimus; ſed ipſe Deus nos diſcernit, qui gratis & voluntarie acceptat ea, & ſibi complacet in illis in ordine ad dandam talem gratiam, cum non ſint merita condigni, & juſtitiæ reſpectu illius gratiæ efficacis dandæ; ſed merita congrui & decentiæ, & quæ ad nihil omnino obligant compenſantem, & proinde non diſcernunt.

In hoc Puncto.

Quantum autem ad id quod dicunt ex Auguſtino, ſcilicet quod ſemper negavit & rejecit merita prævia reſpectu gratiæ à Deo dandæ. Reſpondeo illum rejeciſſe merita naturæ & arbitrii, quæ aſtruebant Pelagiani & Semipelagiani reſpectu gratiæ dandæ, petendo, quærendo, & pulſando ex propriis viribus ad habendam gratiam: non autem merita congrua gratiæ quæ ſunt à Deo, & ita libera ſunt Deo ut ea acceptet ſi velit, & negligat ſi velit, ſine ulla injuſtitia. Et præterea clarum eſt ipſum admiſiſſe tale meritum reſpectu gratiæ efficacis ſubſequentis in loco ſupracitato ex Epiſt. 106. ex libro de dono perſev. cap. 6. ubi clare dicit perſeverantiam ipſam poſſe ſuppliciter emereri.

Pelagiani aſtruebant meritum juſtitia, & importans debitum reſpectu gratia ut patet ex Auguſt. lib 4. contra Julian. c 8. ubi ait: Ibi enim vos, ut video, ponere jam cœpiſtis merita gratiam præcedentia, quod eſt petere, quærere, pulſare, ut his meriti debita *illa reddatur. Unde non alio modo defendit contra eos gratiam quam ut indebitam. Ut hinc (inquit in eodem capite) diſcant quos (Deus) liberat quæ ſibi debita pœna relaxetur, & qua* indebita *gratia condonetur.*

PUNCTUM VII.

Occaſione cujuſdam inſtantiæ clare oſtenditur ſupradictam gratiarum œconomiam, & inſtantium ordinationem, non ſine gravi ratione eſſe prolatam.

DENIQUE inſtabis & dices, quod licet in hac ordinatione nihil ſit abſolute reprehenſibile: tamen cum nihil cogat eam admittere, poteſt rejici ut gratis allata, & ſine ſolido fundamento adinventa; manendo ſcilibet in illa opinione quod Deus ſimul & ſemel decernit media efficacia pro electis ad ſalutem æternam, & inefficacia pro reprobis.

Reſpondeo graves adeſſe rationes, quæ nos cogunt eam ordinationem admittere: Quarum prima eſt ea de qua ſupra locuti ſumus, ſcilicet ut ſervet Deus propoſitum ſuum generale de ſalvandis ſincere omnibus hominibus quantum eſt ex ſe, & ex ſuppoſita eorum cooperatione, quod non poteſt aliter ſervare, proüt ſupra probavimus: Nam ſi ex merâ ſuâ voluntate Deus ſeligat media pro quibuſdam efficacia, ut eos ſalvet: & pro aliis inefficacia, quia non vult eos ſalvare; numquam poterit ejus voluntas prior, ſeu generalis circa omnes ſalvãdos recta & ſincera præſumi (niſi mutata ſit quod non habet locum in Deo) cum ex hac ſtudioſa ſelectione mediorum inefficacium pro illis ſolis quos prædeſtinare jam noluit, recte inferatur ejus averſio erga ſalutem eorum, eo modo quo ex ſelectione efficacium pro ſolis prædeſtinatis recte infertur certa ejus affectio erga eorum ſalutem: unde per hanc viam numquam poterit ſalvari ejus generale propoſitum verum & ſincerum de ſalvandis omnibus quantum eſt ex ſe, cum ex mera ſua voluntate ſumat media huic fini contraria pro aliquibus, unde non tam cenſebitur vere voluiſſe horum ſalutem, quam videri, voluiſſe: Quapropter ut ſervet illud ſuum generale propoſitum, ſuam generalem voluntatem de ſalvandis omnibus quantum eſt ex ſe, & ex præſuppoſita eorum cooperatione, neceſſarium eſt ſecundum noſtrum modum concipiendi, ut eligat illa media ob alias rationes, quam ut ſalvet efficaciter, aut non ſalvet, proüt ſupra explicuimus.

In hac ipſa Object.

In hac ipſa object. Puncto 2. & ſequentibus.

Secunda ratio quæ nos cogit illam ordinationem admittere, eſt ut ſincere reperiantur exhortationes divinæ ad fugiendum malum, & ad faciendum bonum in Script. ſacris expreſſæ: Nam ſi ex ſe & ex mera ſua volũtate Deus determinat gratias inefficaces ad non ſalvandos eos quos non vult ſalvare, qui conſtituunt maximam partem hominum: quid hortatur ad bonum faciendum, & in eo perſeverandum, cùm pro eis ſelegerit gratias inefficaces ut non perſeverent? Numquid iſtud eſt; unum dicere, & aliud facere, & potius illudere miſeris quam ſincere cum eis agere, hortando ſcilicet eos ad faciendum bonum, & in eo perſeverandum ut ſalventur, & tamen occulte procurando ne perſeverent, &

non ſalventur, quod certe veracitati, & ſinceritati divinæ valde contrarium eſt.

Tertia ratio eſt, ut obſtruatur os conquerentium contra Dominum, quaſi non ſatis providiſſet ſaluti omnium reproborum, imo vero obſtitiſſet ſaluti aliquorum eorum: ut v. g. reproborum eorum qui crediderunt in Chriſtum, & Sacramenta illius perceperunt: quorum ſingulariter & apparenter videbatur velle ſalutem, & tamen non obſtantibus multis reconciliationibus ſuis quas habuit cum eis in Sacramentis baptiſmi & pœnitentiæ, in quibus etiam viſus eſt cum eis veram amicitiam inire, & ſpem veram & firmam de conſequenda ſalute æterna de novo præſtare: occulte & parum ſincere etiam tunc meditabatur eorum perniciem, manendo in ſuo propoſito ex ſe, & ex mera ſua voluntate facto, dandi eis tantum gratias inefficaces, ut non perſeverarent, & non ſalvarentur: Quid crudelius, quid perfidius, & per conſequens quid juſta querimonia dignius dici aut excogitari poteſt ut ſic inire fictas reconciliationes, & veras ſervare inimicitias, quæ deducunt miſeros ad mortem, & non mortem temporalem; ſed mortem æternam?

Quarta ratio eſt, ut ſalvetur illa altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei, de qua loquitur Apoſtolus: & ne illa incomprehenſibilitas judiciorum Dei (quæ vel ex ipſis terminis ſonat prudentiam, & judicium in rebus agendis, & conſequenter accuratam conſiderationem omnium circumſtantiarum antecedentium, & concomitantium, & conſequentium) vertatur in meram & nudam voluntarietatem divinam, nihil conſiderantem, & prævidentem; ſed omnia ſtatuentem ex mero libito ſuo, non tantum de ſalute ipſa hominum; ſed de ipſis ſingularibus actionibus ad illam concurrentibus, proüt volunt adverſarii.

Quinta denique ratio eſt, ne contra ſenſum D. Auguſtini cogamur dicere denegationem gratiarum efficacium ad bonum agendum, & in eo perſeverandum, non ſupponere verum peccatum non remiſſum: cùm in ea opinione quæ ponit Deum ſeligere gratias efficaces pro electis, & inefficaces pro reprobis, ſupponatur quod gratiæ inefficaces, ſeu negationes gratiarum efficacium decernuntur ſine prævviſione futuri, & per conſequens ſine prævviſione peccati: nec enim ad hoc ſufficit dicere quod tunc cum factum eſt (noſtro modo concipiendi) decretum de dandis, aut negandis illis gratiis efficacibus, omnes eſſent in peccato originali, & proinde omnes digni eſſent privatione illarum gratiarum. Nam cum in multis reprobis iſtud peccatum deletum ſit, & proinde evacuatum, & nullum redditum: non ſufficit ad tuendam veritatem iſtius opinionis Auguſtini, quod Deus cognoverit iſtud peccatum; ſed debuit præterea cognoſcere alia peccata futura, cùm reprobi Chriſtiani ab illo peccato per baptiſmum mundati (qui harum privatione gratiarum puniuntur) non amplius rei ſint per illud peccatum remiſſum, & deletum privationis illarum gratiarum, ut ſupra late probatum eſt in argum. 1. ex Script. ſub finem. Quem tamen reatum ſemper ſupponit Auguſtinus

eſſe in eis ante privationem illarum gratiarum, Quandoquidem vult illam privationem imponi homini per modum punitionis, quæ non poteſt juſte imponi, niſi ob culpam quam conſtat non eſſe in homine baptiſato reſpectu peccati originalis, quod in eo deletum eſt. Ergo neceſſario ſupponenda eſt ſecundum Auguſtinum ſucceſſiva in Deo prædictarum gratiarum efficacium, vel inefficacium determinatio, ut cognoſcat qui digni ſunt privatione efficacium, ſeu collatione ſolarum inefficacium ob peccata ſua præcedentia, infidelitates, negligentias, & alias ſimiles culpas, veniales vel mortales. Quandoquidem Auguſt. ſemper ſupponit in eis tale meritum, aut debitum, aut reatum, ut videre eſt in his locis quos ex multis elegi. Nam Epiſt. 106. ſic ait: Quamvis nemo ab illo juſtificetur meritis præcedentibus, neminem tamen *obdurari*, niſi *merito* noverit. Obdurari autem nihil eſt aliud quam gratiis efficacibus privari, quod nemini fieri aſſerit Auguſt. niſi merenti, ſcilicet per peccata præcedentia, quæ per hanc privationem, ſeu obdurationem puniuntur. Et in Enchir. cap. 99. Ergo, inquit, [Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat] miſeretur, ſcilicet magna bonitate, *obdurat* nulla iniquitate, ut nec liberatus de ſuis meritis glorietur, nec damnatus niſi de *meritis ſuis* conqueratur. Ubi damnatio idem eſt ac obduratio de qua antea locutus fuerat. Et cap. 102. Voluntas Dei, inquit, ſemper invicta eſt, quæ *mala* numquam eſſe poteſt: quia etiam cum *mala* irrogat, *juſta* eſt, & profecto quia juſta eſt, mala non eſt. Deus igitur omnipotens ſive per miſericordiam, cujus vult miſereatur: ſive per *judicium* quem vult *induret*, nihil inique facit. Ubi iſtam indurationem, ſeu quod idem eſt, gratiarum efficacium privationem clare refert ad judicium, ſeu quod idem eſt ad punitionem quæ ſupponit meritum. Et loquens de induratione Pharaonis libro 2. quæſt. ſuper Geneſim, ſic ait: Ut ergo tale cor haberet Pharao, quod patientia Dei non moveretur ad pietatem; ſed potius ad impietatem, vitii proprii fuit, quod vero facta ſunt ea quibus *cor ſuo vitio tam malignum* reſiſteret juſſionibus Dei, hoc eſt enim quod dicitur induratum: quia non flexibiliter conſentiebat; ſed inflexibiliter reſiſtebat, diſpenſationis fuit divinæ, qua *tali* cordi non ſolum *juſta*, ſed evidenter *juſta pœna* parabatur, qua timentes Deum corrigerentur. Ubi vides iſtam pœnam indurationis, ſeu privationis gratiarum efficacium, ſignificari ut juſte ei impoſitam, ob vitioſam illius affectionem, ſeu ob meritum præcedentium illius peccatorum. Et libro de grat. & lib. arb. cap 23. loquens de eodem Pharaone indurato, ſic ait: Deus induravit per *juſtum judicium*, & ipſe Pharao per liberum arbitrium. Unde & generaliter concludit paulo infra, dicens: Reddet ergo mala *pro malis*, *pœnā pro injuſtitia*: & reddet bona pro malis, gratiam pro injuſtitia. Ubi vides ſupponi in illo indurato mala, ſeu peccata & injuſtitia, eique imponi, ſeu reddi iſtam obdurationem per modum punitionis & juſtitiæ. Et lib. 2. ad Bonif. cap. 7. ſic ait: Ubi autem dicitur: [Ergo cui vult miſeretur, & quem vult obdurat] qui [facit aliud vas in honorem, aliud in contu-

in contumeliam] bonum quidem immerito datur (hoc oſtendit,ibi Auguſtinum loqui de gratia, & non de gloria; gloria enim non datur immerito) quia ex eâdem maſsâ eſt cui datur : malum vero(id eſt negatio gratiæ efficacis) *merito* & *debitum redditur*, quia in maſſa perditionis malum *malo* non male *redditur*: & cui redditur, malum eſt, quia *ſupplicium* eſt, ei vero à quo *redditur*, bonum eſt, quia recte factum ejus eſt: Ubi adhuc vides eamdem obdurationem imponi, ſeu reddi per modum punitionis ut merenti, & ut cui debita eſt, utpote ei qui eſt in maſſa perditionis, à qua numquam liberatus eſt, ut omnes infideles: vel in quam reincidit poſt baptiſma,per peccatum mortale,ut impii Chriſtiani: & proinde ſemper ſupponuntur ut merentes, & in peccato exiſtentes. Et lib. de dono perſeverantiæ cap. 10. ſic aït: Inveſtigabilis ergo eſt miſericordia, quâ cujus vult miſeretur, nullis ejus præcedentibus meritis: & inveſtigabilis veritas qua quem vult *obdurat*, ejus quidem *præcedentibus meritis*; ſed cum eo cujus miſeretur plerumque communibus. Et paulo infra ſic concludit: Itaque miſericordiam ejus in his qui liberantur, & *veritatem* in his qui *puniuntur*, ſine dubitatione credamus. Et cap. 12. ſic aït: Conficitur itaque *gratiam Dei*, non ſecundum merita accipientium dari; ſed ſecundum placitum voluntatis ejus in laudem,& gloriam ipſius gratiæ ejus,ut qui gloriatur, nullo modo in ſeipſo, ſed in Domino glorietur: qui hominibus dat quibus vult, quoniam miſericors eſt: quod *etſi non det, juſtus eſt*. Et paulo infra: Bonus in beneficio certorum,*juſtus in ſupplicio cæterorum*, & *juſtus* in omnibus, quoniam *juſtum* eſt, cum *debitum* ſine cujuſquam fraude donatur. Ubi per omnia proteſtatur Auguſtinus iſtam obdurationem, ſeu iſtarum gratiarum negationem, imponi per modum pœnæ, & per modum ſupplicii & punitionis, ob meritum, & ob debitum: quæ omnia ſupponunt verum reatum,& per hoc verum peccatum,reſidens in punito,& non remiſſum & deletum,quale eſt peccatum originale in baptiſatis,quod proinde non ſufficit ad ſalvandam opinionem Auguſtini de negatione iſtarum gratiarum ob peccatum; ſed debent præterea prævideri futura peccata actualia antequam negentur illæ gratiæ efficaces, quod proinde neceſſario infert ſucceſſivam ordinationem illarum gratiarum, & non ſimultaneam earum determinationem, prout volunt adverſarii.

Vide etiam l. de peccat. merit. & remiſſ. cap 18. & communiſſima eſt Auguſt. doctrina.

Punctum VIII.

Ex mox dictis quidam Scripturæ locus obiter exponitur: Tum prædicta omnia concluduntur, & extremo tandem cuidam ſcrupulo occurritur.

EX hac autem Auguſtini doctrina ſic explicatâ,ſolvi poteſt obiter hic locus Actorum 16. ubi dicitur, quod vetati ſunt Apoſtoli à Spiritu ſancto, loqui verbum in Aſiâ. Quem vaticinantes potius, quam ratio-

cinntes, adverſarii exponunt de prædeſtinatione ad gloriam, tamquam ſi Spiritus ſanctus prohibuiſſet Apoſtolos prædicare fidem Aſiaticis, quia hi non erant prædeſtinati ad gloriam: quaſi vero ſolis prædeſtinatis ad gloriam prædicaretur Evangelium, & non etiam reprobis: & quaſi ſoli prædeſtinati crederent, & non etiam reprobi. Sed ſenſus horum verboū eſt, præter eos qui poſſunt videri in Commentariis: Quod ideo vetati ſunt Apoſtoli loqui verbum in Aſia: quia Deus voluit iſtis Aſiaticis aliquamdiu ob peccata ſua retardare iſtam gratiam (nam poſtea, ut notat Eſtius, ibidem prædicaverunt Apoſtoli, & multos ibi converterunt) non quod etiam illi quibus tunc prædicaverunt Apoſtoli, præ illis, non eſſent etiam magni peccatores, ſed his Deus voluit facere miſericordiam, illis autem judicium: his voluit parcere, illos punire per ſuſpenſionem, aut ſubſtractionem illius gratiæ, cum omnes eſſent rei: quia, ut ſupra dictum eſt, inveſtigabilis eſt miſericordia, quâ Deus cujus vult miſeretur, nullis ejus præcedentibus meritis, & inveſtigabilis veritas, qua quem vult obdurat, ejus quidem *præcedentibus meritis; ſed cum eo cujus miſeretur, plerumque communibus*, ut miſericordiam ejus, in iis qui liberantur, & *veritatem* in his qui *puniuntur*, ſine dubitatione credamus. Et ſic locus hic eſt de prædeſtinatione ad gratiam, & non de prædeſtinatione ad gloriam; ſed de hoc loco obiter.

In hunc locum.

Ex his ergo omnibus clare apparet quod non mere gratis, & voluntarie conficta eſt ſupra explicata noſtra inſtantium ordinatio, ſecundum noſtrum modum concipiendi, in mente divina: ſed cum ſumma ratione & neceſſitate, unde cōcludendo dico quod falſum eſt, id quod inferebant adverſarii: ideo prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante præviſa merita, quia Deus dat gratias efficaces ad ſalutem ſuis electis, & inefficaces reprobis, quia illos vult ſalvare, & non iſtos. Nam Deus non dat illas gratias ordinarie & communiter ad finem ſalutis; ſed ad fines ſuos ſingulares, & non decernit ſimul & ſemel gratias illas efficaces pro electis, & inefficaces pro reprobis; ſed unam poſt aliam, ſive efficacem, ſive inefficacem pro ſingulis quibuſque hominibus, habito reſpectu ad diverſa illorum tempora, ſtatus, orationes, fidelitates, vel infidelitates, & alias circumſtantias quas ſumma ejus ſapientia, judicium, & prudentia conſiderant, ad exequendam ſincere, & vere ſuam bonam voluntatem, quam habet circa ſalutem omnium: Ita, quod, ſi quis eorum pereat, non Dei eligentis; ſed hominis negligentis tota culpa ſit, juxta illud [Perditio tua ex te Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum] & ſic omne os obſtruatur conquerentium contra Dominum.

Oſeæ 13.

Quapropter valde exhortandi ſunt fideles, ut frequenter & ferventer orent, diligentes & cauti ſint, in evitandis peccatorum occaſionibus, fideles ſint in admittendis Dei inſpirationibus, & inſtantes bonis operibus, fidei, ſpei, & charitatis: cùm per hæc ſuppliciter emereantur gratiæ Dei efficaces, ipſaque perſeverantia, ex qua ſemper ſequitur ſalus noſtra æterna.

Sed quia aliquis adhuc quærere poſſet, quomodo fieri poſſit ut uni & eidem detur aliquando gratia efficax ad unum actum, & aliquando inefficax ad alium, cum ſupra dixerimus, quod numquam Deus denegat gratiam illam niſi ob peccatum: videtur enim ex hoc ſequi, quod ſi quis acceperit primam gratiam efficacem, non amplius debet accipere niſi efficaces: & è contra quod qui primam gratiam inefficacem acceperit, non amplius debeat accipere niſi inefficaces: Nam ſi primæ gratiæ conſenſerit, & ſic non peccaverit, non meretur in ſequenti occaſione privari gratia efficaci, & ſic conſentiet adhuc iſti ſecundæ gratiæ: & cum ſecundæ conſenſerit, & ſic non peccaverit, non meretur privari tertia, & ſic de cæteris uſque ad mortem. Contra vero ſi primam gratiam inefficacem acceperit, & ſic non conſenſerit: meretur privari in ſequenti occaſione gratia efficaci, & ſic ſolum habere inefficacem, cui cum non conſenſerit meretur privari tertia, & ſic de cæteris.

Reſpondeo ad primum quod conſenſus gratiæ datus non ſufficit ad eximendum hominem reſipiſcentem, à peccatis v.g. negligentiæ retardationis, & reſiſtentiæ aliquo tempore gratiæ factæ, & tepidi & imperfecti uſus illius: Nam iſtæ gratiæ bene poſſunt compati cum negligentiis & culpis prædictis, modo enim tandem detur conſenſus gratiæ, non poteſt negari quin ſit efficax, & ſic patet quomodo fieri poſſit, ut uni & eidem detur aliquando gratia efficax ad unum actum, & aliquando inefficax ad alium: quia licet primæ gratiæ conſenſerit, hoc tamen non impedit quin etiam tunc per prædictas culpas peccaverit, & ſic in occaſione ſequenti, gratia efficaci privari meruerit.

Ad ſecundum autem reſpondeo quod etſi homo ille qui primæ gratiæ non conſenſit, mereatur in ſequenti occaſione privari gratia efficaci Deus tamen poteſt ei parcere, & dare ei iſtam gratiam quâ meretur privari, quoniam miſericors eſt: Dando enim, inquit Auguſtinus lib. de dono perſev. cap. 12. quibuſdam quod non merentur, profecto gratuitam, & per hoc veram ſuam gratiam eſſe voluit. Et ſic patet quomodo is qui accipit primam gratiam inefficacem, poſſit tamen poſtea accipere efficacem propter bonitatem divinam, quæ remittit ei debitum, & dimittit peccatum.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Objectio quarta proponitur & ſolvitur: & modus quo Deus dat, aut negat primam gratiam, ſingulariter exponitur.

QUARTUM argumentum eſt, quod prædeſtinatio ad gratiam eſt ante prævisa merita, ergo & prædeſtinatio ad gloriam. Probatur conſequentia: Quando eſt connexio neceſſaria inter duo, tunc cum

Dixit quidē Auguſtinus, Deū numquam denegare gratiā efficacē, niſi ob præcedēs peccatum; ſed non dixit, qualem gratiā efficacem dabit: Hoc enim pendet ab ejus miſericordia dare magis, aut minus potentem: vel talem, quæ admittat aliquas negligentias in cōſentiendo, vel talem quæ excludat illas. Cū enim gratis det iſtam gratiā, ideo & dat qualem vult & dat etiam peccanti & merenti eâ privari. Ex quo fit incertiſſima nobis noſtra prædeſtinatio, ut quibus (ut ait Auguſt. l. de dono perſev. c. 8.) non expedit in hujus vitæ tentatione ſecuritas, non poſſint eſſe ſecuri. Multos enim à per-

vicioſa elatione reprimit, quod ait: Apoſt. [Quapropter qui videtur ſtare, videat ne cadat:] Hæc ibi Auguſt.

unum eorum eſt ante, debet eſſe & alterum: At vero inter prædeſtin. ad gloriam & prædeſtinationem ad gratiam, eſt connexio neceſſaria, cum nemo prædeſtinetur ad gloriam, qui non prædeſtinetur ad gratiam: ergo cum prædeſtinatio ad gratiam ſit ante præviſa merita, debet etiam eſſe & prædeſtinatio ad gloriam.

Reſpondeo negando conſequentiam: Ad probationem autem ejus diſtinguo majorem, quando iſta connexio eſt adæquata, & reciproca conc. ſecus nego. Ad min. dico illam connexionem gratiæ & gloriæ in prædeſtinatione, non eſſe adæquatam & reciprocam, cum licet prædeſtinatio ad gloriam ſit inſeparabilis à prædeſtinatione ad gratiam, ut ibi recte dicitur, non tamen è converſo, quia prædeſtinatio ad gratiam eſt ſeparabilis à prædeſtinatione ad gloriam, ut patet in reprobis qui aliquando fuerunt juſti: unde nego conſequentiam. Ratio autem ſolutionis eſt, quia quando unum eſt ſeparabile ab alio, tunc iſta duo poſſunt diverſis decretis prædeſtinari, & præordinari; & ſic unum poterit præordinari ut ſit ante, & alterum ut ſit poſt: cum ergo prædeſtinatio ad gratiam ſit ſeparabilis à prædeſtinatione ad gloriam, ideo illa poterit fieri ante præviſa merita, & hæc poſt præviſa merita: quia bene ſtat, quod quis prædeſtinatus jam ſit ad gratiam ſecundum rationem, & tamen nondum ſit prædeſtinatus ad gloriam: Unde licet prædeſtinatus ſit ad gratiam ante præviſa merita, non tamen neceſſario ſequitur, quod etiam prædeſtinari debeat ad gloriam ante præviſa merita: quia adhuc liberum eſt decernenti, eligere an velit illum juſtificatum prædeſtinare ad gloriam ex meritis, an vero ſine meritis: Et ita manifeſtum eſt quod bene negata eſt ſupradictæ conſequentia probationis.

Verum inſtabis & dices: Prædeſtinatio ad gloriam pendet à prædeſtinatione ad gratiam, cum nemo prædeſtinetur ad gloriam qui non prædeſtinatus ſit ad gratiam: atqui prædeſtinatio ad gratiam tota pendet à mera voluntate Dei, ergo & prædeſtinatio ad gloriam.

Reſpondeo ut ſupra diſting. maj. pendet inadæquate, concedo, adæquate nego. Id eſt ita pendet ab illa, ut ſine illa eſſe non poſſit, & per illam impediri poſſit ne ſit, non prædeſtinando ſcilicet ad gratiam: ſed non ita pendet ab illa, ut ſemper eam ſequatur, & poſita prædeſtinatione ad gratiam, poni conſequenter debeat prædeſtinatio ad gloriam, ut patet in permultis reprobis, qui prædeſtinati fuerunt ad gratiam, & non prædeſtinati fuerunt ad gloriam: Unde neceſſarium eſt aliud decretum quo prædeſtinentur homines ad gloriam, quod ſit diverſum, & diſtinctum ab eo quo prædeſtinantur ad gratiam: At hoc decretum cum ſit poſterius alio, potuit aliter fieri quam illud, & ſic potuit fieri poſt præviſa merita, & ex præviſis meritis, licet primum factum ſit ante præviſa merita, & ſine præviſis meritis: unde iſta dependentia & connexio, quæ eſt inter prædeſtinationem ad gratiam & prædeſtinationem ad gloriam, non poteſt impedire ne hæc ſit poſt præviſa merita, licet illa ſit ante præviſa merita, ut ſatis declaratum eſt.

Sed quia in hoc quidpiam duriuſculum videri poſſet quod illa prædeſtinatio ad primam gratiam, ſeu prima gratia ipſa ſine qua nemo ſalvatur, aut prædeſtinatur ad gloriam, ita gratis & ſine meritis datur, ut eam emereri nullo modo poſſimus, neque de condigno, neque de cõgruo, nec umquam nobis illam promiſerit Deus, quomodo promiſit nobis gratias ſufficientes, cum ad ſalutem nos ordinavit: idcirco enodanda eſt illa difficultas, & dividenda propoſitio, prout reſpicit diverſas perſonas, & diverſa tempora: per hæc enim videbimus, quod etiam illa prima gratia quæ eſt efficax ad ſalutem, & ad converſionem peccatoris, non negatur nobis à Deo, niſi propter noſtras culpas præcedentes, & propter alias cauſas rationabiles, ut v. g. ſi non poſſet nobis conferri ſine miraculo, & ſine naturalis ordinis mutatione, quod ſane irrationabile eſſet tunc à Deo exigere, cum ſit contra ſapientiſſimam illius providentiam paſſim miracula facere, & rerum ordinem ſapientiſſime conſtitutum, propter quoſdam caſus particulares paſſim immutare.

Hoc itaque poſito, divido propoſitionem ſic, & dico quod vel Deus denegat illam primam gratiam efficacem parvulis, vel adultis: ſi parvulis, quia nempe non efficit ut perveniant ad gratiam baptiſmi, tunc communiter hoc accidit, vel propter negligentiam, aut malitiam parentum, vel propter rerum ordinem ita ſe habentem, ut naturaliter non poſſit parvulus pervenire ad gratiam baptiſmi, ſeu ad recipiendum baptiſmum, & tunc ſe habet permiſſive ad hanc privationem, quia non tenetur invertere communem rerum ordinem impedientem hanc baptiſmi receptionem, nec vim inferre voluntati parentum, qui noluerunt baptiſmum parvulo conferri, cum maxime pertineat ad ſapientem Dei providentiam, ſinere res agere ſecundum ſuam naturam, liberas libere, contingentes contingenter, & non paſſim miracula facere, ſuſque deque omnia vertere, propter bonum aliquorum particularium, ſufficit quod parvulus non damnatur ob hoc quod non potuit habere baptiſmum; ſed quia eſt in peccato originali, per quod fit reus damnationis æternæ, id eſt privationis. Unde privatio iſta baptiſmi in parvulo ſe habet in ordine ſupernaturali, quomodo monſtra in ordine naturali, & quomodo mors illius adulti qui incidit in amentiam, apoplexiam, lethargum poſt peccatum mortale: iſta enim omnia permittit Deus, quia iſta omnia ſinere, pertinet ad ſummum omnium proviſorem, qui paſſim non debet immutare rerum ordinem propter aliquod bonum particulare, & ſic bene ſatisfit huic difficultati pro parvulis.

Vide Duvallium in 2. p. D. Th. to. 1. Tract. de gr. qu. 5. art. 3.

Quod ſi Deus denegat primam illam gratiam efficacem adultis, tunc vel denegabit illis pro aliquo certo, & determinato tempore, vel pro toto vitæ tempore: ſi primum, hoc non pertinet ad prædeſtinationem, nec ad reprobationem: cùm etſi pro eo tempore ille adultus non credat, aut non convertatur, poteſt tamen alio tempore credere, & ſic ſalvari. Unde hoc ſpecialiter non pertinet ad prædeſtinationem, nec ad reprobationem: ſi ſecundum, ſcilicet quod pro toto vitæ tempore deneget, tunc

Nota valde quod hic loquimur de tali negatione primæ gratiæ, ex qua ſequitur negatio perſeverantia.

**Hoc probatũ eſt in præcedenti Objectione 3.*

dicendum, quod denegabit illi gratiam illam efficacem ob peccatum originale, in quo eſt, ſi nondum converſus ſit, vel propter alias cauſas nobis occultas, quas nec dicere, nec enumerare poſſumus: cùm & ipſe Auguſtinus, eas ſe ignorare reſpondeat libro de corr. & gratia cap. 8. & alibi communiter*: vel ſi jam cõverſus, relapſus ſit in peccatum actuale, tunc Deus denegabit illam ſi velit, ob peccatum illud actuale, ſive apertum, ſive occultum, & ob contemptum gratiarum præcedentium: unde erit culpa illius propria quod non habeat gratiam illam efficacem, cùm juſte propter peccata ſua denegetur illi à Deo: & hac pœna punıatur. Nec refert quod alteri ſimilia habenti peccata, gratia illa detur: Nam hoc non dat illi juſtam cauſam conquerendi, aut murmurandi contra Deum, quandoquidem cum utrique rei ſint, & digni hac punitione, poteſt uni dimittere Deus iſtam culpam, ſeu iſtum reatum ex miſericordia, & non dimittere alteri ex juſtitiâ, & ita juſte punire eum, quandoquidem in

Lib. de dono perſ. c. 8.

peccato eſt, & dignus hac pœna, & punitione: Juſte enim dicet ei paterfamilias, inquit Auguſt. [Tolle quod tuum eſt & vade: huic autem volo quod non debetur donare. An non licet mihi facere quod volo, an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum.] Hic ille ſi dicat, cur non & mihi? merito audiet, [O homo! tu quis es qui reſpondeas Deo?] quem certe in uno veſtrum benigniſſimum largitorem, in te vero exactorem juſtiſſimum, in nullo tamen cernis injuſtum. Cùm enim juſtus eſſet, etiamſi utrumque puniret; qui liberatur, habet unde gratias agat, qui damnatur, non habet quod reprehendat: Hæc ibi Auguſtinus. Quamquam autem id faciat Deus juſte, ſi velit: credibile tamen eſt, ſecundum ſenſum Apoſtoli, & Auguſtini, quod non ob ſolum peccatum mortale id fiat; ſed propter alias circumſtantias: ut v. g. ob enormitatem delicti, vel ob ſummam ingratitudinem delinquentis, ut ſi vir Religioſus multis donis à Deo affectus, graviter delinqueret: propter quod dicit Apoſt. Hebr. 6. Impoſſibile eſſe ejuſmodi rurſum renovari ad pœnitentiam: vel propter longam aſſuetudinem peccandi: vel quia immediate poſt incidit in apoplexiam, in lethargum, in amentiam, & ejuſmodi. Si enim ob ſolum peccatum mortale denegaret Deus gratiam efficacem, non eſſent inſcrutabilia, ut aït Apoſtolus & Auguſt. judicia Dei; ſed aperta, & manifeſta: Manifeſta enim cauſa eſſet quod hoc fieret ob peccatum mortale ſolum. Unde & neceſſarium eſt ſecundum ſenſum Apoſtoli & Auguſtini, quod id etiam fiat ob alias circumſtantias non communes, & ordinarias; ſed ratas & notabiles, nobis quidem incognoſcibiles, & ſoli Deo cognitas: Unde confidendum in Domino Deo eſt, & non deſperandum ex ſumma gratuitate ſuæ primæ gratiæ, quia etſi det eam qualem vult, & quando vult, non tamen nobis denegat efficacem, niſi ob graviſſimas & urgentiſſimas cauſas, ut prædictum eſt. Quia etſi juſtus & verax ſit, tamen bonus & miſericors eſt, & multum præſtabilis ſuper malitia hominum: qui non vult mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat. Qui neminem vult perire, ſed omnes ad pœni-

Lib. de dono perſ. c. 22.

tentiam reverſi : qui vult omnes ſalvos fieri: & ad agnitionem veritatis venire : Unde & dicendum omnibus peccatoribus, etiam ſæpe relapſis, cum Auguſtino: Si qui adhuc in peccatorum damnabilium delectatione remoramini, apprehendite ſaluberrimam diſciplinam, quod tamen cum feceritis,nolite extolli, quaſi de operibus veſtris, aut[Gloriari quaſi non acceperitis : Deus eſt enim qui operatur in vobis, & velle & operari pro bona voluntate.]Et[A Domino greſſus veſtri diriguntur, ut ejus viam velitis.] Hoc enim unum voluit nos ſanctus Doctor docere, ne quid nobis quaſi ex nobis, attribuamus ex operibus noſtris.Cæterum quantum ad id quod à ſolo Deo eſt, qualis eſt illa gratia, ſperare omnia optima voluit, & credere quod donabit potius gratiam efficacem, quam mere ſufficientem, juxta illud Sapientiæ : Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis, quærite illum quoniam invenitur ab his qui non tentant illum, & apparet eis qui fidem habent in illum. Unde & proſequitur ubi ſupra ſanctus Doctor: Vos itaque,inquit,etiam ipſam obediendi perſeverantiam [A Patre luminum, à quo deſcendit omne datum optimum, & omne donum perfectum] ſperare debetis,& quotidianis orationibus poſcere, atque hoc faciendo *confidere* non vos eſſe à prædeſtinatione populi ejus alienos, quia etiam hoc ut faciatis ipſe largitur. Abſit autem à vobis, ideo deſperare de vobis,quoniam ſpem veſtram in ipſo habere jubemini, non in vobis [Maledictus enim omnis qui ſpem habet in homine] & [Bonum eſt *confidere* in Domino, quam *confidere* in homine] quia [Beati omnes qui *confidunt* in eum] hanc ſpem tenentes : [Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore]quoniam de vita æterna, quam filiis promiſſionis promiſit,non mendax Deus ante tempora æterna, nemo poteſt eſſe ſecurus,niſi conſummata fuerit iſta vita, quæ [Tentatio eſt ſuper terram] ſed faciet nos perſeverare in ſe, uſque in ejus vitæ finem:cui quotidie dicimus[Ne nos inferas in tentationem. Et paulo poſt: An vero timendum eſt,inquit, ne tunc de ſe homo deſperet, quando ſpes ejus ponenda demonſtratur in Deo: non autem deſperaret, ſi eam in ſeipſo ſuperbiſſimus, & infœliciſſimus poneret. Ubi nihil agit Auguſtinus,niſi ut oſtendat Deum non minus curare uniuſcujuſque noſtrûm ſalutem,quam ipſi nos curare poſſemus, ſi ſolùm penderet à nobis : imo vero magis, cum tanto magis noſtrum bonum ipſe amet, quanto ipſe eſt melior nobis : Unde nullatenus diffidere debemus ab immenſa illius charitate, qui dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis, quin gratias efficaces potius, quam mere ſufficientes, ipſe præſtet nobis, modo nos ipſos non indignos earum efficiamus,noſtris multiplicatis peccatis, infidelitatibus, negligentiis, & aliis culpis, vel mortalibus, vel venialibus, cum nihil niſi juſte, & cum ſumma conſideratione, & ratione ipſe faciat, non autem ex mera ſua voluntate, nihil penitus conſiderante, & prævidente, ut volunt adverſarii. Magnum autem indicium eſt quod ipſe vult magis nobis dare gratias efficaces, quam inefficaces,ſeu mere ſufficientes, cum non neget

Cap. 1.

Iacobi 1.

Ierem. 17.

Pſal. 117.

Pſal. 2.

Iob 7.

Matth. 6.

Nota quod non nego meram voluntatem; ſed talem

efficaces, niſi ſolis indignis, iiſque non omnibus; ſed tantum quibuſdam quibus ſtatuit facere judicium, cum aliis faciat miſericordiam, ut ex ſupradictis manifeſtum eſt*.

meram voluntatem qua nihil conſideret, aut prævideat: mera enim voluntas requiritur ad conferendam gratiam, nō autem inconſiderata & improvida.

* Puncto præcedēte

PARAGRAPHUS QUARTUS.

Objectio quinta proponitur.

QUINTUM argumentum eſt ejuſmodi: Si in prædeſtinatione ad gloriam Deus habuit rationem meritorum, & non prædeſtinavit homines ex mera ſua voluntate aſſumpſitque merita tamquam media ad exequendam ſuam illam prædeſtinationem: tollitur vera ratio prædeſtinationis divinæ reſpectu prædeſtinati, & reprobi: quia tunc tota differentia utriuſque petetur à meritis, & non meritis: & non à prædeſtinatione, & non prædeſtinatione Dei, & ita petetur à nobis, & non à Deo. Quod abſurdum eſt, & contra Apoſtolum, & Auguſtinum.

PUNCTUM PRIMUM.

Propoſitæ ſatisfit Objectioni, & oſtenditur non noſipſos ſolos, ſed Deum ipſum nos diſcernere in ordine ad gloriam, in ea prædeſtinatione quæ eſt ex præviſis meritis.

RESPONDEO negando ſequelam: Nam per hoc quod Deus habet rationem meritorum in prædeſtinatione ad gloriam, non tollitur vera ratio iſtius prædeſtinationis; ſed tantum determinatur ad hunc modum potius, quam ad alium ex mera voluntate Dei: nam ex duobus modis quibus Deus poterat prædeſtinare homines, ſcilicet ante vel poſt præviſa merita, ſeligitur ille modus qui eſt poſt præviſa merita, & alter rejicitur, qui eſt ante præviſa merita.

Ad probationem autem qua dicitur quod tunc tota differentia petetur à meritis, & non à prædeſtinatione Dei, & proinde à nobis, & non à Deo. Reſpondeo id non ſequi: nec enim verum eſt, quod tunc tota illa diſcretio, & differentia petetur à noſtris meritis, & non à prædeſtinatione. Petitur enim partim à meritis, & partim à prædeſtinatione; longe autem magis à prædeſtinatione Dei, quam à meritis noſtris, cum merita noſtra, ſeu opera noſtra, nullam ex ſe habeant vim nos diſcernendi à reprobis in ordine ad gloriam; ſed illam totam habeant à prædeſtinatione Dei, qui mere voluntarie elegit noſtra opera, ſeu merita, ut daret nobis gloriam, cùm poſſet ea non eligere, & alio modo nos prædeſti-

prædeſtinare ſi vellet, & etiam illa ipſa merita ſint à Deo nos ad illa movente, & excitante, & ea ipſa ſuadente, & producente, & per hoc nos diſcernente: & non à nobis tamquam ex nobis, ut aït Apoſtolus 2. Corinth. 3. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis tamquam ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Unde cum in hoc prædeſtinandi modo omnia ſint à Deo, non tantum ut aſſumente ex ſe, & voluntarie noſtra merita, ut daret nobis gloriam; ſed etiam ut illa ipſa operante & dante: ideo falſum eſt quod tota differentia quæ tunc eſt inter prædeſtinatum & reprobum ſit a noſtris meritis, & non meritis, & non à prædeſtinatione Dei: ſit à nobis & non à Deo: cum è contra fere tota ſumatur à prædeſtinatione, & non à meritis, à Deo, & non à nobis, proüt explicuimus.

Sed dices: Licet merita noſtra ſolùm habeant vim diſcernendi prædeſtinatos à reprobis ex Dei voluntate, quæ mere voluntarie elegit ea, ut propter hæc conferret nobis gloriam: & etiam ipſa ſint à Deo nos excitāte & adjuvante: tamen quia nos per liberum arbitrium gratiis iſtis conſentimus omnino libere, & ex mera noſtra voluntate, ideo à nobis ſunt, & & ſic noſmetipſos diſcernimus à reprobis, qui non conſentiunt gratiis ſibi datis, & per hoc non prædeſtinantur.

Reſpondeo, verum eſſe quod per hoc aliquo modo & ſecundario noſipſos diſcernimus à reprobis, qui non conſentiunt gratiis, cum poſſent conſentire, ſi vellent; ſed cum hoc non ſit à nobis primario, & tamquam ex nobis; ſed ex Deo, qui movit nos ad iſta opera quibus conſenſimus, & ex ſemetipſo voluit nobis dare potius has gratias, quibus novit nos conſenſuros, quam alias quibus non conſenſiſſemus: ideo iſta diſcretio non eſt contra veram rationem prædeſtinationis, cum principium iſtorum operum, & conſenſuum, primario à Deo ſit, & non à nobis: neque etiam eſt contra mentem Apoſtoli, cum non neget Apoſtolus quod ſimus ſufficientes aliquid facere à nobis propter quod prædeſtinemur; ſed tantum quod ſimus ſufficientes facere aliquid à nobis tamquam ex nobis, propter quod prædeſtinemur, id eſt quod ſimus ſufficientes ex nobiſmetipſis per merum arbitrium noſtrum, nos movere ad bonum ſine Deo, per quod mereamur eligi, quod eſſet hæreticum, & Pelagianum.

Et certe ſi illa diſcretio, quæ eſt ab his meritis, quæ quidem à nobis ſunt; ſed tamen non ſunt ex nobis, eſſet contra veram rationem prædeſtinationis, dicendum eſſet non ſolùm quod prædeſtinatio ad gloriam non eſt facta ex meritis; ſed etiam quod nequidem ita potuerit fieri, cum impoſſibile ſit prædeſtinare homines propter merita prævíſa, ſeu ex prævíſis meritis: quin ſeipſos aliquo modo diſcernant per merita, conſentiendo ſcilicet libere gratiis datis, & ob hoc merendo prædeſtinari eâ prædeſtinatione quæ fit ex prævíſis meritis.

Quapropter dicendum eſt quod tota diſcretio & differentia prædeſtinati à reprobo, non petitur à meritis noſtris, ſeu quod idem eſt à nobis,

CCcc

ſed partim à meritis, partim à prædeſtinatione Dei; ſeu quod idem eſt, partim à Deo; partim à nobis, ita tamen ut principale principium diſcretionis à Deo ſit, & à mera illius voluntate, cum ex ſe & mere voluntarie ſeſe determinaverit ad eligenda merita, potius quam non merita, cum poſſet ea non eligere; ſed aliter nos prædeſtinare, ſi voluiſſet: Et præterea illa ipſa merita excitet, & producat nobis ſolum conſentientibus illius motioni, & ſuaſioni cui proinde præcipuæ partes iſtius operis jure tribuuntur: nec ſane aliud quicquam umquam poſtulavit Auguſtinus ad veram rationem prædeſtinationis, niſi hoc ut primum iſtud principium boni operis eſſet ex Deo, per hoc nos diſcernente & ſegregante, & non ex nobis, ut patet ex Epiſt. 89. ubi explicans illa verba Apoſtoli 1. Cor. 4. [Quid enim habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?] ſic aït: Id eſt, quid gloriaris quaſi *à teipſo* habeas? *quod ſi non accepiſſes, à teipſo habere non poſſes;* hoc autem dictum eſt, ut qui gloriatur, *non in ſeipſo*; ſed in Domino glorietur: & qui nondum habet unde glorietur, *non à ſeipſo* ſperet; ſed Dominum precetur. Et libro 2. ad Bonifac. ſic aït: Quis enim te diſcernit, aït idem Apoſtolus, homini tamquam de *ſemetipſo*, & *de proprio bono* glorianti? Et paulo infra: Ergo ille diſcernit, qui *unde* diſcernaris impertit, pœnam debitam removendo, indebitam gratiam largiendo. Ubi vides eum ſolùm poſtulare principium diſcretionis, ſeu unde diſcernitur, eſſe à Deo, & nihil aliud. Et libro de prædeſt. Sanct. cap. 5. ſic aït: Prius dixit (ſcilicet Apoſtolus) Quis enim te diſcernit? & deinde addit: quid autem habes quod non accepiſti? poſſet quidem dicere homo inflatus adverſus alterum, diſcernit me fides mea, juſtitia mea, vel ſi quid aliud: Talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor: Quid autem habes, inquit, quod non accepiſti? *à quo* niſi ab illo qui te diſcernit ab alio, cui non donavit quod donavit tibi? Si autem & accepiſti, aït, quid gloriaris quaſi non acceperis? Numquid quæſo agit aliud, niſi ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Nihil autem huic ſenſui tam contrarium eſt (nota valde) quam de meritis ſuis ſic quemquam gloriari, *tanquam ipſe ſibi ea fecerit, non gratia Dei.* (Et quia Pelagiani vocabant naturam gratiam, quia gratis eam à Domino accepimus, cito addit, & dicit:) Sed gratia quæ bonos diſcernit à malis, non quæ communis eſt & bonis & malis: Ubi vult veram Chriſti gratiam eſſe primum principium, ſeu principium à quo operis boni, & non naturam ſolam, ut volebant Pelagiani: quod & infra clarius explicat dicens: Ac per hoc, ubi dicitur, Quis enim te diſcernit? quid autem habes quod non accepiſti? quiſquis audet dicere: *Habeo ex meipſo fidem, non ergo accepi.* (ecce quod damnat Auguſtinus, ſcilicet quod fides noſtra, juſtitia noſtra, eſſet ex nobis, & non ex Deo, & ſic non eſſet accepta ab alio principio) profecto contradicit huic apertiſſimæ veritati: non quia credere, vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis humanæ, (ecce apertiſſime gratiam indifferentem, & per conſequens non eſt contra rationem prædeſtina-

Non vituperat abſolute Auguſt. hunc modū loquendi: fides mea, juſtitia mea, cum & ipſe ſæpe uſurpet eum etiā pro hominibus lapſis, ut infra demonſtrabimus in Obiect. 13. ſed tantum vituperat ſenſum Pelag. qui per hoc intelligebāt ita opera ſua pertine-

tionis & gratiæ quod eligendo credere, ſeu quod conſentiendo gratiæ datæ ad credendum, nos ſecundario diſcernamus à non credentibus, cùm primario ille nos diſcreverit per ſubminiſtrationem gratiæ efficacis, ſeu efficaciter nos moventis ad bonum, vel fidei, vel alterius virtutis, Quod eſt idipſum quod ſequitur) ſed in electis præparatur voluntas à Domino, id eſt excitatur & movetur primario voluntas à Domino, per gratiam prævenientem & præexcitentem, quod negabant illi hæretici, contra quos ibi agebat. Nihil ergo dicimus contra rationem prædeſtinationis, cum dicimus quod Deus nos primariò diſcernit per ſubminiſtrationem gratiæ excitantis,& moventis voluntatem ad bonum,ſecundario autem nos diſcernimus per conſenſum libere datum gratiæ,cum id ponat Auguſt. in noſtro arbitrio, dicendo quod credere vel non credere eſt in noſtro arbitrio, modo admittamus quod voluntas præparetur à Domino, id eſt excitetur & moveatur ad illam fidem quam eligimus, acceptamus, & facimus mediante illa gratia; unde Serm. 77. de diverſis poſt med. clare dicit quod ſicut nos diſcernit Deus per fidem, ita & ipſi diſcernimus nos per eamdem fidem ab iis qui non habent. Et alibi etiam aſſerit eamdem noſtram diſcretionem per bona noſtra opera, ſcilicet enarrat in Pſal. 57. ſub finem, & in Pſal. 143. circa finem.

re ad illos, ut negarent gratiā Dei eſſe ad illa neceſſariā, & ſic ſe totaliter diſcernerent.

Verum inſtabis & dices: Deus in hoc modo prædeſtinandi, eſt indifferens cui det, aut prædeſtinet gloriam modo habeat merita, cum illa ſola poſtulet: ergo totaliter determinatur ab eo qui habet merita ut prædeſtinet illum ad gloriam; ergo tota illa diſcretio eſt ab homine, & non à Deo.

Reſpondeo, conceſſo antecedente diſting. conſequentiam: determinatur aliquo modo ſecundarie, concedo: totaliter & abſolute nego. Determinatur enim Deus primariò à ſuo decreto præcedenti, & prævio de danda illa gloria iis qui haberent merita: quandoquidem primò, & per ſe, & ex ipſo, & mere voluntarie ſe determinavit ad eligenda illa merita, ut prædeſtinaret homines ad gloriam: & præterea determinatur adhuc à ſeipſo primariò, cum illa merita fecerit pro libito in homine, dando gratias efficaces quibus libuit,& negando illas quibus libuit, licet non ſine ratione & conſideratione prudenti, ut ſupra declaratum eſt: Unde in noſtra ſententia dici non poteſt quod creatura determinet Deum ad prædeſtinandam illi gloriam totaliter & abſolute, ut vult objectio: cum ut ex dictis patet, Deus ſemetipſum determinet primariò & per ſe; ſed tantum dici poteſt quod aliquo modo ſecundarie: eo modo quò creatura determinat Deum ad concurrendum ſecum quando parata eſt ad agendum quia Deus fecit decretum de concurrendò cum illa, quando parata eſſet ad agendum. Nam ut vis illa determinativa Dei,ad concurrendum cum creatura, non ſumitur primariò & per ſe à creatura quod abſit; ſed ab ipſo Deo qui fecit decretum mere voluntarie de ſic concurrendo cum creatura: ita & in noſtro propoſito vis determinativa Dei,ad prædeſtinandam gloriam homini, non ſumitur primariò & per

ſe ex meritis hominum; ſed ex bona Dei voluntate, qui mere voluntarie ſemetipſum determinavit ad prædeſtinandos homines propter merita, cum aliter potuiſſet eos prædeſtinare, ſi voluiſſet; & præterea (in quo prædeſtinatio diſtinguitur à concurſu) ipſe etiam procuravit ea merita (propter quæ homines prædeſtinantur) per gratias ſuas efficaces ſuadendo, excitando, alliciendo, & movendo efficaciter ad facienda illa opera: per quæ manifeſtum eſt quod ipſe eſt prima radix, & cauſa iſtius determinationis & diſcretionis, cum & hunc modum mere voluntarie elegerit, per quem homines prædeſtinantur ob merita, & illa ipſa merita per quæ dicuntur diſcerni ipſe procuraverit excitando, ſuadendo, & movendo homines ad illa; & ſic falſa eſt illa ſecunda conſequentia qua dicitur quod tota diſcretio ſit ab homine & non à Deo, cùm primaria & præcipua ſit à Deo, & tantum ſecundaria ſit ab homine quam non curarunt Apoſtolus & Auguſtinus, cum & ipſa accepta eſſet à Deo per gratias ſuas excitantes, & adjuvantes, & fundaretur in decreto ſuo prævio mere voluntario de danda hoc modo hominibus gloria: à quo modo prædeſtinandi, inſeparabilis omnino eſt illa ſecundaria hominis diſcretio per ſua merita. Unde vel negandus eſſet iſte prædeſtinandi modus Deo, ut ei impoſſibilis, quod nimis eſſet abſurdum, & illius libertati & potentiæ contrarium: vel omnino concedenda eſt homini ſecundaria illa diſcretio per ſua merita, ut huic modo prædeſtinandi prorſus intrinſeca & neceſſaria, quam & ideo non negavit Janſenius, Angelis & primis parentibus reſpectu prædeſtinationis eorum: quia putavit eorum prædeſtinationem eſſe poſt præviſa merita. Neque umquam Apoſtolus, aut Auguſtinus negaverunt omnimodam diſcretionem homini reſpectu gratiæ, vel gloriæ; ſed tantum primariam radicalem & non acceptam, & eam ſolam quæ excludit Deum à ſollicitandis primò, & per ſe bonis hominum operibus, & quæ vult hominem ſemetipſum primò & per ſe diſcernere ſine auxilio divino, orando, pulſando, quærendo, incipiendo primò & per ſe, cui initio & principio boni operis ut ab homine, ſubjungeretur Dei gratia, ſeu ejus auxilium ad perfectionem operis, quod non ſequitur ex noſtra ſententia, nec ex ſolutione data.

Lib. 9. de gr. Salv. c. 12.

Hoc ſupra probatũ eſt ex .eorum teſtimonii ante hanc inſtantiam allatis, & cõmuniter patet in libris quos ſcripſit Auguſt. contra Pelag. & Semipelag.

Punctum II.

Quædam refellitur Janſenii doctrina ſupradictis contraria, & oſtenditur contra eum, non minus Deum prædeſtinaſſe meritum Angelorum, quam lapſorum hominum in ſenſu Auguſtini.

Lib. 9. de gr. Salv. c. 26. initio.

VERUM contra inſtat Janſenius, & contendit hominem lapſum neque primario, neque ſecundario ſe diſcernere poſſe per merita: & ejus ratio hæc eſt: Quia, inquit, iſta eſt inter prædeſtinationem, ſive electionem innocentium Angelorum, & lapſorum hominum differentia,

quod Angeli, quia ſua voluntate quamvis non ſine gratiâ ſteterunt, non ad meritum beatitudinis; ſed ad præmium, & ipſam beatitudinem prædeſtinati ſunt: hi vero non minus ad meritum, quam ad præmium. Ex quo fit ut illi ex meritis, non ex gratia: hi ex pura gratia, non ex meritis electi ſunt, illorum proinde electionis cauſa ſit propriæ voluntatis electio (ubi vides ex Janſenio ſecundariam illam diſcretionem, de qua ſupra locuti ſumus, prorſus inſeparabilem eſſe à modo prædeſtinandi aliquem ex prævisis meritis) horum ſolùm miſericordia prædeſtinantis Dei. Quæ videtur etiam eſſe ratio, ut in univerſis Auguſtini ſcriptis, niſi fallor, nuſquam habeatur Angelos fuiſſe prædeſtinatos à Deo. Nam quamvis aliquo ſenſu hoc verum eſſe poſſet, quia ſaltem ex meritis ad gloriam prædeſtinati ſunt, plus tamen indicatur quando aliquis abſolute prædeſtidatus dicitur. Nam quia Dei prædeſtinatio tamquam efficax decretum operandi, rei prædeſtinatæ cauſa eſt: nemo abſolute prædeſtinatus dicitur, niſi quem ſua voluntate Deus ad creaturæ rationalis terminum, æternam fœlicitatem ejus perducendum ſuſcipit: viamque ſimul ac terminum, meritum ſcilicet & præmium in ea vi ſuæ prædeſtinationis operatur, quod ſane in Angelis, ut explicuimus, non habuit locum. Nam illa quoque ratio eſt, cur dæmones, quamvis proptia locutione Deus eos ad æternam damnationem prædeſtinaverit, utpote quam non alium quempiam; ſed ſe in eis prooter merita facturum eſſe præſcivit, non dicantur à Deo prædeſtinati: quia non viam in eis; ſed terminum tantum damnationis operatus eſt. Hinc fit igitur, ut Angeli, ſive beati, ſive damnati potius præſciti, quam prædeſtinati eſſe cenſeantur, quia meritum quod fœlicitatis & infœlicitatis moralis cauſa eſt, eos propria voluntate habituros, non ſua ſe efficaci voluntate, & prædeſtinatione in eis operaturum eſſe præſcivit: Sed in hominibus ex damnato genere ſalvandis propter cauſam ſæpe repetitam aliter accidit.

Prædeſtinari ad meritũ ſecundũ Janſenium, eſt prædeſtinari ad illud, ſine ulla prævisione antecedente & per gratiam determinãtem, & neceſſitantem arbitrium.

Reſpondeo, in hac inſtantia reperiri unum dubium, & plurima falſa. Dubium, eſt illud quod dicit prædeſtinationem Angelorum differre à prædeſtinatione hominum: multi enim Theologi tenent non differre; ſed utramque eſſe ex prævisis meritis, ut Iſambertus in 1.p.qu.23.diſp.4. A.2. & alii quot ibi citat, & indicat ex Leſſio. Inter falſa autem primum eſt (& eſt probatio ſuæ inſtantiæ) quod Angeli non ſint prædeſtinati ad meritum, æque ac ad præmium: Id enim patet eſſe falſum ex Auguſtino. Nam ſecundum Auguſtinum: Deus id omne prædeſtinat quod dat & facit in creatura in ordine ad gratiam & gloriam, ut patet ex his textibus: nam lib. de prædeſt. Sanct. c. 19. ſic aït: (in perſona quidem Semipelagianorum, ſed tamen in ſenſu ſuo quia in hoc conſentiebant ei Semipelagiani & erant orthodoxi) Cum ergo nos prædeſtinavit *opus ſuum* præſcivit, quo nos ſanctos & immaculatos facit. Et libro de dono perſeverantiæ cap. 7. Hæc, inquit (ſcilicet converſionem & perſeverantiam) Deus *facturum* eſſe præſcivit, ipſa eſt prædeſtinatio Sanctorum. Et cap. 14. ſic aït: Et ipſa (ſcilicet obedientia perſeverantiſſima

de qua prius locutus fuerat) igitur Dei *donum* eſt quod ſe *daturum* Deus vocatis ſuis illa vocatione, de qua dictum eſt [Sine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei] omni Chriſtiano confitente, præſcivit: hæc eſt igitur prædeſtinatio, quam fideliter atque humiliter prædicamus. Et cap. 17. In ſua quæ falli, mutarique non poteſt præſcientia, *opera ſua futura* diſponere id omnino, nec aliud quicquam eſt, prædeſtinare. Et infra: Quod ſi & *datur*, aut ea ſe *daturum* eſſe præſcivit, profecto prædeſtinavit. Et cap. 18. ſic aït: Prædeſtinaſſe eſt hoc præſciſſe quod fuerat ipſe *facturus*. Ubi manifeſtum eſt quod id omne quod datur, aut fit à Deo in ordine ad ſalutem ſpiritualem, prædeſtinatur: & audeo dicere, id unum eſſe conſtans & intrinſecum in prædeſtinatione Auguſtiniana: Nam quantum ad verbum quo ſignificat prædeſtinationem, mirum eſt quomodo mutet illud Auguſtinus: Aliquando enim exprimit illam, per verbum prædeſtinavit, & elegit: Aliquando per verbum, præſcivit, ut videre eſt in prædictis locis: Aliquando per verbum, promiſit, ut libro de prædeſtinatione Sanct. cap. 10. Promiſit, inquit, quod fuerat ipſe facturus, non quod homines. Aliquando per verbum, diſcerno. Diſcernuntur inquit, non meritis ſuis; ſed per gratiam mediatoris. Sed perpetuus & conſtans eſt in eo quod res prædeſtinata data & facta à Deo ſit per gratiam efficacem: unde hæc eſt præcipua nota & ſignum prædeſtinationis Auguſtinianæ, quod res facta à Deo ſit per gratiam ſuam efficacem: Et ratio eſt quia id unum expoſtulabat Auguſtinus ab adverſariis, ut faterentur actum bonum eſſe à Deo? fieri à Deo, & non à ſolo homine, ut volebant illius adverſarii: Unde ſæpiſſime prædeſtinatum apud Auguſtinum, nihil aliud ſignificat niſi datum, & factum à Deo.

Lib. de corr. & gr. c 7.

Atqui clare teſtatur Auguſtinus Deum feciſſe bonam voluntatem (quod eſt idem ac meritum) in Angelis, ut patet ex libro 12. de Civitate Dei cap. 9. ubi aït: Si boni Angeli fuerunt prius ſine bona voluntate, eamque in ſeipſis Deo non *operante* fecerunt, ergo meliores à ſeipſis, quam ab illo facti ſunt, *abſit*. Et paulo infra: Profecto, inquit, & *bonam voluntatem*, qua meliores eſſent, niſi *operante* adjutorio creatoris, habere non poſſent. Et adhuc infra ſic aït: Et cum id egit voluntas eorum bona, ut non ad ſeipſos qui minus erant; ſed ad illum qui ſumme eſt converterentur, eique adhærentes magis eſſent, ejuſque participatione ſapienter, beateque viverent: quid aliud oſtenditur, niſi *voluntatem quamlibet bonam* inopem fuiſſe in ſolo deſiderio remanſuram, niſi ille qui bonam naturam ex nihilo ſui capacem fecerat, *ex ſeipſo faceret implendo meliorem*, prius *faciens excitando avidiorem*. (Ubi vides gratiam excitantem & adjuvantem, ut in hominibus, & Deum feciſſe eorum bonam voluntatem, ut aït Auguſtinus de hominibus lapſis.) Et adhuc infra: Si bona (inquit, erat eorum voluntas, qua fecerunt ſe boni) ergo jam habebant: & iſtam quis *fecerat*, niſi ille qui eos cum bona voluntate, id eſt cum amore caſto, quo illi adhærent, creavit? ſimul in eis & condens naturam, & *largiens gratiam*. (ſeu bonam illam voluntatem, & caſtum

Eodē modo loquitur Auguſt. de homine lapſo Ser. 10. de verbis Apoſt. Si ille, inquit, nos fecit homines, nos autem ipſi nos fecimus ſalvos: Aliquid eo melius fecimus. melior enim eſt ſalvus homo, quam quilibet homo ſi ergo te Deus fecit, &c. vide locum.

amorem.) Ubi vides bonam illam voluntatem à Deo factam & datam, & per hoc prædeſtinatam. Et adhuc infra oſtendit, gratiam perſeverantiæ datam eis ſicut hominibus, dicens: Si utrique (id eſt boni & mali Angeli) boni æqualiter creati ſunt, iſtis mala voluntate cadentibus, illi *amplius adjuti*, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde ſe numquam caſuros certiſſimi fierent, pervenerunt. Ubi vides gratiam efficacem fuiſſe in eis, ſicut & in lapſis hominibus: cum dicat, amplius adjutos perveniſſe ad gloriam. Et per hoc patet actum bonum, ſeu meritum fuiſſe eis datum, & factum à Deo, ſicut & in lapſis hominibus: cum actum dari, & effici à Deo, nihil aliud ſit ſecundum Auguſtinum quam accepiſſe à Deo gratiam efficacem, ut fiat, prout infra demonſtrabimus ſcilicet in Object. 13. Unde eodem modo vult, ut loquamur de eorum charitate quantum ad hoc, quod data & facta ſit à Deo, quomodo loquimur de charitate lapſorum hominum, dicens paulo infra: Confitendum eſt igitur, cum debita laude creatoris, non ad *ſolos* ſanctos homines pertinere, verum etiam de *ſanctis Angelis* poſſe dici, quod charitas Dei *diffuſa* ſit in eis per Spiritum ſanctum, qui *datus* eſt eis. Nec tantum hominum, ſed primitùs, præcipueque Angelorum bonum eſſe quod ſcriptum eſt [Mihi autem adhærere Deo bonum eſt] hoc bonum quibus commune eſt, habent & cum illo, cui adhærent & *inter ſe ſocietatem ſanctam, & ſunt una civitas Dei*, eademque vivum ſacrificium ejus, vivumque templum ejus, cujus pars quæ conjungenda cum immortalibus Angelis ex mortalibus hominibus congregatur, & nunc mortaliter peregrinatur in terris. Ubi vides S. Doct. omnino æquiparare ſanctos Angelos hominibus quantum ad hoc quod à Deo data ſit eis charitas & bona voluntas, & proinde meritum ſicut hominibus ſanctis & juſtis qui faciunt cum eis, ut ipſe ait, unam ſanctam ſocietatem, & civitatem Dei.* Non quod eadem ſit gratia Angelorum & hominum (major enim eſt gratia hominum lapſorum quam Angelorum, quia ut infirmiores, indigent majori & fortiori auxilio) ſed quia utraque data eſt à Deo, & per hoc prædeſtinata utrorumque voluntas eſt, quæ eſt à tali gratia. Et capite 33. libri 11. eodem modo diſcretionem Angelorum tribuit Deo, quomodo alibi tribuit diſcretionem hominum: Nam ſicut dicit de hominibus libro 2. ad Bonif. c. 7. Cùm [Tenebræ eſſent ſuper abyſſum, dixit: Fiat lux, & facta eſt lux, & diviſit] hoc eſt diſcrevit [inter lucem & tenebras] non enim cum ſolæ eſſent tenebræ, quod diſcerneret invenit; ſed lucem faciendo diſcrevit, ut juſtificatis impiis dicatur [Fuiſtis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.] Sic ait de bonis & malis Angelis. Inter hos & illos Deum vel præſcientia, vel *opere diviſiſſe* quis dubitet: illoſque lucem merito appellari quis contradicat? quandoquidem nos adhuc in fide viventes, & eorum æqualitatem adhuc ſperantes, utique nondum tenentes: jam lux dicti ab Apoſtolo ſumus: [Fuiſtis] enim, inquit, [aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.] iſtos vero deſertores tenebras apertiſſime nuncupari profecto advertunt:

Janſ. l. 8. de hæreſ. Pelag. c. 8. §. Ex quibus, clare aſſerit bonã voluntatem Angelorũ & primorũ hominum, ſeu ut ipſe ait, ipſum bene velle eorum factũ eſſe à Deo.

E l. de grat. primi hominis c. 10 affert locum Fulgentii ubi dicitur, quod Deus quos voluit *Angelos à caſu defendit: quod ſatis innuit bonum actũ eis datũ per gratiam cõgruam, ſicut lapſis hominibus.*

** Non eſt eadem gratia hominũ lapſorum & Angelorum: quia hac tãtum afficit intellectum, & mediãte intellectu voluntatẽ: illa vero immediate afficit, & movet voluntatem, infundendo ei ſuam ſuavitatem & dulcedinem qua vincat*

pravā ſuavitatem cōcupiſcentia blandientis. Vnde & hac fortior altera eſt in movendo volūtatem: de utraque infra in object. 13.

qui pejores eſſe eos hominibus infidelibus, ſive intelligunt, ſive credunt: quapropter & ſi alia lux in iſto hujus libri loco intelligenda eſt, ubi legimus, dixit Deus, fiat lux, & *facta* eſt lux, & aliæ tenebræ ſignificatæ ſunt in eo quod ſcriptum eſt: Diviſit Deus inter lucem & tenebras, nos tamen (ſupple intelligimus) has duas Angelicas ſocietates, unam fruentem Deo, alteram tumentem typho, &c. Et infra: Nos ergo has duas ſocietates Angelicas inter ſe diſpares, atque contrarias, unam & natura bonam; ſed voluntate rectam: aliam vero natura bonam; ſed voluntate perverſam, aliis manifeſtioribus divinarum Scripturarum teſtimoniis declaratas.... *lucis tenebrarumque* vocabulis ſignificatas exiſtimavimus. Ubi vides bonos Angelos ſignificari per lucem, & malos per tenebras, inter quas præſcientia reſpectu malorum, & opere reſpectu bonorum Deus diviſit, hoc eſt; diſcrevit, non aliter ſane quam in hominibus per collationem bonæ voluntatis bonis Angelis, & negationem ejuſdem bonæ voluntatis malis. Et quod danda eſſet bonis Angelis à Deo perſeverantia, ſicut hominibus lapſis, patet ex libro de corr. & gratia cap. 10. ubi loquens Auguſtinus de malis Angelis, ſic ait: Si per liberum arbitrium (non quidem ſolum, ut ſatis alibi indicat; ſed à Deo adjutum: ſpecialiter tamen liberum, quia à concupiſcentia & paſſionibus non impeditum ſicut noſtrum; ſed tamen gratiæ indigum) in veritate ſtetiſſent, donec iſtam ſummæ beatitudinis plenitudinem tamquam præmium ipſius permanſionis acciperent, id eſt, ut *magna* per Spiritum ſanctum *data* abundantia charitatis Dei, *cadere* ulterius omnino non poſſent, & hoc certiſſime noſſent. Ubi vides perſeverantiam ipſam datam & dandam eſſe Angelis Dei per hæc verba: Magna per Spiritum ſanctum data abundantia charitatis Dei, cadere ulterius non poſſent: Nam ſi voluiſſet ſignificare beatitudinem per quam cadere ulterius non poſſent, potius dixiſſet divinam viſionem, quam charitatem: nec opus fuiſſet dicere, magnam & abundantem, cum per minimam viſionem Dei extra viam, ita ſtabilitur homo in bono, ut cadere ultra non poſſit; ſed dicit per magnam abundantiam charitatis, quam ſcilicet dederat eis per gratiam ſuam efficacem, ita ut cadere ulterius omnino non poſſent, per quod ſignificat donum perſeverantiæ, &c. quod qui habent, cadere ulterius non poſſunt: Unde ait libro de dono perſev. cap. 6. Hoc ergo Dei donum ſuppliciter emereri poteſt: ſed cum datum fuerit *amitti contumaciter non poteſt*, cum enim perſeveraverit quiſque uſque in finem neque hoc *donum poteſt amittere*, nec alia quæ poterat ante finem. Quomodo enim poteſt amitti per quod fit, ut non amittatur, etiam quod poſſet amitti. Quod idem omnino eſt. ac id quod dixit, quod cadere ulterius non poſſent. Denique probo meritum bonum, ſeu bonam voluntatem eſſe datam Angelis, ſeu à Deo factam in Angelis, ex eo quod illa data eſt primis parentibus, ſeu facta in illis, quorum, ut ait Janſenius,* eadem cauſa eſt quoad prædeſtinationem ad gloriam. Nam Auguſtinus de Civitate Dei libro 14. cap. 11. ſic ait: Fecit

** Lib 9. de gr. Salv. c. 10 §. Sed de beatis Angelis, &c.*

itaque

itaque Deus ſicut ſcriptum eſt hominem rectum, ac *per hoc voluntatis bonæ:* non enim rectus eſſet bonam non habens voluntatem: bona igitur voluntas *opus eſt Dei.* Et libro de corr. & gr. cap. 11. Tunc ergo (inquit) *dederat* homini Deus bonam voluntatem in illa quippe eum *fecerat*, qui fecerat rectum. Et Ser. 105. clare innuit quod antequam peccaret Adam, nihil erat in eo, niſi quod *contulerat* ei miſericordia creatoris. Unde cum eadem ſit cauſa ſecundum Janſenium illius hominis & Angelorum, confitendum eſt bonam voluntatem Angelorum, ſeu meritum illorum, eſſe opus Dei, eſſe factum à Deo, eſſe datum ab illo, & per hoc prædeſtinatum, ut & iſtius hominis.

PUNCTUM III.

Inſtantia quædam quæ fieri poſſet pro Ianſenio, refellitur; & oſtenditur contra eum quod Deus non ſolùm dedit Angelis habitus bonos; ſed etiam actus bonos, & ipſam perſeverantiam.

SED forte dicet Janſenius iſta omnia ſolùm ſignificare habitus bonos in voluntate Angelorum, & primorum hominum, non vero actus illorum, & perſeverantiam eorum actualem: de his enim actibus meritoriis & perſeverantia ſolùm negat quod ſint opera Dei, data aut facta à Deo in Angelis, ſicut factæ ſunt in hominibus lapſis; ſed eſſe opera eorum arbitrii, non tamen ſine gratia operantis. Sed

Reſpondeo primo de actibus, & dico quod bona illa voluntas, ſive in Angelis, ſive in primis parentibus, non dicitur ab Auguſtino bona, quia bonis habitibus inſtructa, & manens otioſa; ſed quia bonis actibus intẽta. Sic enim indicat bonam exiſtimaſſe primorum parentum voluntatem, quia bonis actibus erat intenta à principio ſuæ creationis, reprehendens eos libro 14. de Civit. Dei cap. 13. quod in ea bonitate perſeverare noluerunt. Si (inquit) voluntas (eorum) in *amore* ſuperioris boni immutabilis à quo illuſtrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret, ſtabilis permaneret, non *inde* ad ſibi placendum averteretur (quod indicat priorem actum continuum, aut frequentiſſimum fuiſſe ab initio, à quo per culpam ſuam defecerunt.) Et ex hoc intenebreſceret, & frigeſceret, ut vel illa verum crederet dixiſſe ſerpentem, vel ille Dei mandato uxoris præponeret voluntatem.* Ubi oſtendit amorem illum incommutabilis boni non habitualem fuiſſe; ſed actualem, ſeu ut clarius dicam non fuiſſe habitum, ſed actum: cum ad eum producendum haberent illuſtrationem Dei actualem, eamque non levem, quandoquidem per illam accendebantur in illum amorem: Unde D.Th. 1.p.qu.95.A.1.ad 5. clare innuit primum hominem conſenſiſſe gratiæ in primo inſtanti ſuæ creationis, quod non potuit fieri niſi per actum: & per conſequens fuit ille actus, à quo rectus denominatus eſt ab initio, ſeu in ſua creatione, & quem

Non ſolet Auguſt. uti nomine volitionis, ad exprimendũ actum voluntatis; ſed nomine ipſiuſmet voluntatis, ita quod apud ipſum voluntas ſæpe idem ſit, ac actus voluntatis, ſeu ipſa eſt volitio. Vnde Ianſ. l. 2. de gr. Salv. c. 9. §. Hoc igitur ſolius. In aliquo loco Auguſt.

vocat Auguſtinus bonam voluntatem quam Deus fecit in eo, & quam vocat opus Dei. Sed de Angelis res non eſt minus clara, imo forte magis, cum ita loquatur Auguſtinus de illorum voluntate in locis ſupracitati, ut ſine actu intelligi omnino non poſſit, ut patet ex his verbis: Profectò & bonam voluntatem qua meliores eſſent, niſi *operante adjutorio creatoris* habere non poſſent: Ubi vides operans adjutorium Dei, & per conſequens actum Dei adjuvantem, aut excitantem actum creaturæ. Et ſequitur: Et cum id egit eorum (ſcilicet Angelorum) voluntas bona, ut non ad ſeipſos qui minus erant; ſed ad illum qui ſumme eſt, converterentur (hoc ſane non poteſt intelligi ſine actu quo Deus faceret eos convertere ad ſe, & ſibi inhærere proût ſequitur)eique adhærentes magis eſſent, ejuſque participatione ſapienter, beateque viverent.(puto quod ſapienter vivere eſt bene operari: & adhuc ſequitur) Quid aliud oſtenditur niſi voluntatem quamlibet bonam inopem fuiſſe in ſolo deſiderio remanſuram (puto quod hoc reſpicit actum) niſi ille qui bonam naturam ex nihilo ſui capacem fecerat, ex ſeipſo faceret implendo meliorem (ſcilicet per gratiam adjuvantem & cooperantem complentem actum) prius faciens excitando avidiorem (movendo ſcilicet eam per gratiam excitantem ad majorem perfectionem appetendam) Et infra: Et iſtam quis fecerat (ſcilicet bonam voluntatem) niſi ille, qui eos *cum bona voluntate, id eſt, cum amore caſto* quo illi adhærent, creavit (ubi manifeſtus eſt amor actualis Angeli Deo adhærentis) ſimul in eis, & condens naturam, & largiens gratiam. (non rarus eſt modus loquendi Auguſtini, vocare actum à Deo gratis datum gratiam, ut videre eſt in ſuis libris contra Pelagianos & Semipelagianos: unde & ſequitur) unde ſine bona voluntate, hoc eſt Dei *amore*, numquam ſanctos Angelos fuiſſe credendum eſt: Et hinc eſt quod dicit D. Thom. 1. p. qu. 63. A. 5. ad 4. Angelos meruiſſe in primo inſtanti ſuæ creationis, ſcilicet per amorem illum caſtum, & bonam voluntatem; & ſtatim poſt beatos fuiſſe. Quod clare demonſtrat eos numquam ſine actu fuiſſe, illo ſcilicet quem vocat Auguſt. amorem caſtum, & bonam volũtatem, quam ſupra dixit in illis Deum feciſſe, & operatum eſſe: Ex quo clare patet Deum etiam meritum eorum prædeſtinaſſe, ſicut lapſorum hominum lege in tomo 5. Auguſtini Commentarium Leonardi Coquæi in prædictum caput Auguſtini, ubi videbis prædictos locos ut de mente Auguſt. explicari de actibus Angelorum à Deo factis ſicut in homine lapſo: & de iis debere dici, non minus quam de homine lapſo; Quid habes quod non accepiſti? &, Non eſt volentis, neque currentis; ſed miſerentis Dei. Uide etiam Eſtium in 1. Sent. diſt. 41. §. 13. ubi ait Anſelmum dicere, quod in ſanctis Angelis locũ habebat illud Apoſt. Quid habes quod non accepiſti? Et Bernardum: Quod bonis Angelis *datum* fuit, ut ſine peccato perdurarent. Et Fulgentium Auguſtini Diſcipulum: Cunctos Angelos uniformi ruinæ conſortio opprimi potuiſſe, niſi quos *vellet*, à caſtu pravitatis *virtus divina defenderet*. Et infra: Quod *non alia* virtus ſtantem

pro voluntate, ponit volitionem, per parentheſim, & lib. 6. cap 5. multoties.

**V. de Janſ. lib. de ſtatu primi hominis c. 2. §. Hac porrò.*

1. p. q. 62. A. 5. in Corp.

Lib. de caſu Diaboli.

Lib. de grat. & lib arb.

Lib. 2. ad ad Traſim. Regem c. 21

Cap. 3.

Angelum à ruina potuit cuſtodire, niſi *illa* quæ lapſum hominem, poſt ruinam potuit reparare. *Vna* eſt, inquit, in utroque *gratia operata*. Hæc ibi Eſtius. Et D.Thom.1.p.qu.62. A.2. loquens de actibus eorum, vult ratione illorum actuum pertinere etiam ad illos, illud Apoſtoli Rom.6. Gratia Dei vita æterna, quod ipſe Auguſtinus interpretatur de meritis gratiæ. Et idem D.Thom. ibidem A.4. etiam in Corp. loquens de merito Angelorum refert illud Apocal. c. 21. Menſura Angeli in illa cæleſti Hieruſalem eſt menſura hominis: æquiparans in hoc Angelos hominibus: imo vero ipſe Janſenius lib.9. de gratia Salv. cap. 15. loquens de merito Angelorum & hominum, ſub nomine medii, quo adipiſcuntur Regnum cælorum: dicit Deum illud operatum eſſe in iis: Medium, inquit, quod ad gloriam conducit, hoc eſt fidem & opera bona, ſeu *merita in utriſque operatur*. Unde indubitatum eſt Angelos æque fuiſſe prædeſtinatos ad meritum, ſeu ad actus meritorios, ac ad præmium, ſicut homines lapſos. *In Corp.* *Lib. de corr. & gr. c. 13.*

Quantum autem ad perſeverantiam, quod data & facta ſit à Deo in bonis Angelis, & per hoc prædeſtinata, clare indicant ſupracitati loci ex Auguſtino, ut cum dicit libro 12. de Civitate Dei cap. 9. Si utrique boni æqualiter creati ſunt iſtis mala voluntate cadentibus, illi *amplius* adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem; unde ſe numquam caſuros certiſſimi fierent *pervenerunt*: Ubi vides ultimam eorum diſpoſitionem ad gloriam quæ eſt perſeverantia tribui Dei adjutorio efficaci & potentiori non vero ſoli eorum voluntati non ſine gratia operanti, ut communiter vult Janſenius: Pro quo lege ſupracitatum Commentarium, & videbis ibi differentiam perſeverantium, & non perſeverantium Angelorum, tribui de mente Auguſtini altitudini ſapientiæ & ſcientiæ Dei, & efficaci motioni, ſeu ſpeciali auxilio Dei, dato unis, & negato aliis, ſicut in hominibus lapſis. Item, & locus quem adduximus ex cap. 33. ejuſdem libri; clare indicat ſpecialem illam gratiam perſeverantiæ datam bonis Angelis, per quam *opere Dei* diviſi ſunt, ſeu diſcreti ſunt à malis, & facti ſunt lux in Domino, & hi tenebræ remanſerunt. Et tandem ille locus quem adduximus ex libro de corr. & gratia cap.10. ubi permanſio eorum, ſeu perſeverantia explicatur per magnam illam per Spiritum ſanctum *datam* abundantiam charitatis, ut cadere ulterius non poſſent manifeſte demonſtrat perſeverantiam bonorum Angelorum datam illis eſſe à Deo præ aliis, & per hoc prædeſtinatam eſſe ſicut eam quæ datur hominibus lapſis. Et ſic manifeſtum eſt falſum eſſe id quod dicebat Janſenius Angelos non fuiſſe prædeſtinatos ad meritum ſicut ad præmium, pro quo vide etiam Eſtium in 2. Sent. diſt. 5. §. 2. circa medium.

Verùm Janſenius lib.9. de gr. Salv. c.12. vult probare Angelos non fuiſſe à Deo prædeſtinatos ad perſeverantiam: Primo ex eo quod dicat Auguſt. Deum præſciſſe eos non peccaturos, id eſt eos eſſe perſeveraturos: Sed reſpondeo ibi Auguſtinum loqui de tali præſcientia, quæ coincidit cum prædeſtinatione, per quam dicit Deum præſciſſe quod fuerat ipſe factu-

rus. Vel de ſimplici præſcientia, quæ non excludit prædeſtinationem: unde in libro illo tertio de libero arbitrio ab illo citato, loquitur Auguſtinus eodem modo de hominibus lapſis, præcipue capite 3. ubi aït: Quod Deus *prævidet* quid facturus ſit de juſtis, impiiſque hominibus, & alia multa ſimilia.

Secundo probat ex hoc textu de Civitate Dei cap. 26. libri 14. ubi aït Auguſtinus: Quod jam non diſcernit homines lapſos meritis. Ex quo concludit Janſenius quod cæteros diſcernit meritis, & non gratia. Reſpondeo Auguſtinum ibi loqui de meritis per excellentiam, quæ ſolum conveniunt Angelis & primis parentibus, ad quæ concurrebat minor gratia: non vero de meritis ſimpliciter. Merita autem illa per excellentiam manifeſtat libro de prædeſt. Sanct. cap. 15. ubi aït: Humana hîc merita conticeſcant, quæ perierunt per Adam. Non enim ibi vult dicere quod nulla ſint merita, quam merita Adæ, quod eſſet erroneum, & contra illa quæ alibi docet de meritis hominum lapſorum: Sed vult dicere quod illa merita per excellentiam, non amplius extant propter abundantiorem gratiam jam ad illa concurrentem, propter quam vocat illa merita gratiæ, & non amplius merita, ſcilicet per excellentiam: ſed manifeſtum eſt quod per illa diſcernuntur Angeli, & per hoc prædeſtinantur, cum illa diſcretio tribuatur Deo, & non ipſis, ut ſupra videre eſt. Tandem arguit Janſenius ex diverſo adjutorio dato Angelis & hominibus. Sed hoc nihil facit ad præſentem difficultatem, ſufficit enim nobis ſupra oſtendiſſe adjutorium Angelorum quale quale ſit, fuiſſe diverſum in diverſis, & per hoc eſſe diſcernens unos ab aliis, ſicut in hominibus lapſis.

PUNCTUM IV.

Oſtenditur falſum eſſe quod plus requiratur ad eſſe prædeſtinatum, quam eſſe prædeſtinatum ex prævîſis meritis: Et proinde verum eſſe quod Angeli non minus dicendi ſunt prædeſtinati, quam homines lapſi.

SECUNDUM falſum eſt id quod aït: Plus indicari quando aliquis abſolute prædeſtinatus dicitur, quam prædeſtinatum eſſe ex meritis: Quia, inquit, prædeſtinatio, eſt decretum efficax, quod operari debet meritum, & præmium, ſeu, ut ipſe aït, viam & terminum in eo qui dicitur prædeſtinatus: Sed

Reſpondeo hoc eſſe falſum: non enim minus recte prædeſtinati dici poſſunt, qui ex præviſa collatione efficacis gratiæ ab ipſo prædeſtinante dependente, prædeſtinantur ad ſolum terminum, quam qui nihilo ſuppoſito abſolute prædeſtinantur ad viam, & ad terminum. Et ratio eſt quia in primo modo prædeſtinandi non minus pendet prædeſtinatus à prædeſtinante, quam in ſecundo: & prædeſtinans ei etiam ſuo modo

prædeſtinat viam æque ac terminum, ut requiritur in probatione prædicti falſi, cum gratis ei conferat media illa per quæ obtinet terminum: Unde non minus manet obligatus totius ſuæ prædeſtinationis ſuo prædeſtinatori, quam alter: Ex quo manifeſtum eſt quod non minus luculente huic modo prædeſtinandi convenit ratio ſtricta & vera prædeſtinationis, quam alteri: & proinde quod ei qui hoc modo prædeſtinatus eſt, non minus belle convenit denominatio prædeſtinati ſimpliciter dicti, quam alteri. Quod etiam confirmari poteſt ex ipſo Janſenio qui lib. 9. de gratia Salv. cap. 4. §. tertio Sequitur. aït meritum quod præcedit in prævisione prædeſtinationem non impedire propriiſſimam & rigoroſiſſimam rationem prædeſtinationis in ejuſmodi prædeſtinato. Quod etiam exemplificat in ſanctis Angelis, qui ſecundum ipſum prædeſtinati ſunt ex prævisis meritis. Unde cum admittat Janſenius in hujuſmodi prædeſtinatis ex meritis, veram & propriiſſimam & rigoroſiſſimam rationem prædeſtinationis (ſupra quod ſane nihil rationabiliter poteſt amplius requiri ad hoc ut, quis habens illud, ſimpliciter & abſolute prædeſtinatus denominetur) dicendum eſt quod id quod præterea Janſenius requirit ut neceſſarium, eſt mere voluntarium, in ratione non fundatum, & gratis confictum.

Prædeſtinare ad viam ſecundum Janſenium eſt prædeſtinare ad actus meritorios ſine conſenſu creaturæ ſub conditione præviſo: & eſt producere illos independenter à conſenſu creaturæ.

Tertium falſum eſt quod, aït ob hoc Auguſtinum numquam vocaſſe Angelos abſolute prædeſtinatos, eo quod prædeſtinati ſunt ad ſolum terminum, & non etiam ad viam, ſeu ad meritum, per quod pervenitur ad illum terminum.

Reſpondeo enim primo quod ſi Auguſtinus nullibi vocaverit Angelos abſolute prædeſtinatos, ſeu non dixerit eos eſſe à Deo prædeſtinatos, non ideo eſt, quia Deus non prædeſtinavit eos ad viam, ſeu ad meritum: quandoquidem ſupra demonſtravimus, Deum in eis operatum eſſe eorum bonam voluntatem & meritum, & per hoc prædeſtinaſſe illud: ſed quia occaſio non ſe obtulit eos ita vocandi. Tam raro enim & tam paucis attingit eorum prædeſtinationem (de qua numquam niſi obiter, & ex accidenti locutus eſt) ut non mirum ſit quod occaſio non occurrerit, eos ſic vocandi, ſicut homines lapſos; de quorum prædeſtinatione multum diuque diſputavit cum Pelagianis & Semipelagianis. Unde fieri moraliter non potuit, quin aliquando vocaverit eos prædeſtinatos ſimpliciter, ſeu dixerit eos eſſe à Deo prædeſtinatos: Sed ſane evidentiſſimum eſt, quod ita Angelos etiam vocaſſet, ſi occurriſſet occaſio, & ſi de eorum prædeſtinatione plura diſſeruiſſet, cum innocentes homines (quorum, ut dixi, eadem ſecundum Janſenium cauſa eſt cum Angelis prædeſtinatis) dicat fuiſſe à Deo prædeſtinandos ſi in ſanctitate manſiſſent, quo caſu fuiſſent prædeſtinati ex prævisis meritis ſicut Angeli boni. Sic enim id refert Janſenius ex Auguſtino libro 9. de gratia Salv. cap. 15. §. Sed merito quæri poteſt. Ideo dicit (Auguſtinus) quod ſi in paradiſo *peccatum non fuiſſet* uſque ad certum numerum *Sanctorum quem prædeſtinavit Deus*, naſcerentur *homines*. Ubi vides quod

Lib. 1. Ret. cap. 13.

ſi illi homines innocentes in ſauctitate manſiſſent, omnes illi ſecundum Auguſtinum prædeſtinati eſſent: ergo idem dicendum eſt de Angelis qui permanſerunt, cum eadem eorum ſit cauſa quoad prædeſtinationem cum innocentibus hominibus, ſecundum Janſenium: Nec eſt quod cavilletur hîc Janſenius, ibi dici numerum prædeſtinatum, & non homines prædeſtinatos. Dico enim ibi numerum non dici prædeſtinatum ratione ſui; ſed ratione ſubjecti, cum numerus ille numerans, ſit incapax illius prædeſtinationis, de qua ibi ſermo eſt; ſed tantum numerus numeratus, qui dicitur prædeſtinatus eo modo quo dicitur multitudo ſancta, quia conſtat ſanctis, & multitudo prava, quia conſtat pravis, ſic dicitur ille numerus prædeſtinatus, quia conſtat prædeſtinatis. Et ita ſe explicat ipſe Auguſtinus libro de corrept. & gr. cap. 12. dicens: Numerus ſanctorum per gratiam Dei prædeſtinatus, donata ſibi etiam uſque in finem perſeverantia, illuc integer perducetur: numquid enim ille numerus numerans recipiet gratiam Dei, numquid etiam illi dabitur perſeverantia uſque in finem, & non potius hominibus qui ſub hoc numero continentur? Sed ecce quos vocaverat Auguſtinus numerum prædeſtinatum, vocat eos poſtea prædeſtinatos cap. 13. ſequenti, ut oſtendat ſe non tribuere prædeſtinationem numero ut ſic; ſed hominibus ſub illo numero contentis: Hæc, inquit, de his loquor qui *prædeſtinati* ſunt ad Regnum Dei, quorum ita eſt *certus numerus*, ut nec addatur eis, non dicit ei, ut oſtendat, ſe non loqui ſolùm de numero numerante; ſed eis ut oſtendat ſe loqui etiam de iis qui ſub hoc numero continentur, ſcilicet de prædeſtinatis.

Ibi numerus ſumitur pro numeratis, eo modo quo civitates pro civibus: ut Matt. 23. Hieruſalē quæ occidis Prophetas, & lapidas eos. *Et Eccleſia in hac Orat.* Deus cui ſoli cognitus eſt numerus in ſuperna ſœlicitate locandus. *Numquid enim ibi loquitur enti rationis qui eſt numerus numerās, & non potius numeratus.*

Reſpondeo ſecundo eum etiam alicubi vocare Angelos prædeſtinatos ſimul cum prædictis innocentibus hominibus. Nam lib. 14. de Civitate Dei cap. 10. ſic ait: Quam igitur fœlices erant primi homines..... tam fœlix univerſa ſocietas eſſet humana, ſi nec illi malum, quod etiam in poſteros trajicerent, nec quiſquam ex eorum ſtirpe iniquitatem committeret, quæ damnationem reciperet: (ubi vides eum ſupponere ſtatum innocentiæ in illis hominibus eſſe manſurum; unde & mox addit) Atque iſta permanente fœlicitate (ſcilicet fœlicitate ſtatus innocentiæ) donec per illam benedictionem quâ dictum eſt [Creſcite & multiplicamini] *prædeſtinatorum ſanctorum* numerus compleretur, alia daretur major (ſcilicet fœlicitas) quæ beatiſſimis Angelis data eſt. Ubi vides numerum completum ex ſolis innocentibus hominibus & Angelis, qui omnes ſecundum Janſenium prædeſtinati eſſent ex prævîſis meritis, vocari ab Auguſtino numerum abſolute prædeſtinatorum, ſeu prædeſtinatorum ſine addito: & per conſequens manifeſtum eſt, non eos minus vocari ab Auguſtino prædeſtinatos abſolute & ſimpliciter, quam homines lapſos, contra falſum dictum Janſenii. Nam licet non nominet ibi ſanctos Angelos Auguſtinus, tamen apertiſſime comprehenduntur in illo numero prædeſtinatorum completo. Nec eſt ulla ratio cur excludantur, cùm eadem ſit ſecundum ipſum Janſenium,

Prædeſtinati ſimpliciter dicūtur ii, qui non dicuntur prædeſtinati ad hunc, vel illū termi-

eorum cauſa cum illis innocentibus prædeſtinandis.

Et ſane non video cur hoc non tribueret Auguſtinus ſanctis Angelis, æque ac hominibus lapſis, cum ſupra viderimus quod cenſuit Auguſtinus, eos æque eſſe prædeſtinatos ad meritum, ac ad præmium ſicut homines lapſos, non quidem in ſenſu proſcripto & damnato Janſenii, qui per meritum prædeſtinatum intelligit meritum à gratia determinante & neceſſitante profectum; ſed in ſenſu Auguſtini, qui vocat eorum bonam voluntatem, ſeu quod idem eſt eorum meritum datum & factum à Deo per gratiam ſuam efficacem mere liberam & indifferentem (qualem ſolam admittit in Angelis ſanctis ipſe Janſenius) & per hoc prædeſtinatum, ut ſupra demonſtratum eſt.

num, ſed ſimpliciter, & ſine addito dicuntur prædeſtinati. Modo non obſtet ſubjecta materia, ſeu circumſtantia loci.

Quod ſi etiam velimus uti ipſis principiis Janſenii, contra ipſum Janſenium, facile nobis erit oſtendere quod juxta mentem D. Auguſtini, tam ſtricte & proprie beati Angeli dicuntur à Deo prædeſtinati, quam homines lapſi. Nam libro 9. de gratia Salv. cap. 16. §. Reſpondetur D. Auguſtini. vult Janſenius de mente Auguſtini Scripturas illas, quæ vocant homines electos intelligi de eorum completa & integra prædeſtinatione ad gratiam & gloriam. Nemo enim, inquit, nec ab Auguſtino, nec à Scripturis, nec ab Eccleſia, umquam vocatus eſt, aut vocari debet electus, aut prædeſtinatus, niſi qui ſic ad gratiam & fidem eligitur, ut ſimul etiam ad perſeverantim eligatur. Atqui ſancti Angeli vocantur in Scripturis electi, ut patet ex 1. ad Timoth. 5. ubi ſic ait Apoſtolus: Teſtor coram Deo & Chriſto Jeſu, & *electis Angelis* ejus. Ubi clare vocantur Angeli electi, ſicut fideles vocantur electi in iis Epiſtolis ex quibus probat in prædicto capite Janſenius ob eamdem locutionem prædictos fideles debere dici prædeſtinatos ſimpliciter & abſolute ad gratiam & gloriam, & ad meritum & præmium. Unde manifeſtum eſt quod cum Angeli etiam ibi vocentur electi, debent dici prædeſtinati abſolute & ſimpliciter ad gratiam & gloriam, & ad meritum & præmium ſecundum Janſenium, etiam de mente Auguſtini.

Iſti electi Angeli intelliguntur ab Eſtio & D. Th. in illum locum vere prædeſtinati. Ideo enim ibi vocantur electi, ut diſtinguantur à reprobis Angelis coram quibus tamquã coram legitimis teſtibus noluiſſet Apoſtolus quicquam ſic teſtari, ſeu aſſeverare. Unde Theophilact. in hunc locũ conſiderat

Punctum V.

Rejicitur quædam falſa ratio Janſenii, cur Dæmones non dicuntur abſolute prædeſtinati. Et præterea oſtenditur quod Angeli boni non minus recte dici poſſunt prædeſtinati, quam præſciti: & homines lapſi, non minus præſciti quam prædeſtinati.

QUARTUM falſum eſt quod ait Dæmones non dici prædeſtinatos à Deo, quia non viam in eis, ſeu meritum; ſed terminum tantum damnationis operatus eſt. Non enim ob hoc non dicuntur prædeſtinati à Deo, quia Deus non operatus eſt in eis viam, ſeu meritum in ſenſu

hos electos ut oppoſitos rejectis & per hoc ut vere & proprie prædeſtinatos.

*In præcedēte Punct.

Janſenii, id eſt quia non decrevit Deus eorum meritum malum, ſeu peccatum abſolute, & ante omnem prævifionem futurum, cum nec ſic decreverit bonum meritum Angelorum, ut fatetur Janſenius, & tamen ſunt vere prædeſtinati, ſeu prædeſtinati ſimpliciter, ut ſupra vidimus ex Auguſtino*.

Sed ideo non dicuntur prædeſtinati, primò quia non ſunt prædeſtinati ad terminum, ut per auxilium Dei acquirendum, quemadmodum Angeli ſancti, & homines lapſi, quod maxime conſideravit Auguſtinus in ratione ſtrictæ & proprie dictæ prædeſtinationis, ut videre eſt in operibus ejus adverſus Pelagianos & Semipelagianos, in quibus totus eſt in probando, quod illud auxilium debet admitti, ut prorſus neceſſarium ad ſtrictam & proprie dictam prædeſtinationem quam defendebat contra eos. Et ſecundò quia non ſunt prædeſtinati ad bonum recipiendum, quod prorſus etiam neceſſarium eſt ad ſimpliciter dictam prædeſtinationem ſecundum ſenſum, & uſum communem: Quis enim umquam dixit aliquem eſſe prædeſtinatum ſimpliciter, & abſolute, & ſine addito, niſi eum qui eſſet prædeſtinatus ab bonum? & quis audiens aliquem dici prædeſtinatum, umquam poſtulavit? an is eſſet prædeſtinatus ad pœnam, an vero ad gloriam, & non potius ſimpliciter intellexit eum eſſe prædeſtinatum ad bonum, vel gratiæ, vel gloriæ, cum in hoc diſtinguatur communiter reprobatio à prædeſtinatione proprie & ſimpliciter dicta, quod reprobatio ſit ſemper in malum, prædeſtinatio vero ſit ſemper in bonum? Hinc enim eſt quod quando transfertur iſtud vocabulum prædeſtinationis ad reprobos, ut aliquando fit ab Auguſtino, ſemper additur, vel ad pœnam, vel ad ſupplicium, vel ad mortem æternam: ut diſcernatur illa impropria prædeſtinatio, à prædeſtinatione propria & ſimpliciter dicta, quæ ſemper eſt in bonum: Unde non eſt alia quærenda ratio præter iſtam & præcedentem; cur Dæmones non dicantur prædeſtinati à Deo, niſi ſcilicet quia communis uſus & ſenſus tribuit hanc vocem, ſeu vocabulum prædeſtinationis proprie & ſimpliciter dictæ ſolis prædeſtinatis in bonum, & non prædeſtinatis in malum pœnæ, quales ſunt Dæmones in æternum cruciandi. Et quia Deus non præbuit eis auxilium ad terminum ſuum acquirendum, ſicut Angelis ſanctis, & hominibus lapſis, ut ſupra dictum eſt.

Et ſic patet, ſupradictum quartum falſum Janſenii, in ſua inſtantia dicentis, quod ideo Dæmones non vocantur, prædeſtinati à Deo, quia non ſunt prædeſtinati ad viam, ſeu meritum ſicut ad terminum, id eſt in ejus ſenſu, quia non decrevit Deus eorum meritum malum, ſeu peccatum abſolute, & ante omnem prævifionem futurum. Non enim ideo non vocantur prædeſtinati à Deo; ſed ob duas ſolùm rationes modo declaratas quæ abunde ſufficiunt.

Quintum falſum eſt quod Angeli, ſive boni, ſive mali potius dicuntur præſciti, quam prædeſtinati: Supra enim ſatis oſtendi bonos Angelos veriſſime & propriiſſime eſſe à Deo prædeſtinatos ſecundum Auguſt.

& pe

& per hoc non potius debere dici præſcitos, quam prædeſtinatos: imo vero ibi oſtendit eos ab ipſomet Auguſtino vocari prædeſtinatos. Quantum autem ad malos Angelos, concedo illos eſſe præſcitos vere, & ſimpliciter; ſed non ob hoc quod prædeſtinati ſunt ad pœnam ex prævifis eorum meritis malis, ut vult Janſenius: ſed ob hoc quod non præbet eis Deus auxilium, nec movet eos ad malum & ad damnationem ſuam, quod ſupra diximus eſſe neceſſarium ad proprie dictam prædeſtinationem.

Sextum denique falſum, eſt quod dicit è contra homines lapſos, qui ſalvandi ſunt, potius dici prædeſtinatos, quam pr r ſcitos: Nam licet in mox explicato ſenſu, non poſſint dici præſciti quia hoc removet omnem gratiam, & omne auxilium divinum à merito eorum: tamen in alio ſenſu vere dici poſſunt præſciti, ſicut & prædeſtinati: cum præſcientia divina ſit omnino intrinſeca prædeſtinationi eorum, ut nunc eſt: Unde vocat eos communiter Auguſtinus præſcitos, & prædeſtinatos; ita ut libro de corrept. & gr. in uno ſolo capite ter vocet eos præſcitos, & prædeſtinatos: Et libro de dono perſeverantiæ cap. 18. & 19. vult prædeſtinationem eorum recte explicari poſſe per præſcientiam, ubi illud Apoſtoli: [Non repulit Deus plebem ſuam quam *præſcivit*] (ubi ſolius fit mentio præſcientiæ) exponit de prædeſtinatione hominum, & vult quod illud *præſcivit*, ſit idem ac prædeſtinavit: Unde & paulo poſt loquens de eadem prædeſtinatione, aït: Quod prædeſtinaſſe eſt hoc *præſciſſe* quod fuerat ipſe facturus. Et adhuc infra: Quid ergo, inquit, nos prohibet quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus *Dei præſcientiam*, & agitur de vocatione electorum, eamdem prædeſtinationem intelligere (per illam ſcilicet præſcientiam ſignificatam) magis autem fortaſſe voluerunt hoc verbo (præſcientiæ) in ea re uti, quod & facilius intelligitur, & non repugnat, imo & *congruit veritati quæ de prædeſtinatione prædicatur.* Audis veritatem: nihil ibi fictum, ſed totum eſt verum: neque etiam eſt quid improprium: nam ibi tam ſtricte, & proprie loquitur Auguſtinus de prædeſtinatione hominum lapſorum, ut hæc dicat conſequenter. Hoc ſcio neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundum Scripturas ſanctas defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe. Ergo nihil ibi improprium, cum ibi doctrinaliter agatur de dogmate fidei. Unde & fidelis ejus interpres & Diſcipulus D. Proſper, eumdem modum loquendi ſecutus eſt: ſic enim aït in ult. reſponſ. ad cap. Gall. num. 15. Quæ ex munere Dei habemus, & quæ *præſcita* dicuntur, non poſſunt non eſſe *prædeſtinata*: & quæ *prædeſtinata* appellantur, non poſſunt non eſſe *præſcita*. Ubi vides iſtam denominationem ſecundum eum eſſe reciprocam, præſcitum, & prædeſtinatum reſpectu hominum lapſorum prædeſtinatorum, quos ideo etiam alibi nuncupat multitudinem *præſcitam*. Sed & ipſe Janſenius libro 3. de gratia Salvat. cap. 21. §. Cum igitur. aït: Auguſtinum non ſemel (id eſt multoties) appellaſſe in ſcriptis ſuis homines lapſos qui erant prædeſtinati, præ-

Cap. 9.

Cap. 19. initio.

Lib. 2. de voc. Gent. c. 29. Vide etiam c. 31. 33. & 34.

ſcitos: & de iis etiam ibi exponit illa verba Auguſtini: Quos ante præſcivit. quod ſane idem eſt ac ſi dixiſſet, præſcitos. Ex his ergo manifeſtum eſt non minus recte convenire hominibus lapſis prædeſtinatis, denominationem præſcitorum, quam prædeſtinatorum. Et proinde falſum dixiſſe Janſenium, quando affirmavit contrarium.

PARAGRAPHUS QUINTUS.

Objectio ſexta proponitur.

SEXTUM argumentum eſt hujuſmodi: Major gratia data, eſt ſignum majoris amoris; ſed major eſt gratia quæ confertur electis, cum ipſa ſit efficax, quam ea quæ confertur reprobis, quæ non eſt efficax: ergo ſignum eſt majoris amoris præcedentis, & proinde prædeſtinationis ante præviſa merita.

PUNCTUM PRIMUM.

Objectioni propoſitæ duæ priores ſolutiones adhibentur, & obiter oſtenditur Deum habere rationem quarumdam circumſtantiarum in diſtribuendis ſuis gratiis efficacibus.

RESPONDEO primò quod ſi argumentum hoc valeret, probaret etiam prædeſtinationem non potuiſſe fieri poſt præviſa merita, cùm iis etiam quibus in hac vita collatæ eſſent gratiæ efficaces, dicerentur magis dilecti, & per hoc prædeſtinati ante præviſa merita: quod abſurdum.

Reſpondeo ſecundò diſting maj. Nam vel gratia ibi ſumitur pro eo quod datur ex intentione peculiari obligandi & favendi, vel pro eo etiam quod ex alia intentione dari poteſt. Si primum, verum eſt quod major gratia data, eſt ſignum majoris amoris: cùm illa intentio ſit amor ipſe, unde & quod ex ipſa datur, debet eſſe ſignum amoris majoris, vel minoris, ſecundum rationem, ſeu quantitatem ejuſmodi gratiæ datæ: Si autem ſecundum, eſt falſum: ad minorem concedo eam: ſi gratia primo modo ſumatur: ſi autem ſecundo, nego: Unde nego conſequentiam, quia illa gratia non datur communiter ex peculiari amore; ſed ex generali, de quo
113. Argumento ex ratione. ſupra, determinato tamen per circumſtantias loci, temporis, vel perſonæ, prout ſupra explicuimus pro bona Dei voluntate: Pro quo advertendum eſt quod, ut ſupra dixi, licet Deus det ſuas gratias ex generali amore erga homines, non tamen inconſiderate & improvide; ſed conſideratis omnibus circumſtantiis loci, temporis & perſonæ, quæ

Faciunt ut diſtributio illa fit maxime ex ſapientiâ & ſcientiâ Dei, prout aït Apoſtolus Rom.11. [O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus !] Nam v. g. quod multi apud Italos, Gallos, & Hiſpanos, baptiſentur & credant, non ſic tamen apud Turcas, & Barbaros: quis credat id fieri ex peculiari amore erga illos baptiſatos & fideles, & non ex generali ſuo amore erga homines, determinato tamen ad hunc locum, cum in iſtis locis communiter, & ordinarie baptiſentur pueri, & in fide inſtruantur, & ſic communis ibi ſit gratia; eſt tamen vera gratia, quia etiam in iis locis aliqui non baptiſantur, nec credunt. Item quod ex magna hominum multitudine qui adſint alicui concioni multi ex docilioribus convertantur, multi ex indocilior bus non convertantur: quis non videat id fieri, occaſione perſonæ; eſt tamen eis vera gratia quòd convertantur, quia etiam aliqui ex docilionbus non convertuntur, & aliqui ex indocilioribus convertuntur; & numquid videmus quod ii qui mites ſunt à natura, & bonæ indolis, facilius pietati, & religioni adhærent, quam duri & feroces, & pravæ indolis homines; eſt tamen eis gratia quod ſic adhæreant pietati, quia etiam aliqui à natura mitiſſimi & optimæ indolis viri corrumpuntur, & adhærent vitiis, & non pietati, nec religioni, Deo nempe ita operari volente ex ſumma ratione & providentia, cujus rationem nulli homini reddere tenetur: Nam ut aït Apoſtolus[An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam: O homo! tu quis es qui reſpondeas Deo? Ergo cujus vult, miſeretur, & quem vult indurat.] Vult autem dare communiter converſionem docilioribus, potius quam indocilibus: Tu quis es qui reſpondeas Deo? Vult etiam manſuetis, & bonæ indolis hominibus communiter dare pietatem, & religionem potius quàm duris & pravæ indolis viris: Tu quis es qui reſpondeas Deo?

Ad Rom 9.

At, inquies, ergo gratia Dei ſecundum merita datur. Negatur conſequentia: Non enim dico quod fides, aut converſio, detur omnibus docilibus, ſeu quod ſemper detur docilioribus, & negetur indocilibus: imo vero dico contrarium, ſcilicet aliquando eam negari docilioribus, & aliquando etiam donari indocilibus. Nec item dico quod pietas & religio detur omnibus manſuetis, & bonæ indolis viris, & quod negetur omnibus duris, & pravæ indolis viris; ſed tantum dico quod communiter, & aliquibus: In quo manifeſtatur gratia, & bona voluntas Dei, qui, ut aït Auguſtinus, hominibus dat quibus vult, quoniam miſericors eſt, quod etſi non det, juſtus eſt: & non dat quibus non vult: [Ut notas faciat divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ] Dando enim *quibuſdam* quod non merentur, profecto gratuitam, & per hoc veram ſuam gratiam eſſe voluit, *non omnibus* dando, quid omnes mererentur oſtendit: bonus in beneficio certorum, juſtus in ſupplicio cæterorum: & bonus in omnibus, quoniam bonum eſt cum debitum redditur: & juſtus in omnibus, quoniam juſtum eſt, cum debitum ſine cujuſquam fraude

Vera nota gratia ſecũdum Auguſtinum eſt quando non datur ſemper omnibus eaſdem qualitates habentibus; ſed datur etiã aliqui-

Deus contrarias qualitates habentibus.

Supra vidimus ex Auguſt. in Argum. 3. ex ratione in margine, quod meritum quod aſtruebant Pelagiani, & proinde quod impugnabat Auguſtinus, erat juſtitia & importans debitū: unde ſequitur quod erat univerſale, & tale cui ſemper Deus deberet dare gratiam, cū adeſſet, & negare eam cum abeſſet. Unde in eodem lib. & cap. ubi citato aāt Auguſt. Pelag. Ut videlicet intelligamus docentibus vobis, ideo non omnes *ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, quia nolunt petere, cum Deus velit dare: nolunt quærere, cū*

donatur. Et non aliter probat idem Auguſtinus gratiam gratis dari, niſi eò quod nulli certæ qualitati hominum ita detur, ut non etiam detur contrarias, eaſque pravas & illaudabiles qualitates habentibus, quando Deus vult. Unde libro 1. ad Simplicianum ſub finem ſic ait: Quiſquis fuerit quam minimis peccatis irretitus, atque maculatus, (nam nullis quis poteſt) & acer ingenio & liberalibus artibus expolitus? eligendus videtur ad gratiam;ſed cum hoc ſtatuero, ita me ridebit ille qui [Infirma mundi elegit, ut confundat fortia; & ſtulta mundi, ut confundat ſapientes.] Ut cum intuens & pudore correptus ego irrideam multos, & præ quibuſdam peccatoribus caſtiores, & præ quibuſdam piſcatoribus oratores. Nonne advertimus multos fideles noſtros ambulantes viam Dei ex nulla parte ingenio comparari, non dicam quorumdam hæreticorum; ſed etiam minorum. Item nonne videmus utriuſque ſexus (aliquos, vel etiam multos) in conjugali caſtitate viventes ſine querela, & tamen, vel hæreticos, vel paganos, vel etiam in vera fide, & vera Eccleſia ſic tepidos: ut eos miremur meretricum, & hiſtrionum ſubito converſorum, non ſolum patientia & temperantia, ſed etiam fide, ſpe, & charitate ſuperari. Reſtat ergo ut voluntates eligantur; ſed voluntas ipſa niſi occurrerit aliquid quod delectet, atque invitet animum, moveri nullo modo poteſt, hoc autem ut occurrat non eſt in poteſtate hominis: Quid volebat Saulus niſi ut invaderet, & traheret, vinciret, & necaret Chriſtianos, quam rabida voluntas, quam furioſa, quam cæca: qui tamen una deſuper voce proſtratus, occurrente utique tali viſo quo mens illa & voluntas, refracta ſævitia retorqueretur, & corrigeretur ad fidem, repente ex mirabili Euangelii perſecutore mirabilior prædicator effectus eſt: & tamen quid dicemus [Numquid iniquitas eſt apud Deum] exigentem à quo placet, & donantem cui placet: Et in hunc ſenſum ſic loquitur de baptiſmo parvulorum Epiſt. 105. Cur providentia Dei, inquit, cuius noſtri capilli numerati ſunt, non conſulit *omnibus* parvulis filiorum ſuorum (id eſt piorum) ut renaſcantur ad hereditatem cæleſtem, & *nonnullis* conſulit etiam parvulis impiorum? Et de perſeverantia ſic ait libro de dono perſev. cap. 8. Hominibus videtur, *omnes* qui apparent boni fideles perſeverantiam uſque in finem accipere debuiſſe: Deus autem melius eſſe judicavit, miſcere *quoſdam* non perſeveraturos certo numero Sanctorum ſuorum: ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione ſecuritas, non poſſint eſſe ſecuri. Sic ergo vult Auguſtinus Deum dare ſuam gratiam efficacem aliquibus certas qualitates habentibus, ut non det tamen omnibus; ſed etiam aliis qualitates contrarias habentibus, ut oſtendat Dei gratiam eſſe omnino liberam, & indebitam, & per hoc veram gratiam: cùm det eam quibus vult, & neget eam quibus vult: unde & proſequitur ſic Auguſtinus loco ſupracitato ad Simplicianum: Qui (ſcilicet Deus) nequaquam exigit indebitum nequaquam donat alienum [Numquid iniquitas eſt apud Deum, abſit] quare tamen & huic ita, & huic non ita: [Homo tu quis es ?]

debitum ſi non reddis, habes quod gratuleris, ſi reddis non habes quod queraris: credamus tantum etſi capere non valemus; quoniam qui univerſam creaturam, & ſpiritualem, & corporalem fecit & condidit, [*Omnia in numero, & pondere, & menſura diſponit*;] ſed [Inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus] dicamus halleluia, & collaudemus canticum, & non dicamus quid hoc, vel quid hoc? Omnia enim in tempore ſuo creata ſunt. Quo nihil clarius dici poterat ad probandum noſtrum intentum. Sed quia bene video hanc doctrinam non placituram adverſariis, præcipue quoad bonam indolem perſonæ, quia magis videtur accedere ad meritum, quod omnino arcendum eſt à gratia*: ideo paulo accuratius eſt probanda, tum ex Scripturis, tum ex ſenſu Eccleſiæ, tum ex ſenſu D. Auguſt. & D. Thomæ.

Deus velit oſtendere: nolunt pulſare, cum Deus velit aperire. Unde non aliter rejicit iſtud meritũ Auguſt. quam oſtendendo quod aliqui qui non habent tale meritũ, recipiunt tamen gratiam ut parvuli, qui non poſſunt quærere, petere & pulſare: & aliqui qui habent tale meritum, non recipiunt gratiam. Ex quo manifeſtum eſt quod vera nota gratiæ Auguſtinianæ eſt, quod non ſemper detur, aut negetur eaſdem qualitates habentibus; ſed aliquando eis detur, aliquando negetur, ut ſic gratia, appareat indebita, & repellatur meritum juſtitiæ Pelagianum.

* *Intellige meritum juſtitiæ; nam meritum congrui non opponitur gratiæ.*

Punctum II.

Multifarie multiſque modis oſtenditur Deum dare ſuam gratiam efficacem bonæ indolis hominibus potius quam aliis ſine præjudicio gratiæ.

Ex Scripturis ſic probatur: Nam Chriſtus Matth. 11. dicit: Quod ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in urbibus Choroſaïm & Bethſaida, illæ jamdudum pœnituiſſent, ubi hæ indurabantur: quid enim hoc ſignificat, niſi quod Deus dediſſet gratias efficaces illis, quas non dedit iſtis, quia nempe illi dociliores erant quam hi qui ob duritiam ſuam ibi increpabantur: gratiæ enim externæ nõn ſufficiunt ad pœnitentiam, ſeu converſionem peccatoris; ſed præterea requiruntur gratiæ internæ. Cum ergo dicit Chriſtus quod illi pœnituiſſent, ubi hi non pœnitebant, ſequitur quod illis dediſſet gratias efficaces, quæ ſolæ faciunt pœnitere, quas non dat iſtis. Et cum hi increpentur, ex comparatione ad illos, ut duriores & indociliores illis, ſequitur, quod Deus dat ſæpius gratias efficaces docilioribus, quam indocilibus, Deo ita operari volente non ob meritum eorum; ſed ex determinatione ſuæ voluntatis quæ ita ſuaviter voluit operari: Unde bene Eſtius ait in illum locum quod poteſt dari humana ratio, quare Deus ordinarie ſic operetur, exhibitis externis miraculis, ubi corda minus dura ſunt: Diſponit enim, inquit, & operatur omnia ſuaviter, certo modo & ordine. Non tamen illa qualiſcumque cordis mollities ullam habebat rationem meriti generaliter dicti, reſpectu doni pœnitentiæ: uti nec bona indoles, aut ingenium naturale, quod habent infideles reſpectu

fidei Chriſtianæ: *Licet ordinarie qui meliori ſunt indole facilius, ac proclivius fidem Chriſtianam ſuſcipiant, ſi illis prædicetur, Deo ſic operari volente.* Et infra: Nota, inquit, quod Deus quamvis interdum quædam faciat extraordinarie, ut oſtendat ſe non eſſe alligatum ad certum ordinem agendi, *plerumque tamē ſervat ordinarium quemdam modum agendi per certa quædam & apta media.* Hæc ibi Eſtius, qui dicit id omne quod intendimus.

Similis locus eſt apud eumdem Matthæum cap. 12. ſequenti, ubi Chriſtus adhuc exprobrans Judæis duritiam ſuam, dicit eis, quod Ninivitæ pœnitentiam egerant in prædicatione Jonæ, ipſi autem non agebant pœnitentiam in prædicatione ſua, licet ipſe longe major eſſet Jona. Quid enim hoc ſignificat, niſi quod Ninivitis ut docilioribus dederat Deus gratias efficaces quibus crederent minori illis prædicanti, quas negabat Judæis ob duritiem ſuam, ita ut non crederent majori & potiori, ſibi prædicanti Chriſto. Deo nempe ita operari volente, ut prædictum eſt: unde bene monet Pſalmiſta Pſalmo 94. [Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra] non quod Deus non emolliat iſta corda quando vult; ſed quia ſæpe non vult. Unde & ſequitur: Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi ſemper hi errant corde (ecce ſubtractio gratiæ efficacis ob indurationem, & deinde reprobatio) quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. Supra quæ dicit Auguſtinus: improbati ſunt illi quibus diſplicuit miſericordia Dei, qui reſtiterunt Deo, corde indurato: illis (ſcilicet induratis) improbatis, numquid perdidit Deus populum ſuum? non erit verum, potens eſt Deus de lapidibus iſtis, ſuſcitare filios Abrahæ? (& qui ſunt iſti filii Abrahæ: nempe dociles, & mites corde, ut infra dicit in fine Pſalmi?) Unde autem intrarunt illi qui intraverunt: illi qui electi ſunt: *qui non corde obdurato reſtiterunt*, quia verum eſt quod non repellet Dominus plebem ſuam. Hæc ibi Auguſt. juxta ſenſum ſacræ Scripturæ: ubi clare oſtendit duros & indociles communiter privari gratiis efficacibus ob duritiam ſuam, quæ numquam non patet magnis peccatis: docilibus autem è contra dari, non quia eis Deus debitor ſit; ſed quia vult ita operari ex bona voluntate ſua.

Hoc quod tribuimus ſenſui Eccleſiæ, eſt etiā Auguſt. Serm. 18. de Sanctis, qui Se:mo ab aliquibus tribuitur Fulg. illius Diſcipulo:

Quantum autem ad ſenſum Eccleſiæ: maxime patet ex eo quod tribuit peculiariter ſexui fœmineo, devotionem & pietatem, publice cantans in Officio divino: Intercede pro *devoto* fœmineo ſexu: per hoc oſtendens Deum iſtis perſonis potius dare devotionem, quam aliis; Deo ita operari volente: non quod illæ mereantur iſtam gratiam, abſit. Nam & amplius non eſſet gratia, & ſicut deberetur omnibus, ita & daretur omnibus cujus tamen videmus contrarium: cum inter illas aliquæ ſint indevotiſſimæ, atque impiiſſimæ; ſed quia ita vult operari Deus in docilibus, pro ſuaviſſima ſua providentia, & pro bona voluntate ſua.

Nunc autem ex Auguſtino patet, nam ille libro de dono perſev. c. 14. aït: Habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelli-

gentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus, vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant: numquid iſte orthodoxiſſimus prædeſtinationis & gratiæ genius, vult dicere quod hi ex propria ſua virute, aut ex merito ſuæ iſtius diſpoſitionis habeant quod credant, ſi prædicaretur ipſis, aut miracula fierent coram eis, abſit: nihil enim aliud ubique impugnat quam iſtam abſurditatem; ſed vult dicere, quod Deus dat gratiam efficacem potius illis quam aliis, ex ſuavi ſua providentia & bonitate, & pro bona voluntate ſua.

Denique probatur ex D. Thoma: nam 1. p. qu. 62. A. 6. in Corp. loquens de Angelis, & poſtea dicit idem eſſe de hominibus, ſic aït: Rationabile eſt quod Angeli qui meliorem naturam habuerunt, etiam fortius & efficacius ad Deum ſint converſi, *hoc autem etiam in hominibus contingit*: quod interpretãs Iſambertus diſp. unica A. 3. in illam qu. ſic aït: Non quod naturalis perfectio uniuſcujuſque Angeli (& idem eſt de homine dociliore, cum loquatur de utroque D. Thomas æqualiter) fuerit ei diſpoſitio, poſtulans talem modum & terminum gratiæ, eo modo quo diſpoſitiones ad aliquam formam naturalem eam poſtulant: hoc enim tamquam Pelagianum condemnatur à pluribus Conciliis; ſed quod Deus *ex mera ſua libertate* voluerit Angelo quoad naturalia ſua perfectiori (& idem eſt homini dociliori) dare majus auxilium ſupernaturale, ut ſeſe converſione ſupernaturali converteret in Deum.

Ponit tamẽ hanc differentiam D. Thomas inter Angelos & homines in eodem articulo: quod ſcilicet Deus Angelis dedit gratiam juxta naturam generaliter, hominibus autẽ

non ſic generaliter; ſed ſecundum aliquam diſtinctionem, quia ſcilicet non omnes homines moventur in bonum, ſecundum ſuam omnem virtutem ſicut Angeli, & ideo id non convenit omnibus hominibus; ſed tantum aliquibus, ſcilicet docilioribus facilioribus. & melioris indolis hominibus; qui ob inſignem docilitatem & bonitatem naturæ, vix habent aliquid quod impediat, aut retardet eorum motum, ne totaliter ferantur in bonum: quando illis propoſitum eſt, ſicut Angeli Dei. Et licet id non dicat formaliter, & in terminis D. Thom. tamen id ſatis colligitur ex illa diſparitate, quam ibi affert quoad hoc inter Angelos & homines, quod illi non ſunt compoſiti ex diverſis naturis, quarum una impetum, alterius impediat. aut retardet ſecus vero homines: Nam cùm illa compoſitio non habeat hunc effectum in docilioribus, & melioris indolis hominibus, ut prædictum eſt, hinc ſequitur quod nec in eis habeat locum exceptio; ſed tantum in aliis: Sed potius quod in eis verificetur, comparatio ſicut excipitur in aliis. Quod ſi quæras, cur Deus ſic reſpiciat ad naturam, cum non reſpiciat ad opera; Reſpondet D. Thomas in eodem art. in reſp. ad 2. quod actus, ſeu opera creaturæ ſunt ab ipſa; ſed natura eſt immediate à Deo: Unde magis videtur quod gratia detur ſecundum gradum naturæ, quam ex operibus.

Et ſic per omnia patet quod Deus habet rationem circumſtantiæ perſonæ in diſtribuendis ſuis gratiis, non quod ex merito illarum det illis; ſed ex bona voluntate ſua, & ex ſuavi ſua providentia, ita ut homines videantur operari naturaliter, licet non ita ſit, dans ſæpe hominibus docilioribus, & melioris indolis efficaces gratias, & negans eas oppoſitis naturis: non tamen ſemper, quia hoc non facit ex debito; ſed ex bona voluntate ſua: ſed tantum plerumque & frequenter: quod ſi dicat indocilis & pravæ homo indolis: cur non & mihi ſicut & iſtis? merito audiet: [O homo! tu quis es qui reſpondeas Deo?] quem certe in aliquibus veſtrum benigniſſimum largitorem, in te vero exactorem juſtiſſi-

Quod dociliores à natura, ſint proclivìores ad pietatem, hoc videtur eſſe à natura, eſt tamen à gratia. Auguſt. libro de dono perſ. c. 8.

mum, in nullo tamen cernis injuſtum: cum enim juſtus eſſet, etiamſi utroſque puniret: qui liberatur, habet unde gratias agat, qui damnatur, non habet quod reprehendat. Ergo credamus tantum etſi capere non valemus, quoniam qui univerſam creaturam & ſpiritualem & corporalem fecit, & condidit: omnia in numero, & pondere & menſura diſponit; ſed inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. Dicamus halleluia, & collaudemus canticum; & non dicamus quid, vel quid hoc, omnia enim in tempore ſuo creata ſunt.

Ex lib. 1. ad Simplic. ſupra relato.

PUNCTUM III.

Quibuſdam inſtantiis contra præcedentem doctrinam allatis ſatisfit.

SED dices: Si dociliores credunt, & agunt pœnitentiam, viſis miraculis, & auditis prædicatoribus, potiuſquam indociles: ſequitur quod ſeipſos diſcernunt, & gloriari poterunt in ſeipſis, contra id quod dicit Apoſtolus & Auguſtinus.

Reſpondeo neg. id ſequi, non enim id habent à ſeipſis, & à ſuo merito; ſed à bona voluntate Dei qui mere voluit eis dare gratiam credendi, & non aliis, ut ſupra dictum eſt: unde id non convenit illis omnibus; ſed tantum illis quibus placuit Deo dare iſtam gratiam, quandoquidem ſunt alii æque dociles ac ipſi qui eadem viderunt, & audierunt, & tamen converſi non ſunt, ubi aliqui duri & indociles minora videntes, & audientes converſi ſunt, quia id prorſus pendet à voluntate Dei, qui quidem communiter & ordinarie, ita vult agere ut dociliores audito verbo Dei, & viſo miraculo credant, & convertantur: ſed tamen quando vult etiam dociles prætermittit, & duros & indociles ad ſe convertit, quia nemini debitor eſt, & omnia libere facit æque ac ſapienter in numero, pondere & menſura.

Inſtabis & dices quod his ſuppoſitis, non eſt amplius recurrendum ad altitudinem ſapientiæ & ſcientiæ Dei, contra illud Apoſtoli, O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ, &c. quia facile erit dicere: cur hic habeat gratiam efficacem, ille vero inefficacem, quia nempe ille docilis eſt, & diſpoſitus ad gratiam, ſeu ad bene utendum gratia, hic vero non eſt.

Reſpondeo id non ſequi; ſed eſſe etiam in hac via difficillimum determinare; cur hic habeat gratiam efficacem, ille vero non; cum, ut dixi, non omnes dociles habeant hanc gratiam, neque omnes indociles ea careant, unde non poteſt dici quod hic habeat gratiam efficacem credendi, vel pœnitendi, quia docilis eſt, cùm etiam alii dociles ea careant: nec dici poteſt quod hic non habet gratiam efficacem, quia indocilis eſt, cum etiam aliqui indociles eam habeant; ſed recurrendum ad inſcrutabilia judicia Dei, & dicẽdum: O altitudo divitiarum ſapientiæ, &c. Et ratio eſt quia Deus non ſolam hanc circumſtantiam perſonæ conſiderat; ſed, ut ſupra dixi, multas alias,

alias, ob quas poteſt dare, vel negare ſuas gratias efficaces, ſive docilibus, ſive indocilibus, proüt melius eſſe judicaverit, quod judicium ſæpe longe diſtat à judicio hominum, ut patet ex Scripturis: Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ, neque viæ meæ viæ veſtræ, dicit Dominus: quia ſicut exaltatur cælum à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. Unde ut loquens Auguſtinus de perſeverantia, proüt ſupra vidimus, ſic ait: *Hominibus videtur omnes* qui boni apparent fideles, perſeverantiam uſque in finem accipere debuiſſe, *Deus autem melius eſſe judicavit*, miſcere quoſdam non perſeveraturos, certo numero ſanctorum, &c. Ita & poſſet dici quod quibuſdam videretur, quod quia ſæpe & communiter Deus dat gratiam efficacem docilioribus, ita ſemper deberet fieri: ſed melius judicavit Deus, miſcere quoſdam dociles non credentes aliis docilibus credentibus, ut quibus non expedit in hac vitæ tentatione præſumptio de propria virtute, diſcant eſſe humiles, & non ſibi tribuere quod à ſolo Deo eſt; & ut ſi glorientur, in Domino glorientur, & non in ſeipſis. *Iſaiæ 55.* *De dono perſ. c. 8.*

Sed dices: D. Auguſtinus libro de dono perſeverantiæ cap. 12. loquens de parvulo, cui non potuit applicari baptiſmus, hoc non refert ad circumſtantias loci, temporis, aut perſonæ; ſed ad ſolum ſecretum Dei judicium & voluntatem: Plerumque enim, inquit, feſtinantibus parentibus, & paratis miniſtris ut baptiſmus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum paululum in hac vita non tenuit, ut daretur.

Reſpondeo primo, falſum eſſe quod in illo textu demonſtretur, Deum non habere rationem circumſtantiarum & cauſarum naturalium concurrentium ad mortem parvuli: cum hæc verba contrarium clare demonſtrent, ſcilicet: qui eum paululum in hac vitâ non tenuit, ut daretur: id eſt, qui noluit impedire cauſarum naturalium tendentium ad mortem parvuli exiguo tantum tempore, ad hoc ut feſtinantes parentes afferrent id quod neceſſarium erat ad baptiſmum parvuli: quod clare demonſtrat Deum attendiſſe ad curſum illum rerum naturalium, & noluiſſe illum interturbare, faciendo miraculum, & utendo potentia ſua extraordinaria, qua poterat ſuſpendere mortem pueri, quoadusque baptiſaretur, quia ſatius eſſe judicavit ſinere curſum illum ordinarium ſapientiſſime ab illo conſtitutum, quam pro bono unius particularis illum invertere, & interturbare exiguo licet tempore: præcipue cum ad id nullo juſtitiæ merito, neque ex parte parvuli, neque ex parte parentum (quod erat principale Auguſtini) teneretur: Unde

Reſpondeo ſecundo, ibi Auguſtinum non rejicere conſiderationem circumſtantiarum & cauſarum naturalium; ſed tantum rejicere meritum parentum, reſpectu baptiſmi filii eorum, contra Pelagianos qui volebant primam gratiam (inter quas eſt baptiſmus parvulorum) eſſe ex merito creaturæ, & non ex mera gratia creatoris. Unde ſignanter ibi poſuit hæc verba: Feſtinantibus parentibus, & paratis miniſtris: id eſt,

facientibus omnibus quod in ſe eſt, reſpectu parvuli, ut daretur ei baptiſmus: tamen ad id non reſpexit Deus, & noluit eum paululum, iſtorum intuitu, tenere in hac vita, donec baptiſaretur, proüt facile poterat ſi voluiſſet, & proüt debuiſſet facere, ſi aliquod verum meritum intervenisset: Unde rejicit tantum ibi conſiderationem illarum circumſtantiarum quæ facerent Deum creaturæ debitorem, quas prorſus a gratia ſemper voluit Auguſtinus eſſe remotiſſimas, non autem rejicit conſiderationem illarum quæ faciunt prudentem ſuarum gratiarum diſtributionem, de quibus ſolum loquimur.

Inſtabis: At certe tunc non erit judicium occultum & ſecretum, & facile erit dicere, cur hic non baptiſetur, quandoquidem recte dicimus, quod ideo eſt quia curſus rerum id non patitur, quod eſt contra Auguſtinum paſſim dicentem quod nemo ſcit, cur hic baptiſetur, ille non baptiſetur.

Reſpondeo id non impedire, quin circa id judicium Dei ſit occultum, & quin ignoretur quæ ſit vera cauſa, cur hic non baptiſetur. Nam etſi bene ſciatur quod Deus nolit interturbare rerum ordinem, ad hoc ut ille baptiſetur, tamen non vere ſcitur cur hic non baptiſetur, quia neſcitur cur illo tempore, illo loco, illis præſentibus, naſcatur cum potuiſſet aliter naſci, an id fiat ex præcedenti errore parentum, an alia ex cauſa id fiat, & cur Deus non velit facere miracula pro iſto puero, cum pro aliquibus aliis fecerit, in quo eſt ratio gratiæ, quam Deus concedit quibus vult, & eam negat quibus vult: præſuppoſito tamen peccato, quod negari non poteſt in parvulo, cum in originali natus ſit: Unde nullam ei facit injuriam quando non dat ei baptiſmum, non enim damnatur ob hoc quod non baptiſatur; ſed propter hoc quod eſt in peccato originali quod meretur damnationem. Et idem dicendum eſt de adultis, cum exiſtentes in peccato moriuntur in amentia, lethargo, apoplexia, ſomno & ejuſmodi, non enim ob hoc damnantur quia morte præventi ſunt; ſed quia in peccato exiſtunt quod meretur damnationem.

Ex his ergo dicendum quod quando Deus dat majorem gratiam alicui, ex formali intentione obligandi eum ſingulariter, tunc major illa gratia eſt ſignum majoris dilectionis erga eum: At vero ſi dat eam ob alias rationes, non ſic: Sed Deus non dat ſemper majores gratias electis, ex intentione peculiari illos obligandi; ſed ex aliis etiam rationibus & conſiderationibus, ut probatum eſt: ergo ex illis majoribus gratiis datis, non bene infertur major amor erga illos. Quod adhuc confirmo aliquibus exemplis; nam v.g. aliquis vir ſanctus & amicus Dei obnixe orat Deum pro converſione alicujus magni peccatoris in extremis agentis, & intuitu iſtius orationis dat iſti peccatori Deus pœnitentiam & ſimul perſeverantiam, quia ſtatim poſt moritur, quis dicat magnam illam gratiam datam huic peccatori, eſſe ſignum maximi amoris divini erga illum, & non potius erga precantem qui cauſa fuit illi hujus gratiæ illi datæ? Item, ſicut ait Auguſtinus, quod utile judicavit Deus miſcere aliquos

non perſeveraturos certo numero ſanctorum ſuorum, ne ſuperbiant, & ſe negligant: ita potuit utile judicare miſcere aliquos magnos peccatores in fine vitæ convertendos, & ſic in bono perſeveraturos, magno numero conſimilium peccatorum, ut hi non deſperent de miſericordia Dei, etiam in hoc articulo ſimiliter conſtituti: & tunc quis dicet quod illa magna gratia data illis magnis peccatoribus in fine vitæ ſuæ convertendis, ſit ſignum magni amoris erga illos, & non potius erga alios quos per hoc Deus invitat ad pœnitentiam. Item, ſi aliquis apud infideles ut convertat eos, viſitat duos ægros in extremis laborantes, quorum unus docilior eſt altero, docilis convertitur & moritur, indocilis non convertitur: quis dicat illam gratiam magnam datam docili, eſſe ſignum peculiaris amoris erga eum, & non potius erga omnes dociles quos ex bona voluntate ſua Deus vult potius convertere, quam indociles: Ex quo clare apparet quod major gratia data, non eſt ſemper ſignum majoris amoris, quandoquidem poteſt dari ex alia intentione, quam ex intentione obligandi recipientem in particulari, ex qua tamen ſola intentione recte poteſt colligi major amor erga eum: Poteſt tamen & debet dici quod iſta ſunt ex amore Dei; ſed generali & univerſali erga omnes homines, quos omnes, quantum eſt de ſe, vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui amor poſtea determinatur & applicatur per prouidentiam ſingularem ad dandas ſuas gratias efficaces his potius quam illis, ob alias & alias rationes quas pro ſua ſumma ſapientia, & ſcientia judicavit potiores. Dando enim omnibus gratias vere ſufficientes ad ſalutem ex amore illo generali debent omnes eſſe grati; quando autem non dat quibuſdam efficaces, non debent eſſe irati, quandoquidem nemini debitor eſt. Et præterea cum ſupra oſtenderimus quod Deus nemini denegat iſtam gratiam niſi ob præcedentia peccata, non poſſunt juſte conqueri niſi de ſeipſis, qui ſe indignos effecerunt, quibus daret iſtam gratiam: quod autem aliquando det iſtam eamdem gratiam ſimilia, & forte majora habenti peccata: O homo! tu quis es qui reſpondeas Deo? Tolle quod tuum eſt & vade, vult autem huic quod non debetur donare, an non licet illi facere quod vult, an oculus tuus nequam eſt quia ille bonus eſt; quod ſi inſtes adhuc & dicas cur in eâdem causâ me potius quam illum puniet, aut illum quam me potius liberabit: reſpondebit Auguſtinus & dicet, hoc non dico; ſi quæris quare, quia in hac re ſicut *juſta* eſt *ira* ejus, ſicut magna eſt miſericordia ejus, ita inſcrutabilia judicia ejus. *Lib. de dono perſev. c. 8.*

Et ita ſecundo manet ſolutum principale argumentum.

Punctum IV.

Tres poſteriores ſolutiones adhibentur, ſimulque confirmantur.

Respondeo tertio diſting. maj. Major gratia eſt ſignum majoris amoris: ſi gratia illa ſit abſolute major conc. ſi tantum ſecundum

quid, nego: ad min. gratia data electis eſt major ea quæ datur reprobis, ſecundum quid & extrinſece conc. quia habet effectum: abſolute autem eſt major, nego: quia ea quæ datur reprobis, eſt tam capax producere effectum quam illa: quod autem non habeat effectum non eſt ex defectu gratiæ (quæ aliquando eſt potentior ſecundum ſe in reprobis, quam ea quæ datur electis) ſed ex voluntate reprobi qui non vult ei conſentire, qui vult ei reſiſtere contra voluntatem Dei, qui dando eam, ſincere & quãtum eſt ex ſe, vult ut habeat effectum; ſed reprobus vult ut non habeat effectum, & ſic non habet effectum: volenti autem non fit injuria, & ſic non eſt abſolute minor gratia; Quot enim & quantæ gratiæ conceſſæ ſunt Pharaoni, cui Deus tot ſigna & portenta exhibuit, ut converteretur à malitia ſua: Quot & quantæ gratiæ conceſſæ fuerunt Judæ Iſcarioti, qui fuit factus JESU CHRISTI Apoſtolus, ejus comes aſſiduus quem conatus eſt ipſe CHRISTUS perſonaliter abducere à nequitia ſua, etiam in flagranti ſua proditione, offerendo ei miſericordiam quam non admiſit: Quot & quantæ gratiæ Judæis datæ, in quorum plateis ipſe CHRISTUS prædicavit, coram quibus tot ſigna & prodigia patravit, quos toties & tam inſtanter ad pœnitentiam invitavit, non ſolum dum viveret; ſed etiam poſt mortem per Apoſtolos ſuos & diſcipulos, qui tandem offenſus de eorum obſtinatione receſſit ab eis, ut eis declarat per Apoſtolum ſuum Paulum, dicentem: Vobis oportebat (ſcilicet ex Dei ordinatione) primum loqui verbum Dei; ſed quia indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes: Ergo prius judicarant ſe indignos vitæ æternæ quam Deus judicaret, ergo prius noluerunt vitam æternam, quam Deus nollet dare eis, & quid ſibi volunt iſta verba: Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum congregat gallina pullos ſuos ſub alas, & noluiſti: Et quid volunt ſibi iſta alia: Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis? Et quid ſignificant lachrymæ Chriſti ſuper civitatem illam peccatricem: Videns civitatem flevit ſuper eam, quia ſi cognoviſſes & tu, & quidem in die tua quæ ad pacem tibi: niſi ſinceram Chriſti affectionem erga ſalutem eorum quam ipſi noluerunt, & qua ipſi ſe indignos judicarunt; non eſt ergo minor ſecundum ſe gratia data reprobis, ſaltem quibuſdam quam gratia data electis: Nam ſi habuit effectum in iſtis, habuiſſet etiam in illis, ſi voluiſſent: Sed quia noluerunt, illa non habuit effectum in eis, ut ait Auguſtinus libro de corrept. & gratia cap. 7. Homo in eo quod audieras & tenueras, in eo perſeverares ſi velles: Quod non eſſet verum, ſi non habuiſſent veram gratiam internam, & ſufficientem ad perſeverandum. Defectus ergo iſte, ſeu minoratio in reprobis, non eſt ex parte gratiæ; ſed ex parte voluntatis, quæ minor fuit erga ſalutem in reprobis, quam in electis, & ſic ſecundum ſe gratia illa non minor eſt: Unde nego quod Deus habuerit majorem amorem antecedenter erga electos quam ergà reprobos, ſaltem quoſdam, cum gratia data electis non ſit major ab-

Act. 13. Matth. 23 Act. 7. Luc. 19.

ſolute & ſecundum ſe; ſed tantum ſecundum quid, quia illa bene uſi ſunt, & conſentire libere voluerunt, illi autem noluerunt.

Reſpondeo quartò diſting. maj. Major gratia data, eſt ſignum majoris amoris, ſi conſtet illam dari ex amore, conc. ſi non conſtet, nego. Unde conceſſa minore, nego conſequentiam: quia non conſtat illam dari ex amore; communiter enim dicit Auguſtinus, cauſam iſtius diverſitatis ignorari; ut videre potes argum. 9. ex Auguſtino: unde cum cauſa ejus non conſtet, nihil poteſt ex ea certi deduci.

Reſpondeo quintò & ultimo, negligendo totum ſyllogiſmum, & ſolùm negando ultimam conſequentiam, ſcilicet quod ex illo majore amore ſequatur prædeſtinatio ante præviſa merita: Nam quamvis ille amor eſſet major erga electos quam erga reprobos, non tamen hinc ſequeretur quod ille amor eſſet ante præviſa merita congrua, cùm illa potuerint illum amorem antecedere & cauſare conſequenter majorem illam gratiam: Nam certum eſt ex Auguſtino quod poſſumus perſeverantiam illam ſuppliciter emereri, per merita ſcilicet congrua, quæ potuerunt cauſare illum amorem, & deinde iſtam gratiam: Et patet ex Scripturis quod ſic emereamur aliquando illam gratiam, juxta illud Sapientiæ 4. *Placens Deo factus, dilectus eſt,* (unde) & vivens inter peccatores tranſlatus eſt, Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus. Et infra: *Placita erat Deo anima illius; propterea* properavit educere eum de medio iniquitatum. Et aït Janſenius ex Auguſtino, quod excepta fide (de qua hìc non loquimur, cum communis ſit tam reprobis, quam in prædeſtinatis; ſed loquimur tantum de perſeverantia, quæ ſola diſcernit inter electos & reprobos) quod excepta, inquam fide, & præſuppoſitâ illâ in homine, jam remiſſio peccatorum, & charitas, & opera bona, & in iis perſeverantia in finem & gloria ex aliquibus meritis conferuntur, & ex illis meritis ad illa dona eligimur: nam ſi ita eſt, ut re vera eſt, cur major ille amor, ex quo Deus majorem dat gratiam electis, quam reprobis, ſit ſignum prædeſtinationis ante præviſa merita: cum ille ipſe amor ſit aliquando ex talibus meritis præviſis, quibus placemus Deo, & ideo dat iſtam graiam, & proinde ſupponit præſcientiam: Nam quomodo prudenter ſtatuet Deus dare perſeverantiam ob illa merita congrua, niſi ante præſcierit & præconſiderarit ea? certe hoc eſt inconceptibile, cum certum ſit quod cauſa, ſeu motivum rei ſemper debeat illam præcedere: & per conſequens fatendum eſt quod major ille amor non eſt contrarius prædeſtinationi ad gloriam poſt præviſa merita: & ita quod illa conſequentia falſa eſt, ſcilicet quod ex illo amore ſequatur prædeſtinatio ante præviſa merita.

Lib. 9. de gr. Salv. c. 6 §. Porrò, &c.

✝
IHS.

PARAGRAPHVS SEXTVS.

Objectio ſeptima proponitur & ſolvitur cum ſuis inſtantiis.

SEPTIMUM argumentum ſumitur ex dono perſeverantiæ,& ſic proponitur: Eodem modo prædeſtinatur ſalus noſtra quo noſtra perſeverantia, cum ab hac pendeat ſalus noſtra adæquate & totaliter: ſed perſeverantia noſtra actualis prædeſtinatur à Deo ſine ullis prævisis meritis, ergo & ſalus noſtra.

Lib. de dono perſ. c. 6.

Reſpondeo neg. min. Non enim perſeverantia noſtra prædeſtinatur ſine prævisis meritis congruis, & impetrationis, cum ipſemet Auguſtinus aſſerat illam ſimpliciter emereri poſſe ab hominibus, & etiam ſæpe dicat quod per fidem poſſumus impetrare omnia auxilia ad ſalutem efficacia, in quibus illud eſt præcipue quod datur ad perſeverandum in bono uſque in finem, à quo ultimate pendet ſalus noſtra. Imo vero ipſe aſſerit quod illud donum non niſi orantibus eſt *præparatum*. Ex quo clare patet quod prævidentur iſtæ orationes, & merita congrua antequam prædeſtinetur perſeverantia, cum nonniſi ob illa detur ſecundum Auguſtinum, & per conſequens falſa eſt illa minor, quæ negat omnia omnino merita eſſe prævisa reſpectu perſeverantiæ illius conſequendæ.

De dono perſ. c. 16 ubi nota verbũ præparatũ, quod eſt prædeſtinatum: & licet dicat illis ſolis eſſe præparatum, nõ tamen dicit omnibus illis eſſe præparatum; ſed tantum quod ſi quibus præparatũ eſt debent eſſe ex illis: in quo eſt ratio gratiæ eligentis quos vult ex illis.

Inſtabis primo: Quod eſt ex mera Dei miſericordia, non eſt ex meritis hominum; ſed perſeverantia noſtra actualis eſt ex mera Dei miſericordia, cum vocetur ab Auguſtino donum Dei, quo nomine ſolet vocare meras gratias: ergo non eſt ex meritis hominum.

Reſpondeo diſting. maj. Non eſt ex meritis juſtitiæ, conc. ex meritis impetrationis & congruis, nego: Unde conceſſa minori diſting. conſeq. non eſt ex meritis juſtitiæ, conc. non eſt ex meritis decentiæ & congruitatis, nego: Illa enim merita impetrationis & congrua, non impediunt meram Dei miſericordiam, cum non aſtringant & obligent Deum ex juſtitia; ſed tantum ex quadam decentia, vel ex quadam bonitate & clementia; unde bene vocatur ab Auguſtino perſeverantia, donum Dei: cum ea merita quibus datur, non ſint juſtitiæ; ſed ſolum congruitatis & decentiæ, quæ negligere & rejicere poteſt Deus, quando vult, ſine ulla injuſtitia.

Hinc eſt quod licet idem Auguſtinus ſæpe vocet gratiam ſanctificantem, ſeu charitatem donum Dei: tamen dicit illam à nobis emereri poſſe, ut patet ex ejus Epiſtola 106. ubi ait: Quod ſi quis dixerit quod gratiam bene operandi fides *mereatur*, negare non poſſumus, imo vero gratiſſime

confitemur: hanc enim fidem volumus habeant qua *impetrent* charitatem: Ubi vides ſecundum Auguſtinum ipſam gratiam bene operandi, & ipſam charitatem quæ eſt donum Dei, poſſe à nobis emereri, & tamen eſſe donum Dei. Et ſane ſi repugnaret id quod eſt donum Dei, emereri poſſe hoc merito, non dixiſſet Auguſtinus in eodem Tractatu de dono perſeverantiæ, & quod illa eſt donum Dei, & quod ſuppliciter emereri poteſt; quod tamen ibi valde inculcat: unde nego conſequentiam ut eſt de meritis congruis & decentiæ, de quibus ſolùm loquimur.

Inſtabis ſecundo: Eodem modo loquitur Auguſtinus de prædeſtinatione ad perſeverantiam, ac ad primam gratiam; ſed à prima gratia omne rejicit meritum: ergo & à perſeverantia.

Reſpondeo neg. maj. Loquendo de prima omnium gratia, quæ Auguſtino eſt gratia fidei: ab hac enim removet omne quodcumque meritum, nec unquam videbis quod dixerit illam emereri poſſe ſuppliciter, ſicut dicit de perſeverantia, & aliis virtutibus Chriſtianis, quæ per fidem emereri, & obtineri poſſunt à Deo, ſicuti ſupra vidimus: unde nego conſequentiam.

Hanc differentiã clare demonſtrat lib. de dono perſ. c. 16. ubi ſic ait: Cum conſtet Deũ alia etiam non orantibus, *ſicut initium fidei: alia non* niſi orantibus *præparaſſe, ſicut uſque in finem perſeverantiam, &c.*

Inſtabis tertio: Perſeverantia ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. can. 22. de juſtit. non habetur niſi ex ſpeciali Dei auxilio, ergo ex auxilio indebito, ergo ſine ordine ad meritum, quod ſemper importat debitum.

Reſpondeo negando ultimam conſequentiam; omne enim meritum non importat debitum; ſed ſolum meritum juſtitiæ; unde cum illud meritum de quo loquimur, non ſit juſtitiæ, ſed ſolum decentiæ, non opponitur illi auxilio ſpeciali indebito; ſed bene compatitur cum illo: & ſic non contradicit Concilio.

Ex his ergo manifeſtum eſt quod ſicut gloria non datur, nec prædeſtinatur niſi poſt prævíſa merita juſtitiæ, quia datur & prædeſtinatur ob merita juſtitiæ, ita perſeverantia non datur, nec prædeſtinatur, niſi poſt prævíſa merita impetrationis & decentiæ, quia ſolùm ob illa merita datur & prædeſtinatur, juxta ſupracitatum Auguſtinum: Impoſſibile enim eſt ut id quod datur & prædeſtinatur intuitu alicujus meriti, detur & prædeſtinetur ſine prævíſione, & præcognitione illius meriti; quandoquidem illud meritum cujus intuitu datur, aut prædeſtinatur aliquid, eſt aliquomodo cauſa rei datæ, vel prædeſtinatæ, cum ſit motivum illius, aut certe quaſi motivum illius.

PARAGRAPHUS SEPTIMUS.

Objectio octava proponitur & ſolvitur.

OCTAVUM argumentum eſt ejuſmodi: Per prædeſtinationem Deus intendit complere cæleſtem Hieruſalem certo numero, & ordine

beatorum in locum Angelorum qui ceciderunt: unde communiter dicunt Theologi, mundum deſtructum iri, poſtquam completus fuerit ille numerus electorum in ſuperna fœlicitate locandus: ex quo conſequens eſt quod Deus non expectavit merita hominum, ut illos prædeſtinaret: Sed quod prædeſtinavit illos ante præviſa merita: Nam ſi expectaſſet hominum merita, & eos ſolos ad illam civitatem prædeſtinaſſet, quos merita habituros prævidiſſet, numerus ille non eſſet à Deo determinatus & definitus, niſi ex accidenti, & proinde eſſet tantum accidentarius, ſeu major, aut minor, proüt plures, aut pauciores mererentur: & magis aut minus perfectus, proüt magis aut minus perfecti eſſent qui mererentur, quod non convenit cæleſti illi Hieruſalem, quæ debet eſſe primo & per ſe ordinata ſecundum numerum beatorum, & ſecundum gradum beatitudinis eorum, ut evadat pulchrior. Et præterea confirmatur quia convenientius erat, ut illi cives cæleſtes haberent ſuam fœlicitatem à ſolo Deo in prædeſtinatione, quam & à meritis, ut ſic magis obligarentur Deo.

Reſpondeo nullibi reperiri, neque in Scripturis, neque in Patribus, quod certus ſit ille numerus, vel ordo beatorum ſingularium ante præviſa merita, vel quod tot futuri ſint beati, nec amplius quam fuerunt Angeli qui ceciderunt, de quo ipſe dubitanter loquitur Auguſtinus libro 22. de Civitate Dei cap. 1. & in Enchiridio cap. 29. vel quod illi futuri ſint in eodem beatitudinis ordine, & gradu, ac Angeli qui ceciderunt; ſed tantum habemus quod certus ſit numerus beatorum, ſive prædeſtinatione præcedente prævisionem meritorum, ſive prævisione meritorum præſuppoſita. Item, & quod ſancti aſſumendi ſunt in locum Angelorum qui ceciderunt, id eſt ad replendum numerum pro Angelis qui ceciderunt. At vero quod numerus illorum beatorum ſit æqualis numero Angelorum qui ceciderunt, aut in eodem gradu nihil habemus certi, cum autem dicunt Theologi quod generationes ceſſabunt, aut mundus deſtruetur poſtquam electorum numerus completus fuerit, non intelligunt id de numero ſingularium à Deo determinatorum ante præviſa merita, potius quam poſt præviſa merita; ſed ab utroque abſtrahunt: & certe minus belle id convenit prædeſtinationi ad gloriam ante præviſa merita, quam prædeſtinationi ad gloriam poſt præviſa merita: quod ſic oſtendo: Nam vel Deus certum illum numerum electorum prædeſtinavit, antequam prævideret illos futuros eſſe in tali, vel tali temporis differentia, ſine ordine ad tempus, vel prædeſtinavit poſt; ſi ante, & ſine ordine ad tempus; ergo non ideo generationes ceſſabunt, aut mundus eſſe deſinet, quia numerus electorum eſt completus, quandoquidem illi fuerunt prædeſtinati ante determinationem temporis, & ſine ordine ad tempus, ſeu ad differentiam temporum: potuiſſet enim Deus creare poſt decem annos, & amplius, illum electum qui complevit illum numerum, & ſic addere decem annos & amplius durationi mundi ſine præjudicio complementi illius numeri electorum, cùm electus ſit ſine

Dominicus Bañnes in 1. p. q. 62. A. 6 ſub finem. id ponit ſub incerto.

ſit ſine ordine ad tempus. Potuiſſet item illos electos diſpergere per multa ſæcula, vel cogere illos in paucum tempus, & ſic facere ut mundus duraret multo, vel pauco tempore pro ſuo libito, ſine ullo præjudicio complementi illius numeri, cùm prædeſtinatus ſit ſine ordine ad tempus: Unde clare apparet quod cum Deus tunc deſtruet mundum, non ideo deſtruet illum, quia completus eſt electorum numerus; ſed quia Deus tunc finire illum voluit ſine ullo ordine ad electorum numerum: & vere tunc melius dicetur quod ideo completus eſt numerus electorum, quia debet finire mundus: quam quod ideo debeat finire mundus, quia numerus ille electorum completus eſt, cùm in hac viâ duratio mundi non ſumat ordinem à complemento numeri electorum; ſed potius complementum illud ſumat ordinem à duratione mundi, cum intra illam durationem eſſe debeat.

Quod ſi dicatur quod certus ille numerus prædeſtinatus eſt poſtquam Deus prævidit illos eſſe futuros in tali & tali differentia temporis: jam ſupponis durationem temporis eſſe ante eorum electionem, & propter aliam rationem factam, quam propter complementum numeri electorum, cùm illæ temporum differentiæ præſupponantur eorum electioni, eo modo quo hortus præſupponitur floribus qui in illo colliguntur, cum collecti ſint iſti electi ex illis temporum differentiis, eo modo quo flores colliguntur in hortis: unde ſic non finiet mundus, aut mundi duratio, quia numerus electorum completus eſt; ſed potius ille numerus complebitur intra illud tempus, quia mundus non amplius duraturus eſt. Et ſic in iſta via, aut ſententia non bene verificatur illud, quod tunc finiet mundus, cum electorum numerus completus fuerit, quandoquidem duratio illa non pendet ab illo complemento, ut ſit major aut minor, cum ipſa prior illo ſit, & ipſa præſupponatur ei: At vero bene verificari poteſt in noſtra ſententia, quæ præſupponit prævisionem meritorum: nam ſuppoſito quod Deus certum hominum numerum merentium gloriam voluerit eligere, id ita fieri potuit noſtro modo concipiendi, ut primo determinaverit certum numerum quibus vellet dare gloriam ex præſuppoſitis meritis: deinde videns ſingulas temporum differentias ſibi invicem ſuccedentes, vidit in illis quinam merebuntur (ſuppoſitis ſuis auxiliis & gratiis, ſive excitantibus, ſive adjuvantibus) uſque ad illam mundi periodum, in qua videt ſuum numerum completum iri, & tunc potuit facere decretum de non continuanda amplius mundi duratione, cum finis intentus obtentus ab eo ſit: ſic enim bene dicetur: quod tunc finit mundus, quia completus eſt electorum numerus, in quantum tunc mundus pervenit ad eam periodum, in qua reperit Deus numerum illum electorum, propter quem huc uſque mundum durare voluerat, quo reperto numero tamquam ex fine obtento mundus ceſſat: Unde manifeſte patet quod poſito quod Deus elegerit certum numerum electorum, quo reperto generationes ceſſare, & mundus finire debeat, longe id melius convenit noſtræ ſententiæ quam oppoſitæ, & ita, quod perperam obji-

citur nobis illud effatum Theologorum, quo dicunt mundum deſtructum iri, quando completus erit electorum numerus cum id melius explicetur in noſtra ſententia quam in oppoſita, imo vero in noſtra ſola bene explicetur ſententia, & non in oppoſita, ut paulo ante demonſtratum eſt.

Ad inconveniens autem quod afferunt, dicentes quod ſi numerus electorum non ſit primo & per ſe determinatus, & definitus; ſed tantum dependenter à futuritione operum, non erit determinatus & definitus, niſi ex accidenti, ſeu quod erit accidentarius, ut pote major, aut minor, proüt plures, aut pauciores merebuntur gloriam: & magis, aut minus perfectus, proüt illi magis & minus perfecti erunt, ſecundum eorum arbitrium.

Reſpondeo negando id ſequi: nec enim erit ille numerus Deo accidentarius, cum ab ipſo ut ſic formaliter & directe ſit volitus, & electus, tam ſecundum terminationem ſuam, quam ſecundum perfectionem ſuam: ſecundum terminationem quidem, quia tot erunt, & non plures quot voluit eſſe beatos, ut ſupra explicatum eſt: quoad perfectionem ſuam, quia erunt tales quales eſſe voluit; nam voluit eſſe tales quales merita illos efficerent, ergo reperiendo tales, quales merita efficient, reperiet tales, quales reperire voluit: & ſic non erit illi reſpectu ſui accidentaria, & non plene voluntaria, beatorum perfectio: præcipue cum illam ipſam in eis efficiat talem, qualis eſt per gratias ſuas excitantes & adjuvantes pro bona voluntate ſua. Et ita manifeſtum eſt quod non ſequitur ſupradictum inconveniens, proüt prætendebat Objectio.

Opuſculo de prædeſt lect.5.n.113. & 114. At vero multa & maxima reperio cum Leſſio inconvenientia, & abſurda in oppoſita ſententia, quæ vult hunc numerum eſſe determinatum & definitum ſecundum ſe, & ſecundum diverſos gradus gloriæ antepræviſa merita. Nam primo contra illum numerum electorum primo & per ſe & independenter à præviſione meritorum definitum occurrit iſtud abſurdum, ſcilicet quod ſi ſic facta eſt prædeſtinatio: ſequitur quod illi qui non ſunt ex illo numero electorum, ſunt omnes excluſi à gloria ante præviſa peccata eorum actualia, quod multoties oſtendimus eſſe falſum. Secundo ſequitur quod ex vi illius decreti tenetur Deus curare, ne quiſquam eorum non electorum ſalvetur, tum ne decretum illud abſolutum de ſolis electis ſalvandis fallatur, tum ne pulchritudo illa numeri per ſe definiti ſalvandorum deſtruatur, cum non minus deſtruatur numerus definitus additione, quam ſubſtractione, proüt ſciunt omnes Arithmetici. Tertio contra numerum definitum electorum ſecundum determinatos gradus beatitudinis: ſequeretur quod ſi hoc admitteretur, Deus eſſet cauſa cur aliqui eorum minimum haberent gradum beatitudinis, & non majorem: quia ſcilicet minimum, & non majorem gradum gloriæ ex ſe deſtinaſſet eis ſine ordine ad eorum culpas & imperfectiones præviſas; in quo certe videretur Deus illudere hominibus,

cum promittat eis majora & majora præmia, ſi habeant majora & majora merita, & tamen ſtatuit apud ſe dare aliquibus eorum minimum tantum præmium ante prævifionem omnem meritorum & demeritorum illorum. Quarto quod ex vi illius decreti tam ſtricti & determinati teneretur Deus curare, ne majorem illi gloriæ gradum acquirerent, ne fallatur iſtud decretum abſolutum & independens ab operibus, & ne ordo ille præſtitutus evertatur per irreptionem alicujus magis perfecti quam ſtatuerat: unde & curare debet ut iſti tepide agant, virtutum heroïcos & excellentes actus negligant, & multas inſuper imperfectiones committant, quia nempe iſta omnia ſunt media neceſſaria ad non attingendum majorem gradum quam illum minimum, quem præſtituit eis; Unde cum velit hunc finem efficaciter & abſolute, debet etiam velle iſta media neceſſaria ad illum finem. Quinto denique quod fallaciter & minus ſapienter hortaretur eos ad majores & majores perfectionis gradus acquirendos, juxta illud Matth. 5. [Eſtote ergo vos perfecti ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt] cum ad eos ſolos minimos gradus eſſent prædeſtinati & reſtricti: Nam, ut bene ibi aït Leſſius, numquam viſus eſt ſapiens Architectus qui ſtatuerit certam menſuram operi ſuo, & ſingulis ejus partibus; & tamen hortetur omnes opifices, ut maximas formas ſingulis partibus inducant: & nullum modum magnitudini ſui operis ſtatuant: Unde evidens eſt quod numquam Deus ſtatuit hos gradus gloriæ determinatos ante prævisa merita: cum continuò in Scripturis ſollicitet fideles omnes ad acquirendos majores & majores gradus perfectionis & gloriæ, & ad eſſe ita perfectos, ſicut Pater ſuus cæleſtis perfectus eſt.

Ad id autem quod dicunt quod ſaltem non eſſet tam pulcher ordo beatorum, ſi eorum numerus, & gradus beatitudinis ſumerentur à numero merentium ſecundum eorum arbitrium, quam ſi ſumerentur ex immediata Dei ordinatione eorum, ad certos & determinatos in particulari gradus gloriæ,

Reſpondeo & dico quod cum pulchritudo ſpiritualis non conſurgat ſicut corporalis ex quadam Mathematica & ſtricta rerum diſpoſitione; ſed ex rationabili quadam & congrua ſecundum rationem proportione, & relatione ad circũſtantias & adjuncta perſonæ diſponentis & rei diſpoſitæ: ideo cum in illa ordinatione electorum, quæ eſt ſecundum proportionem meritorum omnino liberorum, & non ſtudioſe procuratorum, magis eluceat Dei bonitas & juſtitia, quam ſi omnia in particulari ordinata, & procurata eſſent ex mera Dei miſericordia, ubi ſola eluceret bonitas; & cum aliunde ſervitia hominum hoc modo magis appareant voluntaria, & ex ſe magis Deo addicta, & conſecrata, quam ſi illa omnia à Deo in particulari ante omnem prævifionem præordinata & præſtituta eſſent, in quo homo eſſet potius executor, quam procurator laudis divinæ: ideo longe pulchrior & rationabilior eſt iſte ordo quam oppoſitus, cum per ſe convenientior ſit gloriæ Dei, & liberæ hominum ſervituti.

Et præterea etiam dici poſſet, quod cum aliquando id quod magis certo modo ut ita dicam naturale eſt, & inartificioſum, magis etiam eſt gratum, ut patet in quibuſdam ſilvis, campis & vallibus in quibus aliquando magis placet certa quædam illorum confuſio, quam artificioſa hortorum conſtructio, imo cum & ſtellæ quæ in cælo videntur confuſæ, & non ad amuſſim ordinatæ tamen ſint gratiſſimæ: ita & iſte non ſtricte & ad amuſſim ordinatus ordo beatorum, qui ſumitur ab eorum variis operibus & meritis, forte jucundior & gratior eſt, quam hic ſtrictus & ſumme artificioſus ordo graduum beatitudinis & gloriæ, quem volunt adverſarii Deum ſtatuiſſe in prædeſtinatione hominum ante prævisa merita, cum longe connaturalior ſit ordo meritorum qui aliquo modo ſumitur ab ipſis, quam qui totaliter ab aliis, cum merita ſpectent ipſam perſonam merentis, ut ſeipſam determinantem, & non ut determinatam ab aliis. Quapropter fatendum eſt, quod in illa beatorum præordinatione ab eorum meritis, ut omnino indifferentibus & liberis, & non ſtudioſe procuratis, nullum abſurdum eſt; ſed omnia rationi conſentanea.

Ad convenientiam autem illam quam tandem afferunt dicentes quod convenientius eſt, ut illi cives cæleſtes habeant ſuam beatitudinem à ſolo Deo, quam & à merito, ut ſic magis obligentur Deo,

Reſpondeo hanc convenientiam nimis probare, quia probat etiam quod beati debent habere gloriam ut mere gratuitam in executione, ſicut in intentione, ut ſic magis obligentur Deo: quod eſt falſum & hæreticum. Tantum autem abeſt ut convenientius ſit, quod ſancti habeant hoc modo ſuam beatitudinem, quin è contra longe convenientius videtur eſſe ut habeant illam ex meritis, non tantum in executione, quod certum eſt; ſed etiam in intentione, cum honorabilius ſit Deo, & nobis quod in illam civitatem deſtinati ſimus ex meritis gratiæ, tamquam generoſi quidam milites qui coronas ſuas & præmia per gratiam principis & per labores ſuos ſine fraude & ſincere exantlatos conſecuti ſunt, quam aliter: per hoc enim honoratur, & Dei bonitas, quæ auxilia nobis ad hoc neceſſaria ſponte ſua præparavit, præmiumque conſequendum propoſuit, & juſtitia quæ non niſi vere & ſincere merentibus, præmium deſtinavit: & inde forte eſt quod in Scripturis juſtitia

Pſal 24. 85. 86. 84. Dei vocatur veritas, quia nempe illa vera eſt & ſincera; illaſque procurationes meritorum fraudulentas, quas comminiſcuntur adverſarii ut præmiet, ita ignorat, ut & fraudulentas peccatorum procurationes, ut puniat.

Neque vero hinc ſequitur quod ſic prædeſtinati minus obligentur Deo: nam cum omne initium & radix meriti eorum, ſit à gratia Dei excitante, & cum ejus conſummatio ſit ab illius gratia cooperante, ſequitur quod totum Deo debeant, cum non niſi per gratiam, & auxilia ejus efficacia illam conſequantur, & habeant: Nam ſicut is qui acciperet pecuniam & pretium ab aliquo, unde emeret aliquam domum,

non minus obligaretur ei, quam ſi domum illam ei dediſſet: ita cùm Deus det prædeſtinato ſimpliciter & ſincere gratias & auxilia, unde mereatur gloriam, non minus ille prædeſtinatus Deo obligatur & obſtringitur pro tanta gratia, quam ſi gloriam ei dediſſet: quandoquidem dedit ei, unde illam haberet. Et hinc eſt quod licet ad gloriam habendam, ſecundum fidem Catholicam merita hominum concurrant, tamen non minuunt noſtram obligationem, quia nempe illa omnia à Deo ſunt, in quantum ipſe dedit unde ſunt.

PARAGRAPHVS OCTAVVS.

Duæ ſequentes Objectiones, ſcilicet 9. & 10. proponuntur & ſolvuntur.

NONUM argumentum ſumitur ex prædeſtinatione Chriſti, & ſic formatur: Prædeſtinatio Chriſti, eſt exemplar prædeſtinationis noſtræ; ſed prædeſtinatio Chriſti fuit ante prævisa merita: ergo & prædeſtinatio noſtra. Quod confirmatur authoritate D. Auguſtini libro de dono perſeverantiæ cap. ultimo, ubi ait: Nullum eſſe illuſtrius prædeſtinationis exemplum, quam ipſe JESUS.

Reſpondeo prædeſtinationem Chriſti eſſe exemplar prædeſtinationis noſtræ quoad gratiam, non vero quoad gloriam. Nec enim neceſſe eſt ut exemplatum exemplari, quantum ad omnia conformetur; ut ait D. Thomas 3. p. q. 24. A. 3. ad 3. Sed ſufficit quod exemplatum aliqualiter imitetur ſuum exemplar: alias ſequeretur quod ſicut Chriſtus fuit actu beatus ante merita, ita etiam & nos deberemus eſſe beati ante merita, quod abſurdum. Quæ ſolutio confirmatur ex iis quæ habet D. Thom. ibidem in Corp. ubi ait, quod prædeſtinatio Chriſti eſt exemplar prædeſtinationis noſtræ quoad terminum & effectum gratiæ: Et hoc, inquit, dupliciter, primum quidem quantum ad bonum ad quod prædeſtinamur, ipſe enim eſt prædeſtinatus ad hoc quod eſſet filius Dei naturalis: nos autem prædeſtinamur ad filiationem adoptionis, quæ eſt quædam participata ſimilitudo filiationis naturalis: unde dicitur Rom. 8. Quos præſcivit & prædeſtinavit, conformes fieri imaginis filii ſui: Alio modo quantum ad modum conſequendi iſtud bonum (ſcilicet gratiæ habitualis ſeu adoptionis divinæ, ut prædictum eſt) quod eſt per gratiam, quod quidem in Chriſto eſt manifeſtiſſimum, quia natura humana in Chriſto nullis ſuis præcedentibus meritis eſt unita filio Dei. Hæc ibi D. Thom. ubi explicat ſimilitudinem illam prædeſtinationis noſtræ, cum prædeſtinatione Chriſti quoad gratiam ſanctificantem, quæ nos facit eſſe filios Dei adoptivos, ſicut ipſe fuit filius Dei naturalis. Unde ad argumentum in forma reſpondeo diſt. majorem: Prædeſtinatio Chriſti eſt exemplar

Hanc cõformitatem de qua ibi loquitur Apoſtolus explicat D. Thom. communiter de gratia ſanctificãte, ut videre eſt ſupra in Objectione 8. ſcript.

plar prædeſtinationis noſtræ, quoad gratiam concedo, quoad gloriam nego: Sed prædeſtinatio Chriſti fuit ante prævisa merita, concedo: ergo & noſtra diſtinguo: prædeſtinatio noſtra ad gratiam, concedo, prædeſtinatio noſtra ad gloriam, de qua ſola hîc loquimur, nego.

Ad authoritatem D. Auguſtini, Reſpondeo D. Auguſtinum ibi loqui de prædeſtinatione ad gratiam. Quod patet non ſolùm ex ſcopo totius libri qui eſt de prædeſtinatione ad gratiam, ſeu donum perſeverantiæ; ſed etiam ex ipſis illius verbis in capite illo expreſſis, ubi aït: Qui ergo hunc (ſcilicet Chriſtum) fecit hominem *juſtum*, qui numquã eſſet injuſtus ſine ullo merito præcedentis voluntatis ejus, ipſe ex injuſtis facit *juſtos* ſine ullo merito præcedentis voluntatis eorum. Ubi vides comparationem fieri in juſtitia Chriſti & noſtra, quæ eſt gratia ſanctificans, & non in gloria æterna. Et infra: Qui ergo fecit illum hominem (ſcilicet Chriſtum) ſine ullis ejus præcedentibus meritis, *nullum quod ei dimitteretur, vel origine trahere, vel voluntate perpetrare peccatum, ipſe nullis eorum præcedentibus meritis facit credentes in eum quibus dimittat omne peccatum.* Ubi vides adhuc comparari juſtitiam Chriſti cum juſtitia hominum, ut prædeſtinata ſine meritis: & ſic non comparari prædeſtinationem Chriſti ad gratiam cum prædeſtinatione hominum ad gloriam; ſed utramque prædeſtinationem eſſe ad gratiam. Similia habet in illo alio loco (quem ibi laudat) ex libro de prædeſt. Sanct. cap. 15. ubi loquens de eâdem comparatione prædeſtinationis Chriſti cum noſtra; ſic aït, quantum ad noſtrum propoſitum: *Ea gratia* fit *ab initio fidei ſua homo quicumque Chriſtianus* (ubi vides Auguſtinum loqui de prima gratia hominis Chriſtiani, & de prædeſtinatione ad illam, non vero de gloria) qua gratia homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus: de ipſo Spiritu, & hic renatus, de quo eſt ille natus: eodem Spiritu fit in nobis *remiſſio peccatorum*, quo Spiritu factum eſt, ut *nullum haberet ille peccatum.* Ubi vides adhuc comparari juſtitiam Chriſti cum juſtitia hominis, ut prædeſtinata per gratiam, unde & ſequitur: Hæc ſe Deus eſſe facturum præſcivit, ipſa eſt igitur prædeſtinatio Sanctorum quæ in Sancto ſanctorum maxime claruit. Ubi vides Auguſtinum loqui de prædeſtinatione ad gratiam, & non de prædeſtinatione ad gloriam: & ſic nihil inde haberi poteſt contra nos.

Decimum argumentum eſt ejuſmodi: Deus ante omnem prævisionem operum eligit & prædeſtinat omnem hominem ad juſtificationem: & tamen hæc non obtinetur, niſi interventu noſtri conſenſus: Ergo ſimiliter dicendum eſt, illum nos eodem modo eligere ad gloriam, etiamſi non poſſimus illam obtinere, niſi mediante noſtra cooperatione & noſtris meritis: utrobique enim videtur eadem ratio, cum æque requiratur utrobique noſter conſenſus, & aliquod meritum in executione: Pœnitentia enim ex fide profecta, meretur de congruo juſtificationis gratiam.

Reſpondeo primò, totum illud argumentum, ſi quid concludat, ſolùm

concludere quod prædeſtinatio ad gloriam potuit fieri ante prævиſa merita, non autem quod ita facta ſit, de quo tamen ſolo hîc diſputamus, cum quæſtio noſtra tota de facto ſit, ut initio diſputationis monuimus, & non de poſſibili. Ratio autem cur non concludat de facto, ſed tantum de poſſibili, ea eſt: quia in rebus mere voluntariis, non recte infertur unum ex altero: quia cum non habeant cauſam neceſſariam, non neceſſario inferuntur ex invicem, & ita licet una prædeſtinatio ſit facta uno modo, non ſequitur quod altera ſit facta eodem modo, niſi aliunde probetur, ut ſi demonſtraretur quod eadem cauſa quæ movit illum ad faciendum unum, debuit eum movere ad faciendum eodem modo & alterum, quod hîc non fit; ſed tantum oſtenditur quod non ſit major repugnantia in uno quam in altero, cum utrobique ſit meritum, qua parte tantum poſſet reperiri repugnantia; ſed hoc non ſufficit quandoquidem etiam hoc dato, potuit Deus habere rationes faciendi hoc modo prædeſtinationem ad gratiam, & alias ad faciendam alio modo prædeſtinationem ad gloriam; unde conjectura iſta non ſufficit.

Reſpondeo ſecundo neg. antec. quoad primam ſuam partem, ſcilicet quantum ad hoc quod dicitur quod Deus ante omnem prævиſionem operum, eligit & prædeſtinat hominem ad juſtificationem: hoc enim videtur falſum, non enim ſic eligit Deus homines ad juſtificationem, nec prius decernit infundere charitatem, ſeu gratiam juſtificantem in animam hominis, quam præviderit eum eliciturum actus fidei, ſpei, & pœnitentiæ prævios, & prærequiſitos ad illius infuſionem, non tamquam cauſas meritorias gratiæ prærequiſitas; ſed tamquam conditiones neceſſarias & requiſitas ex illius ordinatione ad infuſionem gratiæ iſtius. Unde D. Auguſtinus cum definit prædeſtinationem ad gratiam ſemper meminit iſtius præſcientiæ, ut præviæ & prærequiſitæ ad infuſionem illius. Lib. 10 de præd. Sanct. cap. 10. ſic definit prædeſtinationem: Prædeſtinatio, gratiæ eſt præparatio: Ibi quidem non meminit præſcientiæ; ſed cito poſt adjicit: Prædeſtinatio eſt quæ *ſine præſcientia* eſſe non poteſt (ecce præſcientiam) poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia. Libro de dono perſeverantiæ cap. 14. ſic eam definit: Prædeſtinatio Sanctorum nihil aliud eſt quam *præſcientia*, ſcilicet & præparatio beneficiorum Dei, &c. Ubi vides præſcientiam poni ante præparationem, eamque eſſe intrinſecam iſti definitioni. Item eodem libro cap. 18. ſic definit eam: Prædeſtinaſſe eſt hoc *præſciſſe* quod fuerat ipſe facturus: Ubi præſcientia tenet locum ipſiuſmet prædeſtinationis, ut pote tam intrinſeca illi, ut pro illa ſupponat, & per conſequens debet eſſe prævia, quia ſi eſſet poſterior, eſſet ei extrinſeca, upote nihil faciens ad ejus conſtitutionem, cum jam ſupponeretur eſſe facta: Ex quibus manifeſtum eſt Auguſtinum cenſuiſſe præſcientiam eſſe prædeſtinationi iſti intrinſecam, & ab ea prorſus indiviſibilem: & ſane non aliam ob cauſam, niſi ob ſuavem divinæ providentiæ gubernationem, quæ in his quæ ſpectant ad ſalutem hominis, & ad arbitrium, ſeu voluntatem illius, nihil om-

nino ſtatuit, niſi in ordine ad illius conſenſum & liberam acceptationem, ut omnia nobis plana ſint, & libera, & omnino connaturalia, & non tamquam mancipia perducamur ad juſtitiam; ſed ut tamquam filii, & liberi ſponte deducamur ad amorem & dilectionem æterni Patris, & deinde ad ejus hereditatem in æternum poſſidendam: Unde jure meritoque Auguſtinus poſtulat, ut prævideatur conſenſus noſter in actus prævios ad illam gratiam recipiendam, priuſquam Deus decernat eam: eo modo quo poſtulat præſcientiam bonorum operum, antequam Deus decernat glorificationem noſtram.

Neque tamen hinc ſequitur quod juſtificatio noſtra non ſit vere gratuita, & omnino á meritis independens & abſoluta, ex hoc quod prærequiritur conſenſus noſtri, & præviorùm quorumdam operum præſcientia, antequam illa nobis à Deo decernatur: nam cum illa opera non ſint de condigno meritoria juſtificationis noſtræ, quandoquidem non ſunt cauſæ moventes, vel quaſi cauſæ Deum moventes ad illam nobis concedendam, vel prædeſtinandam ex juſtitia; ſed tantum ſint conditiones ſine quibus non, ſeu congruæ quædam diſpoſitiones ad illam gratiam debite recipiendam; ideo ab ea non tollunt rationem gratuiti, quia non requiruntur ad illam tamquam merita ad præmium; ſed tamquam diſpoſitiones morales ad formam voluntariam. Ex quo clare apparet, antecedens illud eſſe falſum quo dicebatur Deum ante omnem prævißionem operum eligere & prædeſtinare homines ad juſtitiam, ſeu ad juſtificationem, cum Deus non ſic eligat homines, nec unquam decernat infundere charitatem, ſeu gratiam juſtificantem in animam alicujus, quin prius præviderit eum eliciturum actus fidei, ſpei, & pœnitentiæ tamquam actus prævios, & prærequiſitos ad illius infuſionem, ut probatum eſt. Cum ergo id falſum ſit, etiam eſſe falſum neceſſe eſt id quod ſequitur, & infertur ex illo, ſcilicet quod gloria decernatur homini ſine prævißione meritorum.

PARAGRAPHVS NONVS.

Duæ ſequentes Objectiones, ſcilicet 11. *&* 12. *proponuntur & ſolvuntur.*

VNDECIMUM argumentum ſic proponitur: Multi ſunt fines, quos Deus proponit hominibus obtinendos propter merita, & tamen prius efficaciter vult illis tales fines, quam velit merita, per quæ illos obtinent: Ergo & volet efficaciter gloriam ante prævißa merita. Antecedens probatur præcipue exemplo electionis Beatæ Virginis ad Maternitatem Dei, hanc enim habuit ob merita, ut Theologi docent tertia parte. Et tamen prius ad eam fuit electa, quam fuerint prævißa merita, ob quæ

ob quæ illam adepta eſt: Alioquin eſſet conſequens, Deum ab originis peccato, & quovis alio illam ſervaſſe immunem, cæteraque innumera & eximia Spiritus ſancti dona, quibus ornatam voluit, ut dignius Dei Mater eſſet, ei decreviſſe ex ſola ſimplici complacentia maternitatis ejus, quam ſimiliter habuit erga reliquas omnes mulieres, quoniam ſimplices illi affectus circa bonum, aut malum Deo liberi non ſunt.

Reſpondeo primò negando conſequentiam: Nam licet antecedens verum eſſet in aliquibus, non tamen ſequitur quod verum ſit in aliis omnibus: cum hîc non ſit quæſtio de poſſibili, ſed de facto; ſcilicet, an prædeſtinatio ad gloriam de facto facta ſit ante, vel poſt præviſa merita: quod factum pendet à ſola voluntate facientis, quæ voluntas facti, cum diverſa non ſolùm in diverſis; ſed etiam in ſimilibus poſſit ſtatuere pro mero libito, ideo non bene arguitur ab uno ad aliud: & proinde hoc argumentum nihil probat contra nos, cum ex illo nihil aliud haberi poſſit, niſi quod prædeſtinatio ad gloriam potuit fieri ante præviſa merita, licet actu detur per merita, non vero habetur quod prædeſtinatio illa facta ſit ante præviſa merita, quod ſolum hîc inquirimus.

Reſpondeo ſecundò negando antecedens, ad probationem dico: Maternitatem illam non fuiſſe propoſitam à Deo ut obtinendam per merita, cum nullibi id conſtet ex Scripturis: ſed fuit ſingulare beneficium à Deo prædeſtinatum, & procuratum Beatæ Virgini: in quo valde differt à beneficio glorificationis æternæ, quod proponitur omnibus omnino hominibus, ut obtinendum per merita, ut patet ex Scripturis: unde ſi beneficium iſtud omnibus propoſitum ut obtinendum ab eis per merita, prædeſtinatum eſſet ante præviſa merita, ſequerentur multa abſurda quæ non ſequuntur ex prædeſtinatione ad maternitatem divinam, quæ non fuit ſic propoſita omnibus mulieribus, vel alicui earum ut obtinenda per merita, cum omnibus circumſtantiis cum quibus nobis propoſita eſt gloria. Nam, ſi Deus prædeſtinaſſet homines ad gloriam ante præviſa merita, ſequeretur primò quod promiſſiones Dei toties in Scriptura repetitæ de danda nobis gloria ob merita, eſſent fallaces & deceptoriæ, cum ſic promiſiſſet Deus dare illam gloriam ob merita, & tamen prædeſtinaſſet dare illam ſine ordine ad merita: quod non habet locum in prædeſtinatione ad maternitatem divinam, cum nullibi reperiatur promiſſa meritis. Secundò ſequeretur quod comminationes divinæ, quibus comminatur Deus excludere à gloria illos qui non bene operabuntur, eſſent deluſoriæ, cum jam ſtatuiſſet in æterna ſua prædeſtinatione, per reprobationem nempe negatiuam, non dare aliquibus gloriam ſine ordine ad eorum opera, ſive bona, ſive mala, quod non habet etiam locum in prædeſtinatione ad maternitatem divinam, cum nullibi reperiatur comminatio ulla de privatione maternitatis divinæ, ſi non bene agatur. Tertiò ſequeretur Deum non ſincere voluiſſe omnibus hominibus ſalutem æternam, cum impoſſibile ſit vere & ſincere velle omnibus ſalutem, & tamen poſtea ex ſe, & ex mero libito, velle tantum aliquibus

HHhh

ſalutem efficaciter, & non aliis, proüt admittunt ii qui tenent prædeſtinationem ad gloriam factam eſſe ante præviſa merita, cum in hoc repugnantia manifeſta ſit, proüt late oſtendimus in argumentis à ratione petitis, ratione 2. verſus finem: Quæ repugnantia non habet locum in prædeſtinatione ad maternitatem divinam, cum nullibi reperiamus in Scripturis quod Deus voluerit maternitatem divinam omnibus mulieribus, ſicut reperimus in Scripturis, quod voluit gloriam omnibus hominibus, ut in eodem argumento demonſtratum eſt.

Poſſem & alia multa abſurda colligere, quæ ſequuntur in Scripturis, ſi prædeſtinatio ad gloriam facta ſit ante præviſa merita, quæ non ſequuntur ex prædeſtinatione ad maternitatem divinam: Unde ab una non bene arguitur ad aliam. Quæ ſolutio non poterit non veriſſima, & non acceptiſſima cenſeri, ſi notetur quod quæſtio noſtra eſt de facto, ſeu de eo quod innoteſcit nobis ex Scripturis de prædeſtinatione ad gloriam, non vero de poſſibili. Quod enim conſiſtit in facto, probationes requirit ipſi facto peculiares, & non aliunde adſcitas, quomodo hîc faciunt adverſarii perperam inferentes prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante præviſa merita, ex eo quod prædeſtinatio M A R I Æ ad maternitatem divinam fuit facta ante præviſa illius merita: hoc enim non probat quod prædeſtinatio ad gloriam facta ſit ante præviſa merita; ſed tantum quod ita fieri potuit, quod non negamus: Fatemur enim perlibenter prædeſtinationem hominum potuiſſe fieri ante præviſa merita, ſicut prædeſtinationem M A R I Æ ad maternitatem divinam: ſed dicimus quod ſi ita de facto ſe res haberet, aliter Scriptura loqueretur de ea quam loquitur, aliter Concilia, aliter Patres. Quapropter cum Scriptura & Patres ita loquantur de prædeſtinatione hominum ad gloriam, ut non poſſint recte intelligi, niſi de prædeſtinatione poſt præviſa merita; ideo dicimus cum ipſis, quod prædeſtinatio hominum ad gloriam facta eſt poſt præviſa merita, licet forte prædeſtinatio M A R I Æ ad maternitatem divinam ſit ante præviſa merita, quia ratio facti petenda eſt ab ipſo facto, & non ab alio.

Reſpondeo tertiò quod poſſet dici quod ſicut B. Virgo non habuit ſuam maternitatem, niſi ex meritis vita, quod nec fuit prædeſtinata ad illam niſi ex meritis; & ratio eſt quia communiter ita ſe res habet in executione, ut in intentione, proüt vidimus etiam ex Auguſtino, & D. Thoma, qui propterea non aliter loquuntur de prædeſtinatione Angelorum & hominum, ac de ejus executione: Unde cum certum ſit quod B. Virgo in executione habuit ſuam maternitatem ex meritis, conſequens etiam eſt quod ad eam prædeſtinata fuit ex meritis: neque hinc ſequitur quod illa ſingularia dona quibus digna effecta eſt maternitate divina, ſint à ſimplici complacentia maternitatis divinæ erga omnes mulieres; poteſt enim dici quod illæ gratiæ ſunt à mera liberalitate divina, cujus cauſas ignoramus, propter quas recurrendum eſt ad altitudinem ſapientiæ & ſcientiæ Dei, cujus inſcrutabilia ſunt judicia, &

inveſtigabiles viæ, non autem ex eo quod Deus elegerat eam in matrem, cum nihil habeamus ejuſmodi in Scripturis, & Conciliis, & præſumptio ſit in contrarium, ex eo quod, ut dixi, habuit illam maternitatem ex meritis, communiter autem eodem modo ſe habet executio & intentio, ut vidimus ex D. Thoma & Auguſtino: & per conſequens cum habuerit maternitatem illam ex meritis, debuit ad illam prædeſtinari ex meritis.

Duodecimum argumentum ſumitur ex fine ipſius prædeſtinationis, prout innoteſcit nobis ex ſacris Scripturis, qui finis non eſt alius quam oſtenſio divitiarum gratiæ & miſericordiæ Dei in vaſa miſericordiæ, ut patet ex Apoſtolo ad Rom. 9. & 11. & ad Epheſ. 1. At vero ſi Deus prædeſtinaret homines propter merita, non oſtenderet divitias gratiæ ſuæ; ſed potius juſtitiæ ſuæ: ergo prædeſtinatio ad gloriam non eſt facta poſt prævisa merita.

Reſpondeo neg. maj. quoad hoc quod dicit finem prædeſtinationis non eſſe alium quam oſtenſionem miſericordiæ, eſt enim etiam & oſtenſio juſtitiæ. Ad probationem ex Scripturis, Reſpondeo primò in his locis non eſſe ſermonem de fine prædeſtinationis ad gloriam: Nam primus locus ad Rom. eſt ejuſmodi: Si autem Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia, vaſa iræ aptata in interitum, & ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ: Ibi non agitur de fine prædeſtinationis; ſed de fine patientiæ Dei, reſpectu peccatorum improborum hominum: qui finis duplex eſt: unus eſt oſtenſio ſuæ juſtitiæ & potentiæ in punitione malorum: Per hæc verba volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam: Alter eſt oſtenſio ſuæ miſericordiæ in bona vita juſtorum, per oppoſitionem peſſimæ vitæ impiorum; per hæc verba: Et ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ: ubi nihil de fine prædeſtinationis; ſed tantum de fine patientiæ divinæ reſpectu peccatorum improborum hominum. Secundus locus eſt ejuſmodi: Vide ergo bonitatem & ſeveritatem Dei, in eos qui ceciderunt ſeveritatem, in te autem bonitatem, ſi permanſeris in bonitate. Ubi nulla ſit mentio de fine prædeſtinationis ad gloriam; ſed tantum dicitur quod magna bonitas Dei apparet in eis qui perſeverant, nec aliud quidpiam reperi in capite illo 11. præter hoc quod pertineret ad quæſtionem; niſi velis loqui de iſto loco, ubi dicitur, quod in hoc tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt. Sed præter quam quod hic locus non eſt de prædeſtinatione ad gloriam; ſed de prædeſtinatione ad gratiam, niſi velis exponere illum de prædeſtinatione poſt prævisa merita, ut oſtendi in Object. 11. ex Scripturis. Ibi nulla ſit mentio de fine prædeſtinationis; ſed tantum qualificatur illa electio per gratiam, vocando eam electionem gratiæ, & nihil præterea: unde nihil ibi ad propoſitum. Locus autem ad Epheſ. eſt omnino de prædeſt inatione ad gratiam, & non ad gloriam, ut patet ex ſimplici expoſitione illius. Elegit, inquit, nos in ipſo ante conſtitutionem mundi, *ut*

eſſemus Sancti & immaculati (ecce totus finis iſtius electionis , ſcilicet ſanctitas & innocentia) in conſpectu ejus in charitate , qui prædeſtinavit nos in filiorum adoptionem (quæ eſt gratia ſanctificans, ut communiter exponitur) per CHRISTUM, in ipſum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ *gratiæ ſuæ*. Quem locum ipſemet Auguſtinus exponit de prædeſtinatione ad gratiam libro de prædeſt. Sanct. c.18. & ſic nihil in iſtis eſt de fine prædeſtinationis ad gloriam.

Reſpondeo ſecundò quod etſi in iſtis locis ſermo eſſet de fine prædeſtinationis ad gloriam, non tamen vera eſſet conſequentia quia in his locis nulla eſt particula excluſiva juſtitiæ; ſed tantũ commendativa miſericordiæ: unde D.Th. explicans primum locum ad Rom. 9. Lect. 4. qui locus magis videtur accedere ad intentum adverſariorum, exponit illum tam de manifeſtatione juſtitiæ , quam de manifeſtatione miſericordiæ. Unde poteſt dici quod ibi Scriptura loquitur de fine partiali , qui eſt miſericordia , non vero de totali qui eſt juſtitia ſimul & miſericordia : non enim inſolens eſt in Scripturis commendare unum prætermiſſo alio illi conjuncto : Ut cum dicit Apoſtolus ad Rom. 6. Gratia autem vita æterna ; certum enim eſt ipſo etiam interprete Auguſtino , quod non ſolum ibi eſt gratia ; ſed etiam juſtitia : Et cum dicitur Matth. 5. Venite benedicti Patris mei poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi: eſurivi enim , & dediſtis manducare : Ibi tantum videtur commendari juſtitia: & tamen etiam eſt miſericordia, ſecundum illud ad Rom. 8. Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis : & ſic de cæteris.

Pro quo vide Argum. 18 ex Auguſtino.

Reſpondeo tertiò ibi per antonomaſiam commendari gratiam & miſericordiam , non vero negari juſtitiam : commendatur autem ibi gratia, potius quam juſtitia , quia in prædeſtinatione longe major eſt miſericordia quam juſtitia : Unde denominatio iſtius finis ſumitur à potiori parte , quæ eſt miſericordia. Quod autem longe major ſit miſericordia in prædeſtinatione ad gloriam , quam juſtitia , patet ex ſupracitato loco Apoſtoli ad Rom. 8. Non ſunt condignæ paſſiones, &c. Item & ex illo 2. ad Cor. 4. ubi ait : Momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Ubi meritum noſtrum comparatur gloriæ , ſicut momentum æternitati , & ſicut levitas ponderi ſupra modum gravi. Unde Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 10. loquens de noſtra glorificatione , aït quod tantum ibi *gratia* divinæ *retributionis* exuberat , ut incomparabiliter & ineffabiliter omne meritum quamvis bonæ & ex Deo datæ humanæ voluntatis , atque operationis excedat : Quapropter non mirum eſt quod ibi Apoſtolus loquatur ſolùm de miſericordia , & non de juſtitia , quæ propemodum ibi nihil eſt in comparatione miſericordiæ.

Denique reſpondeo negando min. magis enim Deus oſtendit magnificas ſuæ gratiæ divitias prædeſtinãdo homines poſt prævisa merita, quam prædeſtinando illos ante prævisa merita. Dicimus enim in illa prædeſti-

natione quæ eſt poſt prævifa merita, Deum aperire & exponere infinitos ſuæ gratiæ theſauros omnibus omnino hominibus, quantumlibet haurire volentibus, quod eſt magnificentiſſimum. Unde ſequitur quod ſi pauci & parum hauriant, eorum imputetur defectui, nullo vero modo theſauros ſuos ſic aperienti. At vero in oppoſita non ſic aperiri dicuntur infiniti divinæ gratiæ theſauri omnibus quantumlibet haurire volentibus; ſed cuilibet à Deo taxata eſt ſua portio, aliis parce, aliis large, nec plus quiſquam habiturus eſt, quam illi determinatum à Deo eſt. Unde ſicut is qui haberet menſam ſuam opipare paratam pro omnibus venire volentibus, & quantumlibet manducare volentibus, longe cenſeretur liberalior, ſplendidior, & magnificentior eo qui tantum aliquos admitteret ad lauta cibaria, alios autem amandaret ad communia: ſic Deus in noſtra opinione, in qua omnes theſauros ſuæ gratiæ & gloriæ quibuſlibet, & quantumlibet haurire volentibus aperit, longe liberalior & magnificentior apparet quam in oppoſita, in qua ſolùm aliquibus magnos ſuæ gratiæ theſauros Deus aperit, aliis vero longe pluribus parce & modice quaſdam ſuarum divitiarum particulas quaſi avarus, & parum voluntarius elargitur. Et ſic patet quomodo illa falſa minor ſit quæ dicebat quod ſi Deus prædeſtinaret homines poſt prævifa merita, non oſtenderet divitias gratiæ ſuæ, cum in illa prædeſtinatione oſtendat illas longe majores & opulentiores, quam in ea quæ eſt ante prævifa merita, idque ſine præjudicio veræ ſuæ juſtitiæ.

PARAGRAPHVS DECIMVS.

Decimatertia proponitur Objectio, quæ eſt de naturâ medicinalis gratiæ Chriſti.

DECIMUMTERTIUM argumentum ſumitur ex natura gratiæ medicinalis Chriſti, ex cujus vi & efficacia, inquit Janſenius, bene infertur quod homines lapſi deducantur efficaciſſime ad gloriam ex vi præcedentis prædeſtinationis ad illam: Nam ſimul atque, inquit, diviniſſimum iſtud diſcrimen duplicis adjutorii quo fit actio, & ſine quo non fit, ſeu poſſibilitatis & voluntatis quod tam ſollicite & operoſe ſanctus Auguſtinus tradidit, animo perceptum & ſtabilitum eſt: Omnes confeſtim Scholaſticorum nebulæ diffugiunt, patetque lucidiſſime primos homines, & eorum poſteros, ſi in ſanctitate & veritate ſtetiſſent, non fuiſſe aliter eligendos efficaciter ad gloriam, quam Angelos electos diximus, hoc eſt niſi ex præſcientia abſoluta meritorum, lapſos vero & ex lapſu iſto juſtiſſime damnatos efficaciter eligi ad gloriam, antequam eos ulla merita præviderit habituros, eo quod illa ipſa ad gloriam efficax electio omne meritum in illis gratis operetur. Diſcriminis, inquit, *Lib. 9 de gr. Salv. c. 15.*

iſtius ratio non eſt alia, niſi diſcrimen adjutorii, quo Deus, medium quod ad gloriam ducit, hoc eſt fidem, & opera bona, ſeu merita, in utriſque operatur: in ſtantibus ſive Angelis, ſive hominibus, non aliter ea Deus facit, niſi quia dat eis poſſe ſi velint: velle vero in eorum libero relinquit arbitrio. In lapſis vero ſic ea Deus facit, ut non expectet ab eis, ut velint cum aliquo adjutorio, ſine quo velle non poſſint: ſed ita ut in eis ipſam procuret, præparetque voluntatem, non ſolum ut ſtent & faciant ſi voluerint; ſed operando invicte per adjutorium quo, ut non niſi ſtent, & faciant, & velint: ex quo ſic argumentatur paulo infra: Quis ſit intentionis modus, efficax an inefficax, non poteſt clarius quam ex electionis modo nobis innoteſcere: ſed talis medii electio quo certiſſime directiſſimeque finis aſſequendus eſt, evidenter clamat agens efficaciter & infallibiliter ad propoſitum ſibi finem velle pertingere: ergo per illud medium efficaciter illum intendit: ergo etiam ante prævisionem abſolutam medii, quia ipſum medium ex vi tam efficacis intentionis excogitatur, quæritur, & eligitur. Ex quo ulterius infert illos ſolos qui non agnoſcunt tale adjutorium, tenere prædeſtinationem factam eſſe poſt præviſa merita, cæteros omnes tenere contrarium.

PUNCTUM PRIMUM.

Prædictæ ſatisfit Objectioni, & cuidam etiam ejus confirmationi.

RESPONDEO hoc argumentum, vel fundari in falſo, vel à nobis eſſe plene ſolutum, in Objectione tertia à ratione petita. Nam fundatur in falſo, ſi adjutorium quod adſtruit, eſt neceſſitans ad agendum, qui videtur eſſe ſenſus Janſenii; nam in libro 2. de gr. Salvat. quem ibi citat in margine, ut explicantem naturam iſtius adjutorii, capite præcipue 4. §. Hoc ergo. loquens de adjutorio ſanæ & ægrotæ voluntatis, aït quod gratia ſanæ voluntatis, in ejus libero arbitrio relinqueretur, ut eam ſi vellet, uteretur: gratia vero lapſæ ægrotæque voluntatis, *nullo modo* in ejus relinquatur arbitrio, ut eam deſerat, aut arripiat: quo nihil poteſt dici expreſſius ad adſtruendum adjutorium neceſſitans in ægrota voluntate, cum dicat quod illud nullo modo in ejus relinquatur arbitrio, ut illud deſerat, aut arripiat; nam iſta particula; *nullo modo*, excludit omnem liberam diſpoſitionem illius adjutorii in voluntate illud habente, & proïnde infert neceſſitatem. Et hinc eſt quod ipſe non timet initio capitis iſtius vocare voluntatem ſervam ſub hujuſmodi adjutorio, quia ſecundum illum vere ſerva eſt, & non libera ſub neceſſitate illius adjutorii neceſſitantis. Si ergo ſupponit tale adjutorium eſſe neceſſitans dico quod ſupponit falſum, cum falſum ſit quod voluntas hominis lapſi neceſſitetur à gratia, quia ſic tolleretur omne meritum. Unde juſte à ſancta ſede Apoſtolica hæc tertia ejus propoſitio damnata eſt, quæ ſe

habet hujuſmodi: Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate; ſed ſufficit libertas à coactione: debet enim ſecundum ſenſum omnium Catholicorum ad meritum eſſe voluntas libera à neceſſitate ſicut & à coactione, & per conſequens illud adjutorium quod infert neceſſitatem voluntati, eſt falſum & erroneum, & conſequenter etiam argumentum in illo adjutorio fundatum, eſt ſimiliter falſum & erroneum, & omnino rejiciendum. Quod ſi non ponat illud adjutorium eſſe neceſſitans; ſed ſolùm efficax & infallibiliter habens effectum in prædeſtinatis, dico quod iſtud argumentum eſt à nobis plene ſolutum, in ſupracitata Objectione 3. ex ratione, unde nihil de ibi dictis repetendum eſt.

Ad id autem quod aït illos ſolos qui non agnoſcunt naturam gratiæ medicinalis, tenere prædeſtinationem hominum lapſorum ad gloriam factam eſſe poſt prævisa merita,

Reſpondeo, neminem melius agnoviſſe naturam iſtius gratiæ quam Auguſtinum, & tamen ipſe tenet prædeſtinationem ad gloriam factam eſſe poſt prævisa merita, ut late probavimus in ejus teſtimoniis: Etetiam poteſt confirmari, ex eo quod idem Auguſt. clare tenet perſeverantiam prædeſtinari poſt & ob orationes prævisas, ut etiam probavimus in ejus teſtimoniis argumento 19. Et tamen negari non poteſt quin ad illas concurrat gratia medicinalis Chriſti: ſed & ipſe Janſenius lib. 9. de gratia Salv. cap. 6. §. Porrò. fatetur nos ſecundum Auguſtinum, non ſolum ad charitatem & perſeverantiam; ſed & ad ipſam gloriam ex aliquibus meritis eligi: At certe non dicet, quod ad illa merita non concurrat gratia medicinalis, ſeu adjutorium quo Auguſtini, quod ubique propugnat ut neceſſarium ad bona opera hominum lapſorum: ergo confitendum eſt, vel quod illa gratia medicinalis, ſeu adjutorium quo Auguſtini, non eſt idem ac Janſenii, vel quod non eſt incompoſſibile cum prædeſtinatione hominum poſt prævisa merita: & ſic quod argumentum inde ſumptum prorſus inutile, & inane eſt.

Verum affert Janſenius, ubi ſupra, aliquam congruentiam pro ſua gratia neceſſitante, & aït quod erat congruentiſſimum, ut cum creaturas rationales, cum ſumma arbitrii libertate & poteſtate, ſine ulla concupiſcentiali reſiſtentia, & pronitate condidiſſet (ſcilicet Deus) experiretur prius, ac patefaceret quid eorum liberrima voluntas poſſet: nempe perſeverare in collata ſibi bonitate ſi vellet: quia non deerat adjutorium per quod, & ſine quo non poſſet perſeveranter bonum tenere, quod vellet: hoc ergo factum, & demonſtratum eſt in Angelis & hominibus, quorum illi, cum per liberum arbitrium, partim in veritate ſteтиſſent, partim cecidiſſent; hi vero penitus, cum tota poſteritate per idem liberum arbitrium periiſſent: quid erat naturalius, & congruentius, quam ut jam oſtenderet, quid poſſet gratiæ ſuæ potentiſſimæ (id eſt neceſſitantis) beneficium.

Reſpondeo quod licet congruentiſſimum fuerit ut Deus propter ſupra

allatam rationem daret fortius adjutorium homini lapſo & ægro, quam ſtanti & ſano, non tamen ſequitur quod debuerit illi dare adjutorium neceſſitans, aut efficax per ſe, cum ad ſanandum hominem ægrum, & ad lapſum erigendum, ſufficeret tanto augere vim remedii, quantum invaluerat vis morbi, & tanto augere vires gratiæ ad eum erigendum, quantum concupiſcentia valet ad eum proſternendum, ut ſic liberum arbitrium per gratiam ſanatum & erectum, & ad ſuum juſtum temperamentum redactum, poſſet ingruentes concupiſcentiæ tentationes, cum illa acceſſione devincere, ſine eo quod ipſum ſpoliaretur libera ſua electione boni & mali, & captivum maneret ſub illa vi & potentia, quæ ſibi data fuerat in auxilium & remedium. Quod ſane Auguſtino, numquam venit in mentem: ut ſatis aperte patet, vel ex ipſis ejus teſtimoniis quæ ibi adducit Janſenius in confirmationem ſui adjutorii neceſſitantis, ex libro de corrept. & gr. cap. 12. ubi explicat Auguſtinus vim iſtius adjutorii non eſſe ad ſubjugandam ſibi (ut vult Janſenius) voluntatem; ſed ad ſubdendam ei ſuam concupiſcentiam, bonis ejus affectibus reluctantem: ſic enim ait ibi ſanctus Doctor allegatus à Janſenio, ſupracitato cap. 5. Ratio igitur. Major, inquit, libertas eſt neceſſaria *adverſus tot & tantas tentationes*, quæ in paradiſo non fuerunt dono perſeverantiæ munita atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus ſuis, *vincatur hic mundus*. Vides ad quid data ſit hæc gratia, ſcilicet ad vincendas tentationes, ad vincendum hunc mundum cum ſuis amoribus, &c. non vero ad vincendam voluntatem, & ad captivandum arbitrium. Et infra: Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur (id eſt ita à divina gratia muniretur, ut non poſſet à concupiſcentia vinci, & averti à bono: hoc enim eſt quod ſonat indeclinabiliter, & inſuperabiliter agi, id eſt duci tam conſtanter & ſtrenue, ut non poſſit vinci ab inimicis ni velit) & ideo quamvis infirma, non tamen *deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur; ſed cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia ſuperaret.* Ubi vides iterum ad quid data ſit gratia, ſcilicet ad roborandam voluntatem ne deficiat, & ut cum eâ voluntas omnia vincat ſibi adverſantia: ubi etiam nota quod expreſſius Auguſt. omnia iſta potius attribuit voluntati quam gratiæ, dicens quod iſta omnia ei data ſunt, ut non deficeret, ut non vinceretur, & ut omnia ſibi adverſantia ſuperaret, ut ſcilicet per hoc oſtenderet eam non eſſe ſervam & captivam ſub gratia; ſed ſolum adjutam & confirmatam ab illla, eo ſcilicet fine ut ſicut ibi etiam habetur ex Auguſtino, inviςtiſſime quod bonum eſt velit, & hoc ipſum deſerere inviςtiſſime nolit: id eſt ita velit bonum, & nolit malum, ut in eo non poſſit vinci à concupiſcentia, quantumcumque ſæviente & reluctante, niſi voluntas ipſa velit. Quod ut magis ac magis confirmetur, operæpretium eſt proferre aliqua ipſiuſmet Auguſtini teſtimonia per quæ clare demonſtretur voluntatem ipſam ſemetipſam determinare ſub gratia, & ſolummodo adjuvari à gratia, ut per eam bonum

Pſal. 18. in expoſ. 1. non premis animas ſervitutis jugo; ſed ad te omitandum libertate convertens.

bonum agat, & velit: cum ſine illa, ſeu ſine ejus adjutorio nihil boni agere, nec etiam velle poſſit.

Punctum II.

Quibuſdam Auguſtini teſtimoniis probatur indifferentia noſtræ voluntatis ſub gratia, contra Object. prædictam.

ET primum quidem ſumitur ex lib. de ſpir. & litt. cap. 30. ubi loquens Auguſt. contra Pelagianos, & defendens contra eos veram Chriſti gratiam, ut vere compoſſibilem cum libero arbitrio indifferenti, ſic ait: Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam, abſit; ſed magis liberum arbitrium ſtatuimus: (utique indifferens, non enim aliud agnoſcebant illius adverſarii Pelagiani, contra quos ibi agebat, nec aliam conquerebantur libertatem ablatam per gratiam Auguſtinianam, niſi indifferentem, ut teſtis eſt Janſenius, libro 5. de hæreſi Pelagiana cap. 12. & 17. & ubique paſſim; unde & ſequitur) ſicut enim lex per fidem, ſic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur; ſed ſtatuitur: (at certum eſt, quod nihil de lege evacuatur per fidem: ergo & certum eſt quod ſecundum Auguſtinum nihil evacuatur de libero arbitrio per gratiam; & proinde per gratiam Auguſtinianam non evacuatur indifferentia, quæ pertinet ad liberum arbitrium; ſed potius ſtatuitur: quia nempe illa gratia dat potentiam bene agendi libero arbitrio, quam antea non habebat: Et ſic non erat liberum ad amplectendum bonum, & ad faciendum præceptum ut evadit per gratiam, non ſane determinatem arbitrium, ſed potius ab illo determinandam, ut etiam immediate poſt ſequitur) neque enim lex impletur, *niſi* libero arbitrio (ecce actionem tributam ipſi libero arbitrio, ut pote determinanti & applicanti gratiam: ſed quo pacto id fiat, immediate poſt ſequitur, & ſimul etiam declaratur totum ſecretum concordiæ gratiæ & liberi arbitrii) Per legem (inquit) cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam ſanatio animæ abolitione peccati, per animæ ſanitatem libertas arbitrii (ecce animam liberam factam per gratiam, non captivam, non ſervam, imo vero nec determinatam; nam hucuſque vidiſti tantum præparationes & diſpoſitiones ad actum, nihil tamen de actu, quia nondum apparuit principium determinans, & decernens agere: ſed ecce mox ſequitur) *Per liberum arbitrium juſtitiæ dilectio* (ecce quod facit liberum arbitrium cum gratia: diligit, id eſt ſe determinat ad diligendum, & per hanc dilectionem operatur mandatum, ut immediate poſt ſequitur) per juſtitiæ dilectionem, legis operatio: Sed hæc licet clariſſima ſint, non ſufficiunt tamen Auguſtino; ſed vult amplius explicare & declarare ſenſa ſua de gratia & libero arbitrio: Omnia, inquit, hæc quæ velut catenatim connexui, habent voces ſuas in Scripturis: Lex dicit: [Non concupiſces.] Fides dicit: [Sana animam meam, quoniam peccavi tibi.] Gratia dicit:] Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius

Ex tomo 5

Certum eſt ex Auguſt. quod Pelag. ſumebant liberum arbitrium pro voluntate indifferenti ad agendum bonum, vel malum, ut etiam fatetur Janſenius lib 3. de Statu naturæ lapſæ cap. 8. circa initium. Unde & certum eſt, quod Auguſt. ſic etiam ſumebat liberum arbitrium ſcribendo contra Pelagianos: Nam ſi aliter ſumpſiſſet illud quam Pelag. tota eorum diſp.

contingat.] Sanitas dicit: [Domine Deus meus clamavi ad te, & ſanaſti me.] *Liberum arbitrium* (quid) *dicit:* [*Voluntarie ſacrificabo tibi.*] (ecce actionem ei tributam, ecce determinationem præcedentium præparationum & diſpoſitionum, quæ fit per arbitrium & per nutum voluntatis per gratiam adjutæ; unde & ipſa voluntas victrix, & per arbitrium adjutum diligens, ſeu ut aït Auguſtinus) Dilectio juſtitiæ (quæ eſt ab arbitrio) dicit: [Narraverunt mihi injuſti delectationes ſuas; ſed non ſicut lex tua, Domine. Ubi clare vides ea omnia eſſe indiviſibiliter à gratia & à libero arbitrio; ſed à gratia ut præparante, ſeu prædiſponente & præexcitante voluntatem, à libero vero arbitrio, ut determinante & applicante ſe ad actionem: unde & ſic concludit adverſus adverſarios qui evacuabant gratiam iſtam, & omnia ſua opera tribuebant ſuo mero arbitrio: Ut quid ergo, inquit, miſeri homines, aut de libero arbitrio audent ſuperbire *antequam liberentur?* (hoc ſolùm damnabat in eis Auguſtinus quod vellent arbitrium eſſe liberum ad bonum, antequam liberaretur per gratiam) Aut de ſuis viribus *ſi jam liberati ſunt* (quod eôdem recidit, nam in eo gloriabantur, & in eo tribuebant bonum opus ſuis viribus, quia putabant ſuum liberum arbitrium bonum opus egiſſe ante adventum gratiæ, & ipſam gratiam ſuis meritis datam eſſe) nec attendunt in ipſo nomine liberi arbitrii, utique libertatem ſonare (id eſt indifferentiam, id enim per illam intelligebant illius adverſarii, ut teſtis eſt ipſe Janſenius lib. 3. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 8. circa initium) ubi autem ſpiritus Domini ibi libertas: (id eſt ibi ſolùm reperitur illa libertas, ſeu indifferentia, ubi eſt ſpiritus gratiæ, & non ante illam) ſi ergo ſervi ſunt peccati quid ſe jactant de libero arbitrio (cùm ſcilicet nihil poſſint boni agere ante adventum gratiæ: unde & in toto reliquo capite, nihil poſtulat ab adverſariis Auguſtinus, niſi ut admittant gratiam neceſſario præcedere debere voluntatem, reliqua omnia permittens eis, quicquid vellent ſentire de libero arbitrio, modo iſtius ſententiæ Domini meminiſſent, per quam concludit totum hoc cap. ſcilicet: Sine me nihil poteſtis facere: & ſi vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis: ut ſic confiterentur ſe nihil poſſe boni facere ſine gratia, licet ſe poſſent determinare cum gratia. Eodem modo loquitur eodem libro cap. 33. ubi agens de illâ gratiâ, quâ primò credimus in Deum, cum Deus vult hominem ſalvum fieri, & ad agnitionem veritatis venire, oſtendit liberum arbitrium eſſe omnino indifferens ſub illa gratia, licet potentiſſima cum trahat hominem à peccato ad gratiam & à diabolo, (à quo captivus detinebatur) ad Deum creatorem ſuum. Vult autem (inquit Auguſtinus) Deus omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: *non ſic tamen ut adimat eis liberum arbitrium, quo vel bene, vel male utentes* juſtiſſime judicentur. Ubi vides liberum arbitrium defenſum contra efficacitatem gratiæ, ut omnino indifferens, & indeterminatum ad bonum vel ad malum, & ipſummet bonum, vel malum uſum arbitrii ipſi voluntati eſſe relictum, ut indifferẽtem ſub motione gratiæ, licet potentiſſimæ. Unde

continuo laboraſſet æquivoca: cũ non conveniſſent de ſignificatione præcipuorum terminorum, inter quos maxime erat liberum arbitrium, cũ diſputatio eorum eſſet de concordia liberi arbitrii cũ gratia. Unde & manifeſtũ eſt quod cum dicit Auguſt. lib. arbitrium non deſtruit ſed ſtatui per gratiam: vult dicere quod indifferẽtia voluntatis, pro qua ſumebat liberum arbitrium, non deſtruitur; ſed ſtatuitur per gratiam: & ſic quod voluntas lapſi hominis manet indifferens ſub gratia.

Lib. 1. retr. c. 9. definit liberum arbitrium eſſe tale ut eo bene & male uti poſſimus.

& cap.34. loquens de eâdem gratiâ, ſic aït: Ipſum velle credere, Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos (ecce quod Auguſtinus poſtulat, ſcilicet ut gratia præcedat, & poſtea ecce quod dimittit) *Conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.* Ubi vides Auguſtinum dimittere libero arbitrio hominis lapſi ſuam propriam determinationem ſub gratia, & clare referre ipſum conſenſum, vel diſſenſum dandum gratiæ ad liberam electionem voluntatis & arbitrii; & proinde ſupponere in libero arbitrio veram indifferentiam ſub gratia conſtituto. Et [a] libro 1. ad Simplic. in quæſt. illa 2. quam laudat ſenex Auguſtinus in libro de prædeſt. Sanct. tamquam in qua vicerit Dei gratia, loquens de voluntate hominis lapſi ſub gratia, ſic aït: Ut velimus, & ſuum eſſe voluit (ſcilicet Deus) & *noſtrum*: ſuum vocando, *noſtrum ſequendo.* Quo ſane nihil clarius dici poterat pro indifferentia arbitrii, ad ſequendam motionem gratiæ ſibi à Deo collatæ. Et de bono viduitatis cap. 17. ſic aït: Arbitrium voluntatis humanæ nequaquam deſtruimus, quando Dei gratiam non ſuperbia negamus ingrata, ſed grata potius pietate prædicamus: *noſtrum enim eſt velle*, ſed voluntas ipſa etiam monetur ut ſurgat, & ſanatur ut valeat, & dilatatur ut capiat, & impletur ut habeat. Ubi vides, noſtrum eſſe velle, ſeu determinare; ſed gratia præeunte & præexcitante arbitrium. Et [b] libro 12. de Civitate Dei cap. 6. loquens de duobus corpore & animo pariter affectis, & videntibus eamdem corporis pulchritudinem, quorum unus illicite eam appetendo peccat, alter non appetit & non peccat: id refert ad ſolam arbitrii, ſeu voluntatis determinationem ac electionem propriâ his verbis: Quid aliud apparet, *niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere; unde niſi propria voluntate* ubi fuerat eadem in utroque corporis & animæ affectio; Quid clarius pro indifferentia & determinatione propria. Et [c] libro 2. ex actis cum Fœlice Manichæo cap. 4. ſic aït: Audi ergo de libero arbitrio Dominum dicentem: [Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum ejus malum.] Cum ergo dicit, aut hoc facite, aut illud facite, *poteſtatem* indicat non naturam: nemo enim niſi Deus facere arborem poteſt; ſed habet *unuſquiſque in voluntate, aut eligere quæ bona ſunt*, & eſſe arbor bona: *aut eligere quæ mala.* & eſſe arbor mala. (ubi clare vides indifferentiam arbitrii & vertibilitatem in hominibus lapſis, eligentibus bonum, vel malum quod voluerint) Et infra:

Per has particulas, proprium, noſtrum, & ſimiles, non intelligit Auguſt. noſtram volũtatem, agẽtem ut oppoſitam alienæ agẽti in nobis, hoc enim eſſet ridiculum, quemadmodum ridiculum eſt quod quidam Barbari loquẽtes Gallice dicunt: *I'ay mal à ma teſte*, doleo meo capite, *j'ay mal à mon pied*, doleo meo pede. Hoc enim ipſo quo quis dicit ſe ſentire dolorem, ſatis illigitur ipſum ſentire in proprio corpore, & nõ in alieno. Unde ſuperfluæ ſunt illæ particulæ, *ma*, meo, & *mon*, meo: & ſufficit dicere: *I'ay mal à la teſte*, doleo capite, *j'ay mal au pied*, doleo pede. Ita cum dicit Auguſt. propriæ voluntatis eſt, & noſtrum eſt, conſentire, aut diſſentire: non intelligit ut vult Janſenius, quod noſtra voluntas eſt quæ agit in nobis, & non aliena: ſeu quod ipſa eſt quæ elicit ſuum actum, & non altera: cum hoc ſic aſſerere ridiculum ſit, quandoquidem ex hoc ipſo quod dicimur conſentire, & aut velle, ſatis intelligitur noſtram eſſe voluntatem quæ vult & quæ conſentit, & non alienam: Ergo aliud per hoc innuit ſcilicet noſtram determinationem, & non alienam, ſpontaneum noſtrum motum, & non neceſſitatum quod innuit indifferentiam: unde & hoc modo explicat Auguſtinus indifferentiam Pelagii, libro de nat. & gr. cap. 47. dicens, Quod audimus, aut non audimus, hoc eſt propriæ voluntatis.

[a] Ex tomo 4. [b] Ex tomo 5. [c] Ex tomo 6.

Hoc ergo Dominus dicens: Aut facite illud, aut facite illud, oſtendit eſſe in *poteſtate* quid facerent. Licet autem 2. libro retract. c. 8. dicat, in his libris ſe diligentius non tractaſſe de gratia Chriſti: notandum tamen eſt quod nihil ibi retractat de indifferentia & vertibilitate arbitrii in iis libris aſſerta pro homine lapſo, reſpectu boni & mali; ſed illam veritatem intactam & indubitatam relinquit: tantummodo ſupponens gratiam fuiſſe neceſſariam ante iſtam indifferentiam arbitrii reſpectu boni & mali: de qua gratia ibi non locutus eſt, quia non erat tunc neceſſarium, cùm de ea non diſceptaret cum Manichæis, cum quibus ibi diſputabat de aliis. Et libro 1. de peccat. mer. & remiſſ. cap. 22. ſic aït: Ut *iſte credat, ille non credat, eſt propria* voluntatis. Ubi vides id dimitti determinationi propriæ, & electioni liberæ voluntatis humanæ. Et cap. 18. libri 2. ſic aït: Quapropter niſi obtineamus, non ſolum voluntatis arbitrium, *quod huc & illuc flectitur* (ubi loquitur de tempore præſenti ut per ſe patet, & ſic de homine lapſo) atque in eis naturalibus bonis eſt, quibus *&* male uti, malus poteſt: (illa particula, *&*, denotat quod etiam bene, imo vero magis quam male, cùm ſermo de bono ſit) ſed etiam voluntatem bonam (id eſt volitionem ſtylo Auguſtini) quæ jam in eis bonis eſt, quorum eſſe uſus non poteſt malus, niſi ex Deo nobis eſſe non poſſe (ubi vides liberum arbitrium quod huc & illuc flectitur, & proinde indifferens eſt. Et quod eo uti bene & male poſſumus quod adhuc ſignificat indifferentiam) neſcio quemadmodum defendamus quod dictum eſt: [Quid habes quod non accepiſti?] Quod propterea dicebat Auguſtinus, quia Pelagius quem ibi impugnabat, dicebat quod ex tribus quæ concurrunt ad opus bonum: ſcilicet libero arbitrio, quod huc & illuc flectitur, voluntate hominis, ſeu volitione, & actione à voluntate imperata: ſolum primum erat à Deo, qui condidit illud: duo autem alia à ſola creatura: quo poſito, non poterat eſſe verum, Quid habes quod non accepiſti? Poterat enim creatura tunc dicere, quod habebat volitionem, & actionem à ſe, quam à Deo non acceperat. Ubi manifeſtum eſt quod loquitur Auguſtinus de libero arbitrio, proüt eſt ſub gratia, cùm loquatur de tribus illis conglobatis, quæ concurrunt ad opus bonum, quod non poteſt eſſe ſine gratia: At tale arbitrium vult huc & illuc flecti, ergo vult illud eſſe indifferens ſub gratia. Et lib. de gr. Chriſti cap. 14. ſic aït: Si enim ſicut veritas loquitur, omnis qui didicit venit, quiſquis non venit, profecto non didicit: quis autem non videat, & *venire* (id eſt credere) *quemquam, & non venire arbitrio voluntatis:* ſed hoc arbitrium poteſt eſſe ſolum, ſi non venit; non autem poteſt niſi adjutum eſſe, ſi venit. Ubi vides omnino committi voluntatis noſtræ arbitrio, ut exiſtenti ſub gratiâ, aut venire, aut non venire: id eſt aut credere, aut non credere: & ſic illam etiam tunc indifferentem eſſe ad bonum & malum, modo tamen præcedat in ea adjutorium gratiæ, qua potens fiat ad bonum agendum, ſicut per ſe potens eſt ad malum agendum: & hæc eſt genuiniſſima mens Auguſt. de libertate & gratia.

Ex tomo 7.

Et libro 2. ad Bonifac. cap.9. corrigens abuſum Pelagianorum circa hunc textum Prov. 15. Hominis eſt præparare cor; quem interpretabantur de cordis præparatione per arbitrium ſine gratia Dei, dicit quod *homo præparat* cor, *non* tamen *ſine adjutorio gratiæ Dei*: ubi clare fatetur motum proprium arbitrii, modo non ſit ſine adjutorio Dei, quod maxime indicat indifferentiam, cum iſte motus non poſſit eſſe proprius hominis, ſeu arbitrii, niſi moveat ſemetipſum, & determinet ſemetipſum cum gratia, quandoquidem ſi ſolum moveretur & determinaretur ab alio, non præpararet ſe; ſed totaliter præpararetur ab alio, quod eſt contra Auguſtinum qui ibi vult hominem præparare ſemetipſum, cum adjutorio divino. Et libro de gr. & lib. arb. cap.2. explicat liberum arbitrium per hos textus Scripturæ clare indicantes indifferentiam: *Si volueris* (quomodo explicat Auguſtinus indifferentiam Adæ) conſervabis mandata, & fidem bonam placiti. Apponet tibi ignem & aquam *ad quocumque volueris* extende manum tuam. In conſpectu hominis vita & mors, & *quodcumque placuerit* dabitur ei. Et cap. 5. verſans illum locum Apoſt. Rogamus ne in vacuum gratiam Dei ſuſcipiatis. ait: Ut quid enim eos rogat ſi gratiam ſic ſuſceperunt, ut *propriam* perderent voluntatem? Per quod denotat eos ſuam adhuc ſervare ſub gratia indifferentiam, & propriam electionem, quod deſignatur per τὸ propriam voluntatem, ut per ſe manifeſtum eſt. Unde infra, verſans illum alium locum ejuſdem Apoſtoli: [Non ego, ſed gratia Dei mecum] ait: Non ſolus, ſed gratia Dei mecum, ac per hoc, *nec gratia Dei ſola*, nec ipſe ſolus; *ſed gratia Dei cum illo*. Oſtendens ibi eſſe tantum gratiæ coefficientiam, non autem vim omnia in homine facientem ſine proprio motu hominis ſemetipſum cum gratia determinantis, ut volunt adverſarii. Et libro 1. operis imperfecti contra Julianum cap. 96. ait: Ex quo homo incipit uti voluntatis arbitrio: *& peccare, & non peccare poteſt*; ſed alterum horum non facit, niſi adjutus ab eo qui dicit, *Sine me nihil* poteſtis facere. Quod maxime indicat indifferentiam ſub gratia. Quam etiam indifferentiam ſub gratia, ut in manu arbitrii poſita expreſſe probat lib. de gr. & lib. arb. cap.4. Si dixerit volo ſervare; ſed vincor à concupiſcentia mea: reſpondet, Scriptura libero arbitrio (tamquam ei ad quod pertinet determinare de agendis, vel non agendis, & non gratiæ) quod jam ſuperius dixi: *Noli* vinci à malo; ſed *vince* in bono malum, quod tamen ut fiat, adjuvat gratia, quæ *niſi* adjuverit, nihil lex erit, niſi virtus peccati. Et cap. 15. ſic probat eamdem indifferentiam in arbitrio libero reſidentem, etiam cum gratia contra eos qui nimium efficacitati gratiæ tribuentes videbantur indifferentiam negare. Ne putetur, inquit, nihil ibi facere ipſos homines *per liberum arbitrium*, ideo in Pſalmo dicitur (nota in his omnibus proprium motum arbitrii, & non determinatum à gratia.) [*Nolite* obdurare corda veſtra.] Et per ipſum Ezechielem: [*Projicite* a vobis omnes impietates veſtras, quas impie egiſtis in me, & *facite vobis* cor novum, & ſpiritum novum, & *facite* omnia mandata mea: ut quid

Nota ibi gratiam, ſeu adjutorium ſine quo, quod indicat indifferentiam ſecundum ipſummet Janſenium.

Pſal. 94.

Ezech. 18.

moriemini domus Iſraël? dicit Dominus, quia nolo mortem morientis, dicit Adonaï Dominus;ſed *convertimini* & vivetis:] Meminerimus Deum dicere: [*Projicite* à vobis omnes impietates veſtras] cum ipſe juſtificet impium. Meminerimus ipſum dicere: [*Facite vobis* cor novum, & ſpiritum novum] qui dicit: [Dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum dabo in vobis]quomodo ergo quod dicit,[Facite vobis]hoc dicit,[Dabo vobis]quare jubet, ſi ipſe daturus eſt; quare dat ſi homo facturus eſt, niſi quia dat quod jubet, cum *adjuvat* ut faciat cui jubet. In quibus omnibus ſartum tectum indifferens, & ſe movens arbitrium vult eſſe ſub gratia divina, modo agnoſcamus Dei adjutorium nobis eſſe neceſſarium ad bene agendum. Et Epiſt. 2. ad Valentinum,quæ eſt ante librum de corrept. & gr. ſic aït: Quantum ergo potuimus, egimus cum iſtis, & veſtris & noſtris fratribus, ut in fide Catholica perſeverent, quæ neque liberum arbitrium negat, *ſive in vitam bonam, ſive in malam* (ecce clare indifferentiam & indeterminationem arbitrii) neque tantum ei tribuit (nota id quod negat de arbitrio) ut *ſine* gratia Dei valeat aliquid, ſive ut ex malo convertatur in bonum, ſive ut in bono perſeveranter proficiat. Ubi ſolum negat de arbitrio, quod convertere ſe poſſit ad bonum, aut avertere à malo ſine gratia, & per hoc ſolùm requirit ad liberum arbitrium hominis lapſi, ut præſupponat gratiam ad hoc ut valeat aliquid, vel ad malum fugiendum, vel ad bonum amplectendum, & in eo perſeverandum: Quod ſane recte conſiſtit cum indifferentia arbitrii,& proïnde non negat, eam bene ſubſiſtere cum gratia. Et infra, idem repetit dicens: Non ſic defendatis liberum arbitrium ut ei bona opera *ſine* Dei gratia tribuatis, nec ſic defendatis gratiam, * ut quaſi de illa ſecuri (quaſi eſſet ſemper efficax determinativa, & neceſſitativa arbitrii ſine qua nihil boni fieri poſſit, & cum quâ nihil mali fieri poſſit, ut vult Janſenius) mala opera diligatis, quod ipſa gratia Dei avertat à vobis. Et in ipſo libro de corrept. & gratia cap. 7. eodem modo explicat poteſtatem perſeverandi in homine lapſo, ac in homine ſtante, quæ ſine dubio fuit indifferens ſub gratia. Homo, inquit, in eo quod audieras & tenueras, *perſeverares, ſi velles:* Atqui eodem modo explicat poteſtatem indifferentem Adami ad perſeverandum, infra cap. 11. his verbis: Tale erat adjutorium quod deſereret ſi vellet, & in quo permaneret ſi vellet. Ergo manifeſtum eſt quod ſupponit Auguſtinus eſſe poteſtatem indifferentem ad perſeverandum, in homine lapſo ſub gratia ad perſerandum data: cum etiam ex eo quod ille non perſeveravit, manifeſtum ſit quod gratiæ reſtitit cum qua poterat perſeverare, ut ibi dicitur: Et ideo illa gratia non fuit determinativa arbitrii; ſed omnino indifferens, & in plena poteſtate arbitrii. Et libro de prædeſt. Sanct. cap. 5. verſans illud Pauli [Quid habes quod non accepiſti?] & explicans illud de initio fidei contra Semipelagianos, aït: Quiſquis audet dicere, habeo ex meipſo fidem, non ergo accepi: profecto contradicit huic apertiſſimæ veritati (ſcilicet quod nihil habemus quod non acceperimus) *non quia*

Nota ibi hæc verba: Si homo factus eſt: *Ergo quãdo dicit Auguſtinus, quod Deus præſcit quod ipſe facturus eſt, non vult dicere quod ſolus Deus facturus eſt, determinãdo potentiã ad agẽdum; ſed quod ipſe facturus eſt cum homine: & nõ ſolus homo ſine illo, ut volebant ii contra quos ibi agit, qui erant Pelag.*

**Vera dogmatis Janſeniani de ſcriptio de gratia ab Auguſtino ipſo præconcepti, & multo ante rejecti.*

credere, vel non credere, non eſt in arbitrio voluntatis humanæ; ſed in electis præparatur voluntas à Domino. Ubi vides credere, vel non credere ſecundum Auguſtinum eſſe in humanæ voluntatis arbitrio, & per conſequens illam voluntatem ſervare adhuc ſuam liberam indifferentiam ſub gratia, contra illud quod ſupra dixit Janſenius (ut vult ex Auguſtino) ſcilicet quod gratia lapſæ ægrotæque voluntatis, nullo modo in ejus relinquatur arbitrio, per quod funditus everterat omnem voluntatis humanæ indifferentiam, quando erat ſub gratia. Sed eamdem voluntatis indifferentiam ſub gratia admittit idem Auguſtinus cap. ſequenti initio, admittendo ſcilicet illud quod ipſi objiciebant Semipelagiani, ſcilicet, multi audiunt verbum veritatis; ſed *alii credunt, alii contradicunt: volunt* ergo iſti credere, *nolunt* autem illi. (Quod ſatis indicat indifferentiam voluntatis ad utramlibet contradictionis partem eligendam: Quam indifferentiam ſic admittit Auguſtinus, dicens:) Quis hoc ignoret? quis hoc neget (ſed hanc indifferentem electionem vult præcedi à gratia, quod hæretici illi negabant: unde ſic ait). ſed cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, diſcernendum eſt utique, quid veniat de miſericordia ejus, quid de judicio. Quod intelligit de gratia efficaci præveniente data aliquibus, & negata aliis. Et cap. 17. ejuſdem lib. explicat conſenſum voluntatis datum gratiæ per verbum electionis, quod indicat indifferentiam. dicens de credentibus: ipſi proculdubio *elegerunt*, eum quando crediderunt in eum. Et infra, *ut eligerent eum*, elegit eos: (dando ſcilicet eis gratiam prævenientem, ut mox ſequitur) quia miſericordia ejus prævenit eos ſecundum gratiam, non ſecundum debitum: ubi patet quod non aliter explicat conſenſum creaturæ datum gratiæ fidei, quam electionem divinam: ſcilicet utrumque per verbum electionis: ſed electio divina eſt omnino indifferens & libera: ergo & electio creaturæ, qua conſentit in fidem ad quam electa eſt à Deo: cum ipſa eodem modo explicetur, ſcilicet per verbum electionis, quod verbum etiam de ſua natura ſignificat indifferentiam. Et libro de dono perſeverantiæ cap. 19. approbat iſtud Ambroſii, quod eodem modo ſignificat indifferentiam. Beatus, inquit, Ambroſius cum exponeret quod ait Lucas Euangeliſta [Viſum eſt & mihi] poteſt, inquit, non ſoli viſum eſſe, quod ſibi viſum eſſe declarat, non enim tantum *voluntate humana viſum eſt*, ſed ſicut placuit ei qui in me loquitur CHRISTUS, qui ut id quod bonum eſt, nobis quoque videri bonum poſſit, operatur (ubi vides eodem modo exponi viſum eſſe in Deo, & in creatura reſpectu operis boni, quod cum in Deo ſignificet indifferentiam, non utique dubium eſt, quin & in creatura, præcipue cum hoc verbum, *viſum eſſe*, de ſua natura ſignificet indifferentiam, & propriam arbitrationem & electionem) quem enim miſeratur, & vocat. Et ideo qui CHRISTUM ſequitur, poteſt interrogatus, cur eſſe *voluerit* Chriſtianus, reſpondere, *Viſum eſt & mihi:* quod cum dicit, non negat Deo viſum: à Deo enim præparatur voluntas hominum. Ubi manife- In proœmio.

ſtum eſt eamdem indifferentiam admitti in conſenſu creaturæ dato gratiæ fidei, ac in electione divina facta de creaturâ ad fidem ſuſcipiendam, quæ omnino indifferens eſt. Et Expoſit. in Pſalm. 51. in hæc verba: Dilexiſti juſtitiam ſuper benignitatem, ſic aït Auguſtinus: Ante te erat benignitas (id eſt juſtitia, bona actio) ipſam diligeres (ſi velles) non enim aliquid eras erogaturus, aut quod diligeres de longinqua navigatione allaturus. *Benignitas* (ſeu juſtitia) *ante* te, *iniquitas ante* te *compara & elige*. Et in Pſalm. 63. in hæc verba: Laudabuntur omnes recti corde, ſic aït: Si laudabuntur omnes recti corde, damnabuntur perverſi corde: *duo tibi propoſita ſunt, elige dum tempus eſt*: ſi recto corde fueris, ad dexteram eris, &c. Ubi vides optionem datam libero arbitrio, ut eligat quod voluerit, & ut determinet & applicet ſe ad amplectendum bonum, vel malum, proüt ſibi placuerit, quod maxime arguit indifferentiam. Et in Pſalm. 78. in hunc verſiculum, Adjuva nos Deus ſalutaris noſter. aït: Cum adjuvari nos vult, nec ingratus eſt gratiæ, nec tollit *liberum arbitrium*: qui enim adjuvatur, etiam *per ſeipſum aliquid agit* (ergo movet ſe, ergo determinat ſe, ergo per ſeipſum conſentit, & non prædeterminatur à gratia: Quod eſt omnino aſſerere indifferentiam ſub gratia. Nec enim per hoc agere intelligit ſolam actionem Phyſicam; ſed Moralem, & laude dignam, ut infra demonſtrabimus Puncto V. Et in Epiſt. Joann. Tract. 4. in hæc verba [Et omnis qui habet ſpem, *caſtificat ſemetipſum*, ſicut & ipſe caſtus eſt.] (in quo evidens eſt propria determinatio liberi arbitrii, ſemetipſum caſtificantis) aït: Videte quemadmodum non abſtulit *liberum arbitrium*, ut diceret [Caſtificat ſemetipſum] (ergo per hunc locum probat Auguſtinus noſtrum liberum arbitrium: ſic autem probat) Quis nos caſtificat, niſi Deus; ſed Deus te nolentem non caſtificat (id eſt te invitum non caſtificat) *Ergo quod adjungis voluntatem Deo* (ecce in quo probat liberum noſtrum arbitrium, ſcilicet quod adjungat ſe Deo, id eſt quod vocanti Deo conſentiat, quod vocatum à Deo per gratiam internam prævenientem, ipſum ſequatur, ipſi ſe adjungat libere, voluntarie, ſine aliena determinatione; ſed ex propria motione & caſtificatione, præſuppoſita tamen gratiâ excitante, & ad hoc eum liberum & indifferens relinquente) *caſtificas teipſum*: (id eſt ad id moves teipſum; ſed) caſtificas te, non de te (quaſi ſcilicet initium boni operis, ſeu caſtificationis ſumeretur ex te, & non ex Deo) ſed de illo qui venit ut habitet in te, id eſt ex gratia præveniente. Tamen quia *ibi agis aliquid voluntate* (quo nomine ſolet Auguſtinus ſignificare indifferentiam: hinc eſt quod aït, ibi hominem agere aliquid, libere ſcilicet conſentiendo: nam ſi conſentiret neceſſario & non voluntate, ſolùm ageretur & non ageret, quod eſt contra Auguſt. unde & ſequitur) *& tibi aliquid tributum eſt* (id eſt conſenſus tuus liber & expeditus tibi tribuitur ut à voluntate ſcilicet libera & indifferēti, & ſe movente profectus) ideo autem *tibi tributum eſt*, ut dicas ſicut in Pſalmo [Adjutor meus eſto, ne derelinquas me.] Si dicis: [Adjutor meus eſto] *aliquid agis*: nam ſi ibi nihil

Ex tomo 8.

Ex tomo 9.

Nota quod non dicit, ergo tu agis, & nō alius (quod bene

nihil agis, quomodo ille adjuvat: ubi probat Auguſtinus liberum arbitrium ſub gratia aliquid per ſe agere, ſemetipſum movere, ſe determinare, ſe caſtificare, ex hoc quod gratia Dei ſolum adjuvet, & non determinet voluntatem: in quo manifeſtum eſt quod ſupponit eam liberam & indifferentem, & ſeipſam moventem ſub gratia, in hoc ſcilicet genere motus, qui eſt determinatio voluntatis ad bene agendum: cùm ipſa gratia ſolum ei adjutrix ſit, & adjuvans motum ejus proprium, & à ſeipſa voluntate determinatum, præſuppoſita tamen præventione & præexcitatione gratiæ, quæ ſemper debet ſupponi ante determinationem voluntatis ad actum bonum. Unde cùm Julianus, & poſteriores Pelagiani cum eo, admitterent gratiam adjuvantem ad iſtam hominis determinationem faciendam, eamque liberam & indifferentem: nec enim admiſiſſent gratiam determinantem, aut prædeterminantem arbitrium, cùm ipſi eſſet acerrimi indifferentiæ arbitrii defenſores, & putarent eam ab arbitrio libero prorſus inſeparabilem: nihil reprehendit in eis Auguſtinus quoad hoc; ſed tantum poſtulat ut etiam admittant præventionem & præexcitationem gratiæ ante determinationem illam; ut patet ex libro 1. ad Bonif. c. 18. ubi cum dixiſſet Julianus, hominem in bono opere ſemper *adjuvari à gratia Dei*: in malum vero diaboli ſuggeſtionibus incitari, ſic alloquitur eum Auguſtinus dicens: Vos autem in bono opere *ſic* putatis *adjuvari* hominem gratia Dei, ut in *excitanda* ejus ad ipſum bonum opus voluntate, *nihil* eam credatis operari (ecce quod ſolum reprehendit ibi Auguſtinus. Unde & ſequitur) *Cur enim non dixiſti*, hominem Dei gratia in bonum opus *excitari*, ſicut dixiſti: In malum diaboli ſuggeſtionibus incitari: ſed dixiſti, in bono opere à Dei gratia *adjuvari* tamquam ſua voluntate, *nulla Dei gratia opus aggreſſus* (ecce quod reprehendit Auguſtinus, & nihil aliud) in ipſo jam opere divinitus adjuvetur. Id eſt, in ipſa determinatione voluntatis, ſeu dum ipſa ſe determinat adjuvetur. Ubi nihil aliud vides reprehendi quam negationem, præexcitationis à gratia, non vero determinationis ab ea inferendæ: quod iterum, atque iterum videre potes in libro 2. ad Bonif. cap. 10. & libro 4. c. 6. Sed de his amplius Deo dante agemus in Tractatu de gratia indifferenti ſecundum Auguſtinum: nunc proſequamur textus noſtros.

velles Ianſenius, quia hoc ſignificaret ſolum concurſum Phyſicum) ſed ait: agis aliquid, tibi aliquid tributum eſt: ut per hoc oſtedat aliquām, ut ita dicā, partem operis qua bonum eſt, pertinere ad hominem. ſeu ut correctius dicam: ipſum opus qua bonum eſt ſub ai. qua ratione pertinere ad hominem (ut ſub alia pertinet ad Deum) ratione ſcilicet proprii motus arbitrii, & ſeipſum determinantis.

Et Serm. 7. de verbis Apoſtoli, explicans illa verba Apoſtoli [Peto vos non infirmari in tribulationibus meis pro vobis, quæ eſt gloria veſtra.] ſic ait: Petit ergo eos, ut non infirmentur, quod non faceret niſi eorum vellet excitare voluntatem (utique ad determinandum ſe, & movendum ſe ad dandum id quod petebat ab eis) Si enim reſponderent: Quid nos petis, quod in poteſtate non habemus (per quod rejicit gratiam prædeterminantem & neceſſitantem, cum ſic id quod ab eis petitur, non eſſet in eorum libera diſpoſitione, ſed gratiæ: & ſic ſolùm eſſet poſtulandum à gratia, ſeu à Deo, & non ab eis) numquid non viderentur ſibi juſtum reddidiſſe reſponſum: & tamen Apoſtolus niſi ſciret eſſe in eis *propria* (id eſt ſemetipſam determinantis & ſeipſam

Ex tom. 10. *Vide etiam Serm. 13. de verbis Apoſtoli cap. 11. & 13.*

moventis) voluntatis conſenſionem, ubi *& ipſi aliquid agerent* (ſcilicet ſe movendo & ſe determinando, ut ſupra præſuppoſita gratia indifferenti) non diceret peto (quia nempe hoc eſſet inutile, cum eorum voluntas eſſet determinata ab alio: quis enim petat aliquid à tali à quo nullo modo pendet, ut det, ſed ab alio?) Et infra, quia ergo voluntatis habetis arbitrium (id eſt arbitrationem, & electionem faciendi quodcumque vultis liberam) peto: quia vero vobis non ſufficit voluntatis arbitrium, ad implendum quod peto, (unde ſupra diximus præſupponendam eſſe gratiam) hujus rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini mei JESU CHRISTI, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur, ut det vobis: quid det vobis? quod peto à vobis, rogo det vobis (ſcilicet per excitantem efficacem gratiam) peto enim à vobis propter *arbitrium voluntatis* (ergo illud eſt indifferens & indeterminatum ſub gratia, ut ſupra dictum eſt: Quis enim peteret aliquid ab eo qui non eſt indifferens & indeterminatus ad illud dandum, vel non dandum? ſed omnino penderet ab alio determinante, nullatenus à ſeipſo) rogo det vobis propter auxilium Majeſtatis (quod ſemper eſt præſupponendum: non tamen tale, ut ſit prædeterminativum; ſed tantum determinandum ab arbitrio ad agendum, vel non agendum, vel ad dandum, aut negandum id quod petitur ab eo. Et tandem breviſſime rem totam abſolvit Auguſtinus Homilia 16. ex quinquaginta, dicens: *In tuo arbitrio Deus poſuit cui pares locum, Deo, vel diabolo.* Cum paraveris qui poſſidebit, ipſe imperabit. Ecce quomodo aſſerit eſſe in noſtro arbitrio, parare locum Deo, aut diabolo: id eſt bene, vel male agere conſtitutos ſub gratia, contra id quod dicebat Janſenius gratiam lapſæ ægrotæque voluntatis nullo modo relinqui in ſuo arbitrio. Similia etiam habet permulta fidelis ejus interpres & diſcipulus D. Proſper lib. 2. de vocatione Gentium, præcipue cap. 12. 26. 27. 28. & 34. quæ vide ſi lubet & vacat, nobis enim iſta ſufficiunt. Ex quibus omnibus concludimus quod ſecundum Auguſtinum manet etiam nunc indifferentia in voluntate hominis lapſi, cum exiſtit ſub gratia, quandoquidem ipſe Auguſtinus aſſerit eſſe in noſtra poteſtate, eſſe in noſtro arbitrio, noſtrum eſſe, proprium eſſe quod bene, aut male agamus conſtituti ſub gratia, & reliqua quæ relegi poſſunt in prædictis ejus teſtimoniis permulta, nimis clara & perſpicua pro iſta indifferentia voluntatis hominis lapſi conſtituti ſub gratia. Tantum autem abeſt ut voluerit Auguſtinus quod gratia lapſi hominis eſſet prædeterminativa illius arbitrii: quin potius excuſat eam ab iſta calumnia, ut patet ex ſupra allato loco ex lib. de prædeſt. Sanct. cap. 5. & ex Epiſtola 106. ubi cum adduxiſſet iſta verba Apoſt. Non eſt volentis, neque currentis; ſed miſerentis Dei: quæ videbantur aliquo modo ſapere prædeterminationem arbitrii, cito addit correctionem, dicens: Non quia nullus eſt hominis, atque voluntatis curſus (ecce curſus quem videbatur negare eſſe ab homine, clare aſſeritur: ſed vult illum præcedi à gratia indifferente, ut mox ſequitur) ſed quia nihil poteſt

niſi ille miſereatur. Et paulo infra, cum adduxiſſet hæc verba Apoſtoli: *a* Non ego autem, ſed gratia Dei mecum: quæ adhuc videbantur aliquam ſapere prædeterminationem arbitrii, cito hanc addit correctionem, dicens: Non quia ipſe nihil boni agebat (ecce bonum quod totum & totaliter videbatur dari Deo, & omnino tolli à creatura, aſſeritur eſſe à creatura, modo præcedat gratia indifferens, ut mox ſequitur) ſed quia nihil ageret *ſi* illa *non* adjuvaret, ubi tantum requiritur gratia ſine qua non, quæ eſt indifferens ſecundum Janſenium. Quamquam præter iſtam habeat aliquando aliam apud Auguſtinum ſignificationem, ut infra videbimus.

PUNCTUM III.

Quæ ſit illa indifferentia hominis ſub gratia, & quomodo differat ab indifferentia Adæ ſub ſua.

VERUM advertendum eſt, quod licet per prædicta Auguſtini teſtimonia ſatis pateat, eamdem ſecundum ſubſtantiam fuiſſe indifferentiam in homine lapſo, ac in homine ſtante & ſano: *a* quandoquidem uterque poterat bene agere, vel male, ſi vellet; tamen non eadem eſt ſecundum modum in utroque indifferentia: quia nempe indifferentia Adæ erat pacata & tranquilla, *b* nihil habens in voluntate, quod ſibi in electione boni operis obſiſteret: unde tantum indigebat auxilio ſine quo, id eſt tali auxilio, quod quidem eſſet neceſſarium ad agendum, & ſine quo agere non poſſet; ſed tamen voluntatem ipſam per ſe, & immediate non moveret, incitaret, inclinaret, cum nihil ſibi contrarium in ſe haberet. At vero in homine lapſo, indifferentia illius non eſt iſtius modi; ſed alterius: non enim eſt pacata & tranquilla ut prædicta; ſed pugnax eſt, nec niſi armata, & ad pugnam accincta ſubſiſtit: habet enim in voluntate concupiſcentiam ſibi obſiſtentem, & in malum eam inclinantem: Unde indiget auxilio quo, id eſt tali auxilio quo voluntas incitata, tantum feratur in bonum, *c* quantum per concupiſcentiam inclinatur in malum, ut ſic fiat æquilibrium diverſarum iſtarum inclinationum, quarum una eſt in malum per concupiſcentiam illecta, altera vero in bonum per gratiam excitata, quæ eſt expreſſiſſima D. Auguſtini doctrina de utriuſque hominis gratia & indifferentia. Nam *d* libro de corr. & gr. cap. 11. initio, ſic ait: Ille (ſcilicet Adam) in bonis erat, quæ bonitate ſui conditoris acceperat, neque enim ea bona & ille ſuis meritis comparaverat, *in quibus prorſus nullum patiebatur malum.* (ecce pacatam & tranquillam differentiam) Sancti vero (homines lapſi) in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia in malis ſunt (ecce pugnam & pugnacem indifferentiam) ex quibus clamant ad Deum [Libera nos à malo.] Ille in illis bonis, CHRISTI morte non eguit, iſtos à reatu & hereditario, & proprio illius Agni Sanguis abſolvit. Ille non opus

a Vide ſupra allatum teſtimonium ex libro de corr. & gr. & infra citandum ex eodem libro.

b Hæc indifferentia trãquilla & pacata Adami deſignatur multis in locis ab Auguſt. Nã lib. de corr. & gr. c. 12. indicat eam cum dicit: Adamum habuiſſe tũc magnã bene vivendi facilitatem: Et libro de nat & gr. c 67 cum dicit quod poterat bonum eligere ſine ulla difficultate ſi vellet. Ubi è contra indifferetia pugnax lapſi hominis deſignatur, cum dicit quod in anima peccãte. ſeu homine lapſo orta ſunt ignorantia, & difficultas, & ex difficultate cruciatus.

c Vide iſtam pugnam late explicatã

habebat illo adjutorio (ſupra explicato) quod implorant iſti (ſcilicet homines lapſi) cum dicunt, [Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis: infœlix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per JESUM CHRISTUM Dominum noſtrum]. quoniam in eis [Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem (ecce bellum, ecce pugnam & pugnacem indifferentiam) atque in tali certamine laborantes, ac periclitantes, *dari ſibi pugnandi, vincendique virtutem, per Chriſti gratiam poſcunt.* Ille vero nulla tali rixa (ecce pacem, ecce tranquillitatem, ſeu tranquillam indifferentiam) à ſeipſo adverſus ſeipſum tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco *ſua ſecum pace fruebatur.* proinde & ſi non interim lætiore nunc, (id eſt tranquilliore & pacatiore) verumtamen potentiore gratia indigent iſti, (ſcilicet homines lapſi, quia non quieſcendum ſed pugnandum & decertandum eſt, contra concupiſcentiam ſibi continuo repugnantem: & proinde indigent gratia potentiore & activiore, ut debellent talem hoſtem.) Et infra deſcribens utramque illam gratiam, quæ utrique prædictæ correſpondet indifferentiæ, ſic ait: Tale quippe erat adjutorium (ſcilicet Adæ). quod deſereret cum vellet, & in quo permaneret ſi vellet, *non quo fieret ut vellet* (in quo eſt formalis differentia utriuſque adjutorii, ſcilicet Adæ, & hominis lapſi: quod, ſcilicet adjutorium Adæ, eſſet quidem tale quod deſereret cum vellet, & in quo permaneret ſi vellet; *non quo* tamen *fieret ut vellet* id eſt non quo intrinſece excitaretur, aut moveretur in voluntate & inclinaretur in unum potius quam in aliud, cum hoc motu non indigeret. Adjutorium autem hominis lapſi eſſet quidem tale quod deſereret cum vellet, & in quo permaneret ſi vellet; *ſed etiam quo fieret, ut vellet*, cum per illud intrinſece excitetur & moveatur in voluntate, & inclinetur in bonum contra concupiſcentiam ſuam, inclinantem eum in malum, quo motu fit indifferens ut conſentiat, vel non conſentiat concupiſcentiæ ſuæ, & ut ſequatur bonum, vel malum, proüt voluerit & libuerit) hæc eſt prima gratia quæ data eſt primo Adam (ſcilicet ſupradicta quæ dabat quidem poſſe Adamo; ſed non inclinationem & ſuavitatem intrinſecam voluntati quà ferretur in bonum; unde & ſequitur) ſed hæc eſt potentior in ſecundo Adam (quia nempe non ſolum dat ei poſſe ut prædicta primi Adami, ſed & inclinari intrinſece & fortiter ferri, ſi velit, in bonum, contra concupiſcentiam inſitam & ingenitam, illi ſemper in bono ſectando obſiſtentem) prima eſt enim qua fit ut habeat homo juſtitiam ſi velit (id eſt proüt voluerit & placuerit illius voluntati *nudæ, & non motæ, & non excitatæ per gratiam* ei inexiſtentem: nec enim per hoc vult ſolum dicere quod gratia illa relinqueret Adæ voluntatem liberam & indifferentem ad ſectandum bonum, vel malum pro libito: Nam & hoc convenit gratiæ hominis lapſi, ut patet ex ſupra allato Auguſtini teſtimonio ex hoc libro de corr. & gratia cap. 7. deprompto: in quo loquens de quodam homine in genere lapſorum hominum, qui non-

Ser. 43. de verbis Domini cap. 4. & ſequentibus.

d Nota valde quod hic locus Auguſtini, licet ſit de gratia hominis lapſi, non tamen eſt adæquate hominis lapſi; ſed hominis lapſi prædeſtinati: unde diſcernendũ eſt quid pertineat ad hominem lapſum, & quid pertineat ad prædeſtinatum. Nam pertinet ad hominem lapſum, quod ejus gratia afficiat illius voluntatem, & non ſolum intellectum, ut in Adamo. Ad prædeſtinatum autem quod illa gratia ſit ſemper efficax, & habeat effectum ſalutis in eo. Quod autem ille locus ſit de talis hominibus lapſis prædeſt. inf. clare demõſtrabitur.

perſeveraverat, ſeu qui perſeverare noluerat, aït: Homo in eo quod audieras & tenueras, perſeverares *ſi velles*. Oſtendens per hoc fuiſſe ei liberum & indifferens ſicut & Adæ, perſeverare in bono, vel non perſeverare: Cum utatur in utroque loco iiſdem verbis, & eodem modo loquendi, dicens in uno *ſi velit*, in altero *ſi velles*. Et præterea ſi ſic prædicta verba, ut ſupra explicatum eſt, intelligerentur, ſcilicet de gratia Adæ indifferenti, ut indifferenti, nec aliud quicquam præterea importarent: certe oppoſito modo hîc explicuiſſet gratiam hominis lapſi, & dixiſſet quod illa faceret habere juſtitiam, etiamſi voluntas illius nollet velle juſtitiam, ſicut è contra dixerat de gratia Adæ, quod faciebat habere juſtitiam ſi ejus voluntas vellet eam: Nam cùm hîc unam opponat alteri, & ponat utriuſque genuinam differentiam, debebat utramque oppoſito modo definire, & dicere, quod ſicut una facit habere juſtitiam, ſi homo velit, altera facit habere juſtitiam, etiamſi homo non velit eam, nec ſe determinet ad illam habendam: à qua tamen expreſſione longiſſime abeſt, & recedit Auguſtinus ſolùm dicens ea quæ ſignificant gratiam inclinantem intrinſece voluntatem, & per ſe moventem eam in bonum, non vero talia quæ ſignificent gratiam prædeterminantem voluntatem, & neceſſitantem eam ad bonum, ut patet ex ſequentibus verbis) Secunda ergo *plus* poteſt (non dicit plus facit, quod neceſſarium fuiſſet, ſi per ſe determinaret voluntatem ad volendum: ſed dicit, plus poteſt, quia eſſentia ejus eſt dare poſſe; ſed magnum poſſe, magnam vim, & virtutem agendi, cum inclinet per ſe voluntatem, ut mox ſequitur) quâ *etiam* fit ut velit (id eſt quia etiam imprimit ipſi voluntati inclinationem ut velit) & tantum velit (hæc verba clare indicant præcedentia verba, ſcilicet: quâ etiam fit ut velit: non ſignificaſſe determinationem voluntatis actualem: quandoquidem hæc ſequentia verba, ſcilicet: & tantum velit, &c. eſſent jam ſuperflua, cum jam ſupponeretur voluntas determinata: ergo tantum ſignificant inclinationem in bonum, impreſſam voluntati per gratiam: non enim rarum eſt quod Auguſtinus has inclinationes voluntatis non liberas, explicet per verba velle, & nolle; imo & per concupiſcere: unde etiam illas inclinationes vocat deſideria, ut videre potes Serm. 6. de verbis Apoſt. cap. 6. & ſequentibus, libro 1. de nupt. & concupiſc. c. 27. lib. de perfect. juſtitiæ cap. 11. & alibi paſſim: Ergo tantum ſignificant illa verba inclinationem in bonum impreſſam voluntati per gratiam: non tamen parvam & levem; ſed magnam & fortem, qualis neceſſaria eſt ad vincendam concupiſcentiam vehementer ſævientem & efferveſcentem in membris noſtris: Unde ita deſcribit eam gratiam Auguſtinus, ut maxime pateat, illam vehementer roborare & munire voluntatem) Ut tantum, inquit, velit *tantoque ardore* diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat. Hîc dat iſti gratiæ effectum, quia ut Puncto ſequente clare demonſtrabo, loquitur hîc de gratia perſeverantiæ prædeſtinatorum lapſorum hominum quæ ſemper eſt

Multos alios locos ſimiles proferemus ex Auguſt. in Tract. de gratia indifferenti.

Nota valde hic illas particulas plus, & etiam, per quas clare deſignatur aliquid ſupra gratiā Adæ: quod tamen non ſignificet aliud quam motionem & excitationē voluntatis, ut hic demōſtro: hinc clare apparet, gratiam Adæ, nullā incluſiſſe motionem, aut excitationem immediatam in illius volūtate, ſicut gratia lapſi hominis.

efficax; unde reducendo iſtud ad omnes lapſos homines, ſenſus eſt quod eorum gratia plus poteſt, quia etiam imprimit ipſi eorum voluntati inclinationem, ut velit, tantoque ardore diligat ut concupiſcentiam ſibi reſiſtentem in bono, vincere & ſubjugare valide poſſit. Quod non habebat Adam in ſua gratia, quia non habebat iſtam concupiſcentiam ſibi reſiſtentem ob quam indigeret tali gratia, quod indicat Auguſtinus eodem capite dicens: Ille(ſcilicet Adam)non opus habebat iſto adjutorio quod implorant iſti, cum dicunt: Video aliam legem, &c. quoniam in eis caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, atque in tali certamine laborantes ac periclitantes dari ſibi pugnandi vincendique virtutem (id eſt poteſtatem, & per conſequens eſſentia iſtius auxilii eſt quod det poſſe & magnum poſſe, non tamen ſemper actu agere, unde quod dat ei hîc effectum, eſt quod loquitur de ſolis prædeſtinatis, & non de aliis) per Chriſti gratiam poſcunt. Nota autem obiter in noſtro textu, quam gratia ſecundum Auguſtinum vincat voluntatem, non ſane voluntatem hominis ſecundum ſe ſumptam, quod eſſet determinare & neceſſitare ipſam, quod prætendit Janſenius; ſed voluntatem carnis, quæ nihil aliud eſt quam concupiſcentia ipſa, & fomes peccati, qui vincitur & deſtruitur per voluntatem ſpiritus, quæ eſt ipſa voluntas hominis à Spiritu ſancto edocta & munita per gratiam ut concupiſcentiam ſuam domet, & frangat, & vincat, ſi velit: cum ad hoc maxime facta fuerit potens per gratiam. Ex quo manifeſtum eſt Auguſtinum non ſemper eodem modo ſumpſiſſe iſta verba, *ſi velit*; ſed aliquando uno modo, aliquando vero altero, prout diverſimode explicare ſua ſenſa voluit, ſemper tamen explicando ea de indifferentiâ, quia ſine eâ prorſus intelligi non poſſunt. Sed quia diverſam ſecundum modum concipit indifferentiam, ideo illa verba diverſimode uſurpavit: uno modo communiter, prout ſignificant nudam indifferentiam in voluntate, & ſimplicem ejus indeterminationem ad agendum, vel non agendum, ad agendum bene, vel male: & ſic conveniunt tam homini lapſo quam ſtanti, unde & attribuit ea utriſque, ut ſupra primo loco vidimus. Alio modo ſingulariter, prout ſignificant non quamlibet indifferentiam in voluntate; ſed pacatam & quietam, & non motam & vexatam à concupiſcentia. Et ſic convenit ſoli homini ſtanti & non lapſo, ut ſupra ſecundo loco explicuimus, & etiam probavimus. Unde in his explicationibus non tam attendenda eſt vis verbi, quam mens Auguſtini, qui ſic exprimere ſua ſenſa voluit: & re vera expreſſit, ut ſatis ibi demonſtravimus ex ſubjecta materia: unde & proſequitur conſequenter Auguſtinus: Nec illa quidem parva erat (ſcilicet gratia Adæ, ſeu ſtantis hominis) qua demonſtrata eſt potentia liberi arbitrii: (ideo dicit per hanc gratiam demonſtratam eſſe potentiam liberi arbitrii, quia tunc liberum arbitrium non erat adjutum intrinſece à gratia, ut nunc eſt, ſeu ipſa gratia non afficiebat tunc voluntatem, ut nunc fit; ſed erat voluntas hominis, ſeu arbitrium quaſi ſibi ſoli relictum; cum tunc

gratia ſolùm proponeret ei bonum, non vero infunderet ei ſuavitatem & delectationem inclinantem in illud. Unde ut ſic non tam videbatur habere rationem cauſæ & principii cum ipſo arbitrio agentis in proſecutione boni, quam meræ conditionis ſine qua non, ad hoc ſolùm requiſitæ, ut agere bonum poſſet, & malum devitare. Unde id quod tunc voluntas, aut arbitrium faciebat, ei potius tribuebatur, quaſi ſe ſolùm moventi, & per ſe agenti, quam ipſi gratiæ, quæ videbatur mere ei aſſiſtere, ſolum illuſtrans intellectum, & non intrinſece movens, aut excitans voluntatem, ut fit in homine lapſo. Quod etiam mox declarat his verbis conſequentibus Auguſtinus, dicens) Quoniam ſic adjuvabatur, ut *ſine* hoc adjutorio in bono non maneret; ſed hoc adjutorium ſi vellet, desereret (per quod magis videtur deſcribere meram conditionem, ſine qua non, & meram aſſiſtentiam quam cauſam & principium: cum etiam illud auxilium vocet auxilium ſine quo, quaſi conditionem ſine qua non) Hæc autem (ſcilicet gratia lapſi hominis) tantò major eſt, ut parum ſit homini per illam reparare perditam libertatem (ergo per gratiam Chriſti, recuperat homo lapſus illam libertatem quam perdiderat, & quæ erat in Adamo: Atqui libertas illa erat indifferens; ergo recuperavit indifferentiam per gratiam: Ex quo clare apparet quod ipſe adhuc indifferens eſt ſub gratia, ut bene vel male agat, vel ut agat aut non agat, cum recuperaverit per gratiam illam ipſam libertatem & indifferentiam quæ erat in Adamo omnino libera & expedita, & vero indifferens ad agendum bene vel male, ſeu ad agendum, vel non agendum in bono, prout illi libuiſſet) parum ſit denique non poſſe ſine illa, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, *ſi velit* (quod ſatis clare indicat remanere indifferentiam in homine lapſo ſub gratia, ſicut erat in homine ſtante & ſano, cum etiam per hæc eadem verba, *ſi velit* ſupra explicet Auguſtinus indifferentiam primi hominis; unde & ſuperaddit ad differentiam) niſi etiam efficiatur ut velit (id eſt niſi etiam moveatur & excitetur intrinſece per gratiam, ipſius lapſi hominis voluntas, & inclinetur ut velit. Per quod tamen non vult dicere quod gratia illa lapſi hominis determinat illius voluntatem; nam alias ipſe Auguſtinus retractaret verba præcedentia, per quæ clare indicarat voluntatem illius hominis eſſe indifferentem ſub gratia, ſeu recuperaſſe Adæ indifferentiam, ſeu libertatem Adæ indifferentem ſub gratia: ſed vult dicere quod in eo præferenda eſt gratia lapſi hominis, gratiæ ſtantis hominis, quod ipſa agat & moveat voluntatem intrinſece, gratia autem ſtantis hominis non moveret ejus voluntatem intrinſece; ſed tantum extrinſece, per nudam ſcilicet propoſitionem intellectus: Unde & potius videbatur habere rationem conditionis ſine qua non, reſpectu actionis illius, quam cauſæ, & principii.

Nota valde quod non dicimus, gratiā primi hominis non fuiſſe cauſam ejus

Ex quibus, ut opinor, ſatis declaratum eſt quæ ſit indifferentia lapſi hominis ſub gratia, ſcilicet eadem cum indifferentia Adæ ſecundum ſubſtantiam: cùm per eam uterque faceret bonum ſi vellet, & desereret ſi

vellet: ſed diverſa ſecundum modum, cum hoc haberet Adam pacifice, & ſine diſceptatione: lapſus autem homo id habeat ſolum decertando per gratiam, contra concupiſcentiam ſibi ſemper obſiſtentem in electione boni, & devitatione mali, ut ſupra expoſitum eſt.

Item, & quid ſit ipſa gratia hominis lapſi, quæ eſt ſane longe diverſa à gratia ſani & ſtantis, cum hæc non moveret, aut excitaret voluntatem ejus intrinſece; ſed illam ſibi ipſi quodammodo relinqueret: illa vero (quæ eſt gratia lapſi hominis) excitaret ejus voluntatem intrinſece, & moveret eam ad bonum, contra concupiſcentiam reluctantem & inclinantem eam in malum, ut ſic fieret æquilibrium diverſarum iſtarum inclinationum; quarum eligeret homo lapſus eam quam vellet, ſeu eam ad quam ſectandam ſeipſum determinaret. Nec enim aliter reſtitui poterat voluntati illius ſub concupiſcentiæ motibus aſſiduis conſtitutæ, indifferentia per peccatum Adæ perdita, quam dando ei talem gratiam quæ tanto eam inclinaret, & accenderet ad bonum quanto per concupiſcentiam ferebatur in malum: Spiritu ſancto, ſcilicet, ut aït Auguſtinus, a inſpirante pro concupiſcentia mala concupiſcentiam bonam: & faciente ut idem aït, b ut non ei moleſta (propter concupiſcentiam ſævientem) ſed etiam jucunda ſit ei juſtitia (propter gratiam prævalentem) Nam, ut aït ipſe Janſenius, c [per concupiſcentiam graviſſimus fit in alteram partem impulſus libertatis cui ad *æquilibrium* reducendæ par, aut major gratia neceſſaria eſt.] ſcilicet ut per validam illam gratiam quaſi reducta, & redacta voluntas noſtra in priſtinum illum ſtatum primi hominis plene indifferentis & liberi, fortiter & ſuaviter declinet à malo, & faciat bonum: & ut fortis armatus, ipſa cuſtodiat atrium ſuum, & ſic in pace ſint omnia quæ poſſidet: Nam, ut aït idem Auguſtinus ex Ambroſio (quem ipſe citat lib. 2. ad Jul. cap. 5. illum locum tractantem, ubi Dominus aït, in una domo dividi tres adverſus duos, & duos adverſus tres) poſſunt etiam videri, inquit (ſcilicet Ambroſius) caro atque anima ab odore, tactu, guſtuque luxuriæ ſeparatæ, in una domo ſe adverſus incurſantia vitia dividentes, ſubjicientes ſe legi Dei, removentes ſe à lege peccati: quorum licet diſſenſio, per prævaricationem primi hominis ſe in naturam verterit, ut nequaquam ſibi paribus ad virtutem ſtudiis convenirent, *tamen* per crucem Domini Salvatoris (id eſt per gratiam medicinalem) tam inimicitiis, quam etiam mandatorum lege vacuatis, *in ſocietatis concordiam congruerunt* (non ſane ſine pugna & violentia ſibi facta, quæ eſt indifferentia pugnax de qua loquimur) poſteaquam è cælo pax noſtra deſcendens, fecit utraque unum. Et rurſus in eodem opere (ſemper hic loquitur Auguſt. ex Ambroſio) cum de ſpiritali atque incorruptibili cibo loqueretur (ſcilicet Ambroſius) etenim ratio cibus mentis eſt, inquit, præclaræque alimonia ſuavitatis, quæ membra non oneret, neque in naturæ pudenda; ſed ornamenta convertat, cum libidinum volutabrum (id eſt caro noſtra) commutatur in Dei templum, diverſoriumque vitiorum, ſacrarium incipit

meriti: imo vero aſſerimus; ſed tantum dicimus quod comparata majori gratia lapſi hominis ſupra explicata potius videbatur habere rationem conditionis ſine qua nõ, quam cauſa: ibi enim loquitur Auguſtinus comparative, ut videri poteſt in textu.

a Libro de ſpir. & litt. cap. 4.

b Lib. 1. ad Simp. q. 1.

c Lib. 7. de gr. Salvat. c. 14. §. Secundo ſequitur &c.

Secundum Ambroſ. & Auguſt. pax facta eſt in homine lapſo per gratiam Chriſti vincentem concupiſcentiã in illo: & ſic reſtituta eſt ei tranquillitas & indifferentia per gratiam victricem, ſeu per victoriam gratiæ Chriſti.

incipit eſſe virtutum. Quod utique tunc facit, cum caro in *naturam regreſſa vigoris ſui*, agnoſcit altricem, atque auſu depoſito contumaciæ, moderatoris animæ conjungatur arbitrio, *qualis fuit cum inhabitanda paradiſi ſecreta ſuſcepit*, antequam veneno peſtiferi ſerpentis infecta, ſacrilegam famem ſciret, divinorumque memoriam præceptorum animæ inhærentem, edacitatis ſtudio præteriret. Ubi clare Auguſtinus admittit ex Ambroſio priſtinum illum indifferentiæ ſecundum ſe ſumptæ ſtatum reſtitutum eſſe lapſo homini per gratiam, qui prius fuerat in Adamo. Unde & Cæleſtinus Papa, colligens poſt Innocentium Papam præcipua Auguſtinianæ doctrinæ capita in Epiſtola † pro Auguſtino ad Epiſcopos Galliarum ſcripta, clare dicit capite 6. quod Chriſti Domini adventus, homini lapſo *priſtinæ libertatis ſtatum reformavit*, id eſt reſtituit: & ſupra * id ſatis Auguſtinus expreſſit, cum inter effectus gratiæ Chriſti hunc retulerit, ſcilicet quod per illam homo lapſus repararet perditam libertatem, quæ ſine dubio ſecundum Auguſtinum fuit indifferens ſub gratia. Unde concludendum eſt quod etiam nunc homo lapſus manet indifferens ſub gratia, ut conſentiat ei, vel diſſentiat, ſicut primus homo erat indifferens ſub ſua gratia, ut ageret bene, vel non ageret, niſi quod id non habeat homo lapſus, niſi decertando contra concupiſcentiam, homo vero primus id haberet quieſcendo, cum non haberet concupiſcentiam contra quam certaret, aut altercaretur.

Sed dices, ſi per prædicta verba intelligit Auguſt. quod lapſus homo habeat eãdem libertatem & indifferentiam quã Adamus: ergo debuit eã habere pacatam & tranquillã ut Adamus. At hoc falſum, ergo & illud. Reſpondeo neg. conſ. Quia tantum ſequitur quod eamdem indifferentiam habuit inquantum capax illius fuit: at non eſt capax pacatæ & tranquillæ indifferentiæ, quia habet concupiſcentiam in ſe, ſævientem, quæ non ſinit eum pacatum & tranquillum remanere, ſicut Adam qui nullam ejuſmodi concupiſcentiam in ſe habebat. Unde debet homo lapſus bellare, & pugnare contra iſtam concupiſcentiam per gratiam: & ſic indifferentiam ſuam bellando conſervare.

† *Hæc Epiſtola ponitur in 7. tomo Auguſtini ſub finem.*
* Hoc eodem Puncto.

PUNCTUM IV.

Quibuſdam inſtantiis Ianſenii contra prædictam lapſi hominis ſub gratia indifferentiam factis, ſatiſfit.

VERUM contra hæc, multa objicit Janſenius libro 2. de gr. Salvat. cap. 4. & ſequentibus, ſumpta ex lib. de corrept. & gr. cap. 11. & 12. per quæ vult probare gratiam hominis lapſi eſſe determinativam arbitrii, præ gratia Adami, quæ non erat determinativa arbitrii; ſed expectativa determinationis illius.

Hic liber à Ianſenio indicatur in margine, ut continens principales probationes ſuæ objectionis de gratia medicinali ſupra allata.

Sed reſpondeo nihil eſſe in illis duobus capitibus Auguſtini, quod ſignificet determinationem liberi arbitrii hominis lapſi fieri à gratia; ſed tantum eſſe aliqua quæ declarant gratiam aliquam ſingularem certis quibuſdam hominibus lapſis conceſſam, (de quibus ibi loquitur) eſſe ſemper efficacem, præ gratia Adami, quæ fuit inefficax & ſolum ſufficiens ad perſeverandum in ſtatu innocentiæ. Nam non loquitur ibi ad-

LLll

æquate Auguſtinus de gratia hominis lapſi ut hominis lapſi, præ gratia Adami; ſed loquitur de gratia hominis lapſi ut prædeſtinati ad gloriam, quam comparat cum gratia Adami non perſeverantis in innocentia ſua, & præfert ibi gratiam efficacem ad perſeverandum iſtorum prædeſtinatorum ad gloriam, gratiæ Adami quæ non fuit efficax ad perſeverandum in innocentia ſua.

Gratia illa ſingularis non eſt reſpectu omnium hominum lapſorum; ſed tantum reſpectu prædeſtinatorum: licet in illa ſingulari includatur generalis, qua afficit voluntatem lapſi hominis, & non afficiebat voluntatem ſtantis & ſani, ut ſupra demonſtravimus.

Quod enim ibi loquatur de gratia ut propria prædeſtinatorum iſtorum hominum ut ſic, & non ut propria omnium lapſorum hominum in genere, patet ex toto diſcurſu iſtorum capitum; quem concludens, ait initio capitis 13. *Hæc de his loquor qui prædeſtinati ſunt in Regnum Dei,* quorum ita eſt certus numerus, ut nec addatur eis quiſquam, nec minuatur ex eis (ecce ibi loquitur de prædeſtinatis ad gloriam) non de his qui cum annunciaſſet, & locutus eſſet [Multiplicati ſunt ſuper numerum] (id eſt non loquitur de reliquis quia ut conſequenter ait) Ipſi vocati dici poſſunt, non autem electi (loquitur ergo ibi de ſolis electis ad gloriam, & non de cæteris, ut etiam patet in medio illius capitis, ubi loquitur adhuc de iis ſolis electis dicens) Numerus ergo *Sanctorum per Dei gratiam, Dei Regno prædeſtinatus* donata ſibi etiam uſque in finem perſeverantiâ, illuc integer perducetur. Et infra: Hi vero qui non pertinent ad *hunc* prædeſtinatorum numerum, quos Dei gratia, &c. Et paulo poſt: Hi ergo qui non pertinent ad *iſtum* certiſſimum & fœliciſſimum numerum, pro meritis juſtiſſime iudicantur: aut enim, &c. Ubi manifeſte patet Auguſtinum in ſuo prædicto diſcurſu includere ſolùm prædeſtinatos ad gloriam, ſeu ad Regnum, & excludere omnes alios: Quod etiam patet ex initio diſcurſus illius, ſeu ex initio capitis 11. ubi ſub nomine prædictorum Sanctorum loquitur de his prædeſtinatis, & comparat eorum gratiam efficacem cum gratia inefficaci Adæ, dicens: *Sancti* vero in hac vita ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis ſunt, ex quibus clamant ad Deum [Libera nos à malo.] Ille (ſcilicet Adam) in illis bonis, Chriſti morte non eguit: iſtos (id eſt prædeſtinatos, ſeu ſanctos homines lapſos) à reatu & hereditario, & proprio illius A G N I ſanguis abſolvit. Et infra: Per hunc mediatorem Deus oſtendit eos quos ejus ſanguine redemit, facere ſe ex malis deinceps *in æternum bonos* (quod ſolum pertinet ad prædeſtinatos, & non ad alios) quem ſic ſuſcepit, ut numquam eſſet malus, ne ex malo factus ſemper eſſet bonus. *Iſtam gratiam* (ſcilicet efficacem iſtorum prædeſtinatorum propriam) *non habuit homo primus*, qua *numquam* vellet eſſe malus. Ubi manifeſte patet quod ſolùm ibi comparat prædeſtinatos homines lapſos cum Adamo, & non alios: & proinde quod non bene ex hinc infertur quod omnia quæ ibi dicit Auguſtinus pertinere ad iſtam gratiam lapſorum hominum prædeſtinatorum, debeant pertinere ad omnem gratiam lapſorum hominum ut ſic, cum non agat ibi Auguſtinus de gratia lapſo-

Ipſe Janſ. lib. de gratia primi hominis cap. 17. §. Dico igitur. Dicit ibi Auguſt. loqui de perſeverantia prædeſtinatis filiis Dei, & non aliis collata. Ergo ibi loquitur de prædeſtinatis, ut ſic ſecundum ſenſum Janſenii.

Vide etiam c. 12. ab his verbis, Et accipiunt tantam per iſtam gratiã libertatem, ut quamvis &c. Non tamen ultra ſerviãt peccato quod eſt ad mortem *(quod ſolũ pertinet ad prædeſtinatos.) Et infra:* Huic peccato ultra non ſer-

pſorum hominum ut ſic; ſed lapſorum hominum ut prædeſtinatorum, & non aliter: unde licet gratia perſeverantiæ data iſtis hominibus lapſis prædeſtinatis, deſcribatur ibi ab Auguſtino ut efficax, & ut habens ſemper effectum ſalutis in eis, non tamen hinc ſequitur quod omnis gratia ad perſeverandum data hominibus lapſis ſit efficax; ſed poteſt eſſe inefficax, ut fatetur ipſe Auguſtinus in ipſo libro de corrept. & gr. cap. 6. dicens: Si autem jam regeneratus & juſtificatus in malam vitam ſua voluntate relabitur, certe iſte non poteſt dicere: Non accepi, quia acceptam gratiam Dei, *ſuo in malum libero amiſit arbitrio* (ergo poterat illam non amittere, & ſic perſeverare) Et paulo infra: An adhuc & iſte nolens corripi, poteſt dicere, quid ego feci qui non accepi? quem conſtat accepiſſe, & *ſua culpa* quod acceperat amiſiſſe (ex quo clare apparet quod poterat non amittere, & ſic perſeverare) ſed clarius cap. ſequenti id indicat dicens, quod tali homini dici poſſet: Homo in eo quod audieras & tenueras, in eo *perſeverares ſi velles.* Ubi clare demonſtratur perſeverantiam actualem, ſeu actum perſeverandi fuiſſe in poteſtate iſtius lapſi hominis qui non perſeveravit, & ſic eum habuiſſe perſeverantiam ſufficienter, ſeu gratiam ſufficientem ad perſeverandum, non tamen efficacem, quia hæc ſolùm pertinet ad prædeſtinatos ut ſic, non autem ad homines lapſos ut ſic: Unde manifeſtum eſt quod in duobus dictis capitibus, loquitur Auguſtinus tantum de gratia perſeverantiæ, ut eſt propria prædeſtinatorum lapſorum hominum, & non ut propria eſt lapſorum hominum ut ſic: cum illam ibi deſcribat, ut ſemper efficacem, alibi aliam pro eis admittens mere ſufficientem & inefficacem, ut patet ex mox allatis teſtimoniis.

viunt; non conditione, &c. Vide reliqua uſque ad finē, quia hæc omnia pertinent ad ſolos prædeſtinatos, & non ad alios.

Jam vero quod nihil ſit in prædictis capitibus libri de corrept. & gr. quod ſignificet determinationem liberi arbitrii hominum lapſorum factam eſſe à gratia, patet ex hoc quod nullum ibi verbum ſit, quod ſignificet voluntatem determinari, aut neceſſitari à gratia; ſed tantum eam moveri, & excitari, & perſuaderi à gratia. Nam quod ibi dicatur, Deum operatum eſſe, feciſſe, & effeciſſe ut homo ageret, & ut non niſi perſeverans eſſet, hoc non ſignificat Deum ad id effective determinaſſe, aut neceſſitaſſe voluntatem; ſed tantum eam moviſſe, excitaſſe, & perſuaſiſſe ut faceret, quemadmodum is qui conſuluit, excitavit, & movit efficaciter aliquem ad agendum aliquid, dicitur feciſſe & effeciſſe, ut id ageret: non quod illum determinaverit, aut neceſſitaverit ad agendum, abſit. Sed quia ei Author fuit, ſeu in cauſa fuit, ut ipſe ageret, & operaretur illud. Quanto ergo magis id debet dici de Deo, intrinſecùs movente, excitante, & agente in voluntate hominis lapſi, per gratiam; licet non determinaverit, aut neceſſitaverit eam: cum magis in cauſa fuerit cur id ageretur, & perageretur, quam prædictus, licet non prædeterminaverit.

Quantum autem ad id quod dicitur, Deum donaſſe illam actionem, ſeu voluntatem, nihil amplius hoc dicit, niſi quod prædicto modo fecit

& operatus eſt in eis illam voluntatem; ſed mere gratis & voluntarie, & ſine præcedentibus illorum meritis: propter quod potius dicitur illam voluntatem donaſſe, quam reddidiſſe, cum eam mere gratis effecerit: Unde idem Auguſt. qui ſemper ſuppoſuit Adamum, & Angelos fuiſſe liberrimos, & indifferentiſſimos in ſuis voluntatibus & ſuis actionibus, tamen aliquando dicit Deum dediſſe eis bonam voluntatem (id eſt bonam volitionem) & eam feciſſe in eis, ut ſupra late vidimus, & etiam videre eſt ſaltem de primo homine in his ipſis capitibus libri ſupracitati de corrept. & gr. ubi aït Deum dediſſe, & feciſſe bonam voluntatem in Adamo, his verbis: Tunc ergo *dederat* homini (ſcilicet primo) Deus *bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat* qui fecerat rectum. Quem etiam modum loquendi ſecutus Fulgentius Auguſtini Diſcipulus, libro de fide ad Petrum cap. 3. ſic loquitur de Angelis & de primo homine: Quibus, inquit, propter arbitrii libertatem, quæ maxime debuit intellectuali creaturæ, creatoris benignitate conferri, ita cognoſcendi, ac *diligendi ſe* facultatem *voluntatemque donavit*, ut eam unuſquiſque & habere poſſet, & perdere. Ubi nota iſtam diſtinctionem voluntatis à facultate, per quam clare demonſtrat ſe per voluntatem intelligere volitionem, ſeu actum ipſum volendi, quod etiam denotant verba ſequentia per quæ dicit, eos potuiſſe pro libertate ſua habere, aut perdere illam voluntatem diligendi Deum. Non enim potuerunt ſic perdere voluntatem ſumptam pro facultate, ſeu pro potentia volendi; ſed tantum ut ſumptam pro volitione ipſa. Ex quo concludere eſt quod per hoc quod dicit Auguſtinus, Deum donare, ſeu facere aliquod opus, ſeu bonam voluntatem in homine lapſo, non intelligit quod Deus determinet, aut neceſſitet illum ad hoc opus faciendum; quandoquidem id etiam dicit de Angelis & de primo homine, quos numquam cenſuit Auguſtinus determinari à Deo in volendo, ſeu agendo; ſed voluit tantum dicere quod Deus moveat, aut excitet efficaciter hominem lapſum ad bonum faciendum, licet ipſe homo lapſus omnino libere, & cum plena indifferentia, illud eligat & faciat, ſeu ſeipſum ad illud faciendum determinet.

Punct. 2. & 3. Paragraphi quarti. Cap. 11.

Voluntas bona apud Auguſt. eſt bona volitio, ut bene notat Ianſ. lib. de grat. primi hominis & Angelorū c. 11. § Nec tamē iam eo illo loco &c. ut etiam alibi notat in eodem tom. 2.

Quantum autem ad comparationem, quæ ibi habetur gratiæ Adami (quam vocat Auguſtinus adjutorium ſine quo) cum gratiâ hominis lapſi (quam vocat adjutorium quo) hoc non dicit voluntatem lapſi hominis fuiſſe determinatam à ſua gratia potius quam voluntatem Adæ à ſua: ſed tantum dicit gratiam Adæ fuiſſe extrinſecam illlius voluntati, ut pote in ea non reſidentem; ſed in illius intellectu: & ſic potius videri habuiſſe (reſpectu ſuæ voluntatis) rationem conditionis ſine qua non, quæ ſolet eſſe extrinſeca agenti, quam cauſæ & principii: gratiam autem lapſi hominis, & eſſe, & videri verum principium, ſeu veram cauſam: cùm immediate, & per ſe & intrinſece influeret in illius voluntatem, excitando & movendo eam per ſeipſam ad opus (illæſa tamen illius libertate, & indifferentia) & ſic potius eſſe adjutorium quo, quam ſimplex adjuto-

Hoc indicatur in Enchir. c. 106. ubi ait Auguſt. Poſt illam ruinam major eſt miſericordia Dei quando & ipſum liberum arbitrium liberandum eſt

tium ſine quo Adæ, cum ab eo per ſe moveretur, & excitaretur voluntas lapſi hominis ad bonum opus, contra concupiſcentiæ motus ſibi contrarios, & ſibi reſiſtentes: non autem ſic moveretur voluntas Adæ à ſuo: Et hoc ſolùm eſt quod vult dicere ratio adjutorii quo hominis lapſi, reſpectu adjutorii Adæ ſine quo; non autem determinationem, aut neceſſitatem impoſitam illius voluntati, quandoquidem ſatis alibi declaravit Auguſtinus, lapſi hominis voluntatem eſſe etiam indifferentem & indeterminatam ſub gratia, ut late ſupra probavimus ex adductis illius teſtimoniis permultis.

Quantum denique ad hoc quod dicit Auguſtinus Deum dare ſimul poſſibilitatem & voluntatem homini lapſo prædeſtinato, hoc nihil dicit amplius, quam quod ſupra explicuimus de donatione & effectione Dei, reſpectu boni operis, ſeu bonæ volitionis in homine lapſo prædeſtinato: quam donationem Dei libenter fatemur & admittimus, ut ſupra explicuimus, id eſt ut facientem & procurantem iſta gratis, & ſine præcedentibus meritis; non autem ut determinantem & neceſſitantem voluntatem hominis lapſi, cum eodem modo ipſe Auguſtinus ibi & alibi loquatur de voluntate Adæ & Angelorum, quas dicit Deum eis donaviſſe & effeciſſe in eis, etſi certum ſit Auguſtinum numquam cenſuiſſe quod Deus determinaverit, aut neceſſitaverit eorum voluntatem; ſed quod ſemper liberrimam & indifferentiſſimam eam Deus reliquerit, pro ut multis in locis docet ipſe Janſenius: Et ſic manifeſtum eſt quod in his omnibus quæ dicit Auguſtinus in prædictis duobus capitibus libri de corrept. & gratia, & de gratia Adæ, & de gratia hominis lapſi, nihil habetur quo probari vere poſſit gratiam lapſi hominis fuiſſe prædeterminativam, aut neceſſitativam arbitrii illius; ſed tantum ibi habetur quod eſt motiva & excitativa voluntatis illius, & etiam quod ſit efficax in prædeſtinatis, de quibus ſolùm ibi loquitur, & non de omnibus aliis.

à ſervitute cui dominatur cũ morte peccatum. Nec omnino per ſeipſum; ſed per ſolã Dei gratiã quæ in fide Christi poſita eſt, liberatur ut voluntas ipſa *(non vero ſolus intellectus ut in Adamo, ſed voluntas ipſamet intrinſece, & per gratiam in ſe receptam) præparetur quâ cætera Dei munera capiantur, per quæ veniatur ad munus æternum. Hæc eſt differentia utriuſque gratiæ.*

PUNCTUM V.

Aliquibus aliis ſatisfit inſtantiis ejuſdem Ianſenii, & oſtenditur contra eum verum & proprie dictum meritum eſſe in homine lapſo, ſicut fuit in Adamo.

VERUM proſequitur Janſenius, & vult probare ſuum intentum ex diverſitate effectuum ſupradicti adjutorii Adæ, & lapſi hominis, eo quod, ut ipſe ait, nihil declaret evidentius modum operandi cauſæ, quam modus quo effectus à cauſa fluit: Unde ſic profert primam utriuſque adjutorii diverſitatem, & dicit in eo conſiſtere quod gratia lapſi hominis daret illi totum ſuum meritum, ſecus vero gratia Adæ; ſed potius ſuum liberum arbitrium daret illi meritum. Quod vult probare ex hoc textu Auguſtini lib. de corrept. & gr. cap. 12. ubi ait: Unde autem

non glorietur (nunc poſt lapſum) caro coram ipſo, niſi de meritis ſuis, quæ quidem potuit habere; ſed perdidit, & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc eſt per liberum arbitrium: propter quod non reſtat liberandis, niſi gratia liberantis. Ex quo infert Janſenius quod gratia ſtatus innocentiæ non donaret meritum; ſed illud libero voluntatis arbitrio relinqueret, ut illud ſibi ipſa, vel daret, vel non daret. Nunc vero gratia potentiſſima & velle voluntati, & conſenſum & meritum donat.

Reſpondeo primò ſatis ſupra oſtenſum eſſe, quod ſecundum Auguſtinum gratia, ſeu Deus per gratiam donabat homini innocenti, & lapſo ſuam bonam voluntatem, & per hoc ſuum meritum: unde iſta illatio falſa eſt ex hac parte, qua dicit gratiam, ſeu Deum per gratiam non donaſſe meritum homini innocenti, ut homini lapſo ſecundum Auguſtinum, cum contrarium ex ibi dictis pateat.

Reſpondeo ſecundo non recte colligi ex prædictis verbis Auguſtini, Deum ita dare meritum homini lapſo, ut det etiam ei cætera omnia, adeo ut etiam determinet illius voluntatem, & non ipſe homo ſeipſum determinet cum gratia: id enim non ſequitur ex prædictis; ſed tantum quod meritum hominis lapſi non tam ſuum ſit, quam meritum primi hominis, quod verum eſt, ut infra declarabitur. Nam quod meritum hominis lapſi, vere & proprie ſuum ſit & proprium, ſicut & Adami, ſi non dixit Auguſtinus ſub his expreſſis verbis ſaltem dixit ſub æquivalentibus; ut cum dixit libro de ſpir. & littera cap. 34. Conſentire autem vocationi Dei, (quod eſt mereri) vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, *propriæ voluntatis* eſt. Et libro 1. ad Simplic. in quæſtione illa 2. quam laudat ſenex Auguſtinus in libro de prædeſtin. Sanct. tamquam in qua vicerit Dei gratia, loquens de homine lapſo, ſic aït: Ut velimus (id eſt ut mereamur) & ſuum eſſe voluit & *noſtrum*: ſuum vocando, *noſtrum* ſequendo. Et de bono viduit. cap. 17. ſic aït: *Noſtrum* enim eſt velle (id eſt mereri) ſed voluntas ipſa etiam monetur, ut ſurgat, &c. Multa alia reperies in hunc ſenſum in ſupracitatis locis Auguſtini pro indifferentia arbitrii, præcipue ex tomo 9. & 10. Ubi clare dicit Auguſtinus nos agere, & nos conferre aliquid ad bonum opus (quod eſt meritum) ex quo etiam oſtenditur meritum eſſe noſtrum, cum ad illud ex parte noſtra concurramus ut proprietarii. Quibus locis adde & hunc ex libro de perfectione juſtitiæ cap. 8. ubi aït Auguſtinus: Poſt hanc vitam *merces* perficiens *redditur*, (merces autem ſupponit meritum: &, τὸ redditur, ſupponit debitum quod tãtum requiritur ad ſtrictum meritum) ſed eis tantum à *quibus* in hac vita ejuſdem *mercedis meritum comparatur* (ergo etiam iſtud meritum noſtrum eſt, cum à nobis comparetur) Item & ex enarr. in Pſ. 93. in hunc verſic. Qui fingis laborem in præcepto. ubi loquens de merito noſtro ſub nomine laboris, & de gloria ſub nomine requiei, ſic aït: *Labor eſt hic tuus*, & requies tibi promittitur: attendis te hîc habere laborem; ſed attende qualem ille requiem pollicetur: numquid cogitare poteris. Si illam poſſes cogitare, videres te nihil laborare, ad *compenſationem*.

(id eſt meritum tuum, ſeu opus tuum non eſſe æquale præmio. Ibi enim labor, ſeu meritum dicitur nihil, ſolùm comparativè; ſed eſt verum, cum compenſetur) Et infra: Noli eſſe piger in laborè breviter, & gaudebis inceſſabiliter: æternam vitam tibi daturus eſt Deus, cogita quanto labore *emenda* ſit(emptio autem eſt ex propriis, & non ex prorſus alienis, ergo meritum iſtud noſtrum eſt & nobis proprium, & non ſolius Dei: quod & late ſic proſequitur) *venale* eſt quod habeo, dicit tibi Deus, *eme* illud: quid *habes venale? requiem venalem* habeo, *eme* illam: (quid expreſſius dici poteſt ad veram rationem meriti, quam quod id quod objectum illius eſt, venale ſit, & per illud, illud objectum ematur. Similia ſunt quæ ſequuntur infra, ubi dicit Auguſtinus: Attendite: quodammodo Deus propoſuit *venale Regnum Cælorum; dicis illi quantum valet, pretium ejus labor eſt; quomodo ſi diceret pretium illius aurum eſt.* Et infra: Tibi dicit Deus ego oſtendo quanta ſit illa requies, tu indica *quanto labore emenda ſit.* Et infra multis iſta proſequitur. Et Homil. 14. ex 50. expendens illud Pauli 2. ad Tim. 4. [Bonum certamen certavi.... de cætero ſupereſt mihi corona juſtitiæ] ſic ait: [Bonum certamen certavi] *opus eſt* (id eſt meritum) [curſum conſummavi] *opus eſt* [fidem ſervavi] *opus eſt*; ſed in *mercede* tu nihil agis (certe hîc non loquitur Auguſtinus de actione ſola Phyſica; nam Phyſice & realiter agimus in viſione beatifica, quæ eſt illa merces, & tamen nos in illâ agere inficiatur. *Nota valde.* Unde prorſus dicendum eſt quod non ſolùm hîc ſignificat actionem illam Phyſicam quam exercet voluntas noſtra in bene agendo & merendo, quod eſt materiale meriti, & quod ſolùm ibi admittit Janſenius: ſed dicendum quod ſignificat influxum quemdam Moralem, & laude dignum, à quo laudabiles, & merentes & præmio digni vere dicimur, & ſumus, & quod actio illa nobis eſt in hoc genere propria, & legitime attributa, ut pote à nobis libere & moraliter, & ex noſtra propria determinatione, & electione agentibus poſt præviam motionem gratiæ: unde & in hoc ſenſu proſequitur Auguſtinus dicens) In opere (id eſt in merito) non ſolus agis (ergo & in hoc opere ſeu merito nos agimus, non quidem ſoli, ſed tamen agimus: & cum Deo agimus, actione ſcilicet nobis propria, quam ſupra negavit in mercede, ſeu viſione beatifica, ſcilicet actione libera, per nos determinata & electa, præſuppoſita tamen gratia: unde & ſequitur) corona tibi eſt ab ipſo (ſcilicet Deo, quia nempe nobis non agentibus libere, & cum propria determinatione à Deo infunditur) opus autem abs te (quia ſcilicet illud facimus cum propria noſtra determinatione & electione, & ſic noſtrum eſt, & à nobis eſt; ſed tamen non ſine gratia præveniente, ut mox ſequitur) ſed non niſi ipſo adjuvante. Qui locus apertiſſimus eſt de merito ut noſtro, id eſt de merito ut à nobis, & non à ſolo Deo. Item, & in Pſalm. 49. in hunc verſic. Annunciabunt juſtitiam ejus. loquens de Regno Cælorum ut à nobis emerendo, ſic ait: Tantum *emit* (ſcilicet illud Regnum) vidua, duobus minutis, quantum *emit* Petrus relinquens retia, quantum *emit* Zacchæus dando di-

midium patrimonium: tanti *valet* quanti habueris. Ubi adhuc loquitur de merito noſtro tamquam de pretio emptionis, quæ ſemper eſt ex propriis, & non ex prorſus alienis. Idem fere repetit in libro de octo Dulcitii quæſtionibus quæſt.4. ubi ait: Quid autem, fratres? potentius quam ut Regnum Cælorum, non ſolùm Zacchæus *emat* dimidio rerum ſuatum; ſed & vidua duobus minutis: & tantumdem ibi uterque poſſideat. Quid potentius quam ut idem Regnum, & theſauris divitis, & calice aquæ frigidæ pauperis *valeat*. Et Tractatu 67. in Joann. in hæc verba: In domo Patris manſiones multæ ſunt. ſic ait: Nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi manſionem pro *ſuo* quiſque accepturus eſt *merito*. Et quid clarius & efficacius dici poteſt quam id quod habet Epiſtola 105. circa medium, ubi meritum noſtrum bonum, vocat meritum juſtitiæ, & vult illud eſſe tam verum meritum gloriæ, quam peccatum eſt meritum gehennæ. Sicut, inquit, merito peccati, tamquam ſtipendium redditur mors: ita *merito juſtitiæ* vita æterna. Quod tandem probari poſſet ex infra citandis locis Auguſtini, ubi Regnum Cælorum vocat mercedem, quæ ſane non datur ob aliena; ſed tantum *ob* propria merita: Sed & fidelis ejus interpres & Diſcipulus D. Proſper libro 2. de vocat. Gent. clare indicat illa merita, eſſe noſtra & propria, & rationem addit, ſcilicet quia ſunt ex electione, & determinatione noſtra, cum prius indifferentes eſſemus ad illa ponenda, vel non ponenda: ſic enim aït loquens de hominibus lapſis, cap. 12. prædicti libri: Ut, inquit, quod non poteſt niſi cooperante Spiritu Dei fieri, *eorum meritis deputetur*, quorum id potuit *voluntate non fieri*. Ubi vides illa merita nobis ut propria deputari, quia illa egimus, cum poſſemus non agere, ſi voluiſſemus; quod maxime denotat indifferentiam. Et cap.28. ejuſdem libri loquens de iiſdem hominibus lapſis, ſic aït: Ut quamvis Dei auxilio ſteterunt, tamen *quia* in ſe habebant *unde caderent*, *ipſorum ſit meritum* quod ſteterunt: ubi etiam vides propria eorum merita, eo quod per ea ſtare elegerunt, cum potuiſſent cadere ſi voluiſſent: quod denotat adhuc indifferentiam, & propriam voluntatis determinationem. Unde nullomodo dubitandum eſt quin iſta merita ſint vere noſtra & propria, & per conſequens quod numquam Auguſtinus intendit negare illa eſſe noſtra & propria; ſed quod aliquid aliud voluit per allegata à Janſenio verba innuere: quod ſane aliud eſſe non poteſt, niſi quod negavit eſſe tam proprie noſtra, quam merita Adami fuerunt ſua. Unde cum ibi dicit quod homines lapſi perdiderunt ſuum meritum, loquitur tantum comparative cum merito primi hominis, cujus comparatione meritum hominis lapſi nullum dici poterat, eo quod longe magis gratia ad illud concurrebat, quam ad meritum primi hominis. Nam certum eſt quod ubi eſt plus gratiæ, & plus favoris & adjumenti alieni; tanto minus ibi eſt & proprii, & meriti, quando quidem multum alienat, & minuit rationem meriti aliena gratia, & auxilium ab alio collatum, cum major illius meriti pars pertineat ad alterum, & tunc non tam ſit meritum quam

Solet Auguſtinus ea quæ ſunt minora vocare nulla, comparatione majoris, vel etiam contraria, ut mortem quod erat vita: & ignorantiā

quam gratia, cum melior illius pars ſit gratia, & non meritum: At certum eſt ſecundum Auguſtinum quod longe major fuit gratia collata homini lapſo, quam ſtanti, & per conſequens certum eſt quod longe minus fuit illius meritum, quam Adami; & proinde quod potuit dici nullum ab Auguſtino in comparatione meriti Adami, quia, ut aiunt, parum pro nihilo reputatur, non tamen per hoc negat meritum illud vere fuiſſe proprium hominis lapſi; ſed tantum aſſerit fuiſſe parvum, præ merito Adami, quod fuit magnum in ratione meriti, ita ut meritum primi hominis, antonomaſtice dicatur meritum, meritum vero lapſi hominis, hyperbolice vocetur gratia, quia major fuit in eo gratia, quam meritum.

ſciẽtia, comparatione melioris vitæ, & majoris ſcientiæ: Pro quo vide lib. 11. Confeſſ. c. 4 Serm. 48 de tempore c. 7. & in Pſ. 118. conc. 19 & lib. de perf. juſtit c 14. & tract 103 & 107. in Ioann. & Serm 37 de diverſ. c. 5. & alibi paſſim.

Punctum IV.

In quo formaliter conſiſtat majoritas gratiæ lapſi hominis ſupra gratiam Adami, ſecundum Auguſtinum.

SED difficultas eſt in quo major fuit lapſi hominis gratia, quam Adami: Nam Janſenius vult quod in eo majoritas iſta conſiſtat, quod gratia lapſi hominis determinet & neceſſitet illius voluntatem, gratia autem Adami relinquat voluntatem illius liberam, & expeditam, & prorſus indifferentem ad eligendum bonum, aut malum. Sed hoc ſupra oſtenſum eſt eſſe falſum, cum ſatis ibi oſtenderimus gratiam lapſi hominis fuiſſe indifferentem ſicut erat gratia primi hominis, & in eo utramque gratiam convenire quod ſub ea in utroque homine bene perſiſteret indifferentia; ſed in uno pacata & tranquilla, in altero autem pugnax & fervida; ſed tamen eſſet vera indifferentia, proüt ibi explicatum eſt: unde cum ex hac parte non poſſit haberi cur una gratia ſit major alterâ, cum utraque ſit indifferens & indeterminata contra id quod ſupponebatur; neceſſario aliunde iſta differentia requirenda eſt, & ideo

Dico in eo eſſe poſitam quod gratia primi hominis ſolùm afficeret illius intellectum proponendo illi bonum & malum, ut poſtea pacate & tranquille eligeret quod liberet, non autem afficeret, aut attingeret Phyſice illius voluntatem, cum non haberet in ea quicquam ſibi contrarium quod vincere opus eſſet ad hoc ut libere & indifferenter quidpiam eligeret. Gratia vero lapſi hominis non ſolum afficeret illius intellectum illuminando & inſtruendo illum, ut in Adamo; ſed etiam afficeret ejus voluntatem, excitando & movendo eam realiter, & inclinando illam in bonum, & firmando illam contra omnes concupiſcentiæ motus inſurgentes, ut eos penitus frangeret & ſuperaret, proüt ei neceſſarium eſſet ad electionem boni & mali cum vera libertate & indifferentia faciendam. Et hæc eſt vera differentia gratiarum Adæ & lapſi hominis, quam ſupra jam indicavimus, & etiam aliquo modo probavimus.

Hinc eſt quod lib. de corr. & gr. cap 11. vocat Aug. gratiam Adæ laſtiorem, gratiâ lapſi hominis.

Sed & adhuc probamus ſequentibus his rationibus: quarum prima

eſt, quia gratia lapſi hominis includit gratiam Adæ ſecundum Auguſtinum: ergo gratia Adæ fuit tantum in intellectu, & non etiam in voluntate.

Probatur antecedens libro de corrept. & gr. cap. 11. ubi cum oſtendiſſet Auguſtinus adjutorium ſine quo, quod eſt adjutorium Adæ, neceſſario debuiſſe reperiri in homine primo, ſeu Adamo, quia aliàs ſui peccati legitimam excuſationem habuiſſet, ex hoc quod tali adjutorio caruiſſet, ſic ait: *Nunc* autem quibus deeſt *tale* adjutorium (nota quod non dicit ſimile, ſed tale, quod indicat idemtitatem ſpecificam, & non ſolam ſimilitudinem.) jam pœna peccati eſt, *quibus autem datur* (ergo etiam nunc illud datur, ergo datur hominibus lapſis, nunc enim non alii ſunt quam homines lapſi, ergo datur hominibus lapſis, non ſolùm ut eorum gratia inefficax, ut autumant aliqui; ſed ut incluſum in eorum gratia efficaci, ut paulo poſt ſequitur, ſub his verbis: Et tanto amplius datur per JESUM CHRISTUM Dominum noſtrum, quibus id dare Deo placuit, ut non ſolùm adſit, *ſine quo permanere non poſſumus, etiam ſi velimus* (quod eſt prædictum auxilium Adæ ſine quo) verumetiam tantum & *tale* ut velimus. Ubi manifeſte vides auxilium efficax per hæc verba, tale ut velimus, quod includit auxilium Adæ ſine quo, ut patet ex terminis. Ex quo ſic arguo, & eſt conſequens noſtri entymematis, quod incumbit nobis probandum.

Tenentur adverſarii ſibi admittere nobiſcũ duplex auxiliũ: aliàs ſi velint eſſe unicum, ſtatim debent admittere duo contradictoria in eodem ſimul ſubjecto, ſcilicet quod voluntas hominis lapſi ſimul determinatur & relinquitur, indifferens per illud auxilium. Nã cum dicant auxilium ſine quo, relinquere arbitrium in-

Lapſi homines ſecundum Auguſtinum habent gratiam Adami, & ſuam peculiarem; ergo ſignum eſt quod gratia Adami non erat in voluntate; ſed in ſolo intellectu: Et ratio eſt, quia ſi gratia Adami fuiſſet in voluntate, cùm ex ſententia D. Auguſtini, gratia Adami ſit minor gratia hominis lapſi, quid faceret illa gratia Adæ, quam dicit etiam nunc reperiri in homine lapſo? quid, inquam, illa gratia faceret in voluntate hominis lapſi, cum ſuâ gratiâ peculiari, cùm hæc longe ſit major, & intenſior illâ: & proinde illa nihil habeat in ſe efficacitatis, quæ non ſit multo amplius in iſta: certe illa eſſet prorſus inutilis & ſupervacanea; nam cui bono dare gratiam Adami homini lapſo, quæ tantum leviter poſſet movere voluntatem ejus, cùm habeat magnam & vehementem quæ maxime & vehementer movet eam. Certe evidentiſſimum, ut opinor, eſt, id eſſe omnino ſuperfluum & inutile, & proinde non admittendum. Unde concludendum eſt quod proprium gratiæ primi hominis erat eſſe in ſolo intellectu, ſive major, ſive minor; nihil enim intentio illius pertinebat ad naturam illius, ut patet in Angelis, qui licet haberent omnes eamdem ſpetie gratiam cum primo homine, erant enim omnes innocentes, ſicut & primus homo: tamen in unis fuit major quam in aliis, ut patet ex hoc loco libri 12. de Civitate Dei cap. 9. ubi loquens Angelis, dicit, quod iſtis mala voluntate cadentibus, illi *amplius adjuti* ad eam beatitudinis plenitudinem; unde ſe numquam caſuros certiſſimi fierent, pervenerunt. Quod ſatis arguit intenſionem diverſam in eadem ſpecie gratiæ, & ita intenſionem illam majorem, vel minorem non

pertinuiſſe ad naturam gratiæ ſtatus illius;ſed tantum locum, ſeu ſubjectum,ita quod vera ratio gratiæ primi hominis fuerit eſſe in intellectu,& ſic extrinſecam eſſe illius voluntati: ratio autem gratiæ lapſi hominis fuerit eſſe in intellectu ſimul & voluntate, & ita eſſe extrinſecam ſimul & intrinſecam voluntati, ut ſcilicet voluntas illa infirma, extrinſece, & intrinſece munita, contra concupiſcentiæ motus aſſiduos fortior evaderet, & contrariâ ſuæ gratiæ motione, & impreſſione ſuperaret, qui eſt verus effectus gratiæ lapſi hominis, contra concupiſcentiam aſſidue militantis.

Secunda ratio eſt quia loquens Auguſtinus de voluntate Adæ, in ordine ad bonum agendum, & malum fugiendum, loquitur de ea tamquam ut ab omni gratia(ſcilicet actuali: nam ſemper ſupponit in ea habituales gratias,v.g. fidem,ſpem & charitatem) vacua,& ex propriis ſuis viribus operante,& non aliunde aſſumptis:ergo ſignum eſt quod numquã putavit gratiam fuiſſe in ejus voluntate; ſed tantum in intellectu: Et ratio eſt quia ſi putaſſet etiam eſſe in voluntate, jam non ut nudam & vacuam eam conſiderare poterat, cum eſſet intus adjuta alieno auxilio: At vero cum putaret eam eſſe ſolùm in intellectu,qui eſt extrinſecus voluntati, bene potuit dicere eam eſſe nudam & vacuam à gratia, & ut talem agere bonum, & vitare malum. Quod enim extra potentiam eſt, & non concurrit cum ea,non cenſetur eſſe de ea, licet ea ſine illo non poſſit prorſus agere,ut patet in potentia viſiva,quæ ſine lumine externo non poteſt agere, & in potentia intellectiva, quæ ſine phantaſmatis non poteſt agere; ſed quia iſta ſunt extrinſeca illis potentiis,non deſinunt dici nudas & per ſe ſolas agere: ita cum putaret Auguſtinus gratiam Adæ non eſſe in ejus voluntate, ſed in ſolo intellectu; bene potuit dicere quod voluntas ejus eſſet nuda & vacua, eo quod per ſe ſolam agebat, cum non haberet illud auxilium in ſe; ſed in alieno ſubjecto, ſibi prorſus extrinſeco & alieno qualis eſt intellectus. Et proinde dicendum eſt quod numquam putavit Auguſtinus gratiam Adami fuiſſe in ejus voluntate; ſed in ſolo ejus intellectu. Conſequentia clara eſt. Probatur antecedens primò ex lib. de correpr. & gratia c. 12. ubi comparans voluntatem hominis lapſi perſeverantis, cum voluntate Adæ non perſeverantis, ſic ait: Ita factum eſt ut voluntas hominis(ſcilicet lapſi prædeſtinati de quo toto illo capite, & antecedente loquitur)invalida & imbecilla(ſcilicet conſiderata ſecundum ſe & ſine gratia, nam cum gratia ſua fortiſſima eſt) in bono adhuc parvo, perſeveraret per virtutem Dei (id eſt adjuta & corroborata per virtutem Dei) cum & voluntas primi hominis *fortis & ſana* (ſcilicet ſecundum ſe ſumpta cum habitibus ſuis ſupernaturalibus, & ſine gratia in ſe recepta, ut comparatio recta ſit, cum præcedente voluntate conſiderata ſecundum ſe & ſine gratia) in bono ampliore non perſeveraverit ***habens virtutem liberi arbitrii***(ubi vides ſolas conſiderari vires arbitrii non gratiæ, non quod non adeſſe deberet aliqua gratia, ut paulo poſt dicetur; ſed quod illa gratia eſſet extrinſeca voluntati, &

differens, & auxiliũ quo illud determinare: utrumque debent admittere in illo unico adjutorio, cum velit Auguſt. adjutorium de quo loquitur, eſſe adjutorium ſine quo, & adjutorium quo. Unde ſi voluit illud adjutorium eſſe unicum & non duplex, tenebantur admittere in illo unico adjutorio duo prædicta contradictoria, ſcilicet quod determinat arbitrium, & ſimul relinquit illud indifferens, quod eſt impoſſibile.

gratia ſine qua non, ſeu gratia in intellectu, & non in voluntate neceſſaria. Quamvis, inquit, non defuturo auxilio Dei, *ſine quo* perſeverare poſſet ſi vellet, non tamen tali quo in illo Deus operaretur ut vellet: (id eſt quo intrinſece influeret aliquid in voluntatem ut vellet. Et rationem addit adhuc ſumptam ex propriis viribus illius arbitrii, & non aliunde adſcitis) *fortiſſimo* quippe dimiſit atque permiſit facere quod vellet (id eſt reliquit viribus per ſe ſufficientibus facere quod vellent, cum aliunde corroborari in ſe non indigerent) infirmis ſervavit ut ipſo donante inviđiſſime quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere inviđiſſime nollent. Quæ eſt gratia lapſi hominis, ita corroborans ejus voluntatem, maxime vero in illis prædeſtinatis de quibus ibi loquitur, ut à concupiſcentia, & cæteris illius ſtatus impedimentis vinci non poſſit, quin
Cap. 11. bonum ſequatur, & numquam deſerat niſi velit. Et capite antecedente loquens de Angelis, quorum eadem eſt cauſa quæ Adami, aït quod aliis cadentibus per liberum arbitrium (utique nudum, & ſine gratia actuali in illo recepta concurrens, nec enim gratia concurrit active, ſeu poſitive ad peccatum) per *idem* liberum arbitrium ſteterunt ipſi (id eſt per nudum etiam liberum arbitrium, ſeu per voluntatem ſine omni prædicta gratia agentem perſeveraverunt; nam liberum arbitrium ſumit Auguſtinus communiter pro voluntate libera, ut bene notat Janſenius lib. 6.
Cap. 10. de gratia Salvat. cap. 1. Et cap. adhuc antecedente loquens de Angelis & primis hominibus, ſic aït: Saluberrime confitemur, quod & rectiſſime credimus, Deum Dominumque rerum omnium ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius oſtenderet quid poſſet eorum liberum arbitrium (utique nudum & ſine gratia actuali illud corroborante; nam ſi corroboratum fuiſſet per illam gratiam, non bene apparuiſſet quid poſſet arbitrium; ſed potius quid gratia, cum effectus non eſſet à ſolo arbitrio; ſed & à gratia quæ ſic confunderet notitiam poteſtatis, ſeu virium liberi ejuſdem arbitrii, ſeu voluntatis illorum. Unde oppoſito modo loquitur de arbitrio, & voluntate hominis lapſi in qua ineſt gratia firmans & roborans illam) deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium. Ubi ſolùm facit mentionem de viribus gratiæ non arbitrii, quia erat à gratia intrinſeca corroboratum. Eodem modo loquitur libro de dono pe ſever. cap. 7. Quæ libertas, inquit, voluntatis in illius primæ conditionis præſtantia, *quantum valuerit* (id eſt, inquit Janſenius, quam valida ſeu quanti roboris fuerit) apparuit in angelis, qui diabolo cum ſuis cadente in veritate ſteterunt. Et paulo ante cum dixiſſet, quod qui non infertur in tentationem, non diſcedit à Deo, ſic aït: Non eſt omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc ſunt, *fuerat in homine antequam caderet.* Ubi vides ſermonem eſſe de viribus arbitrii omnino nudi, & omni actuali gratia prorſus vacui: Nam ſi loqueretur ibi de viribus arbitrii ut cum gratia, falſum diceret Auguſtinus cum dicit quod non eſt in viribus arbitrii quales nunc ſunt, non diſcedere à Deo: quandoquidem certiſſimum eſt eſſe in illius viribus cum gratiâ ſuâ medicinali conſi-

Lib. de gr. primi hominis c. 8. ſub finem.

deratis non diſcedere à Deo: Ergo loquitur ibi de viribus omnino nudi arbitrii & omni actuali gratia vacuati, & ſic dicit arbitrium hominis primi ut ſic conſideratum, & omni actuali gratia vacuum, habuiſſe in ſuis viribus non diſcedere à Deo, quod non habet arbitrium, ſeu voluntas lapſi hominis: quod eſt dicere ipſum primi hominis arbitrium, ſeu voluntatem Adæ potuiſſe per ſe bene agere ſine gratia in ſe recepta; ſed in ſolo intellectu, quod eſt id quod intendimus, ſcilicet gratiam non fuiſſe ſubjective in voluntate ejus; ſed tantum in intellectu illius. Unde ſic commendat Auguſtinus illius voluntatis propriam valentiam, ſeu robur & poteſtatem libro 1. de peccat. mer. & remiſſ. cap. 37. Agitur, inquit, de *illius mentis quadam valentia*, uſuque rationis, quo præceptum Dei legemque mandati & docilis Adam caperet, & *facile poſſet cuſtodire ſi vellet:* Quod & fidus ejus interpres & Diſcipulus D. Proſper inſinuat in carmine de ingratis cap. 42. dicens: Nam ſi nunc etiam illæſus *vigor* ille maneret, in quo inſons natura fuit, ſua quemque voluntas (id eſt ſola & ſine gratia actuali in ſe recepta) conciliare Deo pœnaque abſolvere poſſet; & paulo poſt: ſana fides, *ſanum arbitrium*, mens libera morbo, vitam agerent dignam ſummorum participatu. Ubi maniſeſtiſſimum eſt & Diſcipulum & Magiſtrum tribuere libero arbitrio, ſeu voluntati Adæ ut nudæ & vacuæ, ſeu ab omni gratia actuali expeditæ poſſe bene agere, & malum devitare. Unde etiam evidentiſſimum eſt in hoc illius gratiam ſecundum Auguſtinum diſſidere à gratia lapſi hominis, quod eſſet in ſolo intellectu & non etiam in voluntate, ſicut gratia lapſi hominis. Unde & omnia illius opera, ejus propriæ valentiæ, ſeu poteſtati & robori attributa eſſe volebat, & omnia ejus opera eſſe merita humana, quia nempe erant à voluntate mere humana & ut ſola cum ſuis propriis habitibus ſupernaturalibus operante, ſine ulla prorſus indigentia actualis gratiæ in ſe recipiendæ, quod non ita fit in lapſo homine. Libro de prædeſtin. Sanct. c. 15.

Tertia ratio eſt quia validitas virium voluntatis, ſeu arbitrii Adæ ut ab Auguſtino deſcripta, ſatis indicat non aliam ei fuiſſe neceſſariam gratiam, quam gratiam intellectus: homini autem lapſo neceſſariam fuiſſe gratiam in voluntate, & non tantum in intellectu propter infirmitatem ſuam: ergo ſignum eſt quod gratiam Adami voluit tantum eſſe in intellectu, gratiam autem lapſi hominis fuiſſe etiam in voluntate cùm iſtam diverſitatem gratiæ ubique ſolùm repetat ex diverſitate virium utriuſque illius hominis. Antec. probatur: Nam deſcribens vires voluntatis Adæ libro de corrept. & gr. cap. 12. deſcribit eas ut fortiſſimas & validiſſimas, & ut tales quibus bonum eſſet valde facile, & nihil illis concupiſcentialiter (id eſt per concupiſcentiam ſibi contrariam) reſiſteret. *Fortiſſimo* quippe, inquit, dimiſit, &c. Et ibidem tales, inquit, *vires habebat ejus voluntas* quæ ſine ullo fuerat inſtituta peccato, & nihil illi ex ipſa concupiſcentialiter reſiſtebat, ut *digne* (id eſt jure & merito ſecundum Janſenium) tantæ bonitati & *bene vivendi facilitati*, perſeve- Lib. de gr. primi hominis c. 9. 5 Hanc igitur,

randi committeretur arbitrium. Ubi vides fortitudinem in ſuperlativo, & tam magnam bene vivendi facilitatem fuiſſe in illa voluntate & in illius viribus, ut jure & merito dicatur illi commiſſum fuiſſe perſeverandi arbitrium. Quæ ergo, quæſo te, neceſſitas fuit iſti fortitudini & bene vivendi facilitati omni etiam carenti interno impedimento, ut adjuvarentur in bono per intrinſecam gratiam, & ſibi ipſi inexiſtentem; certe nulla ut per ſe manifeſtum eſt. Ergo ſecundum Auguſtinum non debuit poni in illa voluntate proprium & in ipſa reſidens auxilium; ſed ſatis fuit admittere alienum, (ſcilicet in intellectu) quod proponeret ei bonum & malum, ſine quo non poſſet illa voluntas bene agere, & cum quo poſſet bene agere, ut ſic ſibi dimiſſa & permiſſa, eligeret quicquid vellet, ſine ulla intrinſeca motione gratiæ, quæ ſibi eſſet neceſſaria. At vero ibidem deſcribens voluntatem hominis lapſi cum viribus ejus, oſtendit eam eſſe imbecillam & invalidam, & multis undique difficultatibus, atque impedimentis circum ſeptam; quod ſane ſatis arguit eum putaſſe talem voluntatem indigere proprio, & in ſe recepto auxilio quod eam confortet & roboret, & eam aptam reddat, & idoneam ad eligendum bonum cum voluerit, quandoquidem ſine tali auxilio prorſus eligere bonum, aut evitare malum non poteſt præ infirmitate ſua: Et ſic manifeſtum eſt Auguſtinum admiſiſſe in hac voluntate neceſſariam gratiam, propter infirmitatem illius: nullam autem admiſiſſe neceſſariam in voluntate Adæ ob nimium illius robur, & fortitudinem per ſe ſufficientem ad bonum, præſuppoſita ſolùm illuminante & faces ſibi præferente in intellectu gratia.

Quarta ratio eſt quia loquens Auguſtinus de gratia Adami, communiter comparat eam iis rebus quæ tantum ſunt extrinſecę principio utenti illis, ut cum comparat eam lumini quod eſt extrinſecum viſui libro de nat. & gratia capite 48. & etiam alimentis exterioribus quæ ſunt extrinſeca nutrientibus animæ facultatibus, iis tamen utentibus ad nutritionem corporis, libro de corr. & gr. cap. 12. Item & in Enchir. cap. 106. quod bene convenit gratiæ Adami, ſi ſit in ſolo intellectu, (quo pacto ipſa eſt extrinſeca ipſi principio agenti, ſeu ea utenti quod eſt voluntas hominis) non vero ſi reſideat & ſit in ipſamet voluntate, quo dato non eſſet extrinſeca principio utenti illâ, ſicut lumen & alimenta, quæ agnoſcuntur extrinſeca principio utenti illis. At vero cum loquitur de gratia hominis lapſi, ita deſcribit eam ut illa non poſſit intelligi, niſi concipiatur ut intrinſeca ipſi voluntati eâ utenti: ut cum vocat eam adjutorium quo, quod non poteſt non eſſe intrinſecum, & ipſi inhærens principio agenti, id eſt voluntati, libro de corrept. & gr. cap. 11. Item, cum vocat eam ſuavitatem & delectationem, ſeu ſuavem delectationem, quæ omnino pertinet ad voluntatem ut ei intrinſeca, & ei prorſus inhærens, libro 22. de peccat. meritis & remiſſ. cap. 17. & 19. & lib. 2. ad Bonifac. cap. 9. & alibi communiter. Item, cum vocat eam charitatem, quæ ſine dubio eſt intrinſeca & inhærens voluntati, libro de gr. Chriſti cap. 15.

Adjutoriũ quo, eſt adjutorium proxime concurrens cum potentia.

26. & 33. Et tandem cum vocat eam inſpirationem, quæ communiter & & ordinarie ſumitur pro excitatione voluntatis interna, Epiſt. 107. & lib. 4. ad Bonif. cap. 5. Ex quo facile colligere eſt Auguſtinum poſuiſſe gratiam Adami in ſolo intellectu, qui eſt extrinſecus voluntati: gratiam autem lapſi hominis in ipſa etiam illius voluntate, ut juvaret eam intrinſece, & firmaret eam contra motus concupiſcentiæ vehementer & aſſidue tumultuantes in illa.

PUNCTUM VII.

Ejuſdem materiæ proſecutio.

QUINTA denique & ultima ratio eſt quia redarguens Auguſtinus errorem Pelagianum, clare indicat ſe cenſuiſſe gratiam Adami ſolùm fuiſſe in intellectu, & non in voluntate: Nam cùm Pelagius ſolùm admitteret gratiam ſcientiæ, ſeu intellectus, in homine lapſo, non autem gratiam voluntatis, ſeu quæ reſideret in voluntate, à quâ gratiâ voluntas ipſius in bene agendo dependeret: ex hoc redarguit eum Auguſtinus quod ſic vellet eſſe tam ſanam & firmam naturam hominis lapſi, ac ſtantis & ſani, dicens quod ei attribuebat id quod tantum pertinebat ad hominem primum & ſanum. Ex quo ſatis apparet Auguſtinum in illa ſana natura Adami ſolùm admiſiſſe gratiam intellectus, ſeu quæ eſſet in ejus intellectu, non vero in ejus voluntate: in homine autem lapſo voluiſſe etiam eſſe in ejus voluntate. Conſequentia ſane clara eſt; nam ſi dixit Pelagius gratiam hominis lapſi non eſſe in voluntate, ſed ſolum in intellectu: & propter id dicat Auguſtinus eum putaſſe æque ſanam eſſe naturam hominis lapſi, ac Adami, & ei falſo tribuere quod ſolùm proprium erat naturæ ſanæ Adami, conſectaneum omnino eſt, Auguſtinum in eo putaſſe ſanam fuiſſe naturam primi hominis, quod non indigeret gratia in voluntate, ſed ſolùm in intellectu; & proinde ſolùm admiſiſſe in illo gratiam intellectus, non vero gratiam voluntatis, ſeu quæ eſſet in voluntate. At certum omnino eſt Pelagium admiſiſſe in homine lapſo ſolùm gratiam in intellectu, *non vero in voluntate, & propterea Auguſtinum dixiſſe illum exiſtimaſſe naturam lapſi hominis æque eſſe ſanam ac primi: Nam quod admiſerit ſolùm Pelagius gratiam in intellectu lapſi hominis, & non etiam in voluntate, patet ex libro de grat. Chriſti cap. 7. ubi explicans Auguſtinus quam gratiam admitteret Pelagius in homine lapſo, ſic ait: Dei adjutorium multipliciter inſinuandum putavit (ſcilicet Pelagius) commemorando *doctrinam, & revelationem, & oculorum cordis adapertionem, & demonſtrationem futurorum, & apertionem* diabolicarum inſidiarum, & multiformi & ineffabili dono gratiæ cæleſtis *illuminationem* (quæ omnia, ut per ſe clarum eſt, ſolùm per ſe ſignificant notitiam & cognitionem intellectus, ut etiam claret ex fine, quem mox addit Auguſtinus, ad quem omnia illa collimant, ſcilicet) ad

** Propter hoc damnatur in Conc. Milevit. II. c. 4. his verbis: Quiſquis dixerit, gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, propter hoc* tantum *nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam revelatur, & aperitur intelligẽtia mandatorũ, ut ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus: non autem, &c. anathema ſit.*

hoc utique ut divina præcepta & promiſſa *diſcamus.* (diſcere autem manifeſte pertinet ad intellectum) Hoc eſt, inquit, gratiam Dei ponere in lege atque doctrina. Et cap. 10. poſtquam retuliſſet quædam verba Pelagii: Quid, inquit, manifeſtius, *nihil aliud* eum dicere gratiam qua Deus in nobis operatur velle quod bonum eſt, *quam legem atque doctrinam* quam ſupra explicuit de gratia intellectus ſive ſcientiæ & cognitionis, & etiam mox ſic exponit dicens) *In lege* namque & *doctrina ſacrarum Scripturarum*, futuræ gloriæ atque præmiorum promittitur magnitudo: Ad doctrinam pertinet etiam quod ſapientia *revelatur*, ad doctrinam pertinet, cum *ſuadetur* omne quod bonum eſt. Et ſi inter docere & ſuadere, vel potius exhortari, diſtare aliquid videtur, etiam hoc tamen *doctrinæ generalitate* concluditur, quæ quibuſcumque *ſermonibus*, *vel litteris* continetur. Ubi nihil aliud vides quam doctrinam & revelationem, quam cæleſtem illuminationem, oculorum cordis adapertionem, ſuaſionem, & cætera quæ pertinent ad ſolam notitiam & cognitionem intellectus. Et cap. 4. loquens de eodem Pelagio, ſic ait: Ipſas quoque orationes (per quas ſolet ipſe Auguſtinus exponere & arguere neceſſitatem gratiæ) ut in ſcriptis ſuis (Pelagius) apertiſſime affirmat, *ad nihil aliud* adhibendas opinatur, *niſi ut nobis doctrina etiam divina revelatione* (quæ eſt gratia interna intellectus) aperiatur, *non ut adjuvetur mens* (id eſt voluntas) *hominis* ut id quod faciendum eſſe didicerit (per gratiam intellectus) etiam dilectione & actione perficiat.

Ipſe etiam Ianſenius lib. 1. de gr. Salv. c. 16. init. ita deſcribit gratiam Pelag. dicēs: Ex his quæ de natura legis veteris generaliter ac de ejus effectibus diſſeruimus: facile perſpicuum eſſe poteſt, quid de quacumque gratia intellectus *exiſtimandum ſit, ſive illa promiſſio ſive illuminatio, ſive ſapientia revelatio, ſive exhortatio, ſive Chriſti aut alterius exemplum nominetur*, quibus nominibus Pelagiani gratiam *quam poſt naturam attulere decorabant; nam per hujuſmodi* gratias nihil aliud quam ſcientia præbetur intellectui qua cognoſcat quid agendum cavendumque ſit. *Utinam tam conſtans fuiſſet Ianſenius quam verax fuit in deſcriptione Pelagianicæ gratiæ; ſed poſtea mentita eſt ejus iniquitas ſibi. Vide locum.*

Vide etiam locum expreſſiſſimũ in Pſal. 118. conc. 4. circa med. Et lib de ſpir. & litt. c. 2.

Ubi vides ſolum admitti gratiam cognitionis, ſeu in intellectu, non vero dilectionis, ſeu in ipſa voluntate. Et lib. 4. ad Bonifac. cap. 11. circa med. loquens de omnibus Pelagianis, ait eos nolle per gratiam nos adjuvari ad faciendum quod cognoverimus, (quod pertinet ad voluntatem) *ſed ad cognoſcendum* quid faciamus (quod ſolum pertinet, ut videre eſt, ad notitiam cognitionemque intellectus. Et in Epiſt. 143. ipſi dicunt quod ita nos condiderit Deus *ut ultra præter quod nobis revelet ſcientiam nihil nos adjuvet*, ut ea quæ facienda diſcendo novimus, etiam diligendo faciamus. Naturam ſcilicet atque *doctrinam definientes tantummodo eſſe gratiam Dei* & adjutorium, ut recte juſteque vivamus. Quo nihil clarius dici poterat, pro manifeſtanda eorum ſupradicta ſententia. Et hinc eſt quod prædicto libro de grat. Chriſti cap. 12. vehementer urget eos Auguſtinus ut admittant talem gratiam. Qua gratia, inquit, agitur *non ſolum* ut facienda *noverimus*, (quod facile admittebant, & eſt gratia intellectus) ſed etiam ut cognita faciamus: (quod fit per gratiam voluntatis) *nec ſolum* ut diligenda *credamus*, (quod pertinet ad intellectum) verum etiam ut credita diligamus: (quod pertinet ad voluntatem) Hæc

gratia,

gratia, inquit, ſi doctrina dicenda eſt, certe ſic dicatur ut altius & interius eam Deus *cum ineffabili ſuavitate* (quæ eſt gratia pertinens ad voluntatem, quam vult jungi cum gratia intellectus, ut adæquate faciat gratiam propriam lapſi hominis) credatur infundere, non ſolùm per eos qui plantant & rigant extrinſecus; ſed etiam per ſeipſum qui incrementum ſuum miniſtrat occultus: ita ut non oſtendat *tantummodo* veritatem (quod eſt à gratia intellectus) verumetiam impertiat charitatem (quod eſt à gratia voluntatis, ſeu in voluntate recepta.) Et infra c. 14. Ut non ſolum quid faciendum ſit *ſciat*, (quod eſt gratia intellectus) ſed quod ſcierit etiam faciat (quod eſt gratia voluntatis, eam roborantis & juvantis ad bene agendum.) Et cap. 26. Cogitationem (inquit, quæ pertinet ad intellectum) & electionem (quæ pertinet ad voluntatem) ſicut ſunt diſcernenda, diſcernat. Quia *ſcientia* (quæ eſt gratia intellectus) inflat, charitas (quæ eſt gratia voluntatis, ſeu in voluntate reſidens) ædificat: & tunc *ſcientia* non inflat quando charitas ædificat, & cum ſit *utrumque donum Dei* (ubi vides Auguſtinum ponere contra Pelagium gratiam lapſi hominis in intellectu & voluntate, ſeu in ſcientia ſimul & charitate) ſed unum minus, † alterum majus, non ſic juſtitiam noſtram ſuper laudem juſtificatoris noſtri extollat ut horum duorum (pertinentium ad gratiam lapſi hominis adæquatam) *quod minus eſt* (ſcilicet ſcientiam, ſeu gratiam intellectus) *divino tribuat adjutorio* (id eſt in hoc ſolo ponat adjutorium lapſi hominis) quod autem majus eſt (ſcilicet charitatem quæ pertinet ad voluntatem) humano uſurpet arbitrio. Ubi vides Auguſtinum agnoviſſe & dixiſſe Pelagianos non aliam admiſiſſe gratiam pro homine lapſo, quam eam quæ eſt in intellectu non vero eam

Vide ſimile locum lib. de grat. & lib. arb. c. 19 nō lōge ab init. Et Epiſt. 143 ſub finem his verbis: Nec ſola revelatione ſcientiæ nos divinitus adjuvari, ut pie juſtoque vivamus, quæ ſine charitate inflat, verū etiam inſpiratione charitatis, &c.

† *Nota quomodo hic vocet Auguſtinus gratiam ſcientiæ, ſeu intellectus minorem: & gratiam voluntatis majorem: ut per hoc clare videas nos non male ſtatuere, ob hoc majorem eſſe gratiam lapſi hominis quam Adæ, eo quod illa fuit in voluntate: Adæ vero gratia fuit ſolùm in intellectu, ſeu ſolius ſcientiæ*

quæ eſt in voluntate, ſeu quæ eſt propria voluntatis. Unde eſt quod tam accurate oppponit cognitionem volitioni; credulitatem, ſeu aſſenſum intellectus, dilectioni; veritatem, charitati; ſimplicem cogitationem, electioni; & tandem ſcientiam, charitati: ut per hoc clare pateat nihil in iſtis errantibus reprehendiſſe, niſi quod ſolam gratiam intellectus ſignificatam per cognitionem, credulitatem, veritatem, cogitationem & ſcientiam admitterent in homine lapſo: non vero gratiam voluntatis, ſignificatam per dilectionem, charitatem & electionem. Quo poſito jam demonſtrandum eſt quod Auguſtinus ex hoc eorum dogmate eliciat hoc abſurdum, quod putarent iſti errantes hominem lapſum æque ſanum eſſe ac Adamum, eique falſo attribuerent id quod ſoli convenit homini ſano & ſtanti. Quod ſane non eſt difficile demonſtrare ex Auguſtino: nam lib. de nat. & gr. c. 51. cum retuliſſet hæc verba Pelagii: Ipſa non peccandi poſſibilitas non tam in arbitrii poteſtate, quam in naturæ neceſſitate eſt: Per quæ dabat ipſi arbitrio, ſeu voluntati lapſi hominis,

Nota quod per hanc oppoſitionem, quam hic facit Auguſtinus eorū quæ pertinēt ad ſolum intellectum, cum his quæ pertinēt ad ſolam voluntatem.

Claro innuit ſe cenſuiſſe gratiā lapſi hominis poſitam

fuiſſe à Pelagianis in ſolo intelle- ut per ſe ſolam bene agere, & malum vitare poſſet ſine auxilio alieno in ipſa recipiendo (nam, ut ſupra oſtendi, admittebat gratiam in intellectu:

ctu, & non etiam in voluntate: Nam ſi putaſſet, ut vult Ianſenius, quod poſuiſſent illam in intellectu & voluntate, & quod in hoc ſolo errarent, quod putarent eam relinquere arbitrium ind ffe rens, & non illud determinare: non debebat hic opponere ea quæ ſunt intellectus cum iis quæ ſunt voluntatis, cum utrumque admitterent; ſed debebat opponere indifferentiam determinationi, cum in hoc ſolo errarent, quod tamen prorſus non facit, ut clare patet ex dictis, quia nempe falſiſſimum eſt quod ſic comminiſcitur Ianſenius. Quod confirmatur ex iſtis excluſivis particulis, prædictis textibus appoſitis v. g. ad nihil aliud *adhibendas opinatur orationes,* niſi *ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur. Et infra: Non* ſolum *ut facienda noverimus. Et infra: Nec* ſolum *ut diligenda credamus. Et infra: Ita ut non oſtendat* tantummodo *veritatem.*

Quod Pelagiani putarent gratiã intellectus fuiſſe neceſ- eamque neceſſariam, quandoquidem nihil reprehendit Auguſtinus in iſta eorum gratia, quam quod nollent gratiam voluntatis ei eſſe de neceſſitate conjunctam) ſic reſpondet Auguſtinus: *Si* iſte qui hunc librum ſcripſit, *de illa hominis natura loqueretur, quæ primò inculpata & ſalva*

ſariam ad bene agendum, patet, cum dicant libro de gr. Chriſti cap. 31. orationes ad id homini eſſe neceſſarias ut oſtendatur ei quid concupiſcat & diligat. Per hanc enim orationis neceſſitatem oſtendit Auguſtinus communiter neceſſitatem gratiæ. Vide etiam caput 41. ejuſdem libri, ubi Pelagius ait eſſe orandum, ut gratia legis & doctrinæ habeatur, & ad hoc orationes eſſe neceſſarias. Et cap. 33. cum dixiſſet, ſe ita fateri liberum arbitrium, ut dicamus nos indigere ſemper auxilio Dei: per quod clare fatebatur neceſſitatem gratiæ, interpretatur illam gratiam Auguſt. eſſe legem atque doctrinam quæ eſt ſecundum eum gratiam quam vocamus intellectus, & ipſe ſcientia & cognitionis. Et ſic non poteſt dubitari quin Pelagiani putaverint gratiam intellectu. eſſe neceſſariam: & id fatetur Ianſ. lib. 1. de hæreſ. Pelag. c. 9. §. Pro hac dicens pro hac ergo gratia legis atque doctrinæ ſic explicata, hoc eſt pro gratia ſciendi, non pro viribus diligendo & faciendi, Pelagiani Deum etiam orandum eſſe de[...]unt.

Lib. de gr. primi hominis c. 7. §. Tertio &c. *condita eſt, ut cumque acceptaretur hoc dictum:* Hoc eſt, inquit Janſenius, tolerari poſſet iſta ſententia tamquam vera. Ergo per hoc manifeſtum eſt quod admittebat Auguſtinus de primo homine, id quod iſti errantes aſſerebant de lapſo homine: at illi, ut vidimus, nihil aliud aſſerebant de lapſo homine niſi quod voluntas ejus per ſe potens eſſet bene agere, & quod ad hoc non indigeret gratia in ſe recipienda; ſed in ſolo intellectu: ergo admittebat Auguſtinus in Adamo, & ſic confitebatur gratiam Adami eſſe in ſolo illius intellectu, non vero in ejus voluntate. Et Sermone 2. de verb. Apoſt. cap. 6. loquens de ejſdem Pelagianis, ſic aït: Sunt homines ingrati gratiæ multum tribuentes inopi, ſauciæque naturæ: (at quid illi, iſti naturæ inopi & ſauciæ tribuebant, ſcilicet quod non indigeret gratia in voluntate; ſed ſolùm in intellectu, ut modo vidimus. Ecce ergo quod admittit in Adamo Auguſtinus dicens) Verum eſt, *magnas arbitrii liberi vires homo cum conderetur accepit;* ſed peccando amiſit, id eſt tales habebat primus homo vires, quales confingitis in homine lapſo, quibus ſatis eſſet potens ad bonum ſine gratia in voluntate neceſſaria, ſed ſolùm in intellectu: verum per peccatum illas amiſit, & proinde in hoc erratis quod tribuitis homini lapſo, ſeu, ut aït, inopi, ſauciæque naturæ, quod ſolùm tribuendum eſt homini ſano, ſeu diviti ſanæque naturæ, qualis erat in Adamo: & re vera iſti hæretici primitùs,

& radicaliter in hoc errabant, quod putarent hominem lapſum, æque fortem eſſe, & ſanum ac ipſummet Adamum, prouſt fatetur etiam ipſe Janſenius libro 4. de hæreſi Pelag. cap. 12. ſub finem, & libro de gratia primi hominis cap. 7. §. Quartò quia. Unde & continuo id exprobrat eis Auguſtinus quaſi fundamentum illorum erroris: nam libro 6. contra Julianum cap. 13. ſic affatur iſtum hæreticum. Sed tu tamquam in cælo jam inter Angelos habitans *verba infirmitatis* & immortalitatis *irrides*, id eſt nullam in nobis infirmitatem agnoſcis. Et lib. 2. de nupt. & concupiſ. cap. 3. alloquens Pelag. ſic aït: Non liberum negamus arbitrium; ſed [Si vos filius liberaverit] aït Veritas [tunc liberi eritis] hunc vos invidetis liberatorem *quibus captivis vanam tribuitis libertatem* (id eſt antiquam & Adamicam, ſeu quam habuimus in Adamo, & amiſimus in ipſo.) Et infra: Catholici dicunt humanam naturam à creatore Deo bono conditam bonam, peccatoque vitiatam..... Pelagiani & Cæleſtiani dicunt, naturam humanam à bono Deo conditam bonam, ſed ita eſſe in naſcentibus parvulis *ſanam, ut Chriſti non habeant neceſſariam* in illa ætate *medicinam*. Et infra loquens iiſdem Pelagianis: Vobis autem dicit (ſcilicet Chriſtus) venit filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat. Sed vos egregii Chriſtiani, reſpondete Chriſto (nota quid iſti reſpondeant, ſic enim reſpondent Chriſto prædicta verba dicenti, tamquam non putantes naturam in nobis eſſe infirmam & ægram; ſed fortem & ſanam, & non indigentem remedio) ſi quod perierat (ô Chriſte!) quærere & ſalvare veniſti, ad parvulos non veniſti, *iſti nec perierant, & ſalvi nati ſunt*: vade, ô Chriſte! ad majores de verbis tuis præſcribimus [*Non eſt opus ſanis medicus*; ſed male habentibus] ergo iſti putabant naturam ſanam, & ideo nec medicinæ indigam. Et lib. de nat. & gr. cap. 19. Jam nunc videte, inquit, quod ad rem maxime pertinet, quomodo humanam naturam *tamquam omnino ſine ullo vitio ſit*, conetur oſtendere. (ſcilicet Pelagius de quo ibi loquitur.) Et infra: Videte, quæſo, quomodo neſciens *nitatur evertere medicinalium* eloquiorum voces ſaluberrimas [Ego dixi Domine miſerere mei, ſana animam meam quia peccavi tibi,] Quid ſanatur, *ſi nihil eſt ſauciatum, nihil vulneratum, nihil debilitatum, atque vitiatum*. Quod & arguit D. Proſper in illis carmine de ingratis cap. 2. dicens: *Progenitos* igitur *nullum traxiſſe reatum de patribus* (id eſt de Adamo & Eva) *neque diſſimiles nunc naſcier illo* ortu primorum qui libertate male uſi peccarunt, forma nocuit non ſemine proli *poſſe* autem inſontes omnes virtutis in arce vitam agere, *& menti ingenitum ſervare decorem arbitrio* (id eſt per merum arbitrium ſine gratia) *quoniam ſubſiſtat recta volentis naturalis honos*, &c. ſic ergo redarguit eos D. Proſper cum Auguſtino quod putarent naturam hominis lapſi æque ſanam eſſe & firmam, ac hominis ſtantis & ſani, quod ſane iſti Sancti non facerent, niſi quia illi errantes & ingrati gratiæ Dei, non putarent gratiam eſſe aliam in homine lapſo, quam eſt in ho-

Nota hæc ex Ianſenio. Sciendum eſt (inquit Ianſenius lib. 2. de gr. Salv. cap. 1. §. Hoc igitur) Auguſtinum & Pelagium cum eſſent acerrima celeberrimaque ingenia, cardinemque viderent, in quo tota cauſa verteretur, ſtatim in ipſo exordio contentionis, totaque vita poſtea graviſſimũ conflictum de naturæ humanæ integritate atque læſione habuiſſe. contendebat unice Pelagius naturam humanam, *quãtumvis peccati eſſet rea & remiſſionis indigeret*; non eſſe peccãdo, vitiatã; *ſed poſſibilitatem, hoc eſt poteſtatem voluntatis qua bene vivere*

mine ſtante & ſano, de qua gratia præcipue diſputabant. Unde Janſenius libro de grat. primi hominis cap. 15. referens verba Pelagii dicentis: Nos habere ad non peccandum forte ac firmum liberum arbitrium: ſic aït: *Quale videlicet in Adamo recenter condito.* Per quæ dat intelligi Pelagianos cenſuiſſe liberum hominis lapſi arbitrium, eodem modo ſe habuiſſe ad gratiam ac liberum hominis ſtantis arbitrium, quod etiam bene vidiſſe Auguſtinum ibidem aſſerit. Unde conſequens omnino eſt quod eam quam admittebant iſti errantes gratiam pro homine lapſo, ea ipſa eſt, & non alia, quam ea quam admittit Auguſtinus pro Adamo: unde idem Janſenius lib. eodem cap. 7. §. Quarto quia: dicit manifeſtum eſſe ex conflictu Auguſtini & Pelagii, Auguſtinum ſæpius admittere quod vera eſſet ſententia Pelagii, *nec opus eſſet gratia Chriſti, qua liberum roboraret & ſanaret arbitrium, ſi vires primava in conditione datas, natura non perdidiſſet:* per quæ etiam dat intelligi quod Auguſtinus admittebat ſententiam Pelagii pro natura ſana, ſeu pro Adamo, & non pro homine lapſo: unde cum ſupra demonſtraverimus ſententiam Pelagii eam fuiſſe quod gratia ſolùm eſſet in intellectu, & non etiam in voluntate conſequens omnino eſt, & ſecundum Auguſtinum & etiam aliquo modo ſecundum ipſum Janſenium gratiam primi hominis, ſeu ſani fuiſſe ſolùm in intellectu, & non etiam in voluntate, & per hoc differentiam utriuſque gratiæ, tam hominis lapſi quam ſani, in hoc conſtitiſſe, quod unus ſolum indigeret gratia in intellectu, alter etiam in voluntate, ut prætendimus.

& male pertetat integram perſtitiſſe, qualis ante peccatũ fuerat (*nota valde*) eaque de cauſa nullũ jam voluntati tamquam læſæ adjutorium eſſe neceſſariũ. *Vbi clare vides Pelagium ſecundum ipſum Ianſenium negaſſe omnem gratiã, ſeu adjutorium ipſi voluntati neceſſariũ, & proinde ſolũ admiſiſſe gratiam in intellectu: quod colligit ex ſimilitudine naturæ cum Adamo, Quaſi tam integra eſſet quam Adami: vide etiam duos ſequentes Paragraphos, & ſecundum cap. §. Inde eſt. Vide etiam lib. 2. de hæreſ. Pelag. cap. 9. §. Et vero: ubi dicit Pelagianos nullam aliam gratiam tribuiſſe Ada & cæteris hominibus, quam ſcientia legis, & rerum agendarum.*

Punctum VIII.

Quibuſdam inſtantiis contra præcedentem doctrinam factis reſpondetur, & tota hæc materia concluditur.

Verum duo loci nobis incumbunt ſolvendi ex Auguſtino, quorum unus videtur innuere gratiam Adami non fuiſſe ſolum in intellectu; ſed etiam in voluntate illius: alter vero quod gratia lapſi hominis ſemper eſt efficax, & in hoc ſolummodo à gratia Adami diſtincta; quod hæc eſſet indifferens: illa vero prædeterminativa, ſeu ſemper efficax.

Primus petitur ex 14. libro de Civitate Dei cap. 13. ubi loquens Auguſtinus de primis parentibus, ſic aït: Si voluntas (ſcilicet iſtorum) in amore ſuperioris immutabilis boni, à quo illuſtrabatur ut videret (quæ eſt gratia intellectus) & accendebatur ut amaret (quæ videtur eſſe gratia voluntatis) ſtabilis permaneret, non inde ad ſibi placendum averteretur,

Reſpondeo hunc locum non neceſſario debere intelligi de gratia voluntatis, ſeu quæ eſt in voluntate; ſed recte poſſe intelligi de ſola gratia intellectus: & ratio eſt quia bonum repræſentatum voluntati per actum intellectus, etiam movet & accendit ipſam voluntatem ad amandum bonum, non quidem per ſe Phyſice, & intrinſece ut gratia quæ reſidet in voluntate; ſed tantum per accidens, moraliter, & extrinſeco, ratione ſcilicet ipſius voluntatis quæ de ſe fertur in bonum, vel ratione habituum ſupernaturalium, v.g. ſpei, & charitatis in ea reſidentium per quos ipſa fertur in bonum ſupernaturale amandum & deſiderandum, & proſequendum ſi ſufficientes vires ſuppetant, & eo magis amandum, deſiderandum & proſequendum, quo clarius & perfectius repræſentatum

Eodē modo explicat Auguſtinus lib. de gr. Chriſti c 7 ſimilia verba Pelagii (qui nullam admittebat in voluntate gratiam, ut jam vidimus, & infra etiam probabitur) dicentis quod gratia Dei torpentem ſuſcitat *voluntatem, quod idem eſt ac ſi diceret, accendit voluntatem, imo & prius dixerat quod nos* ſuccendit; *& tamen ita explicat illa verba Auguſtinus, imo & Pelagius tamquam pertinentia ad gratiam ſolius intellectus, ut ibi videre eſt, & infra referentur: imo & ita explicat illa Ianſ. lib. 5 de hæreſ. Pelag. c. ult ſub finem dicens, hoc autem totum revelationis, & promiſſionis genus,* circa ſolum intellectum adhiberi, *neque* cognitionis *limites egredi manifeſtum eſt, & externa quoque hominis docentis, atque ſuadentis operatione nonnunquam fieri. Et infra: Nam quicumque exterius docendo, ſuadendoque concienantur, ut ad temporalia quædam amplectenda. vel agenda permoveant, ſtupentem* ſuſcitant; *ſed* ſola doctrina voluntatem. *Et adhuc infra: Sic ergo & Pelagius, quantumvis Deum ſentiret, nos cæleſtium præmiorum pollicitatione* ſuccendere, *nihil aliud eum cenſebat operari, quam cæleſte objectum* doctrinæ manifeſtatione *proponere. Hæc ibi Ianſenius.*

fuerit illud bonum: Unde dicit alicubi Auguſtinus quod eo *amplius adjuti* (boni Angeli) ad beatitudinis plenitudinem pervenerunt quia nempe bonum illud immutabile clarius & perfectius eis repræſentatum fuerat, aut etiam congruentius per gratiam, quam cæteris Angelis: Unde in prædicto textu voluntatis illa accenſio eidem bono tribuitur cui attribuitur intellectus illuſtratio, quia nempe eidem bono illa accenſio voluntatis æque debetur, (ut ſibi per intellectum propoſito) ac ipſamet intellectus illuſtratio ei debetur (ut per intellectum ipſum, ſeu per mentem apprehenſo) unde non erat adjutorium voluntatis, ſeu in voluntate exiſtens; ſed in ſolo intellectu, quia in illo exiſtens, & per illum, bonum ipſi voluntati repræſentatum, accendebat eam in amorem illius, non quidem (ut jam dixi) per ſe & Phyſice; ſed tantum per accidens & moraliter, quia nempe ad repræſentationem iſtius boni extrinſecam movebatur voluntas per habitus ſuos intrinſecos ad amandum illud bonum. Saltem non poteſt oſtendi neceſſarium fuiſſe quod adjutorium illud eſſet in voluntate quandoquidem non loquitur Auguſtinus de voluntate ut de ſubjecto illius; ſed tantum ut de ſubjecto effectus illius, qui eſt accenſio: quæ quidem accenſio tam poteſt eſſe ab objecto extra potentiam voluntatis exiſtente, quam intra illam, quandoquidem perfectiſſima illa Adæ voluntas, facillime concipiebat ardorem ad propoſitionem ſibi factam ſummi boni ab intellectu, cum, ut ait Auguſtinus, ſine ullo inſtituta eſſet peccato, ſeu vitio, & nihil illi ex ſeipſa concupiſcentialiter reſiſteret: imo vero omnia ad concipiendum ardentiſſime

Lib. 12 de Civit. Dei cap. 9.

illum amorem idonea abundantiſſime in ſe haberet. Nam ſicut aurum licet non ſit in voluntate avari; ſed tantum per intellectum ei propoſitum, tamen accendit eam ad illud concupiſcendum,& ſicut injuria licet non ſit in voluntate iracundi; ſed tantum ſit ei per intellectum propoſita, tamen accendit eam ad vindictam ſumendam: ſic illud bonum licet non eſſet in voluntate primorum parentum per aliquem actum ei impreſſum; ſed tantum in intellectu, & per intellectum ſibi propoſitum, tamen bene accendebat eam in amorem illius, eo ſcilicet modo quo ſupra declaratum eſt. Unde manifeſtum eſt, quod hic locus Auguſtini non arguit neceſſario gratiam fuiſſe in voluntate Adæ; ſed tantum in intellectu illius.

Alter locus eſt ex libro de corrept. & gr. cap. 12. ubi loquens Auguſtinus de adjutorio ſine quo, quod erat adjutorium Adæ, & de adjutorio quo, quod erat adjutorium lapſi hominis: hoc adjutorium lapſi hominis comparat beatitudini, his verbis: Quia, inquit, & ſi data fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus; & ſi numquam fuerit, numquam erit. Quod ſane ſatis clare deſignat efficaciam debere eſſe inſeparabilem ab iſto adjutorio lapſi hominis.

Reſpondeo ibi Auguſtinum non loqui de adjutorio hominis lapſi, ut hominis lapſi, de quo ſolùm hîc loquimur; ſed de adjutorio hominis lapſi ut prædeſtinati, prout etiam ſupra notavimus, & luce clarius patet ex conſequentibus verbis,cum applicat iſtam comparationem homini lapſo, dicens: Nunc vero Sanctis *in Regnum Dei per gratiam prædeſtinatis*, non tantum tale adjutorium perſeverantiæ datur(quale ſcilicet Adamo, quo poſſet perſeverare, & tamen non perſeveraret) ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur, non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint: verum etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint. Ubi luce clarius eſt ibi loqui Auguſtinum non de hominibus lapſis,ut hominibus lapſis; ſed ut prædeſtinatis, quorum ſine dubio ut ſic,gratia ſemper eſt,efficax cum nemo prædeſtinetur ad Regnum, niſi habiturus ſit gratiam efficacem ad perſeverandum. Et ſic manifeſtum eſt quod non recte infertur ex hoc loco,quod gratia hominis lapſi ut ſic, ſit ſemper efficax; ſed tantum quod gratia hominis lapſi ut prædeſtinati, eſt ſemper efficax: quod non negamus; ſed non eſt ad propoſitum, cum loquamur ſolùm hîc de homine lapſo ut homine lapſo, non vero ut prædeſtinato, de quo ſupra allata comparatio eſt. Diſcernendum enim diligenter eſt in prædicta comparatione id quod convenit homini lapſo ut homini lapſo, & quod convenit homini lapſo, ut prædeſtinato. Nam homini lapſo ut prædeſtinato convenit quod ejus gratia, ſeu adjutorium quo,ſit ſemper efficax, & ſemper habeat effectum in eis, ſicut beatitudo in beatis; at vero homini lapſo ut homini lapſo, ſolùm convenit quod ejus gratia, ſeu adjutorium quo, ſit in intellectu ejus & voluntate, ſicut convenit beatitudini Sanctorum eſſe in eorum intellectu & voluntate: in eorum intellectu, per viſionem: & in eorum voluntate per amorem: ut ſic per utramque potentiam eos beatificet. Ita neceſſe eſt ut gratia lapſi

hominis ſit in ejus intellectu, & voluntate ſeu quod moveat per ſe & intrinſece non ſolùm intellectum lapſi hominis per illuminationem, ſed etiam ejus voluntatem per ſanctam inſpirationem, ut ſic eos per utramque potentiam ſanet & corroboret; ſine tamen prædeterminatione utriuſvis potentiæ. Quod ſatis indicatur à Concilio Tridentino *ſeſſ. 6.* de juſtificat. cap. 5. cum gratiam lapſi hominis ibi appellat utroque iſto nomine & illuminationis (quæ pertinet ad intellectum) & inſpirationis (quæ pertinet ad voluntatem, ibi etiam exprimens illius hominis indifferentiam ſub iſta gratia, ſeu in acceptanda illa gratia, vel ea abjicienda, per hæc verba: Quippe qui illam (ſcilicet inſpirationem) *&* abjicere poteſt. Particula enim iſta; *&*, ſatis clare ibi oſtendit quod illam gratiam non ſolùm poteſt recipere, (de quo antea locutus fuerat) ſed eam abjicere, & ſic eam caſſam & inutilem reddere ſi voluerit: Unde (inquit Concilium) in ſacris litteris cum dicitur†: [Convertimini ad me, & ego convertar ad vos] libertatis noſtræ (ſcilicet indifferentis ut prius explicatæ) admonemur: cum reſpondemus*: [Converte nos Domine ad te, & convertemur] Dei nos gratia (ſupra ſcilicet explicata) præveniri confitemur. Hæc ibi Concilium, ex quibus, ut opinor, ſatis clara patet ad prædictum textum reſponſio. Dicendum enim eſt, quod beatitudo prout eſt in intellectu & voluntate, convenit cum gratia hominis lapſi ut ſic, prout autem eſt ſemper efficax convenit ſolùm cum gratia hominis lapſi ut prædeſtinati, de quo hîc non agimus, & ſic objectio iſta non eſt contra ſupradicta.

Concilium ibi dicit quod homo inſpirationẽ illam recipiens, illam & abjicere poteſt

† Zach. 1.

*Thren. 5.

Ex his igitur patet qualis fuerit differentia gratiarum Adami & lapſi hominis: ſcilicet quod gratia Adami eſſet in ſolo illius intellectu, gratia autem lapſi hominis non ſolum eſſet in illius intellectu, ut gratia Adami; ſed etiam in voluntate, & per hoc patet reſponſio ad illam diverſitatem quam ſupra attulerat Janſenius (propter quam tam multa iſta allata ſunt) ſcilicet, cur Auguſtinus vocarit merita Adami merita ſua, ſeu propria Adami, & non ſic velit vocari merita lapſi hominis: hinc enim iſtud eſt quia ad merita Adami ſola concurrebat ejus voluntas (ut ſatis demonſtravimus) quæ eſt principium formale meriti: & ſic cùm faceret totale meriti, ſequitur quod illud meritum maxime eſſet ſuum: At vero cùm ad meritum lapſi hominis, non ſola concurrat ejus voluntas, ſed etiam Dei gratia, in illa reſidens, & eam movens ad opus, & cum ea cooperans: hinc eſt quod meritum lapſi hominis non tam ſuum eſt, quam meritum Adami erat ſuum, cum ad illud principaliter concurrat gratia, & ſic ſit potius gratiæ quam hominis.

✝

I H S.

Punctum IX.

Aliquibus aliis difficultatibus ſatisfit contra gratiam indifferentem factis.

Eodem capite 6. lib. 2. de gr. Salv.

Hinc etiam reſpondetur cæteris ejuſmodi diverſitatibus Janſenii, ſcilicet cur Auguſtinus vocet merita Adami merita humana, & non ſic vocet merita lapſi hominis. Quia nempe merita Adami cum eſſent à voluntate ſua non adjuta intrinſece à gratia; ſed mera & ſola, ut modo demonſtravimus, erant mere humana: merita autem lapſi hominis potius erant divina, quam humana, cum principale illorum eſſet à gratia divina. Item patet cur Auguſtinus vocet gloriam mercedem reſpectu Adami; reſpectu autem lapſi hominis, gratiam: quia nempe voluntas Adami ex ſuis viribus (ſecundum modum loquendi Auguſtini) concurrebat ad ſuum meritum ſine admixtione in ſe receptæ gratiæ, & ad illud antecedenter concurrentis: unde erat purum meritum liberi illius arbitrii, ſeu voluntatis: & per hoc gloria ei debita erat ſtricte merces, & ſtipendium, quod ſtricto ejuſmodi correſpondet merito: At vero voluntas hominis lapſi non ſic concurrit ad ſuum meritum, ſed multum deſumit à gratia, quæ dat ei vires agendi intrinſecas, & movet & juvat eam intrinſece uſque ad perfectionem operis. Unde meritum ejus non eſt purum, ſed multùm mixtum gratiâ: & per hoc gloria illi debita non tam merces eſt ei quam gratia, quia nempe talibus meritis redditur, quæ contulit ei gratia. Quod tamen hoc non obſtante ipſa gloria ſit etiam vera merces homini lapſo, patet ex multis locis Auguſtini, ubi vocat eam mercedem & ſtipendium, quod habet veram rationem mercedis, ut libro 2. quæſt. Euangel. qu. 8. lib. 5. de Civitate Dei cap. 16. Serm. 59. de verbis Domini cap. 6. lib. de gr. & lib. arb. cap. 8. & 9. ſed expreſſiſſime Epiſt. 105. ad Sixtum circa medium, ubi ſic ait: Sicut merito peccati tamquam ſtipendium redditur mors, ita merito *juſtitiæ* tamquam *ſtipendium* vita æterna. Et infra: Unde etiam & *merces* appellatur plurimis Scripturarum locis: nuſquam porro dicta eſt merces juſtitia, vel fides, quia juſtitiæ, vel fidei, *redditur merces* quod eſt merces operanti; hoc militanti ſtipendium. Hæc ibi Auguſtinus quo nihil poterat dici clarius & expreſſius ad noſtrum propoſitum. Et hinc etiam ſolvitur illa alia diverſitas, quam profert Janſenius cap. 7. ſumpta ex eo quod dicit Auguſtinus, Angelum ſtetiſſe per liberum arbitrium: homines autem lapſos non niſi per gratiam:

Reſpondetur enim id dici ob hoc quod liberum arbitrium Angelorum ſicut & Adami, erat ſibi relictum, & à prædicta gratia protſus vacuum, ſecus vero liberum hominis lapſi arbitrium, quod erat maxime adjutum à prædicta gratia ſibi inexiſtente & opitulante: unde bene potuit dici quod Angeli per liberum arbitrium ſteterunt, cum ſibi eſſet relictum,

non

non vero homines lapſi, quorum arbitrium in agendo juvabatur intrinſecus & principaliter à gratia: & cui proinde potius debebatur illorum permanentia, ſeu perſeverantia, quam eorum arbitrio, ſeu voluntati.

Eodem etiam modo ſolvitur ultima illius diverſitas, quam habet c. 8. ſcilicet, quod ubi adjutorium ſine quo non, ſeu ſanitatis datum eſt, ibi homines meritis, hoc eſt per liberum arbitrium diſcernendi erant. Ubi adjutorium quo, per gratiam Dei. Quod fundat ſuper hunc textum Auguſtini libri 14. de Civitate Dei cap. 26. ubi ait Auguſtinus: Non defuit utique conſilium, quo certum numerum civium in ſua ſapientia prædeſtinatum, etiam ex damnato genere humano ſuæ Civitatis impleret, *non eos jam meritis diſcernens*, quandoquidem univerſa maſſa tamquam in vitiata radice damnata eſt; ſed *gratia* diſcernens; & liberatis non ſolum de ipſis, verum etiam de non liberatis, quid eis largiatur, oſtendens. Ubi quod dicit *meritis jam non diſcernens:* manifeſte indicat (inquit Janſenius) diſcretionem illam ante peccatum futuram fuiſſe per meritum.

Reſpondeo hunc textum recte etiam poſſe intelligi ſecundum ſupra allatam diſtinctionem, de voluntate per ſe adjuta à gratia, & de voluntate non ſic adjuta, ſine eo quod neceſſe ſit admittere quod voluntas hominis lapſi determinetur à gratia, ad habenda ſua merita, ut prætendit Janſenius: nam ex eo quod primi parentes & Angeli, habituri erant ſua merita per voluntatem non ſic adjutam, bene poterant diſcerni per merita antonomaſtice, & excellenter dicta; eo quod ad illa, voluntas eorum concurreret ſine prædicta gratia: At vero quia homines lapſi, non ſic erant ſua merita habituri; ſed maxime ad illa concurrente prædictâ gratiâ, immediate & intrinſece ſuæ voluntati inexiſtente: non poterant dici ſic diſcerni per merita, id eſt per merita excellenter & antonomaſtice dicta, ſed tantum ſecundum quid, & imperfecte dicta, quia ad ſua merita concurrebat illa gratia, quæ minuit merita: & ſic nihil ibi eſt de determinatione liberi arbitrii lapſi hominis per gratiam à Janſenio prætenſa ad habenda ſua merita.

Sed & aliter id ſolvi poſſet ſecundum doctrinam ipſius Janſenii, ſine neceſſitate admittendi gratiam indifferentem pro Adamo, & determinantem pro homine lapſo: Nam ipſe dicit & contendit libro 1. de ſtatu naturæ puræ cap. 17. §. Itaque relicta. Et cap. 18. toto: quod Auguſtinus cenſuit creaturæ innocenti aliquo modo debitam fuiſſe gratiam ad diligendum Deum, & proinde ad habenda ſua merita: Ergo potuit Auguſtinus ratione illius radicalis debiti dicere quod Deus diſcreviſſet primos parentes (ſi innocentes permanſiſſent) per propria merita, ut pote ad illos ſolos pertinentia: eò quòd illa ipſa gratia, quæ concurriſſet ad illa habenda, erat eis debita. Lapſos autem homines diſcernit ſolâ gratia, eo quod gratia illis data ad diligendum Deum & ad habenda ſua merita, eſt eis indebita ob peccatum originale in quo illi naſcuntur:

& ſic non erit neceſſe recurrere ad gratias determinantem & indifferentem, ad diſcernenda illorum merita; ſed tantum ut dictum eſt, ad gratiam debitam & indebitam, præcipue cùm certum ſit quod debitum & indebitum, maxime conſtituant meritum & gratiam quorum hîc quæritur radicalis differentia. Quod etiam hinc confirmatur quod in teſtimonio Auguſtini ſupra allato reſpicit Auguſtinus ad radicem criminalitatis ut ita dicam in homine lapſo, ut patet ex his verbis: Non eos jam meritis diſcernens, *quando quidem univerſa tamquam in vitiata radice damnata eſt:* ſed gratia diſcernens. Quod non aliud innuit niſi diverſitatem illorum meritorum fuiſſe ab initio illorum vitiato, vel innocente. Ita quod innocenti tribuantur propria merita, ob auxilia ad ea acquirenda ſibi aliquo modo debita: criminoſo vero non meritum; ſed gratia tribuatur, eo quod auxilia ad illius meritum concurrentia non eſſent ei debita, ſed omnino indebita; & proinde ex gratia: quæ ſolutio poteſt applicari, non ſolùm huic diverſitati; ſed etiam omnibus præcedentibus, cum ex illa recte explicetur cur Adæ merita, futura erat humana, & ex libero arbitrio, & gloria merces, & non gratia: Et è contra merita hominis lapſi ſint divina, & ex gratia, & gloria gratia, & non merces ſtricte ſumpta: quia nempe illi innocenti debita erant auxilia ad merita ſua conſequenda, & proinde illius merita, futura erant illi propria & ſtricta, huic vero criminoſo illa auxilia erant indebita, & proinde à gratia Dei, divina; & gloria gratia potius quam merces ſtricte ſumpta & dicta.

Sed & ſi prædictæ ſolutiones non ſufficerent ad explicandas has diverſitates Janſenii, certe ſufficere debet quod non eſt neceſſe ad verificandas prædictas locutiones Auguſtini, quod gratia ſit determinans; ſed ſufficit quod ſit longe major & efficacior intra gradum indifferentiæ, quam gratia lapſi hominis: Et ratio eſt quia cum illa gratia ſic ſumpta, eſſet multo major quam gratia Adami, valde minueret meritum hominis lapſi (cùm certum ſit quod ratio gratiæ ſit oppoſita merito, & diminutiva illius). cum ergo illud meritum ſit valde diminutum ob ejuſmodi magnam gratiam præ merito Adami: recte dici potuit ab Auguſtino nullum, præ merito Adami, id eſt comparative nullum, imo etiam aliquo modo abſolute nullum, quia ut ſupra dictum eſt, parum pro nihilo reputatur: & ſic in hac conſideratione meritum hominis lapſi non erit meritum; ſed gratia, ut vocat illud Auguſtinus: & gloria reſpectu iſtius meriti data, non erit merces, ſed gratia: nec meritum illius, erit per liberum arbitrium, ſed per gratiam, quia cum gratia illa magna concurrat ad illud meritum, magis & principalius quam ipſum liberum arbitrium, †ideo debet denominare meritum, & ſic facere gratiam & gratuitum: ſed, ut dixi, comparate, & aliquo modo abſolute; ſed non prorſus abſolute, quia numquam voluit Auguſtinus negare verum meritum in homine lapſo, quod abſit à tanto Doctore, cum id non eſſet in fide ſanum, & cum ex eo ipſo videamus contrarium*; ſed tantum

Prædictæ locutiones, ſeu diverſitates explicantur in hac via.

† Denominatio ſumitur à potiori parte, & ipſe Auguſt. ſer. 18. de verb. Apoſt.

voluit negare meritum comparativum, ſeu magnum; quod non erat in homine lapſo ſicut erat in Adamo, eo quod nimis concurreret ad illud gratia imminutiva meriti.

c 6 ait quod totum poßidet qui principale tenet.

* Supra Puncto V.

Punctum X.

Oſtenditur contra Ianſenium gratiam poſſibilitatis Pelagianorum longe aliam eſſe quam ipſe cenſuit, & eſſe ſolùm gratiam intellectus.

Verum adhuc urget Janſenius, & vult probare gratiam medicinalem, ſeu gratiam lapſi hominis eſſe determinativam arbitrii ſecundum mentem Auguſtini, ob hoc quod Pelagio concedente tale adjutorium poſſibilitatis, cum quo voluntas poſſet velle, Auguſt. amplius volebat, ſcilicet eſſe tale, quod determinaret illam ipſam voluntatem ad agendum, quod idcirco adjutorium, vocat adjutorium voluntatis & actionis. Multa alia falſa ibi congerit Janſenius; ſed tantum breviter collegi quæ ad rem noſtram pertinerent: cui

Quid ſit adjutorium volitionis & actionis, infra Puncto ſequente in probatione 6. clare demonſtrabimus, ſecundum verũ ſenſum Auguſtini, contra corruptum Janſenii.

Reſpodeo numquam Pelagium admiſiſſe tale adjutorium poſſibilitatis, quale intendit ipſe Janſenius, & proinde Auguſtinum numquam illud rejeciſſe, ſed aliud. Adjutorium enim quod admittebat Pelagius, erat tantum adjutorium intellectus, ſeu adjutorium cognitionis, ut ipſemet nuncupat illud Auguſtinus lib. 4. ad Bonif. cap. 5. ſub finem. Poſſibilitas autem illa quam admittebat, erat ipſa voluntas ut potentia, ſeu liberum ipſum arbitrium ab omni gratia actuali & antecedente vacuum, quod dicebat eſſe per ſe ſufficiens ad bene vel male agendum; quod Puncto ſequente demonſtrabimus. Nec enim umquam Pelag. admiſit adjutorium ad poſſe ſimpliciter in volũtate hominis lapſi; ſed tantum ad poſſe facilius: imo vero tantopere abhorrebat ab admittendo aliquo in voluntate hominis lapſi adjutorio ad volẽdum & agendum neceſſario, ut ejus pronunciatum eſſet, & ſectariorum ejus: non poſſe liberum arbitrium conſiſtere, ſi gratia Dei indigeret, ſeu ſi ope alterius indigeret, uti vidimus in explicatione opinionis illius initio hujus diſputationis: Ex quo manifeſte apparet confictum eſſe à Janſenio ſupradictum poſſibilitatis adjutorium in voluntate hominis lapſi quod tribuit ei Janſenius. Nam quod adjutorium poſſibilitatis admiſſum à Pelagio, eſſet ſolùm in intellectu, & non in voluntate, præter ea quæ jam dicta ſunt, patet ex claris D. Auguſtini teſtimoniis, & ex ipſis verbis Pelagii ab Auguſtino ipſo relatis: Nam libro de gratia Chriſti ſic loquitur Auguſtinus de Pelagio cap. 3. Nam gratiam Dei, & adjutorium quo adjuvamur ad non peccandum, aut in natura ponit & libero arbitrio: aut in lege atque doctrina, ut videlicet cum adjuvat Deus hominem ut declinet à malo, & faciat bonum, *revelando & oſtendendo quid fieri debeat adjuvare credatur*, non etiam cooperando, & dilectionem inſpirando, ut id quod faciendum eſſe co-

Punct. VII.

gnoverit faciat. Ubi manifeſtum eſt Pelagium admiſiſſe ſolùm gratiam in intellectu, ut patet per hæc verba: *Revelando & oſtendendo quid fieri debeat:* Non autem in voluntate, ut patet per hæc verba: non etiam cooperando, & dilectionem inſpirando ut id quod faciendum eſſe cognoverit faciat. Et cap. 7. ſic refert Pelagium loquentem Auguſtinus: Adjuvat enim nos, inquit (ſcilicet Pelagius) Deus per *doctrinam & revelationem ſuam*, dum cordis noſtri *oculos aperit*, dum nobis ne præſentibus occupemur, futura *demonſtrat*, dum diaboli *pandit* inſidias, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cæleſtis *illuminat*. Quod explicans Auguſtinus, ſic aït capite ſequenti: Hinc itaque apparet hanc eum gratiam confiteri, qua *demonſtrat & revelat* Deus quid agere debeamus (quæ eſt gratia intellectus) *non qua donat & adjuvat ut agamus* (quæ eſt gratia in voluntate.) Et cap. 9. ſic aït: Quid ergo eſt, quod iſte (ſcilicet Pelagius) *legem atque doctrinam* deputat gratiam, qua juvamur ad operandum juſtitiam, quæ ut multum adjuvet, ad hoc adjuvat, ut gratia (ſcilicet in voluntate) requiratur: nemo enim poteſt legem implere per legem (id

Cap. 8. eſt per ſolam cognitionem legis: ſupra enim dixerat quod ad hoc potius valet legis agnitio, ſi gratiæ deſit opitulatio, ut fiat mandati prævaricatio.) Et paulo infra ſic aït: Quid enim juvat Pelagium, quia diverſis verbis eamdem rem dicit, ut non intelligatur *in lege atque doctrina* gratiam conſtituere, qua poſſibilitatem naturæ (non dicit gratiæ, quod dicendum ſane eſſet, ſi Pelagius admiſiſſet, ut vult Janſenius, in voluntate aliqualem gratiam, qua potens fieret ad volendum bonum, quandoquidem talis poſſibilitas eſſet à tali gratia, qualis qualis illa gratia, aut illa poſſibilitas eſſet) aſſerit adjuvari: quantum autem exiſtimo, ideo ~~vide~~ventur intelligi, quia damnavit eos qui dicunt gratiam Dei, & adjutorium non ad ſingulos actus dari, ſed *in libero arbitrio eſſe, vel in lege atque doctrinâ*: ergo hæc erat ejus de adjutorio Dei ſententia, ſed verebatur eam dicere, & propalare. Et cap. 10. ſic aït: Et alio quippe loco cum aſſeruiſſet *non adjutorio Dei* (in voluntate ſcilicet recepto, nam in intellectu admittebat, ut jam vidimus) ſed *ex nobiſipſis* (id eſt ex noſtra voluntate & arbitrio) in nobis effici voluntatem (id eſt volitionem) bonam: oppoſuit ſibi ex Apoſtoli Epiſtolâ quæſtionem, atque aït: Et quomodo, inquit, ſtabit illud Apoſtoli [Deus eſt enim qui operatur in nobis & velle & perficere?] Deinde ut hanc oppoſitionem veluti ſolveret, quam videbat dogmati ſuo vehementer eſſe contrariam, ſecutus adjunxit (ſcilicet Pelagius) operatur in nobis velle quod bonum eſt, velle quod ſanctum eſt (nota valde hæc quia ſolùm ſpectant ad intellectum, & non ad voluntatem per ſe & immediate) dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantummodo diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum *pollicitatione ſuccendit*, dum *revelatione* ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem, dum nobis quod tu alibi negare (Auguſtino loquitur) non metuis, *ſuadet* omne quod bonum eſt (quod ſic interpretatur Auguſtinus) quid manifeſtius *nihil*

Ipſemet Janſ. l. 1 de gr. Chriſti c 17 § Quod ſi definiens ex Proſpero quæ fuerit gratia Pelagianorum:

aliud eum dicere *gratiam* qua Deus operatur in nobis & velle quod bonum eſt, quam *legem atque doctrinam*. In lege namque & doctrina (nota hanc explicationem legis & doctrinæ contra Janſenium) ſanctarum Scripturarum futuræ gloriæ, atque præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam quod ſapientia *revelatur*, ad doctrinam pertinet cum ſuadetur omne quod bonum eſt. Et ſi inter docere & ſuadere, vel potius exhortari diſtare aliquid videtur, etiam *hoc tamen doctrinæ generalitate concluditur quæ quibuſcumque ſermonibus, vel litteris continetur*. Et cætera quæ vide ibi ſi placet, ubi totam Pelagianam gratiam ponit in ſola revelatione, & cognitione intellectus. Et capite 30. referens doctrinam collegæ Pelagii, ſcilicet Celeſtii, aït eum *non ponere gratiam Dei* qua juvamur, vel ad declinandum à malo, vel ad faciendum bonum præter *naturale* (nota valde) arbitrium voluntatis *niſi in lege atque doctrina*, ita ut ipſas quoque orationes ad hoc aſſerat neceſſarias, ut *oſtendatur* homini quid concupiſcat & diligat: ubi tantum eſt oſtenſio quæ pertinet ad intellectum, & non amor aut deſiderium quod pertineat ad voluntatem. Et cap. 35. loquens de quadam Epiſtola Pelagii, ſic aït: Hanc ergo Epiſtolam legi, & inveni eum pene per totam non immorari niſi in facultate & poſſibilitate *naturæ*, & pene ibi tantum Dei gratiam conſtituere. Chriſtianam vero gratiam tanta brevitate *ſola* nominis commemoratione perſtringit, ut nihil aliud videatur, quam eam tacere timuiſſe. Utrum tamen eam in remiſſione peccatorum velit intelligi, an etiam *in doctrina Chriſti*, ubi eſt & converſationis ejus exemplum, quod aliquot locis ſuorum opuſculorum facit: (ibi nullam facit mentionem gratiæ voluntatis Auguſtinus) an credat aliquod adjutorium bene agendi adjunctum naturæ atque doctrinæ per *inſpirationem* flagrantiſſimæ & lumi-noſiſſimæ charitatis *non apparet omnino*. Et cap. 37. loquens de alia ejuſdem Pelagii Epiſtola, ſic aït: Gratiam qua adjuvamur ad aliquid agendum, mihi viſus fuerat confiteri, nec attenderam hanc eum ponere potuiſſe in *ſola revelatione doctrinæ*. (ubi luce ipſa clarius vides Pelagium ponere totam gratiam lapſi hominis in intellectu, cum ponat eam in ſola revelatione doctrinæ) Et cap. 39. poſtquam retuliſſet aliqua verba Pelagii, ſic aït: Ecce quomodo vult intelligi adjuvari eos qui ſub lege peccant, ut per gratiam Chriſti juſtificati liberentur, tamquam eis non ſufficiat ſola lex propter nimiam peccandi conſuetudinem, niſi Chriſti accedat, *non inſpiratio charitatis per Spiritum ſanctum; ſed intuendum & imitandum in doctrina Evangelica virtutis ejus exemplum*. Ubi clare apparet Pelagium rejeciſſe à gratia Chriſti omnem inſpirationem * charitatis, quæ eſt gratia ſpectans ad voluntatem, & ſolam admiſiſſe gratiam intellectus quam ponebat in cognitione legis, & exemplorum Jesu Christi. Et tandem explicans Auguſtinus totum dogma Pelagii de gratia cap. 41. ſic aït, ipſum vero auxilium quo poſſibilitatem *naturalem* perhibet adjuvari, *in lege conſtituit atque doctrina* quam nobis fatetur etiam Spiritu ſancto *revelari* (in quo eſt ſola interna gratia in-

dicit fuiſſe cogitationē naturalem diſcernendi bonum ac malū. Quod ſolum pertinet ad intellectum. Vide etiam duos ſequentes Paragraph. & lib. 2. c. 1. §. Hoc igitur, clare dicit Pelagium aſſeruiſſe nullum jam voluntati adjutorium eſſe neceſſarium, unde relinquitur quod ſolum admitteret illud in intellectu: nā aliquod admittebat neceſſariū, ut ſupra vidimus Puncto IX in margine. Et lib. de hæreſ. Pelag. c. 18. non lōge ab initio, clare dicit, ſcientiam qua ignorantia pellitur, fuiſſe adjutorium poſſibilitatis Pelagii: & per conſequens vult eſſe gratiam intellectus.

**Ita ſumit inſpirationē Celeſtinus*

tellectus) propter quod & orandum eſſe concedit: ſed hoc adjutorium *legis atque doctrinæ*, etiam propheticis fuiſſe temporibus: adjutorium autem gratiæ quæ propriè gratia nuncupatur, *in Chriſti eſſe arbitratur exemplo* (ecce tota Chriſti gratia ſecundum Pelagium, ſcilicet cognitio exemplorum Chriſti) quod nihilominus ad *doctrinam* pertinere perſpicitis, quæ nobis *Euangelica* prædicatur, ut videlicet tamquam via demonſtrata, quâ ambulare debeamus: jam *viribus liberi arbitrii* (ſcilicet ſolius, ut patet ex ſequentibus) adjutorio nullo (ſcilicet in voluntate admittendo: jam enim præſuppoſuerat illud in intellectu, ut demonſtraret viam, ut clarum ex præcedētibus verbis eſt: vel nullo, quia non reputabat gratiam intellectus Auguſtinus in homine lapſo, cum ſola non ſufficeret ad reddendum eum potentem in bono, de qua ſola gratia diſputabat cum Pelagio. Unde licet probe ſciret Pelagium gratiam intellectus admittere, quaſi tamen nullam admitteret, ait adjutorio nullo) alterius indigentes ſufficiamus nobis ne deficiamus) in viâ. Ubi aperte docet Auguſtinus nullum adjutorium requiſiiſſe Pelagium in voluntate ad faciendum bonum; ſed tantum requiſiiſſe aliquod in intellectu, quod ſcilicet repræſentaret exempla Chriſti, & revelaret Euangelicam doctrinam, quâ perceptâ jam liberum arbitrium per ſe, & ſine ullo prorſus adjutorio in ſe recepto bene ageret: Quod & paulo ante eadem claritate jam docuerat, dicens: Quæcumque pro gratia (Pelagius) videtur dicere, qua juvamur ut declinemus à malo bonumque faciamus, ita dicit, ut nullo modo à verborum ambiguitate diſcedat, quam diſcipulis ſic poſſit exponere, ut *nullum auxilium gratiæ* credant, † qua *naturæ* poſſibilitas adjuvetur, *niſi in lege atque doctrina* (ſupple Euangelica ut ſupra) ita ut ipſas quoque orationes, ut in ſcriptis apertiſſime affirmat, *ad nihil aliud* (nota hanc negationem) adhibendas opinetur, niſi ut nobis doctrina *divina revelatione aperiatur* (quod eſt dicere quod in ſola illa revelatione divina quæ pertinet ad ſolum intellectum ponebat gratiam Chriſti Pelagius, non autem in adjutorio aliquo, quod eſſet in voluntate, ut mox etiam aperte ſequitur) ** *non* ut adjuvetur mens (id eſt voluntas phraſi Auguſt.) hominis ut id quod faciendum eſſe *didicerit* (quod eſt gratia intellectus) etiam *dilectione & actione* perficiat (quæ eſt gratia voluntatis ad quam pertinet amor & dilectio. Et ſic per omnia teſtatur Auguſtinus Pelagium admiſiſſe ſolùm gratiam in intellectu, non autem in voluntate: niſi tamen ad facilius agendum, quod ſæpe ſæpius hîc alibi teſtatur Auguſtinus non autem ad ſimpliciter agendum, ut patet ex prædictis, & ex hoc totius illius ſectæ principio & effato, quo dicebant arbitrium hominis non fore liberum, ſi gratia Dei indigeret. Quod valde notandum eſt, & memoriæ commendandum: hinc enim fit quod etſi gratiam quam prædicabat Auguſtinus, eſſet indifferens, & non determinans voluntatem, ut ſupra probatum eſt, tamen quia dicebat eam eſſe neceſſariam voluntati ad agendum, & ſine ea in ſe recepta ipſam voluntatem non poſſe bene agere, ideo eam repudiabant Pelagiani, ob principium

Papa in Ep. ad Gall c. 7. & Concil. Tridentin. ſeſſ 6 cap 5. decreti juſtificat. & Cōc. Arauſ. II. cap 5. 6. & 7.

D. Proſper in Epiſt. ad Ruſ. quæ ex contextu apparet ſcripta poſt damnatam hæreſim Pelagianam, & devictos penitus Pelagianos. Non aliter adhuc deſcribit gratiam Pelagianam, quā[m] in ſolo intellectu: dicens illam noſtræ facultatis arbitrium monere, nec eam aliud eſſe quam legem, quā[m] Prophetam, quam doctorem.

† Vide etiā locos illos ubi exacte recenſet Auguſtinus ea omnia in quibus ponebat Pelag. gratiam: & videbis eū ſolùm meminiſſe eorum, quæ

prædictum quo ponebant, voluntatem debere habere à ſe omnia ad agendum requiſita, & non indigere ope alterius: ad hoc ut eſſet libera ad agendum, vel non agendum, & eſſet liberum arbitrium.

pertinent ad intellectum, & nō ad voluntatem. ut Epiſt. 95. non longe ab initio, & Epiſt. 143. non longe ante finem, & libro de libero arbitrio cap. 14 initio.

** *Nota hic oppoſitionem fieri, non gratiæ indifferentis in voluntate, quam admitteret Pelagius: contra gratiam determinantem, quam non admitteret: ſed gratiæ revelationis, quæ eſt gratia intellectus, quam ſolam admittebat Pelagius contra gratiam dilectionis, quæ eſt gratia propria voluntatis, quam non admittebat Pelagius. Vt per hoc clare videas, non reprehendi Pelagium ab Auguſtino, quod gratiam indifferentem admitteret, & non determinantem, ut vult Ianſenius: ſed quod ſolùm admitteret gratiam in intellectu, & non etiam in voluntate, ut volebat Auguſtinus*

PUNCTUM XI.

Oſtenditur contra Ianſenium, quod poſſibilitas Pelagii non erat gratia indifferens in voluntate hominis; ſed ipſamet ejus voluntas, ſeu ipſummet ejus arbitrium.

JAM vero quod poſſibilitas illa, de qua loquitur Pelag. nihil eſſet aliud quam purum putum arbitrium, ſeu voluntas hominis mera & nuda, nno autem auxilio aliquo actuali in ſe reſidente & indifferente inſtructa, ut vult Janſenius, ſatis clare jam apparet ex his quæ mox diximus, cùm ex his clare pateat quod nullam omnino admiſerit Pelagius in voluntate gratiam ad bene agendũ ſimpliciter, & per hoc quod illa ſua poſſibilitas, fuit mera & nuda voluntas, ſeu merum arbitrium, ſine ullo prorſus adjutorio in ſe reſidente & indifferente conſideratum. Quòd poteſt etiam probari multis rationibus: primò ex hoc quod in præallatis textibus vocet illam poſſibilitatem Auguſtinus, poſſibilitatem naturæ, ſeu naturalem, quod non indicat gratiam aliunde ſibi ſuperadditam & intrinſecam, ſed meram & nudam potentiam & in puris naturalibus exiſtentem. Et confirmatur ex hoc quod ſignanter dicit illam poſſibilitatem eſſe datam à creatore naturæ, libro de gratia Chriſti cap. 3. nam cum tria conſtituat, atque diſtinguat (Pelagius, inquit Auguſtinus) quibus divina mandata dicit impleri: *poſſibilitatem*, voluntatem, & actionem: *poſſibilitatem*, ſcilicet qua poteſt homo eſſe juſtus, voluntatem (id eſt volitionem, ut patet ex ſequentibus verbis) qua vult (non dicit qua poteſt velle, ſed qua vult, ergo loquitur de volitione, & non de voluntate potentiæ) eſſe juſtus, actionem qua juſtus eſt: horum trium primum id eſt *poſſibilitatem datam confitetur à creatore naturæ.* Hæc ibi Auguſtinus: quod autem loquatur ibi de creatore naaturæ, ut ſic & formaliter, & non tantum materialiter, & per accidens, patet ex ipſius Pelagii verbis in ſequenti capite 4. relatis. Nos, inquit, ſic iſta diſtinguimus, & certum velut in ordinem digeſta partimur. Primo loco *poſſe* ſtatuimus: ſecundo velle, (quod eſt volitio) tertio eſſe: *poſſe in natura* (ergo formaliter locutus eſt de creatore naturæ, cum ponat Pelagius ſuam poſſibilitatem in natura). velle, in arbitrio: eſſe

Auguſt. lib. de gr. Chr. cap. 5 ait eum iſtam

poſſibilitatē poſuiſſe in in natura.

Eamdem poſſibilitatē tribuit authori naturæ apud Auguſt. lib. de gr. Chriſti cap 45.

Nota valde, & memento quod hic agitur de poſſibilitate & non de actu: nam ſi ageretur de actu, poſſet aliqualiter dici, licet perperam; ſed tamen minus improbabiliter quod ille actus eſſet naturalis, & à natura, ex hoc quod eſſet ab arbitrio naturali determinante ipſam gratiam ad agendum, ut multoties dicit Ianſenius. Sed hic non agitur de actu, ſed de poſſe, ſeu de poſſibilitate. quæ ſi eſt à gratia divina actuali; licet

in effectu locamus. Primum illud, id eſt *poſſe*, ad Deum proprie pertinet: (quia nempe illud creavit, ut mox ſequitur) qui illud *creaturæ ſuæ* contulit: duo vero reliqua hoc eſt velle, & eſſe, ad hominem referenda ſunt, quia de arbitrii (non dicit gratiæ) fonte deſcendunt. Ergo in voluntate, & opere bono laus hominis eſt, imo, & hominis, & Dei (ſed quomodo Dei? Ecce) qui ipſius voluntatis & operis poſſibilitatem dedit id eſt creavit) quique ipſam poſſibilitatem gratiæ ſuæ adjuvat ſemper auxilio (conſervando ſcilicet ſemper illam in natura) Quod ſane non poteſt convenire gratiæ actuali, cum illa non ſit ſemper in natura, nec enim dormiendo illam habemus: ergo convenit ſoli arbitrio, ſeu voluntati hominis ut à creatore naturæ collatæ. At id quod eſt à Deo ut creatore, ſeu Authore naturæ non eſt gratia divina, ſed natura: non eſt ſupernaturale, ſed naturale: ergo illa poſſibilitas Pelagii quæ eſt à creatore naturæ ut ſic, non includit gratiam divinam, etiam indifferentem, ſed meram voluntatem humanam ſine gratia actuali. Unde reprehenditur idem Pelagius ab Auguſtino lib. de nat. & gr. cap. 42. ut defenſor naturæ, & neglector gratiæ, his verbis: Melius itaque Dei cauſa agitur quam ſe iſte *agendo* dicit *defenſare naturam* cum & *creator* (quod pertinet ad naturam) & ſalvator (quod pertinet ad grariam) agnoſcitur: quam cum defenſa velut ſana, viribuſque integris *creatura*, opitulatio ſalvatoris inanitur (quod convenit Pelagio).

Tertiò idem probatur ex hoc quod volebat Pelagius illam poſſibilitatem eſſe de neceſſitate naturæ, & eſſe à natura ipſa inſeparabilem: quod ſane non poteſt convenire ulli gratiæ actuali, ut per ſe manifeſtum eſt. Quod autem talem vellet eſſe ſuam illam poſſibilitatem, patet ex libro mox citato cap. 45. ubi aït Pelagius: Dicimus enim cujuſque rei *poſſibilitatem*, non tam in arbitrii humani poteſtate, quam *in naturæ neceſſitate* conſiſtere. Quod exemplis & ſimilitudinibus, ut aït Auguſtinus illuſtrat. Ut puta, inquit, loqui poſſum; quod loqui poſſum, meum non eſt (quia nempe à creatore naturæ) quod loquor meum eſt, id eſt propriæ voluntatis: & quia quod loquor meum eſt, utrumque facere poſſum, id eſt & loqui & non loqui. Quia vero quod loqui poſſum, meum non eſt, id eſt arbitrii mei, atque voluntatis, *neceſſe eſt me ſemper loqui poſſe* (quod ſane arguit facultatem naturalem in homine continuò reſidentem, & non gratiam tranſitoriam, ut etiam patet ex ſequentibus) & ſi voluero non poſſe loqui, non poſſum tamen non poſſe loqui, niſi forte membrum illud adimam quo loquendi impleri officium poteſt (ubi manifeſtum eſt, eum comparare liberum arbitrium, ſeu voluntatem hominis, ſeu prædictam poſſibilitatem, membro loquendi, quod nihil aliud innuit quam nudam facultatem, ſeu potentiam, ſeu potentiam naturalem in natura reſidentem, & ab ea inſeparabilem (conſtante ſcilicet integritate naturæ) unde & ſequitur, cap. 46. Voluntate enim, arbitrio, ac deliberatione privatur quidquid *naturali neceſſitate* conſtringitur. Et cap. 47. Hoc, inquit, de auditu, odoratu, vel viſu ſentiri,

poſſibile

poſſibile eſt(ibi ſolum commemorat facultates & potentias nudas & meras) quod audire, odorari, videre poteſtatis noſtræ ſit; poſſe vero audire, vel lodorari, vel videre poteſtatis noſtræ non ſit; ſed in *naturali neceſſitate* conſiſtat(quod nunc applicat ſuæ poſſibilitati cap. 48. his verbis) ſimli ergo modo de non peccandi *poſſibilitate* intelligendum eſt, quod non peccate noſtrum ſit: *poſſe vero non peccare*, non noſtrum. Et cap. 49. Quia non peccare noſtrum eſt, poſſumus peccare & non peccare: *quia vero poſſe non peccare, noſtrum non eſt, & ſi voluerimus non poſſe non peccare, non poſſumus non poſſe non peccare:* (hoc ergo eſt de neceſſitate naturæ &. à natura inſeparabile, ut mox dicit apertius cap. 50.) Quia nulla, inquit, adimere voluntas poteſt, quod *inſeparabiliter inſitum* probatur eſſe *naturæ:* Et cap. 51. Ipſa, inquit, non peccandi poſſibilitas, non tam in arbitrii poteſtate, quam *in natura neceſſitate* eſt. Quicquid in naturæ neceſſitate poſitum eſt, ad naturæ (non dicit gratiæ) pertinere non dubitatur authorem, utique Deum; quomodo ergo, inquit, abſque Dei gratia dici exiſtimatur quod ad Deum proprie pertinere monſtratur: ubi manifeſtum eſt illum non agnoſcere aliam gratiam in voluntate quam ipſam voluntatem, ſeu liberum arbitrium. Unde mox ſic eum arguit Auguſtinus: Expreſſa eſt ſententia quæ latebat, non eſt quemadmodum poſſit abſcondi, ideo Dei gratiæ tribuit *non peccandi poſſibilitatem*, quia ejus *naturæ Deus author* eſt, cui poſſibilitatem non peccandi *inſeparabiliter inſitam* dicit: Et idem habetur;ſed brevius libro de gr. Chriſti cap. 4. ubi ſic aït Pelagius: *Nullo modo poſſum non habere poſſibilitatem boni, ineſt mihi etiamſi noluero, nec otium ſui aliquando in hoc natura recipit.* Supra quæ ſic arguo nulla gratia Dei actualis, eſt inſeparabilis à natura, nec eſt de neceſſitate naturæ, ut per ſe manifeſtum eſt;ſed hæc poſſibilitas Pelagii eſt inſeparabilis à natura & de neceſſitate naturæ ut jam ſatis probatum eſt,ergo illa poſſibilitas,non eſt gratia Dei actualis ſuperaddita voluntati, ſeu arbitrio; ſed mera natura eſt, ſeu voluntas, ſeu arbitrium.

indifferēte, potius dicenda eſt divina, quam naturalis, & gratia, quam natura: cùm illa ſit a gratiá ipſi libero arbitrio, adveniente, & illud potens reddente ad bonū agendum & peragendum, ſed nullomodo dicitur ab Auguſtino divina, ſed naturalis: nec gratia, ſed natura: ergo dicendum eſt, quod illa poſſibilitas Pelagii eſt mera voluntas humana, ſeu arbitrium humanum ſine ulla prorſus actuali gratia in ſe recepta ſibi neceſſaria.

Tertiò probatur ex eo quod volebant Pelagiani ſuam illam poſſibilitatem eſſe cauſam, & radicem actionum merentium ipſam gratiam actualem:ergo illa poſſibilitas non poterat includere iſtam gratiam, cum effectus non includat cauſam ſuam. Conſequentia clara eſt: Probatur antecedens: Nam libro 4. contra Julian. cap. 8. ſic indicat Auguſtinus ſenſum eorum, dicens: Vos, ut video, ponere jam cœpiſtis *merita gratiam præcedentia* (ecce vides meritum eorũ præcedere gratiam, quod meritum, cùm non poſſit eſſe niſi ex poſſibilitate eorum, conſequens eſt, quod admittebant poſſibilitatem eorum eſſe cauſam & radicem actionum merentium ipſam gratiam actualem: At quod eſt iſtud meritum, ſeu quæ ſunt eorum actiones meritoriæ iſtius gratiæ? ſic explicat Auguſtinus dicens) quod eſt petere, quærere, pulſare (utique ſine ulla gratia in illa poſſibilitate, ſeu voluntate incluſâ, ut mox ſequitur) ut *his meritis debita illa reddatur.* (ergo gratia eſt poſterior illis meritis: ergo &

poſſibilitate ipſorum.) Ac ſic gratia inaniter nuncupetur, *tamquam gratia nulla præceſſerit* (ſcilicet in voluntate, ſeu poſſibilitate ſua, nam probe ſciebat eos admittere gratiam intellectus; ſed non admittebant illam quæ propria eſt voluntatis: unde & ſequitur) & cor tetigerit (quæ eſt gratia propria voluntatis tangens, & movens, & excitans voluntatem, ſeu cor hominis ad bonum) ut beatificum bonum peteretur à Deo, ut quæreretur Deus, ut pulſaretur ad Deum: fruſtraque ſit ſcriptum [Miſericordia ejus præveniet me] (ecce adhuc negant omnem gratiam prævenientem tam indifferentem quam determinantem) fruſtra etiam nos pro inimicis noſtris jubeat orare, ſi non eſt ejus averſa, & adverſa corda convertere (id eſt, ſi non pertineat ad Deum prævenire voluntates, cum averſæ & adverſæ ſunt: ſed debeat invenire jam converſas, ſeu petentes, & quærentes, & pulſantes ad ipſum, & ad miſericordiam ejus; & per hoc merentes ipſam miſericordiam antequam eas adjuvet: quod & late proſequitur. Ubi vides Pelagianos ſecundum Auguſtinum voluiſſe merita præcedere omnem gratiam actualem, quæ eorum moveret corda, & voluntates: & ſic non incluſiſſe illam in ſua poſſibilitate, cum clare pateat ex dictis, poſſibilitatem iſtam ſuam eſſe debere ſecundum illos, veram cauſam & radicem actionum merentium iſtam gratiam actualem. Præterea idem indicat libro de gr. Chr. cap. 22. nam cum ibi retuliſſet iſta verba Pelagii: Qui currit ad Deum, & à Deo ſe regi cupit, id eſt voluntatem ſuam ex ejus voluntate ſuſpendit; qui ei adhærendo jugiter, unus ſecundum Apoſtolum, cum eo fit ſpiritus, non hoc niſi de arbitrii efficit libertate. Sic ait Auguſtinus: Videte quantam rem dixerit non effici niſi arbitrii libertate (id eſt effici ſola poteſtate, ſeu poſſibilitate arbitrii, ut etiam mox ſequitur) ac per hoc *ſine adjutorio Dei*, nos Deo exiſtimat adhærere (ergo illa adhæſio præcedit adjutorium Dei, ergo & poſſibilitas ſic adhærendi, ut per ſe manifeſtum eſt: & etiam mox ſequitur) hoc eſt enim non niſi de arbitrii libertate, ut cum adhæſerimus *eo non adjuvante*, (ergo id fit ante adjutorium ejus, per naturalem ſcilicet *poſſibilitatem*) tunc jam *quoniam adhæſimus, etiam adjuvari mereamur.* Ubi clare vides meritum ante adjutorium iſtud, & per conſequens poſſibilitatem ipſorum eſſe cauſam actionum merentium iſtud adjutorium, quod proinde non includit. Et infra cap. 23. idem repetit dicens: *Tam magnum adjutorium* ſicut iſte deſipit, *tunc meremur, cum ſine ullo adjutorio*, non niſi de arbitrii libertate (id eſt poteſtate, ſeu poſſibilitate) currimus. Ubi manifeſtum eſt Auguſtinum ita interpretatum eſſe eorum poſſibilitatem, ut ſtatueret eos nullam in ea gratiam actualem, quæ propria eſſet voluntatis, incluſiſſe: ſed è contra illam poſſibilitatem præſuppoſuiſſe ante omnem ejuſmodi gratiam neceſſariam, cum per iſtius poſſibilitatis merita, & actus bonos prærenderent, iſtam gratiam ſe poſſe promereri, & ea ſe dignos conſtituere.

Ipſi adhuc Pelagiani clare id dicunt apud Auguſt. lib. de gr. & lib. arb. cap. 14. initio. Dicunt enim, inquit Auguſtinus, et ſi non datur (ſcilicet gratia) ſecundum merita bonorum operum, quia per ipſam bene operamur: (ergo loquitur de gratia actuali) tamen ſecundum merita bonæ voluntatis, (*& per hoc eorum poſſibilitatis*) datur: quia bona voluntas præcedit orantis, quam præceſſit voluntas credentis, ut ſecundum hæc merita gratia ſequatur exaudientis Dei.

Quartò probatur ex eo quod dicebat Auguſtinus Pelagianos eſſe inflatores, & elatores liberi arbitrii; & eſſe ingratos gratiæ Dei: ex hoc enim maxime patet, eos nullam admiſiſſe gratiam ad bene agendum neceſſariam in eorum poſſibilitate incluſam. Nam ſi talem gratiam admiſiſſent, non rectè dicerentur inflatores & elatores arbitrii, cum in hoc maxime eſſent humiles, quod faterentur eorum arbitrium eſſe de ſe infirmum & impotens ad bene agendum, & ut ad hoc eſſet potens, indigere Dei gratia in ipſo neceſſariò recipienda, antequam bene ageret. Nec etiam rectè dicerentur ingrati gratiæ Dei, cum hoc beneficium à gratia Dei ſe habere ſimpliciter faterentur.

In opere imperf. cóntra Jul. l. 2. n. 154. l. de gr. Chriſti cap. 25. Et Serm. 2. de verb Apoſtoli c. 6.

Quintò probatur ex eo quod ſæpe urgeat contra illos Auguſtinus illud ad Rom. 11. Quis prior dedit ei & retribuetur illi? Et illud 1. Joann. 4. Non quod nos (prius) dilexerimus Deum; ſed quia ipſe prior dilexit nos. Per quod redarguit eos quod priores vellent dare Deo, & diligere Deum: At ſi ipſi faterentur ſe habere à gratia Dei actuali, & neceſſaria, & voluntati ſuæ intrinſeca (de qua gratia quæſtio eſt) poſſibilitatem ſuam, non poſſent rectè dici velle priores dare Deo, & diligere Deum: cùm fatendo ſe ab illo accepiſſe iſtam gratiam actualem & neceſſariam, & abſolute prævenientem omnes actus ſuos & merita, clare faterentur Deum priorem dediſſe eis, & priorem illos dilexiſſe: ergo concludendum eſt eos nullam incluſiſſe in ſua poſſibilitate gratiam actualem & neceſſariam, ut moveret intrinſece, & immediate eorum voluntatem; ſed ſuperbè & ingratè aſſerùiſſe ſe habere ſolum à ſeipſis, & à propria ſua natura, quod bene agerent, & peccata devitarent, & ſic priores Deo darent, & eum diligerent.

Epiſt 105. circa init. Lib. de gr. Chr. c. 27.

Punctum XII.

Eadem veritas aliis rationibus probatur.

SEXTO probatur ex eo quod cum Pelagius diceret gratiam Dei poſſe admitti: ut quid per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius poſſint implere per gratiam. Dicit ei Auguſtinus: Tolle *facilius*, & non ſolùm plenus, verum etiam ſanus eſt ſenſus, ſi ita dicatur: ut quod per liberum facere jubentur homines arbitrium, *poſſint* implere per gratiam. Cùm autem facilius additur, adimpletio boni operis, etiam *ſine Dei gratia poſſe fieri* tacita ſignificatione ſuggeritur. Quem ſenſum redarguit, qui dicit [Sine me nihil poteſtis facere.] Ubi manifeſtum eſt quod nullam admittebat Pelagius gratiam ad poſſe ſimpliciter; ſed tantum ad facilius: Et per hoc patet quod ejus poſſibilitas ſimpliciter ſumpta, erat mera hominis voluntas, & merum liberum arbitrium, ſine ulla prorſus gratia Dei antecedente in voluntate ſic potens: ut patet ex his Auguſtini verbis: Cùm autem facilius additur, adimpletio boni operis, etiam *ſine Dei gratia* poſſe fieri tacita ſignificatione ſuggeritur. Ex quo

Lib. de gr. Chr. c. 29.

Similia dicentem ſimiliter reprehendit Auguſt. Jul. lib. 2 operis imperfecti cap. 198. Pelagianum, inquit, verbum ſupponitis, & quaerentibus

à vobis quare mortuus ſit Chriſtus, ſi natura (quæ eſt liberum arbitrium) vel lex (quæ ſupponit pro gratia intellectus) efficit juſtos. Reſpondetis: ut hoc ipſum facilius *fieret, quaſi poſſet, quamvis difficilius, fieri tamen ſive per naturam, ſive per legem Chriſti. Reſponde, vince (ô Catholice!) atque convince, clama, Sine me nihil poteſtis facere: ut taceant hi qui clamant (ſcilicet Pelagiani) & ſi difficilius, tamen poſſemus & ſine te facere. Ubi nihil aliud reprehendit Auguſtinus, niſi quod nollent gratiam eſſe voluntati, ſeu ſuæ poſſibilitati neceſſariam; ſed tantum commodam: & non eſſe ad ſimpliciter; ſed tantum ad facilius agendum requiſitam. Sunt & alii loci, in quibus de hoc ſolo reprehendit eos; ut Serm 13. de verbis Apoſtoli cap. 12. & libro de hæreſ. ad quod vult Deum cap 88. quem locum infra referemus Puncto XIII. & Epiſt. 106. quem locum infra referemus Puncto XVI. non longe ab initio.*

etiam patet Auguſtinum non damnaſſe in Pelagio omnem ſimplicem poſſibilitatem faciendi bonum per gratiam; ſed tantum illam poſſibilitatem, quæ ſolùm eſt ad facilius agendum, & non ad ſimpliciter; cum admittat Auguſtinus hanc propoſitionem ut ſanam & plenam: ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, poſſint implere per gratiam: ubi eſt mera tantum poſſibilitas boni, & non determinatio ad illud. Ex quo etiam patet, quam falsò dixerit Janſenius libro 2. de gr. Salvat. cap. 9. expreſſam fuiſſe controverſiam Auguſtinum inter & Pelagium, non ſolùm de neceſſitate admittendæ in voluntate gratiæ; ſed etiam de modo agendi illius, an ſcilicet determinaret arbitrium nec-ne: cùm ex hoc textu clare pateat, nullatenus anxium fuiſſe Auguſt. de modo iſto agendi gratiæ, ſeu auxilii divini in voluntate hominis lapſi: quandoquidem ex illo apparet, quod modò iſtud adjutorium det voluntati humanæ poſſe bene agere ſimpliciter, & non tantum facilius, ut volebat Pelagius: hoc ipſo contentus eſt Auguſtinus, & nihil requirit amplius, nullo modo cogitans de aſſerenda determinatione illa, de qua eum formaliter diſputaſſe cum Pelagio, fabulatur Janſenius. Quod ſi inſtes, & dicas: cur ergo poſtulat Auguſtinus à Pelagio in eodem libro, ut admittat auxilium volitionis & actionis, & non ſolius poſſibilitatis, ſi ipſe contentus erat poſſibilitate ſimplici, quam admittebat Pelagius?

Per hæc & ſequentia confutatur totũ caputq. libri ſecũdi Janſenii de gr. Salvat. Vide etiam aliqua Puncto XIX. non longe ab initio.

Reſpondeo Auguſtinum non contentum fuiſſe poſſibilitate ſimplici quam admittebat Pelagius, in mero libero arbitrio, ſeu mera voluntate humana: ſed aliam requiſiiſſe, quam ideo vocat adjutorium voluntatis, ſeu volitionis & actionis, quia non ſolùm dabat noſtrum poſſe Deo, ut poſſibilitas Pelagiana; ſed etiam ipſum noſtrum velle & agere, ſeu ipſam bonam noſtram volitionem & actionem, quod non faciebat poſſibilitas Pelagiana. Pro quo notandum eſt quod ſecundum Auguſtinum, & ſecundum fidem Catholicam, neceſſarium eſt quod gratia Chriſti non ſolùm tribuat noſtrum bene poſſe Deo; ſed etiam noſtrum bene velle, & agere, juxta illud Apoſtoli * [Deus eſt enim qui operatur in nobis, & velle & perficere] At non conveniebat poſſibilitati Pelagianæ (id eſt libero noſtro arbitrio) quod daret Deo noſtrum bene velle & agere, ſeu noſtram bonam volitionem & actionem, quia ut aït Auguſtinus, cum nos faceret tam bona poſſe quam mala (liberum enim arbitrium ad utrumque eſt) ideo non poterat Deo tribuere bona, quin etiam tribueret & mala; at non poteſt Deo tribuere mala, cum Deus non poſſit dici

* Philipp. 2.

Non diffitebatur Pelagius, imo vero aſſerebat ſe per ſuam poſſi

author mali, ergo non poteſt Deo tribuere bona, cum non alia ratio ejus eſſet tribuendi boni quam mali. Si enim (inquit Auguſtinus libro prædicto de gratia Chriſti cap. 17.) quod bene agimus, loquimur, cogitamus ideo *eſt* & noſtrum, & *Dei*, quia illud poſſe nobis donavit (quæ erat ratio Pelagii ejuſdem libri cap. 4. allata, cur vellet etiam per ſuam poſſibilitatem, poſſe tribui noſtrum velle & agere Deo, ſicut & ipſum poſſe) ergo & quod malum agimus, loquimur, cogitamus, & noſtrum *eſt* & *Dei*, quia illud poſſe ad utrumque donavit, atque ita quod abſit, quemadmodum cum Deo laudamur in operibus bonis, ſic cum illo culpamur in malis. *Poſſibilitas quippe illa quam dedit, tam nos facit bona poſſe quam mala.* Ubi vides Auguſtinum negare quod illa poſſibilitas Pelagii poſſet eſſe ratio ſufficiens cur Deus eſſet cauſa boni ab ea eliciti: cùm non poſſet eſſe ratio ſufficiens ut Deus eſſet cauſa mali, licet ab eadem ſimiliter poſſibilitate eliciti. Quandoquidem Deus non poteſt dici aut eſſe author mali. Unde & poſtea capite 25. ſic efficacius agit ex eodem principio contra eumdem Pelagium, dicens: Deſinat itaque Pelagius, & ſeipſum, & alios fallere contra Dei gratiam diſputando. Non propter illorum trium unum (tria illa erant poſſibilitas, volitio & actio, de quibus antè locutus fuerat) id eſt propter poſſibilitatem bonæ voluntatis, atque operis; ſed etiam propter voluntatem (id eſt volitionem) & operationem bonam erga nos gratia Dei prædicanda eſt: (id eſt non ſufficit dicere & prædicare quod gratia Dei dat Deo noſtrum poſſe bene velle & agere, ſeu quod dat Deo poſſibilitatem noſtræ bonæ volitionis & actionis; ſed etiam debet addi quod dat ipſam etiam bonam noſtram volitionem & actionem Deo, quod non convenit poſſibilitati Pelagii: Cujus mox rationem addit, & eſt eadem ratio quæ ſupra, dicens) Nam iſtam poſſibilitatem ad utrumque valere definit (ſcilicet Pelagius) & tamen non *ideo* tribuenda ſunt Deo etiam noſtra peccata, ſicut & propter eamdem poſſibilitatem, vult tribuere bona opera noſtra (unde & ſequitur in ſenſu Auguſtini quod iſta poſſibilitas Pelagii non ſufficit ad conſtituendam gratiam Chriſti, cùm ipſa det tantum Deo noſtrum bene poſſe, & non etiam ipſum noſtrum bene velle & operari, ut neceſſarium eſt ad naturam gratiæ iſtius. Quam rationem ſic adhuc proſequitur Auguſtinus dicens:) Deſinat dicere (ſcilicet Pelagius) quod poſſumus omne bonum facere, dicere, cogitare illius eſt, qui hoc poſſe donavit, qui hoc poſſe adjuvet: quod vero bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus noſtrum eſt. Deſinat, inquam, iſta dicere, *Non ſolùm enim Deus poſſe noſtrum donavit, atque adjuvat* (quod ſolum argui poterat ex ſupra expoſita ſententiâ Pelagii, ut jam ſupra declaratum eſt) *ſed etiam velle & operari, operatur in nobis*, (quod deduci non poterat ex prædicta ſententia Pelagii, ut ſupra explicatum eſt: Unde illa non erat ſufficiens ad conſtituendam veram Chriſti gratiam, cum ſolùm eſſet adjutorium meræ poſſibilitatis, dans ſimpliciter noſtrum bene poſſe Deo, non vero noſtrum bene velle & agere, ut ſupra expoſitum eſt. Et

[Margin:] ...bilitatem tã non dare noſtrum poſſe Deo, non vero noſtrũ bene velle & agere, ut patet ex ejus verbis cap. 4 libri de gr. Chr ab Auguſt. relatis. Sed quia vehementer premebatur à Catholicis ut daret etiam noſtrum bene velle & agere Deo ſecundũ Scripturas, reſpondebat ſe etiam dare noſtrũ velle & agere Deo, ut patet in eodẽ capite: In quantum, inquiebat, dabat ei noſtrum poſſe quod eſt cauſa noſtri bene velle & agere, ſeu noſtræ bonæ volitionis & actionis: cõtra quod hic agit Auguſtinus. Vide etiam caput 5. prædicti libri & ſequentia.

ſic plene explicatum eſt quid volebat dicere Auguſtinus per adjutorium volitionis & actionis: ſcilicet volebat dicere quod neceſſe erat ad veram Chriſti gratiam, quod ſufficiens cauſa eſſet & fundamentum, cur tribueretur noſtra bona volitio & actio Deo: non vero ſolum noſtrum poſſe. Quod cùm non competeret poſſibilitati Pelagianæ, ut modo expoſitum eſt, ideo rejiciebat eam Auguſtinus, non ut meram poſſibilitatem, ſeu ut quæ non eſſet ſemper conjuncta cum actione, ut vult Janſenius; ſed ut talem poſſibilitatem quæ non erat ſufficiens & idonea, ad tribuendam bonam noſtram volitionem & actionem Deo; proüt neceſſarium eſt ad veram Chriſti gratiam, ut ſupra ſatis demonſtratum eſt,

Verum quia perſpicaciſſima ſui ingenii ſubtilitate bene viderat Auguſtinus, fore quoſdam ſimiles Janſenio, qui hanc doctrinam tam ſanam & tam perſpicuam corrumperent; & ad quandam determinantem gratiam detorquerent id quod ſolùm dictum erat de tali adjutorio, quod poteſt eſſe ratio, ſeu cauſa, cur attribuatur Deo, non ſolum noſtra bene volendi & bene agendi poſſibilitas; ſed etiam ipſa bona noſtra volitio, & actio quod ſolùm formaliter & adæquate poſtulabat Auguſtinus ad veram Chriſti gratiam: cito ſe explicat S. Doctor, & armat ſe contra determinantem iſtam gratiam in favorem indifferentis, & omnino liberæ gratiæ & auxilii, dantis iſtam volitionem & actionem Deo: dicens: *Non quia nos non volumus* (ſcilicet libere & indifferenter: non enim poterant dubitare Pelagiani quibus loquitur, quin bene ſciret Auguſtinus volitionem non poſſe eſſe, niſi à voluntate eliciente illam Phyſice & realiter; unde non erat neceſſe quod hanc adhiberet quaſi correctionem & explicationem doctrinæ ſuæ Auguſtinus, ſi per hæc verba ſolùm intendiſſet nobis attribuere id quod Phyſicum & reale eſt in illo actu, non vero quod morale & laudabile eſt, & quod proinde ſupponit indifferentiam. Et id quod ſequitur adhuc clarius id inſinuat) aut nos non *agimus* (ſupra enim oſtenſum eſt clariſſime, Auguſtinum intelligere per hunc modum loquendi veram indifferentiam: unde non eſt neceſſe ut hic probemus illud amplius: ſed & mox ſubjicit Auguſtinus illam quam vult ipſe Janſenius, indifferentem gratiam dicens: Sed quia *ſine ipſius adjutorio*, nec volumus aliquid boni, nec agimus. Ubi vides quod ſolùm poſtulat adjutorium ſine quo, ſeu gratiam ſine qua, & per conſequens gratiam ſolùm indifferentem, ſecundum explicationem ipſiuſmet Janſenii. Nam, ſi & aliam poſtulaſſet, cùm ibi doctrinaliter & ex profeſſo explicaret ſententiam ſuam, debebat illud exprimere, & omnino non omittere, cùm id prorſus neceſſarium ſit in explicatione doctrinali, quæ ſemper fungitur munere definitionis & accuratæ. Unde cum eam ita non expreſſerit, nec dixerit eam debere eſſe talem aut talem; ſed tantum aliquam poſtulaverit in voluntate neceſſariam, non vero ſpecialiter determinantem: imo vero contrarium innuerit, ponens in illa explicatione adjutorium ſine quo, ſeu gratiam ſine qua, quam ſecundum Janſenium ſolet uſurpare. Auguſtinus pro gratia indifferenti contra deter-

Puncto V. ante medium.

Lib. 1. de gr. Salvat. c 14 ab initio. Et ubique paſſim id repetit.

minantem: indubitatum omnino eſt quod ad veram Chriſti gratiam non poſtulavit Auguſtinus determinationem ; ſed potius indifferentiam , ut ex mox dictis manifeſtum eſt.

Ex quo tandem concludendum eſt quoad propoſitam ſpectat inſtantiam quod numquam reprehendit Auguſtinus Pelagium de eo quod admittebat poſſibilitatem ſimplicem ſine determinatione arbitrii ; ſed de eo ſolo quod admitteret illam tantum poſſibilitatem , quæ non tribueret Deo noſtrum bene velle & agere , ſicut dabat Deo noſtrum poſſe bene velle & agere , ut ſupra declaratum eſt : unde ſi admiſiſſet Pelagius gratiam illam in voluntate quæ non ſolùm commoda eſt & ad facilius , ſed etiam neceſſaria eſt & ad ſimpliciter agendum requiſita, non tamen determinans , aut prædeterminans voluntatem ad agendum; ſed tantum præmovens & excitans eam ad agendum , cum plena ſcilicet illi relicta ad agendum , vel non agendum poteſtate, atque indifferentia; indubitatum omnino eſt quod approbaſſet eum Auguſtinus, cum ſic admitteret talem poſſibilitatem ; quæ vere & proprie *tribueret* Deo ipſam bonam volitionem & actionem hominis, in quantum ipſa data eſſet a Deo, & ad ſolam nata eſſet excitandam & producendam bonam volitionem & actionem , non vero etiam ad producendam malam volitionem & actionem, ut poſſibilitas Pelagii : in quo ſolo & unico ponebat Auguſtinus rationem formalem adjutorii volitionis & actionis , ut ſupra explicatum eſt. Et ſic manifeſtum eſt quam abſurde & præpoſtere interpretatus ſit Janſenius adjutorium volitionis & actionis Auguſtini, quaſi per ſe & intrinſece id haberet quod determinaret arbitrium ad agendum: cùm ſolùm talem inferat & includat in ſe cauſalitatem , ratione cujus volitio & actio bona Deo tribuatur & non mala, quod non minus bene convenit prædictæ gratiæ excitanti quæ relinquit arbitrium indifferens ad agendum, vel non agendum , quam gratiæ determinanti , ſeu prædeterminanti , ut ex prædictis manifeſtum eſt.

Quando ergo rejicit Auguſtinus ſimplicem poſſibilitatem, ſeu ſimplex poſſe à gratia Chriſtiana , intelligendus eſt de poſſe Pelagiano ſupra explicato. Quando autem illud admittit, ut in ſupracitato loco initio hujus probationis, ubi ait quod ſanus & plenus eſt ſenſus, ſi ita dicatur. Ut quid per liberum facere homines jubentur arbitrium *poſſint* implere per gratiam ; ubi eſt nuda & ſimplex , & mera poſſibilitas , ſeu merum & ſimplex poſſe. Intelligendus eſt de illo poſſe quod includit gratiam indifferentem in voluntate neceſſariam, quæ etiam verè & propriè eſt adjutorium volitionis & actionis, cum det ipſam bonam noſtram volitionem & actionem Deo, ut vero ejus Authori, in quo uno, ut probatum eſt, conſiſtit vera ratio ſecundum Auguſt. illius adjutorii volitionis & actionis.

Septimò probatur , quia Pelagiani negabant omnem excitationem, & piam motionem præviam in voluntate ſua neceſſariam antequam ipſa ageret : Ergo per hoc innuebant ſuam poſſibilitatem eſſe merum hominis arbitrium , ſeu meram voluntatem humanam, cùm gratiam illam ne-

Cauſa excitans ad effectum eſt magis cauſa effectus, quã ipſamet cauſa exequens ſecundum omnes Morales, Philoſophos & Theologos : unde iſta gratia excitans maximè debet eſſe cauſa cur Deus qui dedit eam, ſit vera cauſa effectus magis quam ipſe homo. Unde dicit Auguſtinus lib. 1. ad Simplic. qu. 2. Quia *vocatio* præcedit *bonã volũtatem*, propterea *vocãti Deo*

recte tribuitur quod bene volumus.

garent quæ ſola poteſt eſſe in voluntate antequam velle incipiat, quæ eſt excitatio ad actionem. Conſequentia clara eſt. Probatur antecedens ex libro 1. ad Bonif. cap. 19. ubi ſic arguit Pelagianos Auguſtinus: in bono opere ſic putatis adjuvari hominem gratia Dei, ut in *excitanda* ejus ad ipſum bonum opus voluntate, *nihil* eam credatis operari. Ubi, ut vides, omnem negant excitationem ad bonum opus, in voluntate: quod etiam ſic probat ex ipſis eorum verbis dicens: Quod ſatis ipſa tua verba declarant, cur enim non dixiſti hominem Dei gratia in bonum opus *excitari*, ſicut dixiſti: In malum diaboli ſuggeſtionibus incitari; ſed dixiſti: In bono opere à Dei gratia ſemper adjuvari, tamquam ſua voluntate (ſcilicet ſola ſine gratia in ſe recepta, ut mox ſequitur) *nulla Dei gratia bonum opus aggreſſus*, in ipſo jam opere (ſcilicet ſine gratia excitante jam incœpto) divinitus adjuvetur, pro meritis videlicet voluntatis bonæ (ſcilicet antecedentis ipſum adventum gratiæ) ut reddatur illa gratia (ſcilicet meritis antecedentis iſtius voluntatis petentis, quærentis & pulſantis, ut ſolebant explicare) non donetur indebita, qualis eſſet ſi excitaret ad agendum voluntatem, & non ſolum ſi adjuvaret jam agentem voluntatem, ut ipſi ſolùm volebant. Quod deinde late proſequitur. Sed hæc nobis ſufficiunt ad demonſtrandum quod illi hæretici nullam excitationem admittebant in voluntate neceſſariam ad bonum opus aggrediendum: & proinde quod eorum poſſibilitas erat eorum nuda voluntas, & merum arbitrium, cùm illam gratiam reſpuerent, quæ ſola poteſt ineſſe voluntati bonum incipienti, ut ex dictis clarum eſt. Quod etiam confirmari poſſet, ex eo quod Puncto antecedente oſtendimus quod eorum gratia erat ſolum in intellectu, & non in voluntate, quod ſatis indicat eorum poſſibilitatem fuiſſe nudam voluntatem, & non gratia ei inexiſtente firmatam.

Punctum XIII.

Eadem veritas aliis adhuc rationibus probatur.

Octavò probatur ex hoc quod poſſibilitas Pelagiana tam erat productiva mali quam boni, ut patet ex ſupracitato loco Auguſtini libri de gr. Chriſti cap. 17. ubi ait quod illa poſſibilitas tam nos facit bona poſſe, quam mala. Sed ſi poſſibilitas illa incluſiſſet aliquam gratiam Dei in voluntate neceſſariam. etiam non determinativam arbitrii: nullo modo eſſet productiva & effectiva mali, cum gratia Dei non moveat ad malum, ſed ad bonum; & ipſa ſit potius deſtructiva & remotiva mali: Ergo dicendum eſt quod poſſibilitas Pelagiana non includebat illam gratiam, nec ullam aliam in voluntate neceſſariam; ſed quod ſupponebat eam vacuam, & ab omni gratia Dei actuali liberam.

Ratio cur movere potuerunt ad

Nonò probatur ex hoc formali & expreſſo Pelagianorum principio & effato, quo dicebant, ut ſupra etiam vidimus, fieri omnino non poſſe ut liberum

liberum arbitrium ſubſiſteret, ſi gratia Dei indigeret: Ex quo manifeſtum eſt quod nullam gratiam in voluntate neceſſariam in ſua poſſibilitate includebant, quandoquidem ſi illam in eâ incluſiſſent, liberum hominis arbitrium ſecundum eorum principium deſtruxiſſent, quod ſemper angue pejus fugerunt: continuò enim dimicarunt pro libero hujuſmodi arbitrio, id eſt ab omni gratiæ neceſſitate libero contra Auguſtinum uſque in finem.

id tam firmiter aſſerendum ſupra allata eſt hac 2. parte §. 14. Puncto 3.

Decimò denique probatur ex quamplurimis formalibus, & expreſſis Auguſtini teſtimoniis, quibus clare aſſerit eorum gratiam, ſeu poſſibilitatem (utroque enim modo ſæpe eam nuncupabant) eſſe merum naturale arbitrium, ſeu meram voluntatem humanam (ſine ſuperaddita ei gratia divina) ad bonum per ſe ſolam ſibi ſufficientem. Nam Epiſt. 90. ſcribens Innocentio Papæ, cum cæteris Carthaginenſis Concilii Epiſcopis, ſic aït circa initium: Iſti (ſcilicet Pelagiani) aſſerunt, ſicut à fratribus, qui etiam eorũ libros legerunt cognovimus, in eo gratiam Dei deputandam quod talem hominis *inſtituit, creavitque naturam*, quæ per *propriam voluntatem* legem Dei *poſſit* implere, ſive naturaliter in corde conſcriptam, ſive in litteris datam, eamdem quoque legem ad gratiam Dei pertinere, quod illam Deus in adjutorium hominum dedit. Et paulo infra: Perſuadere non ceſſant, ad operandam perſuadendamque juſtitiam, & Dei mandata complenda, *ſolam ſibi ſufficere poſſe naturam*. Et Epiſtola 92. ſcribens eidem Innocentio cum cæteris Milevitani Concilii Epiſcopis, ſic aït initio: Iſti dicunt *poſſe* hominem in hac vita præceptis Dei cognitis (quæ eſt gratia in intellectu) ad tantam perfectionem juſtitiæ *ſine* adjutorio gratiæ Salvatoris per *ſolum* liberum voluntatis arbitrium pervenire, ut ei non ſit jam neceſſarium dicere: Dimitte nobis debita noſtra: Illud autem quod ſequitur: Ne nos inferas in tentationem: non ita intelligendum, tamquam divinum adjutorium poſcere debeamus ne in peccatum tentati decidamus; ſed hoc in *noſtra* eſſe poſitum *poteſtate*, & ad hoc implendum *ſolam ſufficere voluntatem* hominis. Et Epiſtola 94. etiam initio, inſtruens Hilarium de iſta hæreſi, ſic aït: Nova hæreſis, inimica gratiæ Chriſti, contra Eccleſiam Chriſti conatur exurgere; ſed nondum evidenter ab Eccleſia ſeparata eſt, hominum ſcilicet, qui *tantum* audent infirmitati humanæ tribuere *poteſtatis*, ut hoc *ſolum* ad gratiam Dei pertinere contendant, quod *cum libero arbitrio & non peccandi poſſibilitate creati ſumus*, & Dei mandata quæ à nobis implerentur accepimus. Cæterum ad eadem mandata ſervanda & implenda *nullo divino adjutorio* (ſcilicet in voluntate recepto: nam gratiã intellectus non conſiderabat Auguſtinus in homine lapſo, utpote inſufficientem ad bene agendum in illa natura ægra & infirma: & aliunde probe ſciebat quod Pelagiani illam admittebant; unde de illa non loquebatur, ut pote non controverſa, ſed tantum de gratia in voluntate neceſſaria, de qua omnino diſputabatur) nos egere. Et infra: Cavendis autem futuris, vincendiſque peccatis, omnibuſque tentationibus virtute ſuperandis, *ſine*

Nota valde omnia ſequentia teſtimonia, ut per hac clare videas numquam fuiſſe expreſſam diſputationẽ inter Auguſtinum & Pelagium, de determinatione voluntatis à gratia, ut vult Janſenius: prorſus enim ſtupendum foret, ſi talis diſputatio inter eos fuiſſet, quod in tot & tantis de Pelagiano errore Auguſtini teſtimoniis, de illa determinatione nulla mentio fieret, ut contra quam dogmatiſaret; ſed tantum mentio fiat de natura, de arbitrio, de gratia cognitionis,

ſeu intellectus, pro verá Chriſti gratiâ ſubſtituunt: Et nota valde illas excluſivas ſolùm tantum ſufficere, nullo adjutorio, nulla gratia. &c.

**Duo Concilia jam coacta fuerant contra iſtam hæreſim.*

ullo deinceps *adjutorio gratiæ Dei naturali poſſibilitate humanam ſufficere voluntatem*. Et ne putetur iſta hæreſis tam nova fuiſſe, ut non jam damnata fuiſſet ab aliquibus Conciliis : ſic aït paulo infra : Jam enim cum iſta ſcriberem cognoveramus in Eccleſia Carthaginenſi adverſus eos *Epiſcopalis Concilii* conditum fuiſſe decretum, per Epiſtolam ſancto & venerabili Papæ Innocentio dirigendam , & nos de *Concilio Numidiæ** ad eamdem Apoſtolicam Sedem jam ſimiliter ſcripſeramus. Et infra ſic exprimit eamdem hæreſim , dicens : Quod aſſerit hominem in hoc corruptibili corpore quod aggravat animam , *poſſe ſuis viribus* ad tantam juſtitiam pervenire , ut neque hoc illi ſit dicere neceſſarium , Dimitte nobis debita noſtra : Illud vero quod ſequitur, [Ne nos inferas in tentationem] non ſic accipiunt tamquam Deus orandus ſit , quo nos ad ſuperandas tentationes adjuvet peccatorum (ubi manifeſtiſſime negant ullum Dei adjutorium eſſe neceſſarium ſuæ poſſibilitati) ſed ne quiſquam irruens corporaliter nos humanus caſus affligat (vides quanta diligentia declinant gratiam in voluntate) quoniam peccatorum tentationes vincere ita ſit jam in noſtra poſitum poteſtate *poſſibilitate naturæ* , ut hoc inaniter impetrandum orationibus arbitremur. Et Epiſt. 95. ad Innocentium Papam : De Conciliis , inquit , duobus Provinciæ Carthaginenſis, atque Numidiæ , ad tuam Sanctitatem à non parvo Epiſcoporum numero ſubſcriptas literas miſimus, contra inimicos gratiæ Chriſti, *qui confidunt in virtute ſua*, & Creatori noſtro quodammodo dicunt: tu nos feciſti homines , *juſtos autem ipſi nos fecimus. . . . Tantum* enim dicunt *valentem* (ſcilicet humanam naturam) *ut ſuis viribus* (nota valde hanc expreſſionem) *in origine ſuæ creationis acceptis, poſſit* per liberum arbitrium *nihil ulterius adjuvante illius gratia qui creavit* , domare & extinguere omnes cupiditates , tentationeſque ſuperare. Et infra loquens de Epiſcopis (in alio ſcilicet Concilio , quam in præcedentibus congregatis, per quod manifeſtatur jam provectam fuiſſe iſtam hæreſim, cum hanc Epiſt. Auguſt. ſcriberet) qui Pelagium falsò confitentem veram gratiam abſolverant ; ſic aït : Nam ſi intellexiſſent illi Epiſcopi, eam illum dicere gratiam, quam etiam cum impiis habeamus , *cum quibus homines ſumus* (& proinde à natura humana illam nobis eſſe inſitam, & non à Deo nobis gratis datam aſſerebant : ubi vides clariſſime Pelagium nihil in ſua poſſibilitate admiſiſſe præter humanam & naturalem in creatione acceptam voluntatem) negare vero eam qua Chriſtiani & filii Dei ſumus (id eſt ſupernaturalem illam gratiam qua tendimus ad juſtitiam , ſeu juſtificationem filiorum Dei.) quis eum patienter Catholicorum Sacerdotum, non dicimus , audiret ; ſed ante oculos ſuos ferret ? Et infra : Aut ergo à tua veneratione acciendus eſt Romam , & diligenter interrogandus quam dicat gratiam qua fateatur, ſi tamen jam fateatur ad non peccandum , juſteque vivendum homines adjuvari (non dicit ad cognoſcendum quomodo non peccaretur , juſteque viveretur , quæ erat gratia intellectus , quam admittebat Pelagius ; ſed ad non peccandum , juſteque

Loquuntur de Concilio Palæſtino , de quo multa habet in libro de geſtis Pelagii.

vivendum, quæ eſt gratia voluntatis, ſeu in voluntate recepta, & reſidens, ad juvandam per ſe & immediate voluntatem hominis lapſi, ægram & infirmam. Et infra: Sive enim gratiam dixerit eſſe liberum arbitrium, (aliquando enim, ut dixi, liberum arbitrium vocabat gratiam, ut & poſſibilitatem) ſive gratiam eſſe remiſſionem peccatorum, ſive gratiam eſſe legis præceptum, *nihil* eorum dicit quod per *ſubminiſtrationem Spiritus ſancti* (quo nomine intelligit Auguſtinus gratiam in voluntate eam excitantem & moventem ad bonum: Ubi nota quod non poſtulat certam aliquam ſubminiſtrationem Spiritus, v. g. determinantem, ſed tantum aliquam: quia nempe modo aliqua admitteretur in voluntate neceſſaria, ſufficiebat Auguſtino: unde & infra eamdem ſubminiſtrationem repetit ſine aſſignatione determinationis, ut per hoc pateat ſibi ſuffeciſſe indifferentem) pertinet ad concupiſcentias, tentationeſque vincendas [Quem ditiſſime effudit in nos] qui [Aſcendit in Cælum, & captivavit captivitatem, dedit dona hominibus.] Hinc enim oramus ut peccatorum tentationem ſuperare *poſſimus*, (hæc eſt alia poſſibilitas quam Pelagiana, quæ eſt à natura: illa autem eſt à Spiritu ſancto in voluntatem infuſa, ut mox dicitur) ut *Spiritus Dei:* unde pignus accepimus, *adjuvet* infirmitatem noſtram: non utique hic orat, ut *homo ſit, quod eſt natura:* neque id orat ut *habeat liberum arbitrium, quod jam accepit, cum crearetur natura* (quæ eſt gratia & poſſibilitas Pelagiana) orat ergo ut non peccet, hoc eſt ne quid faciat mali, quod pro Corinthiis orat Apoſtolus Paulus, dicens: [Oramus autem ad Dominum ne quid faciatis mali] Unde ſatis apparet quod ad non peccandum, id eſt ad non male faciendum: quamvis eſſe non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen ejus *poteſtas* (quæ eſt poſſibilitas Pelagiana quam confutat ibi Auguſtinus) *non ſufficiat* niſi adjuvetur infirmitas (ſcilicet per gratiam Dei ſibi ſuperadditam. Et infra breviſſime: Nec lex juberet, niſi eſſet voluntas: nec gratia juvaret, *ſi ſat eſſet voluntas* (ergo volebat Pelagius quod ſat eſſet voluntas.) Et infra diſtinguens veram Chriſti gratiam à Pelagiana, ſic ait: Illam confiteatur apertiſſime gratiam quam doctrina Chriſtiana demonſtrat, & prædicat eſſe propriam Chriſtianorum: *quæ non eſt natura* (ergo gratia Pelagii erat natura, ſeu mere naturalis, & non ſupernaturalis ut gratia, quæ eſt naturæ indebita) ſed qua ſolvatur natura; non auribus ſonante doctrina (per quam intelligit gratiam intellectus, ſeu cognitionis quam admittebat) vel aliquo adjumento viſibili (per miracula) ſicut plantatur quodammodo & irrigatur extrinſecus; ſed *ſubminiſtratione Spiritus* (id eſt gratiæ etiam indifferentis in voluntatem ipſam infuſione) & occulta miſericordia, ſicut facit ille qui [Dat incrementum Deus] etſi enim quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei qua creati ſumus (per quam intelligit gratiam, ſeu poſſibilitatem Pelagii: ad quid enim diceret gratiam qua creati ſumus, poſſe aliquo modo, ita rationabiliter dici gratiam, niſi quia prius propoſita erat à Pelagio, ut ſua gratia) ..... alia eſt tamen

qua prædeſtinati vocamur, juſtificamur, glorificamur, ut dicere poſſimus: Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui Filio ſuo non pepercit; ſed pro nobis omnibus tradidit eum, *de hac gratia* quæſtio vertebatur, quando ab iis quos Pelagius graviter offendebat, atque turbabat, dicebatur eis quod *eam* ſuis diſputationibus *oppugnaret*, quibus aſſereret *non ſolum ad facienda, verum etiam ad perficienda mandata per liberum arbitrium, humanam ſibi ſufficere naturam.* Et adhuc infra. Cum itaque de hac gratia Chriſtianis fidelibus Catholicíſque notiſſima illi objiceretur quæſtio, ut eam oppugnare deſineret, quid eſt quod cum hæc ſibi in libro ſuo velut adverſante perſona idem ipſe objeciſſet, ut ſe reſpondendo purgaret: nihil aliud reſpondit niſi, *naturam creati hominis referre gratiam creatoris*, atque ita ſe dicere ſine peccato implere *poſſe* juſtitiam *per liberum arbitrium* cum adjutorio divinæ gratiæ (nota quod eſt illud adjutorium) quod Deus hoc dederit homini *ipſa poſſibilitate naturæ:* Et tandem ſic ait: Per legem quippe & illi juſtificari ſe arbitrantur *ſufficiente* ſibi ad eam cuſtodiendam *libero arbitrio*, hoc eſt juſtitia ſua *probata ex natura humana; non donata ex gratia divina:* (id eſt non donata gratis à Deo; ſed ex debito naturæ, in quo meritis actus voluntatis deſcribitur. Et libro de geſtis Pelagii cap. 10. explicans myſterium Pelagianæ hæreſeos, ut ab ipſo Pelagio ſuis diſcipulis aperiendo, ſic introducit Pelagium ipſum inſtruentem diſcipulos poſt falſam ſuam confeſſionem coram Concilio factam de vera Chriſti gratia: Dixi quidem proprio labore, & Dei gratia *poſſe* hominem eſſe ſine peccato; ſed quam dixi *gratiam* optime noſtis & recolere poteſtis quod *ea ſit in qua creati ſumus cum libero arbitrio.* Quam ſententiam paulo ſupra clarius expreſſerat Auguſtinus his verbis: Apertiſſime expreſſit (ſcilicet Pelagius in aliquo libro quem legerat Auguſtinus) hanc ſe dicere Dei gratiam, quod *poſſibilitatem non peccandi natura noſtra cum conderetur accepit, quoniam condita eſt* cum libero arbitrio. (quid clarius dici aut exoptari poterat?) Et cap. 17. ſub finem idem repetit dicens, quod in illo libro *Nullam* dicit *gratiam* Dei, *niſi naturam noſtram cum libero arbitrio gratiam creaturam.* Et cap. 23. idem exprimit aliis verbis, dicens Pelagium, de Dei gratia quæſtionem non aliter ſolvere viſum eſſe, *niſi ut naturam cum libero arbitrio conditam, Dei diceret gratiam.* Et cap. 30. ſic ait: An vero Epiſcopi judices, vel mente, vel ipſis auribus ferrent Pelagium dicentem, *poſſe* quidem hominem ſine peccato eſſe, & Dei mandata cuſtodire, ſi velit, diximus, niſi continuo ſequeretur *hanc* enim *poſſibilitatem* Deus illi dedit (ſed quomodo id intelligit? accipe) quod neſciebant illi eum dicere de *natura*, *non* de illâ quam in Apoſtolica prædicatione noverant gratiâ. Et cap. 35. ait quod Pelagius gratiam Dei denegaret, dicendo ut non peccemus impleamuſque juſtitiam *poſſe ſufficere naturam humanam quæ condita eſt cum libero arbitrio, eamque eſſe Dei gratiam quæ ſic conditi ſumus.* (ubi clare facit illam poſſibilitatem, ſeu gratiam, ſeu ſufficientiam homini coævam & coætaneam) Et infra: Poſſe autem homi-

Notandum valde eſt quod etſi pro diverſis ſtatibus diverſa effati ſint Pelag. tamen quia id quod dicebant, non recedebat à natura & arbitrio, ſeu à naturali arbitrio, in quo nullam ponebant gratiam, cum etiam in ultimo eorum ſtatu dicerent quod natura &

nem eſſe ſine peccato ſi velit, non ſic approbatum eſt, *quomodo ab illo* (ſcilicet Pelagio) *in libro ſuo poſitum videbitur tamquam hoc in ſola poteſtate eſſet hominis per liberum arbitrium* (per quod clare aperitur arcanus ſenſus Pelagii) ſed quomodo tunc ipſe reſpondit. Et tandem infra eodem capite, ſic refert ejus errorem, ſcilicet quod gratia Dei & adjutorium, *non ad ſingulos actus detur* (in quo clare ſignificatur Pelagiũ negaſſe, gratiam actualem eſſe voluntati neceſſariam: nam gratiam intellectus facile recipiebat, ut etiam infra notatur) ſed in libero arbitrio ſit, & in lege atque doctrina (quæ eſt gratia intellectus) quod *gratia Dei ſecundum merita noſtra detur*, & propterea & ipſa gratia in hominis *ſit poſita voluntate* (quam ſcilicet poterat mereri ex propriis, & ex naturalibus, ut per ſe patet) ſive dignus fiat, ſive indignus. Et Serm. 11. de verbis Apoſtoli cap. 7. ſic convincit eos negatæ gratiæ, cum aſſerunt gratiam & poſſibilitatem ſuam: Non, inquit (Pelagianus) contra gratiam Dei diſputo; unde probas: Eo ipſo, inquit, *non contra gratiam Dei diſputo, quod liberum arbitrium defendo:* (ecce ponit ſuam gratiam, ſeu poſſibilitatem ſuam in mero arbitrio) videte acumen, ſed vitreum quaſi lucet vanitate; ſed frangitur veritate: attendite quam ſit quaſi acute excogitatum quod dicere voluerunt: Hoc ipſo, inquit, quia liberum arbitrium hominis defendo, & dico quia liberum arbitrium *ſufficiens* eſt ut juſtus ſim, non ſine gratia Dei dico (ecce clare ponunt ſufficientiam, ſeu poſſibilitatem ſuam ad juſtitiam, in mero libero arbitrio: Unde & paulo infra ſic urget eos) Expone ergo nobis, ô Doctor (Pelagiane!) quam dicas gratiam: *cum dico*, inquit, *liberum hominis arbitrium:* (ergo volebant lib. arbitrium eſſe gratiam, ſeu poſſibilitatem ſuam, ut & mox probant) vide quia hominis dico: Quid deinde? hominem quis creavit? Deus. Quis ei liberum arbitrium dedit? Deus. Si ergo hominem Deus creavit, & homini Deus liberum arbitrium donavit, *quicquid poteſt homo de libero arbitrio; cujus gratia debetur, niſi ejus qui eum condidit cum libero arbitrio?* Et hoc quaſi acute ab ipſis dictum, videte tamen fratres mei! quomodo *illam generalem gratiam prædicent qua creatus eſt homo, quâ homines ſumus* (ubi luce clarius eſt quod nihil gratiæ voluntatis deputabant, quam liberum arbitrium in formatione ſua receptum à Deo, per quod potentes & ſufficientes fiebant ad juſtitiam, ſine ullo ei ſuperaddito ut neceſſario) Et infra ſic agit contra illos: Quare autem dabatur lex, ſi *ſufficiebat natura* (ergo ſecundum eos ſufficiebat natura, & erat vera eorum ſufficientia, ſeu poſſibilitas) & tamen nec lex ſufficere potuit (id eſt gratia intellectus cum poſſibilitate naturæ, ſeu liberi arbitrii: Unde ſic eos introducit loquentes) *ô ſi ſit qui doceat! ô ſi ſit qui mihi oſtendat!* (in quo eſt gratia intellectus quam admittebant Pelagiani) Ecce Lex dicit tibi [Non concupiſces] Cognoviſti Legem dicentem [Non concupiſces?] ſurrexit concupiſcentia quam non noveras: inerat enim, ſed neſciebatur, cœpiſti conari quod inerat, & apparuit quod latebat. Superbe! per legem factus es prævaricator, *agnoſce gratiam*, (non ſolùm

arbitrium inciperet, & Deus tantũ perficeret: ideo ſemper Auguſt. interpretatus eſt eorum gratiam de natura, & arbitrio ab initio dogmatis eorũ uſque in finem.

Vide etiam alios locos expreſſiſſimos, lib. de bono viduit. c. 17. & fragm. totoro; ſed præcipue initio. Et lib. 1. retractat. c. 9.

in intellectu quam ſignificant per Legem, ſed etiam in voluntate neceſſariam) & eſto laudator. Ubi clare convincit eos, eorum poſſibilitatem naturalem non ſufficere ad juſtitiam faciendam cum ſolâ gratiâ intellectus quam admittebant; ſed aliam præterea debere admitti in voluntate gratiam, quam ipſi non admittebant: Et ſic clarum eſt eos nullam umquam admiſiſſe in ſua poſſibilitate gratiam quæ cor hominis tangeret, & voluntatem ejus quomodocumque permoveret, ut expoſtulabat ab eis Auguſtinus, qui volebat arbitrium, ſeu voluntatem hominis lapſi moveri, & excitari à propriâ gratiâ, & non ab alienâ, ſeu quæ eſſet extra ipſam, qualis eſt ea quæ eſt in ſolo intellectu, & non in ipſamet voluntate: ob infirmitatem ſcilicet propriam, quæ remedio prorſus indigebat proprio, nec ſanari poterat alieno, quale erat adjutorium intellectus quod ſolum admittebant Pelagiani.

PUNCTUM XIV.

Supradicta firmantur unico, eoque efficaciſſimo Auguſtini teſtimonio, & obiter explicatur quid ſit arbitrium ſibi ſubjicere gratiam, & eam pediſſequam facere ſecundum Auguſtinum.

TANDEM his adjungam expreſſiſſimum Auguſtini teſtimonium ſumptum ex libro de hæreſibus ad Quod-vult-Deum cap. 88. qui liber tanto magis in hac re eſt æſtimandus, quod in ſummo hæreſis Pelagianæ vigore, Juliano ultimo Pelagiano contra Auguſtinum agente, poſt etiam ſuas retractationes exaratas, in ultimo denique contra Pelagianos conflictu conſcriptus ſit, tùm cùm illa hæreſis ſuis omnibus viribus inſtructa, loquacior & abundantior in ſuis peſſimis adinventionibus evaſerat. In illo itaque libro cap. 88. ſic deſcribit illam hæreſim: Pelagius, inquit, à fratribus increpatus quod nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei, ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hactenus ceſſit, ut *non eam libero arbitrio præponeret*, (numquam enim potuerunt adduci Pelagiani, ut admitterent gratiam prævenientem actionem liberi arbitrii; ſed tantum concomitantem, aut ſubſequentem) ſed infideli calliditate ſupponeret (id eſt faceret eſſe dependentem à libero arbitrio: non tamen eo ſenſu quo quidam corruptores Auguſtini falsò eum interpretati ſunt, quaſi voluiſſet dicere quod ideo ſubjecerat Pelagius illam gratiam arbitrio, eo quod diceret illam non poſſe agere ſine arbitrio, licet arbitrium non poſſet agere ſine illa: Nam è contra ſecundum Auguſtinũ illa gratia Pelagiana erat ſubjecta arbitrio, eo quod arbitrium poterat bene agere ſine illa, non tamen illa ſine libero arbitrio, ut patet ex ſequentibus) dicens: *Ad hoc* eam dari hominibus, *ut* quæ facere per liberum, jubentur *homines* arbitrium *facilius poſſint* implere per gratiam: *dicendo utique ut facilius poſſint; voluit credi etiamſi difficilius,*

tamen poſſe homines ſine gratiâ divinâ facere juſſa divina. (Et hoc eſt quod eſt ſupponere, ſed ſubjicere gratiam ~~divino~~ humano arbitrio ſecundum Auguſtinum, eſt facere ut arbitrium poſſit bene agere ſine illa; illa autem non poſſit agere ſine illo: in quo eſt totalis dependentia gratiæ ab arbitrio, nulla vero arbitrii à gratia; & proinde vera gratiæ ſubjectio. Et hoc etiam eſt facere gratiam pediſſequam arbitrii: cum ſic arbitrium nullo modo pendeat à gratia; ſed gratia ab illo ut ſerva: quod quam longe ſit diſſitum à gratia indifferente neceſſaria in voluntate ad bene agendum, nemo eſt qui non videat, cum arbitrium ſimpliciter & abſolute pendeat ab hac ad bene agendum & volendum, quod non reperitur in prædicta, quæ tantum requiritur, & neceſſaria eſt ad facilius agendum, & non ad ſimpliciter, & hoc obiter ſit dictum, non tamen ut ſpero inutiliter: Proſequamur nunc textum noſtrum) Illam vero gratiam Dei, *ſine qua nihil boni poſſumus facere* (qui eſt character veræ Chriſti gratiæ, ſcilicet dependentia & neceſſitas illius ad bene agendum ſimpliciter) non eſſe dicunt, *niſi in libero arbitrio, quod nullis ſuis precedentibus meritis, ab illo accepit natura.* (Ubi vides illam gratiam, ſeu poſſibilitatem ad facienda mandata, poni in mero hominis arbitrio, quod accepit homo à Deo naturaliter) ad hoc *tantum* exiſtimantes ipſum adiuvantem per ſuam legem atque doctrinam (quæ eſt gratia intellectus à Pelagianis admiſſa) ut *diſcamus qua facere, & qua ſperare debeamus: non autem ad hoc* per *donum Spiritus ſancti* (quæ eſt gratia in voluntate neceſſaria) *ut quæ didicerimus eſſe facienda, faciamus*: Ac per hoc divinitus dari nobis *ſcientiam* confitentur (quæ eſt gratia intellectus) qua ignorantia pellitur; *charitatem* autem (per quam ſignificat gratiam in voluntate neceſſariam Auguſt.) *dari negant quâ pie vivitur.* Ut ſcilicet cum ſit Dei donum ſcientia, quæ ſine charitate inflat, *non ſit Dei donum ipſa charitas*, quæ ut ſcientia non inflet, ædificat: *deſtruunt etiam orationes* quas facit Eccleſia, ſive pro infidelibus & doctrinæ Dei reſiſtentibus, ut convertantur ad Deum; ſive pro fidelibus, ut augeatur in eis fides, & perſeverent in ea. Hæc quippe *non ab ipſo accipere; ſed à ſeipſis homines habere contendunt, gratiam Dei* qua liberamur ab impietate dicentes *ſecundum merita noſtra dari.* Et hic fuit ultimus, quoad gratiam, Pelagianiſmi ſtatus, ut etiam notavimus initio diſputationis, in quo ſcilicet illi dicebant eo merito quo per merum arbitrium ſine ulla prorſus Dei gratia in voluntate, quærebamus Deum, pulſabamus ad ipſum, & eum orabamus, nobis ſic merentibus infundi gratiam Dei actualem qua perficere divinitus poteramus, quod mere humanitus inceperamus: Ex quo manifeſtum eſt neque Pelagium, neque Pelagianos umquam admiſiſſe gratiam in voluntate neceſſariam, ad ſuam poſſibilitatem: cùm etiam in extrema ſua cum Auguſtino conflictatione mordicus aſſererent, ſaltem liberum arbitrium debere incipere, per ſe quærendo, pulſando & petendo, ut his meritis debita illa gratia redderetur, ac ſic gratia inaniter nuncuparetur, tamquam *gratia nulla præceſſerit, & cor tetigerit*, ut

Videtur Iulianus poſtremus ille Pelagianum

fuiſſe auctor hujus modi dicendi: cum ibi dicat Auguſtinus: ibi vos, ut video, ponere jam cœpiſtis *merita gratiã præcedentia, quod eſt petere, quærere, pulſare, ut hic meritis debita, &c. Ex quo apparet quod hæc fuit poſtrema vox Pelagianiſmi jam ſeneſcentis & decrepiti.*

beatificum bonum peteretur à Deo, ut quæreretur Deus, ut pulſaretur ad Deum, fruſtraque ſit Scriptum [Miſericordia ejus præveniet me:] proüt aït Auguſtinus lib. 4. contra Julianum cap. 8. Ex quo etiam manifeſtum eſt, quid ſit illa gratia ſecundum Auguſtinum, ſeu quid ſit adjutorium illud voluntatis & actionis, quod tam vehementer urgebat contra Pelagianos: ſcilicet fuit gratia præveniens in voluntate, omnino neceſſaria tam ad accipiendum bonum, quam ad illud perficiendum; ſine qua nec orare, nec pulſare, nec ullo modo Deum inquirere, lapſus homo poſſit: licet ab ea non determinetur ad volendum bonum, & amplectendum illud: quandoquem nihil aliud requiſivit à Pelagianis Auguſtinus ad hoc ut eſſent Catholicæ gratiæ profeſſores, niſi ut confiterentur eam eſſe prorſus neceſſariam non ſolum in intellectu, ſed etiam in voluntate: non ſolum ad facilius, ſed ad ſimpliciter agendum: & non ſolum ad perficiendum, ſed etiam ad incipiendum quodcumque opus bonum, ut ex prædictis clarum eſt: in quo nulla prorſus indicatur, aut aliquo modo inſinuatur neceſſaria eſſe determinatio voluntatis, facta ab iſta gratia ad hoc ut ſit gratia Catholica, & non Pelagiana, ut volebat Janſenius: ſed tantum inſinuatur mera gratiæ neceſſitas, & indigentia ad bonum faciendum in voluntate humana: unde breviſſime declarans Auguſtinus Epiſt. 106. quid poſtulet à Pelagio ad fatendam veram Chriſti gratiam, ſic ait: Fateatur eſſe liberum arbitrium etiamſi divino indiget (non dicit determinetur) auxilio. Non, inquam, dicit determinetur, aut neceſſitetur; ſed indiget divino auxilio. Certe ſi gratia Chriſti haberet per ſe determinare voluntatem ſecundum Auguſt. & de iſta determinatione conqueſti eſſent Semipelag. ut vult Janſenius c. 11. Longe potius debebat dicere determinetur: cùm hoc maximum eorum arbitrio faceſſere debuiſſet negotium, cùm illud vellent eſſe vertibile omnino & indifferens: ſed non erat quæſtio de modo agendi gratiæ in voluntate, ſed tantum de neceſſitate ejus admittendæ in voluntate, ſeu de abſoluta & ferrea dependentia voluntatis ab ea in agendo bono, ſeu de abſoluta ejus indigentia in voluntate: quam ferre non poterant ii qui dicebant, *non eſſe liberum arbitrium ſi Dei indigeret auxilio*: & ideo totum quod poſtulabat ab eis Auguſtinus, erat ut faterentur ejus neceſſitatem & indigentiam in voluntate nihil de modo agendi ejus cogitans; ſed id ferre non poterant: quoniam, inquiebant, in *propria* voluntate habet unuſquiſque facere aliquid, vel non facere (ecce independentiam quam quærebant) & victoriam noſtram *non ex Dei adjutorio eſſe*, *ſed ex libero arbitrio* (ecce merum arbitrium ſine gratia quod defendebant: unde & Julianus dicit apud Auguſtinum lib. 5. contra Julianum cap. ultimo, quod *ſufficit homo* ingenitis ſibi motibus dare leges.

In eadem Epiſtola.

Ibidem.

Punctum XV.

Punctum XV.

Cuidam inſtantiæ occurritur, & multis teſtimoniis oſtenditur Auguſtinum non ſemper dediſſe actum ſuæ gratiæ; ſed ſæpe ſimplicem potentiam, ſeu nudam poſſibilitatem.

Verum contra objicies, & dices quod quando Auguſtinus inſtruit Pelagium de vera Chriſti gratia ſemper jungit eam cum effectu: dicens quod Deus per eam operatur voluntates hominum, quod agit & peragit, ut perſeveretur, quod facit ut homo volendo appetat, agendoque bonum perficiat: & cætera ejuſmodi apud Auguſtinum communiſſima, quæ videntur arguere quod voluit Auguſtinus iſtam gratiam eſſe per ſe efficacem, & determinativam arbitrii.

Reſpondeo quod etſi frequenter jungat illam gratiam cum effectu, forte ob hanc rationem, quia controverſia erat de actu exiſtente, aut futuro an eſſet ex Deo, an ex homine, ad actum autem exiſtentem, aut futurum eſt tantum gratia efficax, ſeu quæ eſt juncta cum effectu: vel ob hanc aliam cauſam, ſcilicet ne ſi locutus fuiſſet de ſua gratia, ut de mera poſſibilitate, ſeu potentiâ, abſtrahendo ab effectu, eam confunderent Pelagiani cum ſua hæretica & erronea, quæ etiam ſita erat in mera poſſibilitate, ſeu potentia; ſed inexcitativa, & non per ſe & immediate motiva voluntatis, ſicut erat Auguſtiniana & Catholica ſupra explicata, & per hoc non vere dans effectum Deo, ut ſupra vidimus, ſicut Auguſtiana & Catholica, de quo erat principaliſſima inter eos quæſtio & controverſia, & propter hoc valde erat cavenda omnis æquivocatio in hac materia, in qua non ſolùm danda erat Deo poſſibilitas, ſeu potentia, ut volebant Pelagiani; ſed & ipſa volitio & actio quod nolebant. Quod ſane prudentius & efficacius non poterat ſanctus Doctor deſignare, quam conjungendo actionem cum potentia, & utramque dando Deo, ut prorſus ei debitam, numquam tamen affirmando quod illa potentia & actio ſemper eſſent inter ſe conjunctæ, & omnino individuæ: (quod ſane nuſquam videbis apud Auguſtinum, & tamen deberet eſſe frequentiſſimum, ſi de eo eſſet quæſtio, ut prætendit Janſenius) ſed tantùm indicando utramque deberi Deo, & non tantùm earum unam, ut volebant Pelagiani, aut ſaltem ita ſentire convincebantur. Sed licet, ut dixi, id faciat frequenter Auguſtinus propter rationes prædictas; non tamen id facit ſemper, ut prætendit objectio, cum & in quibuſdam locis, etiam non paucis loquatur Auguſtinus de ſola poſſibilitate, ſeu potentia, & in pluribus aliis indicet eam ut ſolam, & non ut neceſſario & individue cum effectu conjunctam: ut libro 2. ex actis cum Fœlice Manichæo, ſic ait: Cùm ergo dicit (ſcilicet Deus hominibus) aut

Nihil ibi retractavit Auguſt. ut nec in infra citandis locis ex Expoſitione quarumdam propoſitionum ex Epiſtola ad Romanos, ut ibi declarabitur.

hoc facite, aut illud facite, *poteſtatem* indicat (ſcilicet divinitus datam) non naturam: nemo enim niſi Deus facere arborem *poteſt*, ſed habet unuſquiſque *in voluntate*, (id eſt in poteſtate libera) aut *eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona*: aut eligere quæ mala, & eſſe arbor mala. Et libro 1. operis imperf. contra Julianum cap. 96. aït: Ex quo homo incipit uti voluntatis arbitrio, *& peccare, & non peccare poteſt*; ſed alterum horum non facit niſi *adjutus* ab eo qui dicit: Sine me nihil *poteſtis* facere. Et Serm. 7. de verbis Apoſtoli in hæc verba, Peto vos non infirmari, ſic aït: Petit ergo eos ut non infirmentur, quod non faceret, niſi eorum vellet excitare voluntatem, ſi enim reſponderent, quid nos petis quod in *poteſtate* non habemus; numquid non viderentur ſibi juſtum reddidiſſe reſponſum, niſi ſciret eſſe in eis *propriæ voluntatis conſenſionem* (id eſt poteſtatem liberam & indifferentem conſentiendi) ubi & ipſi aliquid agerent, non diceret, Peto. Ergo habebant poteſtatem conſentiendi per gratiam, licet non actum. Et Homilia 16. ex quinquaginta, aït: *In tuo arbitrio* (id eſt in libera poteſtate) poſuit Deus cui pares locum, Deo vel diabolo: qui poſſidebit, imperabit. Et in Expoſit. quarumdam propoſit. ex Epiſt. ad Rom. propoſ. 18. Gratia, inquit, efficit ut non tantum velimus recte facere; ſed etiam *poſſimus*: non viribus noſtris, ſed liberatoris auxilio. Et cap. 60. aït: Si vocatus vocantem ſecutus fuerit quod eſt jam in libero arbitrio, merebitur & Spiritum ſanctum per quem *bona poſſit operari*. Et cap. 61. loquens de eodem Spiritu ſancto qui repræſentat gratiam, aït: Quo dato (ſcilicet Spiritu ſancto) miſericordiam præſtabit, cui miſericors fuerit, id eſt ut faciat eum miſericordem quo *bona poſſit per dilectionem operari*. Et infra eodem cap. Illius eſt dare credentibus & volentibus *facultatem bene operandi* per Spiritum ſanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus noſtris, ut nos miſericordes efficiat. Ubi advertendum eſt quod licet in illo libro erraverit circa initium fidei, ſeu circa primam fidem: non tamen circa opera, de quibus ibi loquitur; unde quoad ea nihil ibi retractavit, & per conſequens ea omnia approbavit. Et lib. de gr. & libero arb. cap. 15. Per hanc (inquit gratiam) fit, ut ipſa bona voluntas, quæ jam eſſe cœpit, augeatur: & tam magna fiat, ut *poſſit implere mandata divina* quæ voluerit, cum valde perfecteque voluerit: ad hoc enim valet quod ſcriptum eſt [Si volueris, conſervabis mandata, ut homo qui voluerit, nondum ſe plene velle cognoſcat, (ob reſiſtentiam, ſcilicet concupiſcentiæ) & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta *ſufficiat* ad implenda mandata. Et infra cap. 16. Certum eſt enim nos mandata ſervare, ſi volumus; ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt ut tantum velimus, quantum *ſufficit*, ut volendo faciamus. Et cap. 17. Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt, jam habet voluntatem bonam, ſed adhuc *parvam & invalidam: poterit autem cum magnam habuerit & robuſtam*. Et libro 1. contra adverſ. Legis & Proph. cap. 17. aït; Quod impetratur charitas, ut lex *poſſit* impleri. Et Ser. 125.

de Temp. cap. 2. Oramus, inquit, ut *virtutem* noſtris animis tribuat ut ejus voluntatem facere & implere *poſſimus*. Et Serm. 20. de diverſis cap. 9. Ipſe, inquit, dat *vires* ut quod jubet impleri *poſſit*. Et Serm. 50. Orate, inquit, ut *poſſimus*. Et Serm. 58. ſub finem: Nam quis, inquit, *idoneus* eſt velle & *poſſe* niſi inſpirando adjuvet, & ut *poſſimus*, & quia vocando perſiſtit, & quia ubique miſericordia ejus prævenit nos, ut vocatemur qui nolebamus, & ut impetremus *poſſe* quod volumus. Et Epiſtola 120. cap. 2. ſic ait: Poſtquam venerit (homo) in ætatem quâ in eo rationis uſus evigilet, *poterit adjutâ divinitus voluntate eligere alteram vitam*, cujus in mente gaudium eſt, cujus interna atque æterna fœlicitas. Et Epiſtola 143. in hæc verba Sapientis: Cùm ſcirem quia nemo poteſt eſſe continens niſi Deus det; ſic ait: Tantas *voluntatis vires*, tantum dilectionis (quo verbo ſignificat Auguſtinus gratiam voluntatis) ardorem volebat accipere Spiritu ſapientiæ, qui *ſufficeret* ad implendam magnitudinem continentiæ. Et lib. 2. de peccat. meritis & remiſſ. cap. 4. ſic ait: Etſi forte tentari cœperimus à concupiſcentia noſtra, adjutorio ejus non deſeramur, ut in eo *poſſimus vincere*, ne abſtrahamur illecti. Et cap. 6. quærens utrum homo ſine peccato poſſit eſſe in hac vita: ſic ait: Confitebor *poſſe per Dei gratiam & liberum ejus arbitrium*. Ipſum quoque arbitrium liberum ad Dei gratiam, hoc eſt ad Dei dona pertinere non ambigens, nec tantum ut ſit; ſed etiam ut bonum ſit: id eſt ad facienda mandata Domini convertatur: atque ita Dei gratia non ſolum oſtendat quid faciendum ſit, ſed adjuvet etiam ut *poſſit* fieri quod oſtenderit. Et infra ait: *Poteſt homo ſi velit*, eſſe ſine peccato *adjutus à Deo*. Et cap. 17. initio ſic ait: Cùm voluntate humanâ *gratiâ adjuvante divina* ſine peccato in hac vitâ *poſſit homo eſſe*; cur non ſit, poſſem facillime ac veraciſſime reſpondere: quia *homines nolunt*. Et libro de nat. & gr. cap. 64. ſic ait: [Quotquot autem receperunt eum, receperunt poteſtatem filios Dei fieri] quod utique non erant per naturam, nec omnino eſſent niſi eum recipiendo, accepiſſent per ejus gratiam *ejuſmodi poteſtatem: Hæc eſt poteſtas* quam ſibi vindicat fortitudo charitatis (quo nomine ſolet Auguſtinus exprimere veram Chriſti gratiam (quæ non eſt in nobis niſi [Per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis] (id eſt per gratiam). Et libro 1. retract. cap. 10. ſic ait: Quod autem dixi (ſcilicet in libro de Geneſi adverſus Manich.) illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos paſcit; ſed pura corda eorum qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum & temporalium ſe ad ejus præcepta implenda convertunt; quod omnes homines *poſſunt ſi velint*, non exiſtiment novi hæretici Pelagiani ſecundum eos eſſe dictum: verum eſt enim omnino omnes homines *hoc poſſe ſi velint*; ſed præparatur voluntas à Domino, & tantum augetur munere charitatis, *ut poſſint*. Et enarr. in Pſalm. 106. in hunc verſic. Confiteantur Domino miſerationes ejus; ſic ait: Potuit hoc Dominus ſine difficultate præſtare (ſcilicet poteſtatem obſervandi mandata, ſeu bene operandi) ſed ſi hoc ſine difficultate

haberemus, largitorem hujus boni non agnoſceremus: ſi enim primitus *cum vellet poſſet*, & non ſentiret adverſus ſe obnitentes cupiditates, *nec vinculis* ſuis gravata anima collideretur, ſuis tribueret viribus *quod ſe poſſe ſentiret*, & non confiterentur Domino miſerationes ejus: & prius dixerat quod facta eſt *facultas*, quæ fuerat antea difficultas. Et Ser. 20. de diverſ. cap. 8. ſic ait: Qui tranſit ad Chriſtum, tranſit à timore ad amorem, & incipit amore *jam poſſe*, quod timore non poterat. Et infra c. 9. Vocat te Deus, & jubet ut facias; ſed ipſe *dat vires*, ut quod jubet *impleri poſſit*. Et Serm. 10. de verbis Apoſtoli cap. 5. ſic ait: Ut implorares excitavit cor tuum, & *poſſe* implorare donavit. Ex quibus manifeſtum eſt, Auguſtinum non ſemper jungere gratiam cum effectu, ut dicebatur; ſed ſæpe loqui de illa ut ſola & ſine effectu, ut pote non inferente eum intrinſece; ſed tantum extrinſece, ſi nempe voluntas, ſeu liberum hominis arbitrium voluerit, quod etiam probatur multis aliis modis.

PUNCTUM XVI.

Rationibus probatur, Auguſtinum noluiſſe actum eſſe intrinſecum ſuæ gratiæ, ſed ſolam potentiam.

ET primò probatur ex eo quod Auguſtinus reprehendens Pelagium de ſua falſa poſſibilitate, non carpit eum, de eo quod vellet eam eſſe ſine adjutorio determinante, aut neceſſitante voluntatem, ſed de eo quod vellet eam eſſe *ſine ullo prorſus adjutorio divinæ gratiæ* (ad agendum ſimpliciter in voluntate requiſito) ut patet ex multis locis quos adduxi in probationibus poſſibilitatis Pelagianæ ut mere naturalis, ſeu meri liberi arbitrii, Puncto XI. & ſequentibus: imo vero ne quis putaret Auguſtinum, etiam aliquo modo reprehendere illum hæreticum, de eo quod admitteret in voluntate adjutorium indifferens, & non determinativum arbitrii: occurrit ſanctus Doctor incomparabili ſui perſpicacitate ingenii Epiſtola 106. longe ante finem: ubi oſtendit Pelagium ne minimam quidem, vel indifferentiſſimam admiſiſſe in voluntate prævenientem gratiam ad agendum ſimpliciter neceſſariam: Quod ne exiſtimetur, inquit, de illo temere ſuſpicari, & fortaſſe quis dicat, ſentire forte ac firmum ad non peccandum liberum arbitrium, *quamvis non ſine gratia* Dei (quo modo loquendi utitur Auguſtinus ſecundum ipſum Janſenium, cum exprimit gratiam indifferentem, & non determinantem ut gratiam Adami & Angelorum, & auxilium ſine quo) *id efficere atque adimplere non poſſit, ſicut ſanos oculos firmos dicimus ad videndum:* (quæ eſt etiam comparatio qua utitur Auguſtinus ſecundum Janſenium ad exprimendam gratiæ indifferentiam) *quod tamen nullo modo facere poſſunt ſi deſit lucis auxilium:* Alio loco quid diceret, aut quid putaret oſtendit; ubi ait: Ideo Dei gratiam hominibus dari, ut quod facere per liberum jubentur homines arbitrium, facilius poſſint implere

Lib. 2. de gratia Salv. cap. 4. & ſequentibus.

per gratiam: utique cum dicit facilius, quid vult intelligi, *niſi & gratia* (etiam indifferens, cum loquatur Auguſtinus indefinite, & per conſequens generaliter de omni gratia.) *ſi deſit, poſſe per liberum arbitrium, vel facile, vel etiam difficile, quæ divinitùs jubentur impleri.* Ubi maniſeſtiſſimum eſt Auguſtinum indicare, Pelagium nullam umquam admiſiſſe gratiam etiam indifferentiſſimam in voluntate neceſſariam ad bene agendum, cum in ea non admitteret gratiam ſine qua, ſeu auxilium ſine quo, quod eſt ſignum indifferentiæ ſecundum Janſenium: & per hoc etiam patet eum numquam Pelagium de tali gratia admiſſa, & de determinante dimiſſa, ſeu negata reprehendiſſe: quod claro argumento eſt Auguſtinum numquam repudiaſſe gratiam indifferentem, ſeu eam quæ non eſt ſemper cum effectu conjuncta, cum eam ſolùm rejecerit quam Pelagius admiſit, & eam ſolum admiſerit, quam Pelagius repudiavit, ut ad bene agendum neceſſariam. Unde non eſt quod urgeat contra nos Janſenius cap. 10. aliquos Auguſtini locos ubi videtur Auguſtinus ſignificare, quod ipſe non plene cognoſcebat quam admitteret Pelagius gratiam: Ex quo infert quod cum in illis locis rejiceret gratiam quam admittebat Pelagius *qualemlibet, & ubilibet* admitteret eam, in eâ volebat includi etiam gratiam prævenientem neceſſariam in voluntate non determinativam arbitrii. Certum eſt enim Auguſtinum bene noviſſe Pelagium non admittere gratiam prævenientem in voluntate ad bene agendum neceſſariam, etiam indifferentem, & non determinativam arbitrii: ut patet ex mox allato textu; ſed ideo id dicebat, quia tot diverſas adinvenerat iſte hæreticus gratias, ad hoc ut veram refugeret; ut tæderet Auguſtinum inquirere, & perſcrûtari ſingulariter qualem, & ubi, id eſt in quo eam poneret: (hæc enim particula, *ubilibet*, non ſignificat locum in quo; ſed rem in qua conſtituebat gratiam Pelagius, ut patet ex his verbis ipſius Auguſtini: Sive in *lege* atque *doctrina*, ſive *ubilibet* conſtituat: lib. de gr. Chriſti cap. 5.) Nam aliquando volebat Pelagius liberum arbitrium eſſe gratiam, & tunc ponebat eam in libero arbitrio: aliquando legem, ſeu mandata, aliquando doctrinam Euangelicam, & tunc ponebat eam in lege atque doctrina, ut habetur libro de gr. Chriſti cap. 3. & alibi communiter, aliquando exempla Chriſti, aliquando ſolam remiſſiomem peccatorum. Unde ut ſe liberaret Auguſtinus à tædio inquirendi qualis eſſet, & ubi ſeu in quo reponeret ſingulariter gratiam illam, de qua aliquando ſubobſcure loquebatur Pelagius, probe ſciens Auguſtinus quod illa qualiſlibet, vel quantalibet eſſet, vel ubilibet eam conſtitueret, non eſſet vera Chriſti gratia præveniens arbitrium, & ad ſimpliciter agendum in voluntate neceſſaria, dixit qualiſlibet, vel qualibet illa ſit, vel ubilibet, ſeu in quo eam conſtituat, ut patet ex ipſis Auguſtini verbis: Nempe, inquit, manifeſtum eſt eum (ſcilicet Pelagium) dicere *gratiam ſecundum merita dari, quamlibet eam vel qualemlibet ſignificet, quam tamen aperte non exprimit*: nam cum eos remunerandos dicit, qui *bene utuntur libero arbitrio*, & *ideo* mereti

Lib. de gr. Salvat. ſecundo.

Has omnes gratias recenſet Janſenius loco ſupracitato.

Tam certo ſciebat Auguſtinus in quo ponebat Pelagius ſuam gratiam, ut hæc diceret lib. de gr. Chr. c. 9. Poſtquam examinavit illius ſcripta, Vt quâcumque

Domini gratiam, debitam eis reddi, fatetur. Ubi manifeſtum eſt quod qualiſlibet eſſet illa graria, quam admittebat Pelagius, bene noverat Auguſtinus, quod non erat ullo modo præveniens arbitrium, nec ad agēdum, ſeu incipiendum bonum ſimplicirer neceſſaria, cum eam dari ſupponeret Pelagius ob præcedentia merita arbirrii. Unde mirum eſt qua audacia dictum ſit, quod Auguſtinus in cluderer in illis gratiis Pelagianicis gratiam prævenienrem indifferentem in voluntate ad agendum ſimpliciter neceſſariam, cum per prædicta verba formalirer excludat eam, ut clarum eſt intuenti & ſincere intelligenti ipſa verba Auguſtini.

legimus, aut audimus (Pelagium) divina gratia adjutorium confiteri, ut à malo declinemus, bonumque faciamus, ſive in lege atque doctrina, ſive ubilibet eam conſtituat, ſciamus quid loquitur: nec erremus, aliter eum intelligendo quam loquitur. Scire enim debemus, quod nec voluntatem noſtram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio. Vbi vides Auguſtinum duo aſſerere: unum eſt tam certo intelligere gratiam Pelagii, ſeu in quo ponebat eam Pelagius, ut non timeat in hoc errare poſſe. Alterum eſt illam gratiam nullo modo adjuvare voluntatem, ſeu volitionem: per quod ſatis innuit Pelagium nullam admiſiſſe in voluntate gratiam neceſſariam. Si enim aliquam admiſiſſet, etiam non determinantem; ſed ſolum excitantem arbitrium, ſeu ipſam voluntatem ad bene agendum, cum tota ſibi relicta ſua indifferentia: indubitatum omnino eſſet quod illam adjuvaret, quod tamen fieri negat Auguſtinus ab auxilio Pelagiano.

Secundò probatur ex eo quod declarans Auguſtinus quid deſideraret in ſententia Pelagii de graria, ad hoc ut eſſet Catholica, non poſtulat in eâ ut ſit cum effectu conjuncta, ſed ut admittatur aliqua gratia in voluntare ad ſimplicirer agendum neceſſaria, & non ſolum in intellectu, ut volebat Pelagius: quod ſignum eſt Auguſtinum numquam putaſſe iſtam conjunctionem eſſe neceſſariam ad rarionem grariæ medicinalis, Chriſtianæ: ſic enim aït libro de gratia Chriſti cap.13. inirio dicens: Hæc gratia ſi doctrina (quæ eſt gratia inrellectus) dicenda eſt, certe ſic dicatur ut alrius & interius eam Deus cum *ineffabili ſuavitate* (quæ eſt gratia voluntatis) credarur infundere, non ſolùm per eos qui plantant & riganr extrinſecus; ſed etiam per ſeipſum qui incrementum ſuum miniſtrar occultus, ita ur non oſtendat *tantummodo* veritarem (quæ eſt gratia intellectus) verumetiam impertiat *charitatem* (quæ eſt gratia voluntatis, ſeu in voluntare reſidens). Et Epiſtola 143. paulo poſt initium, inſtruens Demetriadis Virginis Matrem de vera Chriſti graria contra fallacias Pelagianorum, ſic aïr: Nec ſane parvus eſt error illorum (Pelagianorum) qui putant ex* *nobiſipſis nos habere*, ſi quod continentiæ, juſtitiæ, pietatis, caſtitatis in nobis eſt, *eò quòd ita nos condiderit Deus, ut ultra prater quod nobis revelet ſcientiam* (quæ eſt gratia inrellectus) *nihil nos adjuvet*, ut ea quæ facienda diſcendo novimus, etiam diligendo (quæ eſt graria voluntaris) faciamus: *naturam ſcilicet atque doctrinam definientes tantummodo eſſe gratiam Dei, & adjutorium*, ut recte juſteque vivamus; *ad habendam vero bonam voluntatem*, ubi eſt hoc ipſum quod juſte vivimus, *& ipſa charitas* (quo nomine ſolet Auguſtinus gratiam voluntatis deſignare) quæ omnibus Dei donis ita excellit, ut etiam Deus dicta ſit, *quâ unâ* adimplerur in nobis, ſi quid divinæ legis & admonitionis implemus, *nolunt nos divinitùs adjuvari* ſed noſipſos dicunt

** Ecce quid intelligit Auguſtinus quādo dicit aliquid eſſe ex nobis: non eſt eſſe ex determinatione liberi arbitrii cum gratiâ; ſed eſt eſſe à mero libero arbitrio ſine gratia.*

Tantū abeſt ut Pelagiani in hoc errarent, quod gratiam cū effectu non conjungerent, quin ipſemet Au

arbitrio *proprio* (id eſt non adjuto) nobis ad iſta *ſufficere*. Et infra verſus finem: a Si autem diligentius attendatis etiam illa quæ ibi videntur, velut pro gratia ſine adjutorio Dei dicere, ſic invenietis ambigua, ut poſſint referri, vel ad naturam, vel ad doctrinam, vel ad remiſſionem peccatorum: nam & quod coguntur confiteri, orare nos debere ne intremus in tentationem, poſſunt ad hoc referre, ut *hactenus* nos ad id reſpondeant adjuvari, quatenus orantibus atque pulſantibus nobis aperiatur intelligentia veritatis (quæ eſt gratia intellectus) b ubi diſcamus quid facere debeamus, *non ut vires* (nota valde) *accipiat voluntas noſtra*, quibus id quod diſcimus faciamus: (quod indicat gratiam in voluntate neceſſariam quam negabant; nam voluntas non accipit vires ab intellectu, ut nec oculus à lumine; ſed debet habere in ſe reſidentes, & excitantes eam ad bonum, & ſuavitatem internam inſpirantes, contra moleſtias concupiſcentiæ, & vitiorum intus reſidentium in voluntate hominis lapſi, ſemper eum turbantes, & avertentes eum à bono, & inclinantes eum in malum) Et infra idem repetit: *Non autem volunt*, inquit, ad *hoc nos adjuvari* (id eſt poteſtatem accipere) ut quod diſcendo cognoſcimus, etiam diligendo faciamus. Et tandem infra: Satis enim dici non poteſt, *quantum cupiamus* in eorum hominum ſcriptis, qui propter acrimoniam atque facundiam leguntur à plurimis, (ecce quod deſiderat Auguſtinus in ſententia Pelagii, ad hoc ut ſit Catholica) *apertam confeſſionem illius gratiæ reperiri*, quam vehementer commendat Apoſtolus, qui etiam [Menſuram fidei, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, ex qua juſtus vivit, quæ per dilectionem operatur] *ante quam*, *& ſine qua*, omnino nulla cujuſquam bona opera exiſtimanda ſunt: quoniam [Omne quod non eſt de Fide, peccatum eſt] Deum dicit unicuique partitum: Nec *ſola revelatione ſcientiæ* (quæ eſt gratia intellectus) *nos divinitus adjuvari, aut pie juſteque* vivamus, quæ ſine charitate inflat: verum etiam *inſpiratione charitatis*, (quæ eſt gratia voluntatis) quæ plenitudo legis eſt, & quæ cor noſtrum ut ſcientia non inflet, ædificat. Et tandem libro de gr. Chriſti cap. 29. nihil aliud ab eo poſtulat niſi ut, cum aliquando ſcribens Demetriadi Virgini, admiſiſſet gratiam voluntatis, ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius poſſint implere per gratiam, tolleret tantum iſtud facilius, & relinqueret poſſe, ut ſana & Catholica eſſet ejus propoſitio. Tolle, inquit, facilius & non ſolum plenus, verum etiam ſanus eſt ſenſus, ſi ita dicatur ut quod per liberum facere jubentur homines arbitrium, *poſſint* implere per gratiam. Ex quibus omnibus clarum eſt Auguſtinum nihil aliud deſideraſſe in ſententa Pelagii de gratia, niſi quod admitteret gratiam in voluntate ad agendum neceſſariam, non curans aliter de modo agendi ejus, an ſcilicet eſſet determinativus, aut non determinativus arbitrii: modo eſſet in voluntate, & neceſſaria eſſet gratia illa ad agendum ſimpliciter. Et ſic patet quod determinatio arbitrii ſecundum Auguſtinum non eſt de intrinſeca ratione gratiæ Chriſti, ut putabat Janſenius,

guſtinus referens eorum ſententiam de gratia, jungit effectum cum gratia, ut hic patet: nõ enim dicunt ut juſte poſſimus vivere: ſed, ut juſte vivamus. Quo modo loquendi vult Janſenius innuo actum eſſe cum potentia, ſeu cum gratia conjunctum.

b *Ecce cur dixit Auguſtinus gratiam Pelagianam,* quamlibet, qualemlibet, & ubilibet *conſtitutam, eſſe falſam, ut ſupra notavimus.*

Ecce adhuc actum cum ſua gratia cõjungunt: non enim dicunt, ubi poſſimus; ſed ubi diſcamus.

Ecce adhuc actum cum gratia Pelagiana conjunctum: nõ enim dicũt, ut juſte poſſimus, ſed, ut juſte vi-

Tertiò probatur ex eo quod ſupra oſtendimus ex Auguſtino *d*, quod liberum hominis arbitrium erat indifferens ſub gratia; ergo illa gratia non ſemper eſt cum effectu conjuncta, cùm fieri moraliter nequeat, quin talis gratia, quæ pendet ab arbitrio ad agendum, vel non agendum aliquando careat ſuo effectu.

Quartò probatur ex eo quod plurimis in locis innuit Auguſtinus iſtam gratiam ſuo effectu fruſtrari: Nam libro 1. ad Simplic. quæſtione illa ſecunda multoties laudata, ſic ait: *Noluit* ergo Eſaü, & *non cucurrit* (ecce gratia fruſtrata) ſed & ſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei *adjutorio* perveniſſet, qui & etiam velle, & currere, vocando præſtaret, niſi vocatione *contempta*, (ecce adhuc gratia fruſtrata) reprobus *e* fieret. Et libro 1. de peccat. mer. & remiſſ. cap. ult. loquens de parvulo baptizato. Si poſt baptiſmum (inquit) vixerit, atque ad ætatem capacem præcepti pervenire potuerit, ibi habet cum qua pugnet, (ſcilicet concupiſcentiam) eamque adjuvante Deo ſuperet, *ſi, non in vacuum gratiam ejus ſuſceperit,* ſi reprobatus eſſe *noluerit*, (ergo aliquando gratia Dei in vacuum recipitur, ſeu effectu ſuo fruſtratur, quandoquidem fruſtra hanc propoſitionem conditionalem, ſcilicet, *ſi non in vacuum gratiam Dei ſuſceperit*, Auguſtinus addidiſſet, ſi gratia illa ſuo effectu numquam fruſtranda eſſet.) Et lib. 2. cap. 17. ſic ait: Cum voluntate humana *gratia adjuvante divina*, ſine peccato in hac vita *poſſit* homo eſſe, *cur non ſit* (ecce gratia fruſtrata) poſſem facillime & veraciſſime reſpondere, *quia homines nolunt:* Et paulo infra ſpecialius reddens rationem iſtius reſiſtentiæ Dei adjutorio factæ, ſic ait: Ignorantia igitur, & infirmitas vitia ſunt quæ, *impediunt voluntatem, ne moveatur* (ſcilicet actu per gratiam) ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum, Ut autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates, qua *ut non adjuventur* (ſcilicet uſque ad effectum) *in ipſis itidem cauſa eſt*, non in Deo, ſive damnandi prædeſtinati ſint propter iniquitatem ſuperbiæ, ſive contra ipſam ſuam ſuperbiam judicandi & erudiendi: ſi filii ſint miſericordiæ. Et Tract. 12. in Joan. ait: *Salvari non vis* ab ipſo ex te judicaberis. Et Tract. 19. Qui audit & *contemnit*, audit & non credit, non vivet. Et Tract. 22. Vox Salvatoris irrupit duritiam lapidis (id eſt ſepulchri Lazari) & *cor tuum* ita *durum* eſt, *ut nondum* illa *vox divina te rumpat.* Tract. 27. Qui non hæret (Deo) *reſiſtit: qui reſiſtit non credit:* nam qui *reſiſtit adverſarius eſt radio lucis* (id eſt gratiæ) quo penetrandus eſt non avertit faciem; *ſed avertit mentem.* Tract. 42. Si ſermo meus (inquit Chriſtus) caperetur caperet: Si caperemini, intra retia Fidei tamquam piſces concluderemini: quid eſt ergo non capit in vobis; non capit cor veſtrum, *quia non recipitur à corde* veſtro. Et Tract. 53. dicit quod *reſiſtitur* Fidei Chriſti, id eſt gratiæ Fidei. Et lib. de nat. & gratia cap. 13. ſic ait: Sed quod dicit (ſcilicet Pelagius) negligentiæ ſuæ potius imputari, *quod non eſſet ſine peccato, bene quidem dicit* (ecce Auguſtinus approbat quod per negligentiam

noſtram

vamur. Et fere ita loquũtur quoties exprimunt ſuam ſententiam de gratia, etiam eam referente Auguſtino, quod ſane ſignum eſt quod id non poſſet Auguſtinus deſiderare in eorum ſententia de gratia; ſed id expreſſius infra demõſtrabitur.

d Sup Puncto II.

e Infra referetur de eadem reſiſtẽtia locus expreſſiſſimus ex eadem quæſtione in reſponſione ad 7. proprietatem gratia quã habet Janſenius c 24. libri 2. de gr. Salv. Vide infra Puncte XXI.

noſtram gratia ſuo fruſtretur effectu, ſed dignetur inde, & orare Deum, ne illi hæc iniqua *negligentia dominetur*, id eſt, poſtulet majorem gratiam. Et cap. 67. ſic ait: Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; ſed quod *negligis* (ergo poterat per gratiam) quærere quod ignoras: neque illud quod vulnerata membra non colligis; ſed quod *volentem ſanare contemnis*, (ecce gratia ſanans, ſeu medicinalis contempta, ſeu fruſtrata ſuo effectu, quem intendebat Deus, qui volebat ſanare, & non ſanavit.) Et lib. 4. ad Bonifac. cap. 9. id approbat ex Cypriano. Dicimus: Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra, non ut Deus faciat quod vult; ſed ut nos facere poſſimus quod Deus vult: Nam Deo quis obſiſtit, quo minus quod vult faciat: ſed quia nobis à diabolo *obſiſtitur, quominus per omnia noſter animus atque actus Deo obſequatur* (ecce reſiſtentia facta gratiæ ad obſequium Dei nos excitanti & moventi) oramus & petimus ut fiat in nobis voluntas Dei. Et lib. de corrept. & gr. cap. 7. loquens de homine lapſo qui non perſeveraverat, ſic ait: Homo! in eo quod audieras & tenueras *perſeverarés ſi velles*: Per hoc oſtendens quod gratiæ ad perſeverandum datæ reſtiterat. Et Homil. 12. ex 50. ſic ait: *Cum per Dei adjutorium in poteſtate tua ſit, utrum conſentias diabolo; quare non magis Deo quam ipſi obtemperare deliberas?* (id eſt mavis obedire diabolo, quam Deo: in quo eſt reſiſtentia jam facta gratiæ, ſeu adjutorio gratiæ in poteſtate noſtra poſito) Si enim ſolus diabolus daret conſilium, & Deus faceret, haberes quo excuſari poſſes. Cùm vero *Chriſtus tibi. & conſcientia tua contradicat*, & per Scripturas divinas audias in Eccleſia, quod non debeas facere malum: quare *eligis mortem* (ecce reſiſtentia gratiæ, ſeu adjutorio dato) *& deſeris vitam, & magis vis ſequi diabolum ad luxuriam*, quam obtemperare Chriſto qui te *invitat* (per gratiam vocantem) ad vitam æternam: Rogo ergo vos, Fratres chariſſimi! quare Satanas *ſeducit* ad peccandum (id eſt vobis perſuadet peccatum, in quo eſt actualis reſiſtentia gratiæ) cum Deus poſuerit homini in poteſtate non conſentire Satanæ: eſt enim à dextris quodammodo præcipiens Deus, à ſiniſtris ſeducens Satanas, homo in medio conſtitutus (his maxime declaratur indifferentia liberi arbitrii hominis lapſi, etiam ſub gratia & concupiſcentia conſtituti) cor quod inclinatur ad diabolum, quare *non potius erigitur ad Deum* (& ſic reſiſtitur gratiæ) non enim diabolus cogendo, ſed ſuadendo nocet; *nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit*: nos diabolum non adjuvemus, & vincimus: dat conſilium: *ſed Deo auxiliante noſtrum eſt, vel eligere, vel repudiare quod ſuggerit.* In quo manifeſta eſt dependentia gratiæ ad agendum ab arbitrio, & eidem facta reſiſtentia ab arbitrio ne ageret.

Denique probatur ex eo quod definiens Auguſtinus iſtam gratiam doctrinaliter, & ſecundum ſe, non jungit eam cum effectu; ſed tantùm cum voluntate ut ad ſimpliciter agendum illi neceſſariam; ut patet ex Epiſtola 106. circa initium, ubi ſic definit illam gratiam, dicens quod gratia Dei per JESUM CHRISTUM Dominum noſtrum, *quod Fides*

vera & Catholica tenet, ſemper Eccleſia puſillos cum magnis à morte primi hominis ad vitam ſecundi hominis transfert: non ſolum peccata delendo, verum etiam ad non peccandum recteque vivendum eos qui jam uti poſſunt voluntatis arbitrio *ſic adjuvando, ut niſi id juvet, nihil pietatis* atque juſtitiæ ſive in opere, ſive etiam in ipſa voluntate *habere poſſimus.* Ubi nihil aliud poſtulatur ad intrinſecam ejus rationem niſi quod ita adjuvet, ut niſi adjuvet, nihil boni habere poſſimus: quod ſane non dicit conjunctionem neceſſariam gratiæ cum effectu; ſed potius indifferentiam & libertatem ad habendum illum, vel non habendum, modo illa gratia ita ſit neceſſaria voluntati ad bene agendum, ut ſine illa bene agere prorſus non poſſit. Quod adhuc inculcat circa finem Epiſt. ubi cum hæc verba Apoſt. allegaſſet [Non eſt volentis, neque currentis; ſed miſerentis eſt Dei] ſic ait: Non quia nullus eſt hominis atque voluntatis curſus; ſed quia *nihil poteſt, niſi ille miſereatur* (ſcilicet per gratiam.) Ex quo manifeſtum eſt gratiam Chriſtianam, ſeu medicinalem, non requirere per ſe & intrinſece conjunctionem cum effectu, ſed tantum cum voluntate ad dandam ei potentiam bene agendi ſimpliciter, & & à ſe omnino dependenter.

Punctum XVII.

Quibuſdam Janſenii inſtantiis contra præcedentem doctrinam factis reſpondetur; & indicatur duplex gratia, quarum una datur omnibus, altera vero non, ſecundum Auguſtinum.

VERUM contra hæc poſſet objici quod cum loquitur Auguſtinus de gratia ut potentia, nulla facta mentione de effectu, ibi ſumit potentiam completiſſime, prout comprehendit poſſe & agere; & ſic ſemper effectum cum hac potentia conjungere. Quod poſſet probari ex his Auguſtini teſtimoniis à Janſenio allatis libro 3. de gr. Salvatoris cap. 15. §. Hæc igitur. Primò ex lib. de corrept. & gr. cap. 11. Eſt quippe in nobis per hanc Dei gratiam, non ſolum poſſe quod volumus; ſed etiam velle quod poſſumus. Et aliquanto inferius: Tantum quippe Spiritu ſancto accenditur voluntas eorum, ut ideo poſſint, quia ſic volunt: ideoque ſic velint, quia Deus operatur ut velint. Et alia infra ſigillatim referenda cum ea ſolvemus.

Reſpondeo itaque primò quod aliud poteſt innui in his locis, & aliud in aliis quos ſupra adduximus: & ſic non bene inferri quod ſi hîc loquitur Auguſtinus de tali poſſe quod habeat effectum ſibi conjunctum, ita loquatur de eodem poſſe in aliis teſtimoniis à nobis modo allatis.

Reſpondeo ſecundò ſaltem evinci ex iis teſtimoniis, in quibus demonſtravimus potentiam illam eſſe ſuo effectu fruſtratam, quod vera

Chriſti gratia non habeat intrinſece quod ſit cum ſuo effectu conjuncta, cum ibi non conjuncta ſit. Nam dicere quod illa gratia de qua loquitur ibi Auguſtinus, non eſt vera Chriſti gratia, eſt petere principium, & omnino ire contra ſenſum Auguſtini, cum illam ipſam gratiam nominet iiſdem nominibus, quibus ſolet nominare veram Chriſti gratiam, vocans eàm vocationem, gratiam divinam, adjutorium Dei, gratiam Dei, & gratiam ſanare volentem: quæ idem eſt ac gratia ſanans, & medicinalis Chriſti.

Reſpondeo tertio in iis ipſis locis contra nos adductis, exceptis illis qui ſumpti ſunt ex cap. 11. libri de corrept. & gr. (in quo, ut ſupra declaravimus, loquitur Auguſtinus expreſſè & ſingulariter de gratia efficaci prædeſtinatorum ad gloriam, & proinde non debet trahi in exemplum generalis Chriſti gratiæ de qua loquimur) non innui in cæteris, illam potentiam debere eſſe conjunctam cum effectu, ad hoc ut ſit vera Chriſti gratia; ſed tantum quod & ipſa potentia, ſeu gratia & ipſe effectus debent tribui Deo, contra ſententiam Pelagii qui ſolam potentiam bene agendi ſuo modo explicatam tribuebat Deo, non vero volitionem & effectum ab ea productum; ut ſupra late demonſtravimus Puncto XII. prob. 6. in quadam object. ſeu inſtantia. Poſſet itaque concedi, duos primos locos ſupra allegatos habere potentiam conjunctam cum effectu, quia ibi loquitur Auguſtinus ſpecialiter de gratia efficaci prædeſtinatorum, ut jam ſupra notavimus; ſed non eſſe ſimile de cæteris gratiis, quia licet bene arguatur à genere ad ſpeciem, v. g. omne animal eſt ſenſibile; ergo homo eſt ſenſibilis, ergo leo eſt ſenſibilis, &c. non tamen è converſo, bene arguitur à ſpecie ad genus, ut ſi diceres, omnis homo eſt rationalis, ergo omne animal eſt rationale: ita nec bene dicitur, omnis gratia efficax habet effectum conjunctum, ergo omnis gratia Chriſti habet effectum conjunctum, ut ibi arguitur: Quia in illis locis Auguſt. non agitur de gratia Chriſti ſecundum ſe; ſed de ſpeciali gratia perſeverantiæ prædeſtinatorum lapſorum hominum, quæ ſemper eſt efficax, & conjuncta cum effectu; unde non bene arguitur ad cæteras. Quantum ad tertium locum qui ſumptus eſt ex eodem libro & capite, ſcilicet: Si Deus non operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate ſuâ voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent. Puncto IV. initio.

Reſpondeo Auguſtinum nullam ibi innuere neceſſariam conjunctionem gratiæ cum effectu; ſed tantum innuere aliam eſſe neceſſariam gratiam ad perſeverandum lapſis hominibus, quam primo homini, de quorum comparatione ibi agebatur; & vult dicere quod niſi Deus operaretur in voluntate hominis lapſi, excitando & movendo eam ad bonum; ſed tantum operaretur in ejus intellectu, illuſtrando & illuminando illum ſicut in primo homine, inter tot & tantas tentationes voluntas ipſa (intrinſece non adjuta) infirmitate ſua ſuccomberet: Quod patet ex his

verbis immediate antecedentibus, ſcilicet: Si in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam, perfici virtutem oportebat, *ipſis relinqueretur voluntas ſua ut in adjutorio Dei ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent* (quod eſt adjutorium Adami, ſeu gratia intellectus & cognitionis) nec Deus in eis operaretur ut vellent, (id eſt excitaret & moveret intrinſece ad volendum, & intus tangeret voluntatem eorum: ſed tantum extrinſece ut in Adamo per gratiam intellectus) inter tot & tantas tentationes infirmitate ſua (non ſanata & adjuta per gratiam prædictam intrinſecam) voluntas ipſa ſuccumberet: & ideo, &c. vel poſſet dici quod ibi loquitur Auguſtinus de dependentia voluntatis à Deo, ut habeat duplicem gratiam, quæ communiter neceſſaria eſt ad perſeverandum, & ad quodvis aliud difficile obeundum, ad hoc ut Deus operetur in ea veram volitionem, & tam validam, & fortem, ut proxime ſufficiens ſit ad obeundum illud difficile, propter quod indiguit iſtis gratiis: fuit enim Auguſtini ſententia quod ad facilia Chriſtianæ virtutis opera, ſemper adeſt gratia proxima: ad difficilia autem non proxima; ſed tantum remota, per quam poſſumus impetrare proximam, quam vult eſſe propriiſſime & excellentiſſime potentiam. Sic enim ait libro de nat. & gr. cap. 68. Gratias agant cum inſtituerint bene vivere, quod aliquid *ſine difficultate* fecerint, (ecce prima gratia quæ ſufficit in facilibus, facile conceſſa Chriſtianis) & ubi *difficultatem aliquam ſentiunt*, fideliſſimis & perſeverantiſſimis precibus, & miſericordiæ promptis operibus *facilitatem* (id eſt facilem poteſtatem) à Domino *impetrare* perſiſtant (ecce duplicem illam gratiam in difficilibus neceſſariam communiter, ſcilicet ad orandum primam, & ad firmiter & prompte volendum ſecundam, quæ impetratur per primam: prima enim datur ad volendum, quæ ſi non reperiat magnas tentationes & difficultates, ſola ſufficiens eſt abſolute & proxime, ut prorumpat in actum, quia ad id ſimplex voluntas ſufficit: ſi autem repetiat magnas tentationes & difficultates ſuperandas, tunc non eſt proxime & complete ſufficiens; ſed tantum remote & mediate, & ſecundum quid, quia nempe illa voluntas non eſt ſatis magna & robuſta ad vincendas proxime magnas illas tentationes & difficultates, quæ reperiuntur in actibus heroicis, v. g. perſeverantiæ finalis, martyrii, continentiæ & ſimilibus; ſed tantum ſufficit ad orandum & exercendum opera miſericordiæ quibus impetretur magna illa voluntas, quæ ſufficiat ad heroïcos iſtos actus exercendos & vincendas omnes illorum difficultates: unde & paulo poſt ait cap. ſcilicet 69. initio: Eo quippe ipſo quo firmiſſime creditur, Deum juſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur, & in *facilibus quid agamus* (ecce gratia ſufficiens omnibus oblata, quæ proxime ſufficiens eſt in facilibus; ſed tantum remote & mediate ſufficiens in difficilibus, per quam ſcilicet poteſt homo lapſus impetrare gratiam proximam ad agendum, ut mox ſequitur) *& in difficilibus quid petamus?* Quæ adhuc duplex potentia in difficilibus com-

muniter requiſita, magis apparet in iis locis, quæ adduximus ſupra ex libro de gratia & libero arbitrio cap. 15. ubi ait Auguſtinus: Per hanc (ſcilicet gratiam) fit ut ipſa bona voluntas, *quæ jam eſſe cœpit* (quæ eſt prima gratia, ſeu potentia) *augeatur, & tam magna fiat, ut poſſit implere mandata divina quæ voluerit* (id eſt etiam difficiliora) *cum valde perfectéque voluerit* (& hæc eſt ſecunda, ſeu ſufficiens gratia proxima per ſe capax perrumpere omnes difficultates & tentationes obſiſtentes ne bene agat, etſi velit) ad hoc enim valet quod ſcriptum eſt, [Si volueris conſervabis mandata] ut homo qui voluerit, (ſimpliciter) *nondum ſe plene velle* cognoſcat (ſed tantum inchoate & remote, defectu ſcilicet ſecundæ gratiæ, ſeu proximæ poteſtatis & gratiæ, de qua mox ſequitur) & oret (ecce quod proxime poterat prima gratia) ut habeat *tantam voluntatem, quanta ſufficiat ad implenda mandata* (quæ eſt proxima & completa potentia) Et cap. 16. ſic ait: Ab illo (ſcilicet Deo) petendum eſt, (& eſt prima gratia, ſeu potentia omnibus data qua poteſt peti) *ut tantum velimus, quantum ſufficit* (& eſt ſecunda gratia, ſeu potentia quæ ſufficit) ut volendo faciamus (id eſt ad faciẽdum quod volumus) Et c. 17. Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt (ſcilicet proxime) *jam quidem habet voluntatem bonam* (& per conſequens aliquam gratiam, quam ibi voco primam) ſed adhuc parvam & invalidam (id eſt nondum proxime & complete potentem) *poterit* autem (ſcilicet proxime & complete) *cum habuerit magnam & robuſtam* (quæ eſt illa ſecunda gratia communiter neceſſaria in actibus difficilibus.) Loquitur ergo ibi Auguſtinus de duplici illa gratia, ſeu potentia ad bene agendum neceſſaria in rebus difficilibus, qualis eſt perſeverantia, de qua ibi loquitur: & dicit quod Deus operatur (id eſt excitat & movet ad hoc) ut velint, id eſt ut habeant non ſolum parvam & invalidam; ſed etiam magnam illam & robuſtam voluntatem, qua proxime & complete fiant potentes ad bene agendum, ſi velint: niſi enim Deus illam daret, inquit Auguſtinus (ſcilicet excitando & movendo eam fortius, ut ſupra dictum eſt) inter tot & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent (ubi vides voluntatem illam, non cito dare actum; ſed ſolam potentiam: non enim dicit; & ideo non perſeverarent, quod per ſe & directe reſpiceret ipſum actum: ſed dicit; & ideo perſeverare non poſſent: quod directe reſpicit ipſam ſolam potentiam, nec quicquam aliud. Unde nihil hinc conjici poteſt pro actu futuro abſolute. Nam licet illa voluntas, in quantum fortis & robuſta, contemnat omnes graviores difficultates, non tamen cito prorumpit in actum, à quo poteſt leviſſima conſideratione averti: voluntas enim Adæ, & malorum Angelorum, nullam patiebatur in bono ſaltem gravem difficultatem, cum vocetur ab Auguſtino liberrima & fœliciſſima, & tamen non prorupit in actum dum debuit. & per conſequens ex illa magna & robuſta voluntate contemnente difficultates & tentationes graviores, non cito inferendus eſt actus, ſeu effectus; ſed tantum

potentia) quia deficientes infirmitate, nec vellent, (quæ eſt prima gratia) aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent (quæ eſt ſecunda gratia, ſeu potentia, quæ ſatis indicatur per hoc, poſſent) Et ſic ibi agitur de conjunctione minoris poteſtatis cum majori; non autem de conjunctione gratiæ, ſeu poteſtatis cum effectu: quamquam etſi ibi ageretur de conjunctione gratiæ cum effectu, non id nobis præjudicaret, cum ibi non agatur de gratia generaliter ut hîc agimus: ſed de ſolâ gratiâ perſeverantiæ prædeſtinatorum, ſemper efficaci (cujus ratio valde diverſa eſt à ratione gratiæ generaliter, & ſecundum ſe ſumptæ) ut ſupra expoſitum eſt.

Puncto IV. initio.

Quantum autem ad hæc verba ſumpta ex lib. de gr. & lib. arb. cap. 15. ſcilicet: Tunc enim utile eſt velle cum poſſumus, & tunc utile eſt poſſe cum volumus. Nam quid prodeſt, ſi quod non poſſumus volumus, aut ſi quod poſſumus, nolumus?

Reſpondeo quod hæc non arguunt neceſſariam conjunctionem gratiæ cum effectu; ſed tantum arguunt gratiam eſſe inutilem, ſi non habeat effectum, quod & nos concedimus; ſed ideo non bene hinc concluditur quod ſemper debeat eſſe cum effectu, aliàs diceremus quod gratia Adæ & Angelorum fuiſſet ſemper conjuncta cum effectu (quandoquidem erat eis eodem modo inutilis ac hominibus lapſis ſine ſuo effectu) quod tamen nemo Catholicus diceret.

Quantum autem ad iſta verba ſumpta ex libro de gratia Chriſti cap. 47. ſcilicet: Ipſa voluntas & actio: id eſt ut bene velimus & bene agamus, quæ non ſunt in homine, niſi quando bene vult & bene agit.

Dico illa verba non innuere quod gratia ſit ſemper conjuncta cum effectu, ſeu cum volitione & actione: ſed ſignificare quod volitio & actio, de quibus ſolis ibi loquitur Auguſt. (ut ipſemet explicat ibi dicens; id eſt ut bene velimus & agamus: quod eſt bene velle & bene agere) non ſunt in nobis, niſi cum bene volumus & bene agimus: de quo ſane nemo dubitare poteſt; ſed aliud eſt dicere, quod gratia non eſt in nobis niſi quando bene volumus & bene agimus, & aliud dicere, quod volitio & actio non ſunt in nobis niſi quando bene volumus & bene agimus. Hoc dicit Auguſtinus, & non illud: & per conſequens id nihil efficit contra nos, qui non negamus volitionem & actionem non eſſe in nobis, niſi quando volumus & agimus; ſed ſolam gratiam. Cur autem hac expreſſione uſus ſit Auguſtinus (quæ alias ridicula videretur, cum nemo dubitare poſſit quin volitio & actio non ſint in nobis, niſi cum volumus & agimus) ea eſt, quia ibi funditus explicabat gratiam ſuam, ut quæ daret Deo non ſolum noſtrum poſſe, ſicut poſſibilitas Pelagiana: ſed etiam ipſum velle & agere, quod non dabat Deo poſſibilitas Pelagiana: ut autem id melius inculcaret & daret intelligi, ita expreſſit & declaravit illud, ut etiam ea adderet, de quibus nemo dubitare poſſet, ut nulla prorſus deinceps relinqueretur in terminis ſuis ambiguitas, qua abuti poſſet Pelagius ad tegendum errorem ſuum. Ut autem clare videas

quod per hæc verba: voluntas & actio, quæ ſunt ſubjectum totius propoſitionis, non intelligat Auguſtinus ipſam gratiam, patet, cum poſtea iſti volitioni & actioni addat ipſam gratiam & auxilium divinum, quo dicit eas adjuvari, ut patet ex his verbis: Si, ut dixi (ecce loquitur de iiſdem) conſenſerit (ſcilicet Pelagius) etiam *ipſam voluntatem & actionem divinitus adjuvari.* Ergo illæ non ſunt gratia, nec adjutorium divinum, cùm ipſæ ab adjutorio ipſo divino, ſeu gratia adjuventur, & per conſequens ab illa diſtinguantur. Et ut oſtendatur præterea iſtud adjutorium, ſeu gratiam eſſe ab iſta volitione & actione disjungibilem: ita ibi exprimit iſtud adjutorium, ut appareat nullam habere neceſſariam cum prædicta volitione & actione conjunctionem, cum non exprimat illud tamquam auxilium quo: quo modo loquendi vult Janſenius intelligi arctiſſimam gratiæ cum volitione & actione connexionem; ſed tamquam auxilium ſine quo, quod ſemper cenſuit indifferentiſſimum, & maxime ſeparabile à volitione & actione: Sic enim ibi aït Auguſtinus: Si conſenſerit (Pelagius) etiam ipſam volitionem & actionem divinitus adjuvari, *& ſic adjuvari, ut ſine illo adjutorio nihil bene velimus & agamus.* Ubi vides illud adjutorium non exprimi tamquam adjutorium quo; ſed tamquam auxilium ſine quo: dicit enim eſſe adjutorium ſine quo nihil bene volumus & agimus; quod auxilium, ſeu genus auxilii ſemper cenſuit Janſenius eſſe indifferentiſſimum, & maxime ſeparabile à volitione & actione; & proinde non inferens indiviſibilem cum volitione & actione conjunctionem. Ex quo manifeſtum eſt Auguſtinum ibi noluiſſe dicere quod gratia, ſeu adjutorium Dei non eſt in nobis, niſi quando bene volumus & agimus; ſed tantum quod volitio illa & actio, de quibus ibi loquitur, non ſunt in nobis niſi quando bene volumus & agimus, quod ſane veriſſimum eſt; ſed non nobis contrarium.

Quantum autem ad illa verba ſumpta ex eodem libro cap.26. ſcilicet: Et ſine illa gratia omnino nihil boni, quod ad pietatem ſpectet, fieri poſſe. Miror cur adducat ea Janſenius, cum nihil ex eis ſequatur, niſi quod effectus bonus non poſſit eſſe ſine gratia: non autem quod gratia non poſſit eſſe ſine effectu, de quo tamen ſolo hîc quæſtio eſt. Item quoad illa verba ſumpta ex ejuſdem libri cap.14. ſcilicet quod homo per Chriſti gratiam non ſolùm poteſt venire, ſed venit.

Reſpondeo quod per id non innuit Auguſtinus gratiam ſemper eſſe conjunctam cum effectu; ſed tantum quod utrumque eſt à gratia, ſeu quod utrumque debetur gratiæ, ſcilicet, & quod homo poſſit venire, & quod veniat: ibi enim agit Auguſtinus contra Pelagium qui volebat ſolum poſſe eſſe à Dèo; bene autem agere eſſe à nobis, & non à Deo: Unde contra eum utitur hoc teſtimonio Joann.6. ubi Chriſtus aït: Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me: Ubi non ſolum poſſe venire, ſeu bene agere tribuitur Deo; ſed & ipſum venire, ſeu bene agere: Si enim, inquit Auguſtinus, *ſolum* poſſe noſtrum hac gratiâ juvaretur, ita diceret Dominus: Omnis qui audivit à Patre, & didicit,

poteſt venire ad me: non autem ita dixit; ſed, Omnis, inquit, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me. Ex quo bene colligit Auguſtinus contra Pelagium, quod non ſolùm poſſe noſtrum rectè tribuitur Deo, & eſt à Deo; ſed & ipſum bene agere quod ſignificatur his verbis, venit ad me: Ubi, inquit ibidem Auguſtinus, jam & poſſibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus eſt: Unde bene concludit quod hæc omnia Deo tribuenda ſint ſecundum ſacram Scripturam, & non ſolùm nudum poſſe, ut volebat Pelagius: & ita manifeſtum eſt quod in his non agitur de individua conjunctione gratiæ cum effectu, ut contendit Janſenius; ſed de indiuidua attributione poſſibilitatis & actus ejus, ut ad Deum pertinente, & in eum referenda.

Quantum autem ad cætera teſtimonia ibi adducta, in quibus dicitur quod effectus gratiæ datur & conceditur à Deo per gratiam, non arguunt gratiam eſſe ſemper cum effectu conjunctam; ſed tantum innuunt quod Deus per gratiam eſt cauſa principalis effectus iſtius, & per hoc dans & concedens illum homini. Vel ſignificant quod gratia data ad illum efficiendum, data eſt à Deo gratis, & ſine præviis meritis, ſeu quod eſt donum, & non præmium, ut volebant Pelagiani: utroque enim modo errabant Pelagiani, & quod dicerent Deum non prævenire voluntatem per gratiam, & ſic non eſſe cauſam principalem effectus illius: & quod actus voluntatis adjutus per gratiam, ſupponeret aliquod initium ab homine, per quod homo mereretur iſtud adjutorium accipere: quod utrumque Auguſtinus ibi agens contra illos omnino rejicit & repudiat per hoc quod dicit illum effectum eſſe datum & conceſſum à Deo; nam in quantum Deus eſt dator effectus iſtius, debet eſſe cauſa illius, & per hoc prævenire illam voluntatem, ut cauſam principalem & primariam, movendo & excitando eam ad bonum opus, idque gratis & ſine ullis requiſitis meritis, quandoquidem ſi prærequireret, vel ſupponeret meritum, non jam eſſet dator; ſed reddens & retribuens mercedem, ſeu præmium: quod longe voluit Auguſtinus eſſe à gratia, quæ, ut multoties repetit, non eſt gratia, ſi meritis reddatur ut debita. Et ſic patet quod iſta verba, dare, concedere, & ejuſmodi nullam individuam arguunt, aut innuunt conjunctionem gratiæ cum effectu in ſenſu Auguſtini; ſed tantum ſignificant nudum & merum concurſum Dei, ut prævenientem liberum hominis arbitrium, & ut dantem gratis effectum per influxum gratuitum, & non ſupponentem ullum meritum.

Ex quibus omnibus jam concludendum eſt, differentiam quæ intercedit inter adjutorium poſſibilitatis Pelagii, & adjutorium voluntatis & actionis Auguſtini, non fuiſſe in hoc poſitam, quod ille gratiam vellet eſſe indifferentem, & non determinantem arbitrium: hic vero vellet gratiam eſſe per ſe determinativam arbitrii, & effectum ſemper habituram, ut dicebat Janſenius; ſed tantum in hoc fuiſſe poſitam quod ille, ſcilicet Pelagius, nullam omnino gratiam admitteret in voluntate

neceſſariam

neceſſariam ante bonam volitionem & actionem; hic autem, ſcilicet Auguſtinus, vellet admitti neceſſariò gratiam in voluntate ante omnem bonam volitionem & actionem; quæ gratia licet non eſſet determinativa arbitrii, tamen erat vera cauſa effectus ejus, cùm per ſe moveret, & excitaret, & inclinaret voluntatem ad bene volendum & bene agendum: quod omnino ſufficit ad eſſe veram cauſam effectus à voluntate libera profecti & producti, de quo ſolo agebatur. Quod declarat evidenter ipſe Auguſtinus libro 1. ad Simplic. quæſtione illa 2. toties laudata; ubi ait: Miſerentis eſt Dei, *quandoquidem* nec velle, *nec currere, niſi eo movente atque excitante poterimus.* Et multo ante in eadem quæſtione: *Quia vocatio præcedit bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur quod bene volumus.* Ex quo clare apparet quantum hallucinatus ſit Janſenius, qui putavit Deum non fore veram cauſam hujus effectus, ſi non determinaret voluntatem ad illum producendum: cum ſecundum Philoſophos & Theologos & etiam ipſum Auguſtinum, ſufficiat ad eſſe veram cauſam talis effectus, eſſe motorem, excitatorem, conſultorem & inſtigatorem illius, quod nimis manifeſtum eſt, quam ut ultra probare neceſſe ſit.

Punctum XVIII.

Aliis Janſenianis reſpondetur inſtantiis.

Sed adhuc inſtat Janſenius, & ſumit argumentum ex hæreticali opinione Semipelagianorum, qui licet, ut ipſe ait, admitterent ad *initium Fidei*, ſimileſque actus bonos *vera*, internæ actualiſque gratiæ adjutorium neceſſarium, cum hac ſola limitatione, quod cum illo poſſent *credere*, & orare *ſi vellent*, ita ut ipſum adjutorium, & ipſum velle & nolle *in eorum relinqueretur arbitrio:* tamen non potuerunt Auguſtino & Eccleſiæ tanta divini adjutorii prædicatione ſatisfacere: (ex quo ſequitur quod Janſenius vult dicere in hoc illos erraſſe, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare: cum ibi dicat quod in hoc Fidei Eccleſiæ nullo modo ſatisfacerent). Lib.2.de gr. Salv. c.14.

Sed reſpondeo Semipelagianos numquam iſtud adjutorium admiſiſſe ut neceſſarium ad initium Fidei; ſed in hoc ipſum Janſenium erraſſe, quod id falsò iſtis hæreticis attribuerit. Unde & ipſe propter id legitime proſcriptus eſt, in quarta propoſitione, quæ eſt inter illas quinque, quæ nuper à ſancta Sede Apoſtolica damnatæ ſunt ut erroneæ, & hæreticæ. Et ſatis ſupra demonſtratum eſt initio hujus diſputationis iſtos hæreticos numquam conſtanter admiſiſſe iſtud adjutorium, nec illud neceſſarium agnoviſſe ad initium Fidei. Et etiam id clarum eſt ex his quæ paulo ſupra diximus de Pelagianorum gratia quam non admittebant in voluntate ut ei neceſſariam ad quodcumque bonum opus incipiendum; ſed ſolum in intellectu. Nam cum Semipelagiani non aliter ſentirent in fur- *Quarta propoſitio damnata eſt ejuſmodi: Semipelagiani admittebãt prævenientis gratiæ interioris neceſſitatẽ*

ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei: & in hoc erant hæretici *quod vellent eam gratiã talem eſſe cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.*

*§. 1. & 2. capitis 11. libri 2. de gr. Salv.

mali dogmatis; ſed ſolùm in materiali, in quantum Pelagiani circa omne opus bonum errarent, Semipelagiani autem tantummodo circa initium Fidei & perſeverantiam: Ideo cum ſupra demonſtraverimus Pelagianos nullam admiſiſſe gratiam ad quodcumque bonum opus incipiendum neceſſariam, ita & certum eſt quod Semipelagiani nullam ejuſmodi gratiam admiſerunt neceſſariam ad initium Fidei, & ad perſeverantiam; quæ erant ſola illa objecta circa quæ ipſi errabant. Unde cum hæc tam perſpicua ſint, non puto neceſſe eſſe, in his diutius immorari; ſed tantummodo breviter explicandæ ſunt aliquæ phraſes Auguſtini, quibus Janſenius vult probare * gratiam eſſe prædeterminantem. Ut cum dicit Auguſtinus: Primum hominem in ſua conditione accepiſſe voluntatem liberam & ſufficientiſſimam, & ita liberum fuiſſe, ut bene velle poſſet & male, & nos perdidiſſe liberum arbitrium ad diligendum Deum peccati granditate.

Reſpondeo enim nihil aliud velle dicere, niſi quod voluntas, ſeu liberum Adæ arbitrium nullo indigeret recipiendo in voluntate auxilio divino; ſed tantum in intellectu: cum voluntas, ſeu arbitrium illius nondum eſſet ſauciatum vulnere concupiſcentiæ; & ſic non eſſet indigum ejuſmodi auxilii: & ſic etiam fuiſſe liberum in ſenſu Pelagiano quoad bonum & malum, cùm indigentiam illam non haberet quam Pelagiani falsò ſtatuebant eſſe libertati contrariam, & cum ea incompoſſibilem, videlicet gratiæ in voluntate recipiendæ: nos vero perdidiſſe illam libertatem magnam & excellentem (quæ ſcilicet carebat iſta indigentia divinæ gratiæ in voluntate recipiendæ) ob concupiſcentiam nunc ſævientem, & nos ad peccatum incitantem, & fere trahentem, invitis nobis. Quod etiam ſic explicat ipſe Auguſtinus lib. 1. ad Bonifac. cap. 2. dicens: *Libertas* quidem *periit* per peccatum, ſed *illa quæ in paradiſo fuit,* (ſcilicet Adæ peculiaris) *habendi plenam cum immortalitate juſtitiam;* propter quod natura humana, *divina indiget gratia* (non dicit quâ gratiâ, an determinativa nec-ne; ſed tantum aliquâ, & per conſequens ſolum indifferente, de novo ſcilicet in voluntate neceſſaria, nam etiam antiquitus in Adamo erat neceſſaria in intellectu ſecundum ipſum Auguſtinum) dicente Domino [Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis] utique liberi (ſed alia libertate quam prius) ad bene juſteque vivendum. Ubi notandum eſt quod loquens ibi Auguſtinus de libertate contra Pelagianos, ſumit eam pro indifferentia, prout & ipſi eam ſumebant, ut ſupra notavimus: nam aliàs magna fuiſſet confuſio in eorum diſputatione, ſi non de termino iſto intrinſeco, & ut ita dicam eſſentiali huic diſputationi non conveniſſent. Ubi etiam loquitur de duplici illâ indifferentiâ, de qua jam ſupra locuti ſumus, ſcilicet tranquilla & pugnaci, de tranquilla quam amiſimus in Adamo peccati granditate; & de pugnaci: quæ ſucceſſit contra concupiſcentiam inſurgentem per gratiam debellandam. Cum autem addit Janſenius quod cum prædicante Pelagio, libertatem naturalem poſſe ſine gratia Chriſti ſufficere ad cuſto-

Ibidem § 3.

diendam legem & mandata, diceret Auguſtinus, quod ſi de ſana hominis natura loqueretur, utcumque acceptaretur hoc dictum.

Reſpondeo, ſenſum eſſe quod hoc dictum verum eſſet de poſſibilitate ſeu de libertate primi hominis, qui ſolâ indigebat gratiâ in intellectu, & non in voluntate, propter ſanitatem ejus: non vero de homine lapſo, ut intelligebat Pelagius, nolens eum indigere gratiâ in voluntate ad benè agendum neceſſaria, ut nec Adam ipſe: in quo vehementer ipſe errabat, putans naturam adhuc eſſe omnino ſanam, & non peccati granditate læſam, & proſtratam: Et proinde gratiæ voluntatem ſanantis, & firmantis non indigam: ut nec naturam primi hominis. Et hoc modo etiam intelligendi ſunt Pontifices & Concilia, quando de fide, dilectione, operibus bonis per liberum arbitrium, per naturæ vigorem, per naturæ bonum, ſeu poſſibilitatem arbitrii naturalem (ut aït Janſenius) faciendis, aut non faciendis multa adverſus Maſſilienſium pronuntiata decernunt. Per hæc enim nihil aliud intendunt niſi corrigere iſtos errantes de eo quod putarent hominem retinere adhuc aliquid primævæ ſanitatis; & ideo nollent admittere auxilium in voluntate neceſſarium ad initium Fidei & perſeverantiam; ſed vellent hominem lapſum habere ſatis ſanum & firmum arbitrium, ut per ſeipſum ſolum, & ſine tali auxilio poſſet credere & perſeverare ſi vellet, in quo erant hæretici. Ibidem §. 4.

Falſum autem omnino eſt id quod aſſerit Janſenius §. 5. ſcilicet quod *ſemper* Concilium & Patres, quando inculcant gratiæ neceſſitatem, non quolibet modo dicunt: quia homo *ſine gratia adjutorio nihil facere poteſt, vel ſimilia*, quæ in quolibet ſtatu ſunt veriſſima: ſed quod ut purgari velimus, ſancti Spiritus infuſione & operatione fieri debet: quod per inſpirationem corrigitur voluntas ab infidelitate ad Fidem, id eſt (ut aït Janſenius) velle à non credendo ad credendum retorquetur. Per quæ intelligit Janſenius gratiam determinantem, ſeu prædeterminantem arbitrium. Conſtat enim Auguſtinum (quem ipſe Janſenius, & alii conſiderant hîc inſtar omnium Patrum) ſæpiſſime explicare gratiam hominis lapſi, ut *ſine qua nihil boni fieri poſſit*, & ut dantem *ſimplex poſſe*, & non ſemper cum actu conjunctam, ut ſupra multis locis demonſtravimus: quod ſane longiſſime eſt ab eo quod tam certo & tam generaliter aſſerit Janſenius pro gratia determinante: imo etiam ſupra non unum locum attulimus, ubi Auguſtinus definiens doctrinaliter & ex profeſſo gratiam lapſi hominis, non aliter explicat eam, quam ut ſine qua nihil boni fieri poteſt. Et Concil. Trid. tradens doctrinam Fidei, de gratia lapſi hominis, non aliter definit eam quam ut ſine qua nihil fieri poteſt quod pertineat ad ſalutem: Si quis, inquit, dixerit *ſine* præveniente Spiritus ſancti inſpiratione atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere *poſſe* (ubi etiam vides ſimplex & nudum poſſe ei attributum) ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit. Et Concilium Arauſic. quod fortaſſe vocat Janſenius antonomaſtice Concilium, cùm illud ſolum citet in margine, can. 6. ſic aït: Si Seſſ. 5. can. 3. de Juſtificat.

quis *ſine gratia Dei* (ecce gratia mere enunciata ut ſine qua) credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri divinitus; non autem ut credamus, velimus, *vel* hæc omnia ſicut oportet, agere *valeamus*: (ubi vides potentiam & actum disjunctive poni, quia nempe utrumlibet confitearis ſufficit ad gratiam, nec utrumque neceſſe eſt confiteri ſemper ſimul eſſe, ut volebat Janſenius) per infuſionem & inſpirationem ſancti Spiritus in nobis fieri confitetur, humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubjungit gratiæ adjutorium (id eſt ponit adjutorium gratiæ poſt actionem arbitrii pulſantis, quærentis, &c. ut etiam infra ſic explicat ſeſe Concilium, prout videbimus) nec ut obedientes, & humiles ſimus, ipſius donum gratiæ eſſe conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicenti: [Quid habes quod non accepiſti?] & [Gratia Dei ſum id quod ſum]. Et can. 7. ſic aït: Si quis per naturæ vigorem, bonum aliquod quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, ſive ſalutari, id eſt Evangelicæ prædicationi conſentire *poſſe* (ecce nudum poſſe) *abſque* illuminatione, & inſpiratione Spiritus ſancti (ecce etiam nudam neceſſitatem gratiæ, ſine qua nihil poteſt facere homo lapſus) qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu. Et can. 8. damnans opinionem Caſſiani Semipelagiani, de qua locuti ſumus circa initium hujus Diſputationis, qui volebat nos aliquando per gratiam, aliquando per merum liberum arbitrium credere: in quo negabat abſolutam gratiæ neceſſitatem ad credendum; ſic aït: Si quis, alios per miſericordiam, alios vero per liberum arbitrium, quod in omnibus qui de prævaricatione primi hominis nati ſunt, conſtat eſſe vitiatum, ad gratiam baptiſmi *poſſe* venire contendit, (ecce nudum poſſe) à recta Fide probatur alienus: Is enim non omnium (nota valde rationem) liberum arbitrium per peccatum primi hominis infirmatum, aut certe ita læſum putat, ut tamen quidam *valeant* (ecce nudum poſſe) *ſine* revelatione Dei (ecce etiam gratiam ſine qua) myſterium ſalutis æternæ per ſeipſos (ſcilicet ſine gratia) conquirere. Et can. 10. Adjutorium Dei, inquit, etiam renatis, & Sanctis, ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono *poſſint* opere perdurare. (ecce nudum poſſe) Et can. 19. Natura humana etiamſi in illa integritate, in qua eſt condita permaneret, nullo modo ſeipſam creatore ſuo *non adjuvante*, ſervaret. Unde cum *ſine* gratia Dei ſalutem non *poſſit* cuſtodire quam accepit: quomodo *ſine gratia poterit* reparare quod perdidit: Et can. 25. Prædicare, inquit, debemus & credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſtea aut diligere Deum, ſicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum eſt *poſſit*, *niſi* gratia eum & miſericordia prævenerit. Et infra: Hoc etiam *ſecundum Fidem Catholicam* credimus, quod accepta per Baptiſmum gratia, omnes baptiſati Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent *poſſint*

Ibi vides eligere, quod ſignificat indifferentiam.

Nota hos modos loquendi: ſine gratia non valeant, & niſi gratia prævenerit: qui ſolùm indicant dependentiam a gratia ſeu neceſſitatẽ gratia ad agendum, non vero vim ullã determinati-

& *debeant, ſi* fideliter laborare *voluerint* (ecce potentiam indifferentem) adimplere. Et adhuc infra: Hoc etiam ſalubriter profitemur, & credimus; quod in omni opere bono non nos incipimus, (ſcilicet per merum arbitrium) & *poſtea* (ergo antea non adjuvabamur) per Dei miſericordiam adjuvamur, (ecce quod ſupra dixerat ſubjungi gratiam arbitrio, ſcilicet ut gratia tantum agat poſt arbitrium, ſeu ut actio ejus ſequatur actionem arbitrii) ſed ipſe nobis nullis præcedentibus bonis meritis, (ſcilicet meri arbitrii) & fidem, & amorem ſui prius inſpirat: (& vide objectum iſtius inſpirationis, ſeu quo fine illa data ſit) ut & Baptiſmi Sacramenta fideliter *requiramus*, & poſt Baptiſmum cum ipſius adjutorio, ea quæ ſibi ſunt placita implere *poſſimus*. Ubi vides actionem & poteſtatem promiſcue poni à Concilio, ut objectum divinæ gratiæ, ſæpius tamen potentiam quam actum, ut facile videre eſt in præcitatis locis: Et ſic etiam vides, Concilium non ſemper loqui de actu, ut de individuo objecto gratiæ, prout voluerat Janſenius: ſed de ipſa ſæpe ſola potentia, ſeu poſſibilitate bene agendi, & gratiam ipſam definire ſimpliciter, talem eſſe ſine qua nihil boni agere poſſumus, nullo ſuperaddito agendi modo proprio, quo liberi arbitrii determinativa ſignificetur. Pro quo etiam potes videre Epiſtolam Cæleſtini Papæ de natura gratiæ Chriſtianæ ſcribentis ad Epiſcopos Galliæ juxta doctrinam D. Auguſtini, prius etiam approbatam à prædeceſſore ſuo Zozimo, & ibi de novo confirmatam; ubi multis capitibus, ſcilicet 3. 4. 5. 6. 7. & 8. definit gratiam Chriſtianam eſſe talem, ut ſine illa, vel ſi non habeamus illam, nihil boni facere poſſimus, ita ut ad claritatem iſtius ſolidæ veritatis, nihil deſiderari poſſit amplius.

vam illius in liberum arbitrium.

Quantum autem ad illa quæ addit Janſenius §. ultimo de ſententia Semipelagianorum, quaſi illi admiſiſſent aliquam gratiam indifferentem in voluntate neceſſariam, antequam illa quicquam boni ageret, aut inciperet.

Reſpondeo id aliud nihil eſſe, niſi continuationem ſui erroris de ſententia Semipelagianorum, quos falsò putat talem gratiam admiſiſſe, de quo errore paulo paulo ſupra ſatis egimus, ita ut non neceſſe ſit illum hîc amplius refutare.

Sed ſequenti cap. 14. addit aliquam inſtantiam Janſenius, ſumptam ex eo quod dicat Auguſtinus quod gratiam Chriſtianam dat, & facit, velle, & operari, & donat omnia merita, ut eſt in titulo capitis: Cui ego

Reſpondeo quod dare & facere actionem apud Auguſtinum, nihil aliud ſignificat, niſi Deum concurrere ad actionem, movendo & excitando ad illam ſpecialiter & directe, ita ut ſine illa motione & excitatione prævia, homo bene agere non poſſit, ut ipſe ſe explicat in Pſalmum 52. circa medium, dicens: Quod *dono* ipſius tu *facis*, ille *facere* dicitur: (nota rationem) *quia ſine illo tu non faceres*: ergo Deus *facere* dicitur cum *tu facis*. (quia nempe movendo & excitando ad faciendum, cenſetur id facere, & donare quod fit: cùm id faciat gratis, & cum ſine

Iſti termini. facere, dare, & ſimiles, late explicabuntur de indifferentia, in quodam tractatu, quem fere confectum habemus. de gratia indifferenti ſecundum Auguſt.

** Concilium Arauſ. can. 18. ibi citatum §. Quid vero. ſub finem.*

illo id fieri non poſſit. Unde eſt quod toties utitur Auguſtinus hoc modo loquendi contra Pelagianos & Semipelagianos, quia nempe illi negabant iſtam dependentiam voluntatis humanæ ab iſta prævia motione & excitatione Dei, ſeu gratiæ: propter quod omnes textus à Janſenio allatos nil moror, cum illi tantum ſint contra iſtos errantes, qui repudiabant iſtam dependentiam & excitationem præviam gratiæ neceſſariam in voluntate, & non contra nos qui admittimus eam: Et contra iſtos etiam ſolos ſic decidit Concilium Arauſ.* ab ipſo Janſenio ibi citatum: debetur merces bonis operibus ſi fiant; ſed gratia quæ non debetur, *præcedit* ut fiant. Quia nempe cum iſti errantes negarent iſtam præceſſionem gratiæ eſſe neceſſariam ad bene volendum & bene agendum: ideo ipſi bene damnantur ab iſto Concilio, ut negantes veram Chriſti gratiam quæ ad id neceſſaria eſt. Falſum autem eſt id quod ibi addit Janſenius, ſcilicet quod ibi non ſumitur gratia pro qualibet gratia ſine qua non, per quam intelligit Janſenius gratiam indifferentem, & non determinantem arbitrium: Supra enim oſtenſum eſt in plurimis textibus ejuſdem Concilii, ipſum Concilium tantum poſtulare gratiam ſine qua non, in voluntate neceſſariam quam negabant Pelagiani & Semipelagiani, ut etiam ſupra demonſtratum eſt: & licet in aliquibus canonibus idem Cõcilium mentionem faciat de actu, ut à Deo actu dato & facto, ſeu ut aït Janſenius, ut à gratia donante qua Deus operatur ut fiat: non tamen hinc ſequitur quod actus iſte ſit à determinatione gratiæ; ſed tantum ſequitur quod ſit ab excitatione & motione illius, cum motio illa & excitatio facta à Deo ad illum ponendum, & faciendum, ſit vera cauſa illius, & per illam etiam Deus, qui fecit eam in voluntate ad hoc ut is actus exiſteret, ſeu fieret ab homine cum gratiâ operante.

Hunc textum affert pro ſe Janſ. ſupradicto § Quid vero, circa medium: hic vero ſpecialiter eum explico, quia videtur, cæteris ibi allatis expreſ-

Notandum autem eſt, quod ad hoc ut actus dicatur à Deo datus, aut factus, neceſſe eſt ut actu exiſtat; nam ſi non exiſtat quomodo factus dici poteſt? ergo debet actu exiſtere: At non exiſtit, niſi per gratiam efficacem; nam per meram ſufficientem nihil exiſtit: Unde non eſt mirum quod cum loquitur Auguſtinus de actu dato, & facto à Deo, ſupponat gratiam efficacem fuiſſe neceſſariam, quandoquidem ſine illâ, actus ille non extitiſſet, nec proinde datus eſſet; ut v. g. loquens Auguſtinus lib. de gr. & libero arbit. cap. 4. de continentia, affert hunc textum Matth. 19. [Non omnes capiunt verbum hoc; ſed quibus datum èſt] ubi manifeſte ſermo eſt de actu exiſtente, & non de poſſe ſimpliciter: non enim dicitur, Non omnes poſſunt capere, quod ſignificaret potentiam: ſed, Non omnes capiunt, quod ſignificat actum: Unde & ſic loquitur conſequenter Auguſtinus: Quibus enim non eſt datum (ſcilicet capere, quod ſignificat actum) aut nolunt, aut non implent quod volunt: quibus autem datum eſt (ſcilicet capere, quod ſignificat actum) ſic volunt, ut impleant quod volunt, (quod ſignificat gratiam efficacem) quia nempe ibi ſermo eſt de actu exiſtente, qui proinde

poſtulat gratiam efficacem, & non de actu poſſibili, qui eſt indifferens ad gratiam efficacem, aut inefficacem. Unde non eſt hinc generaliter inferendum quod omnis gratia ſemper eſt conjuncta cum ſuo actu, aut effectu, ex eo quod talis gratia ſit ſemper conjuncta cum tali actu ut exiſtente: quia ibi non agitur de gratia in genere, & ſecundum ſe ſumptâ; ſed de tali gratia ut tali effectui, ſcilicet ut exiſtenti conveniente: Seu ibi non agitur de gratia abſolute; ſed de facta illa ſuppoſitione quod actus exiſtat, vel exſtiturus ſit, quod proinde non eſt communicandum omni gratiæ. Ut enim perſpiciatur quod etiam iſta gratia de qua ibi loquitur Auguſtinus, nulla ſuppoſitione facta & ſecundum ſe ſumpta, potuit carere ſuo effectu, afferenda ſunt verba antecedentia Auguſtini, ubi oſtendit illam gratiam fuiſſe indifferentem & non determinativam arbitrii; ſed potius ab ipſo arbitrio determinabilem ut ageret, vel non ageret, prout illi placuiſſet. Numquid, inquit, liberum arbitrium Timothei (arbitrium ſcilicet indifferens, cum ibi agat Auguſtinus contra Pelagianos, qui accipiebant illud in iſta ſignificatione; & proinde debebat illud ita ſumere, alias ut diximus, ejus diſputatio cum illis, plena eſſet confuſione) eſt exhortatus Apoſtolus dicens [Contine teipſum] & in hac re *poteſtatem voluntatis* oſtendit (id eſt poteſtatem ut eligat quod in hac re ſibi placuerit, quod maxime indicat indifferentiam: quod etiam probet ex hoc loco Apoſtoli 1.Cor.7. ubi ait (Apoſtolus) Non habens neceſſitatem, *poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis,* ut ſervet virginem ſuam: Quod maxime etiam denotat indifferentiam, ſeu, ut ait Eſtius in illum locum, Liberam poteſtatem eligendi quod placuerit: Unde paulo ſupra loquens Auguſtinus de illa gratia quæ dat nobis poteſtatem ſupradictæ virtutis continentiæ, loquitur de illa gratia ut ſine qua, per quam gratiam vult Janſenius intelligi veram indifferentiam. Proinde, inquit Auguſtinus, ſicut ſuperioribus teſtimoniis Scripturarum probavimus ſanctarum, ad bene vivendum, & recte agendum, eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium (ſcilicet indifferens, ut jam dictum eſt) ſic etiam de gratia Dei, *ſine qua nihil* boni agere poſſumus, quæ ſint divina teſtimonia videamus: (ubi vides omnia ſibi conſentire & liberum arbitrium indifferens, & gratiam ſine qua non) ac primum de ipſa veſtra profeſſione (id eſt continentiæ: loquitur enim Monachis) aliquid dicam: neque enim congregaret vos iſta ſocietas in qua *continenter vivitis*, niſi voluptatem conjugalem contemneretis. Hinc autem Domino loquenti, cum dixiſſent Diſcipuli [Si talis eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere?] reſpondit [Non omnes *capiunt* verbum hoc; ſed quibus *datum eſt*]. Ubi vides gratiam illam ſine qua, ſeu indifferentem de qua ſupra, applicari ab Auguſtino continentiæ illi ad quam continentiam poſtulat gratiam efficacem: quia nempe licet illa gratia ſecundum ſe ſumpta ſit indifferens, tamen ut applicanda eſt actui qui exſtiturus eſt, debet eligi, & dari ut efficax, & non ut inefficax. Quia nempe ad actum abſolute futurum, ſeu exiſtentem eſt ſola gratia efficax, & non inefficax.

ſior pro Ianſenio.

cum per ſolam gratiam efficacem actus exiſtat, & non per inefficacem: Unde non eſt mirum quod ibi poſtulet Auguſtinus gratiam efficacem ad illum actum continentiæ, quandoquidem ibi loquitur de ipſo actu continentiæ realiter exiſtente (ad quem ut talem, eſt ſola gratia efficax) & non de illius poſſibilitate, ad quam ſufficit gratia etiam inefficax, ſeu gratia ſecundum ſe. Et ſic valde advertendum & diſcernendum eſt: de qua materia præciſe loquatur Auguſtinus, ut non falſa & erronea præcipitetur ſententia, tribuens omni gratiæ, quod uni convenit illius ſpeciei, ſeu quaſi ſpeciei: & ſic confundantur omnia, quæ maxime debent eſſe diſtincta.

PUNCTUM XIX.

Aliquæ aliæ Ianſenii inſtantiæ ſolvuntur, & quædam etiam phraſes Auguſtinianæ exponuntur, ſecundum verum earum ſenſum contra eumdem Ianſenium.

MULTA præterea congerit Janſenius pro gratia determinante capitibus ſequentibus, quorum aliqua non ſunt contra nos; ſed tantum contra eos qui admittunt ſolam gratiam habitualem concurrere ad actum bonum, & rejiciunt actualem ut ad ſingulos actus neceſſariam, quam nos ſupra ſatis admiſimus: Alia ſunt de errore Pelagianorum & Semipelagianorum, quos putat Janſenius admiſiſſe gratiam neceſſariam in voluntate ad bene agendum, quod ſupra ſatis confutavimus. Alia confundunt gratiam efficacem cum determinante, qualia ſunt ea quæ deſumit ex orationibus Eccleſiæ, quæ quidem petit à Deo gratiam effecturam, & infallibilem ut potiorem, non tamen determinantem: Nam quod petat actum & effectum, non eſt petere determinationem ſuæ voluntatis ad actum illum; ſed ejus futuritionem, quæ proculdubio poteſt eſſe ſine determinatione aliena, & à ſola Dei gratia efficaci & infallibili, quæ à nullo duro corde umquam reſpuitur, licet pendeat ab arbitrio quod non reſpuatur.

Alia deſumit ex quibuſdam phraſibus & modis loquendi Auguſtini per ſe ambiguis; ſed conſiderata materia quam tractat, omnino claris & perſpicuis, quorum aliquos jam ſatis explicuimus, Puncto ſcilicet præcedente, ut cùm dicit Auguſtinus quod Deus donat & facit actum, quod dat voluntatem, facit velle, facit ut velimus, & alia ejuſmodi, quæ nihil aliud ſonant, quam gratiam excitantem & moventem ad bene velle, & ad bene facere, ut à Deo datam & conceſſam, cum excluſione ſolius poſſibilitatis Pelagianæ, quæ non erat potius ad bonum volendum, quam ad malum; & ſic non faciebat Deum potius cauſam & authorem boni, quam mali, quod omnino eſt rejiciendum. Certe non potuit Auguſtinus per hos modos loquendi intelligere gratiam determinantem etiam ſecundum ipſum Janſenium, cùm ipſe Janſenius lib. 8. de hæreſi Pelag.

Ex cap. 23.

Pelag. cap.8. §. Nec minus. Afferat aliquos locos Auguſtini ex quodam libro, quem conſtat factum eſſe tempore quo cum Semipelagianis errabat circa primam fidem (qui error conſiſtebat ſecundum ipſum Janſenium in hoc quod putaret ſufficere gratiam indifferentem ad illam primam fidem) & tamen ibi dicit: *Fidem da*. Et infra: Omnis recte quæſivit quem tu *credere feciſti*. Ubi vides & dare, & facere ut credamus, tantum potuiſſe ſignificare ſecundum ipſummet Janſenium gratiam indifferentem: unde nihil poteſt habere ex his loquendi modis contra nos Janſenius.

Ex cap.15.

Alios vero modos loquendi, ſeu expreſſiones peculiares hîc explicabimus: Ut cùm dicit libro 1. ad Simplic. qu. 2. ſub finem: Cùm ergo nos ea delectant quibus proficiamus ad Deum, inſpiratur hoc, & præbetur gratia Dei, non nutu noſtro & induſtriâ, aut operum meritis comparatur, quia ut ſit nutus voluntatis, ut ſit induſtria ſtudii, ut ſint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur. Nihil enim ibi innuit Auguſtinus niſi gratiam debere prævenire actionem arbitrii, quandoquidem ad hoc ut ſit ipſe nutus arbitrii, ſive voluntatis & induſtria ſtudii, debet dari gratia movens & excitans ad illum producendum, ſeu, ut ejus utar verbis paulo infra habitis, quandoquidem nec velle, nec currere, *niſi eo movente & excitante poterimus*. Nam ibi totus eſt Auguſtinus in aſſerenda gratia præveniente actionem arbitrii, ita ut initio quæſtionis aſſerat, non eſſe *opera præcedentia gratiam, ſed conſequentia*; ut ſcilicet non ſe quis arbitretur, *ideo* percepiſſe gratiam, quia bene operatus eſt: ſed bene operari non poſſe, *niſi* per fidem *perceperit* gratiam. Et infra: Vocantis eſt ergo gratia, percipientis vero gratiam, *conſequenter* ſunt opera bona, *non* quæ gratiam pariant; *ſed* quæ gratiâ pariantur.

Hæc verba, largiri, & tribuere, ſignificant gratuitatem: & per conſequens excludunt antecedens meritum: & ſic aſſerunt gratiã prævenientem.

Et adhuc infra: Niſi ergo vocando *præcedat* miſericordia Dei, nec credere quiſquam poteſt, ut ex hoc, incipiat juſtificari, & accipiat facultatem bene operandi. Ibi ergo ſolum rejicit eos qui vellent dicere quod actio arbitrii præcedit gratiam Dei: non autem eos qui dicunt arbitrium ſemetipſum determinare ad agendum cum gratiâ Dei, ut nos ſolùm dicimus: nec enim iſta verba, tribuit, largitur, ſignificant gratiam (ſcilicet excitantem) determinare liberum arbitrium ad agendum; ſed tantum ſignificant quod neceſſaria eſt gratia ad hoc ut arbitrium incipiat, & perficiat bonum opus, ut paulo infra ſe explicat dicens: Quid ergo aliud oſtenditur nobis, niſi quia & petere, & quærere, & pulſare, ille *concedit*, qui ut hæc faciamus jubet [Igitur non volentis nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei (miſereri autem Dei, idem eſt ac tribuere, & concedere, & largiri Dei, phraſi Apoſtoli & Auguſtini; Quod ſic explicat Auguſtinus proſequens & dicens) quandoquidem nec velle, nec currere *niſi eo movente & excitante* poterimus (ecce igitur quid eſt dare, & concedere Dei, eſt eo præexcitante & ſollicitante nos, per gratiam, aliquid facere) quod ſolùm denotat neceſſitatem gratiæ prævenientis, ſeu gratiæ excitantis & moventis ante actionem bonam: non vero determinationem ipſam arbitrii: hæc enim particula, nihil niſi,

ſolam denotat dependentiam, ſeu neceſſitatem, & non aliud. Nec vero multum juvat Janſenium id quod addit paulo poſt ex libro de gr. Chriſti cap. 14. ubi ait Auguſt. Non eſt autem conſequens ut qui poteſt venire, etiã veniat, niſi id voluerit, atque fecerit; ſed omnis qui didicit à Patre, non ſolum poteſt venire; ſed venit: ubi jam & poſſibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus eſt: Ex quo vellet concludere, quod non ſufficit admittere quod Deus per gratiam dat poſſe, ſi velimus: ſed quod ipſe determinat voluntatem, ut velimus: Sed hæc verba longe alium ſenſum habent: nihil enim ibi aliud innuit Auguſtinus niſi quod gratia dans ſolum poſſe, qualis erat gratia Pelagiana, quæ conſiſtebat in mera poſſibilitate, & non etiam movebat & excitabat intrinſece, & ſpecialiter voluntatem ad bonum, non ſufficiebat ad hoc ut Deus eſſet cauſa actus, ut neceſſarium erat admittere ex Scripturis: Et ratio eſt, quia qui dat poſſe, ex eo præciſe quod dat poſſe, non dat ſimul & agere: ſeu quod idem eſt, qui eſt author poteſtatis, non eſt etiam ſemper author actionis: aliàs Deus qui dat poſſe bene & male agere homini, dando ei liberum arbitrium, eſſet æque author mali ac boni, quod abſurdum & falſum eſt: Unde non ſufficit quod Deus det ſimplex poſſe homini lapſo, largiendo ei liberum arbitrium, ut volebat Pelagius: ſed debet etiam dare ei ipſum agere per gratiam excitantem & moventem intrinſece, & ſpecialiter voluntatem ad bonum opus, ut ſic opus voluntatis ſit etiam opus Dei excitantis & moventis ad agendum, & per hoc ipſum actum cauſantis in voluntate hominis: quod quia nolebant admittere Pelagius, ideo contra illum ſic agit Auguſtinus paulo ſupra textum allatum, dicens: Si enim ſolum poſſe noſtrum hac gratia juvaretur, ita diceret Dominus: Omnis qui audivit à Patre, & didicit, poteſt venire ad me: non autem ita dixit: ſed: Omnis, inquit, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me (unde concludendum eſt quod non ſolùm Deus dat, & juvat noſtrum poſſe, ut volebat Pelagius; ſed etiam ipſum agere, excitando & movendo ipſam voluntatem intrinſece & ſpecialiter ad bene agendum, ut opus ipſius voluntatis ſit etiam opus Dei, ut modo explicatum eſt: & deinde ſequitur) venire poſſe, in naturâ (id eſt in libero arbitrio) ponit Pelagius, vel etiam ut modo dicere cœpit in gratia, qualemlibet eam ſentiat; quâ ipſa, ut dicit poſſibilitas adjuvatur (quam gratiam ſupra notavimus eſſe ſolum in intellectu, & non in voluntate, ut tamen neceſſarium eſt ad rationem gratiæ Chriſti de qua agitur) venire autem in voluntate, & opere eſt: (quia nempe venire apud Auguſtinum eſt credere, hoc autem eſt in voluntate & opere: nemo enim credit niſi volens, & aſſentiens rebus ſibi propoſitis, quod eſt velle & operari) non eſt autem conſequens, ut qui poteſt venire, etiam veniat, niſi id voluerit, atque fecerit: (unde neceſſario requiritur gratia in voluntate noſtra, excitans, & movens illam ad veniendum, id eſt ad volendum & credendum; aliàs ipſum noſtrum venire, ſeu credere, non tribuetur Deo, cum ipſum velle credere non tribuatur Deo, ad quod

Lib de præ-deſt. Sanct. c. 8. initio.

non concurrit ſpecialiter & intrinſece per gratiam excitantem & moventem voluntatem ad illud, quod tamen neceſſarium eſt ad rationem cauſæ, & authoris effectus, ut ſupra viſum eſt, & ſic Deus erit tantum cauſa potentiæ, ſeu poſſibilitatis effectus iſtius, quod non ſufficit ad ſatisfaciendum Scripturis, ut mox indicat Auguſtinus dicens) Sed omnis qui didicit à Patre, non ſolum poteſt venire; ſed venit (id eſt, non ſolum habet à Deo quod poſſit uenire; ſed etiam quod veniat) ubi jam poſſibilitatis profectus, & voluntatis effectus eſt (id eſt ubi non ſolum poſſibilitas, ſeu potentia à Deo adjuta eſt; ſed & ipſa volitio & actio) per quod recte probat Auguſtinus quod non ſolum poſſe noſtrum adjuvatur à Deo, ut volebat Pelagius; ſed & ipſum velle & operari, ſine tamen ulla determinatione voluntatis facta à gratia, cum hoc pendeat ab ejus ſola volitione efficaci, ut patet ex his verbis, niſi voluerit & fecerit; quod denotat dependentiam actus à voluntate, & per hoc indifferentiam, & non determinationem ab alio in illa factam. Nam ſicuti certum eſt ex Auguſtino quod non eſt conſequens ut qui poteſt venire veniat, niſi id voluerit & fecerit, id eſt niſi id voluerit efficaciter: ita & certum eſt quod nemo venit, niſi qui voluit & fecit, ſeu quod idem eſt, niſi qui id voluit efficaciter: quod ſane non indicat determinationem voluntatis factam ab alio: Sed potius indifferentiam intrinſecam, & determinationem à ſe factam, & propriam, & nullo modo alienam. Quod confirmatur ex ſequentibus. Quid ergo, inquit, ſibi volunt exempla, niſi quia re vera nobis ejus (ſcilicet Pelagii) ſenſum fecerunt ſicut pollicitus eſt, clariorem, non ut ea ſentire debeamus; ſed ut quod ipſe ſenſit, manifeſtius, apertiuſque noſcamus. Quod poſſumus, inquit, videre oculis, noſtrum *non* eſt (ecce quod tribuit Deo Pelagius, ſcilicet noſtrum poſſe) quod vero bene, aut male videmus, hoc noſtrum eſt (ecce quod negat Deo, & reſervat creaturæ, eſt noſtrum agere & efficere) reſpondeat illi (inquit Auguſtinus) Pſalmus, ubi Deo dicitur: Averte oculos meos ne videant vanitatem (ubi petitur actus, & non ſola potentia) per quod probatur quod Deus eſt vera cauſa & verus author ipſius actus per gratiam excitantem & moventem voluntatem ad illum ponendum, non autem ſolius potentiæ, ut volebat Pelagius, nullam admittens gratiam excitantem in voluntate hominis neceſſariam, per quam Deus eſſet vera cauſa & author actus illius: Unde ſic arguit contra illum in fine capitis Auguſt. dicens: Cur ergo dicitur Deo [Averte oculos meos ne videant vanitatem?] cur petitur quod ad noſtram pertinet poteſtatem, ſi Deus non adjuvat (non dicit, determinat, cogit, neceſſitat, aut aliquid ejuſmodi, quod ſapiat determinationem ut ab alio; ſed adjuvat) voluntatem: Adjuvare enim ſecundum Auguſtinum non tollit indifferentiam, ſed potius ſupponit. [Qui enim adjuvatur, inquit, etiam *per ſeipſum* aliquid agit.] Si per ſeipſum agit, ergo ſeipſum determinat: nam ſi determinaretur ad agendum ab alio, non per ſeipſum ageret, ſed per alium qui illum determinaret ad agendum, quod contra In Pſal. 78.

Auguſtinum eſt. Non ergo vult Auguſtinus ut ita tribuamus Deo noſtrum agere, ut non ſpectet ad nos voluntatem noſtram determinare, ſed vult actum noſtrum ab utroque dependere, & à Deo, & ab homine (contra Pelagium qui volebat eum ſolum dependere ab homine, & non etiam à Deo, ut jam ſupra notatum eſt) à Deo ut excitante & movente voluntatem ad bonum actum, & per hoc eum vere cauſante, ab homine autem ut ſeipſum determinante, & eligente bene agere, præſuppoſita gratiæ motione: Quod ſatis ſupra indicat per hæc verba, niſi id voluerit, & fecerit, quæ claram indicant dependentiam actus à voluntate ſub motione gratiæ. Quod etiam clare demonſtratur ex antecedentibus verbis, ubi Auguſtinus ait: Quis autem non videat, *& venire quemquam & non venire arbitrio voluntatis?* (ubi clare vides indifferentiam & determinationem veniendi, vel non veniendi eſſe non à gratia; ſed ab arbitrio voluntatis) ſed hoc arbitrium poteſt eſſe ſolum, ſi non venit (id eſt non indiget excitatore & adjutore, ut non veniat) non autem poteſt *niſi* adjutum eſſe, ſi venit (id eſt indiget excitatore & adjutore Deo, ut veniat; quod ſane non eſt requirere gratiam ut determinantem, aut neceſſitantem arbitrium; ſed potius ut indifferentem, & ut determinabilem ab arbitrio, cùm ipſa explicetur ſolùm ut gratia ſine qua non, quæ de ſe indifferens eſt ad agendum, vel non agendum ſecundum ipſum Janſenium.

Vt clare videas Auguſtinũ numquam diſſediſſe à Pelagio circa modũ agendi gratia, vide quomodo uterque loquutur de concurſu voluntatis in vincendis tentationibus: Sic enim ait Pelagius in Epiſt. ad Demetriadem cap. 25. Non adjuvemus, ſed vincamus adverſarios, dant illi quidem conſilium; ſed noſtrum eſt vel eligere, vel reſpuere quod ſuggerunt: non enim cogendo; ſed ſuadendo nocent: non extorquent à nobis conſenſum; ſed expetunt. Ecce quod dicit Pelagius, vide nunc quid dicat Auguſtinus, Homil. 12. ex 50. Non enim (inquit) diabolus cogendo; ſed ſuadendo nocet, non extorquet à nobis conſenſum, ſed petit: nos diabolum non adjuvemus, & vincimus: dat quidem ille conſilium; ſed (nota differentiam qua non eſt ex parte modi agendi gratia, ſed ex parte neceſſitatis illius admittenda) Deo auxiliante *(hoc omiſit Pelagius, quia non putabat illud auxilium in voluntate eſſe neceſſarium) noſtrum eſt, vel eligere, vel repudiare quod ſuggerit. Vbi vides, Auguſtinum eodem prorſus modo loqui de concurſu voluntatis ad bonum, ac Pelagius. niſi quod Pelagius neglexit gratiam, ut non neceſſariam, poſtulavit eam ut neceſſariam Auguſtinus.*

PUNCTUM XX.

Ejuſdem materiæ proſecutio.

IBI ergo ſolùm reprehendit Auguſtinus Pelagium quod non admitteret tale poſſe in nobis, quod etiam daret Deo noſtrum agere, negando ſcilicet gratiam in voluntate, quæ per ſe & intrinſece excitaret eam ad agendum: & per hoc actum illum cauſaret; ſed ſolum admitteret gratiam in intellectu, quæ ſola nimis infirma & imbecilla eſt, quam ut ei poſſit dare agere, cum non poſſit eam ſanare; nec dare ei ſatis virium, ut poſſit concupiſcentiam ſævientem, & paſſiones debellare: quæ quidem gratia ſola ſufficere poterat Adamo, qui nulla concupiſcentia premebatur, nec paſſionibus; non vero homini lapſo; qui undique premitur paſſionibus & concupiſcentiis, & ideo niſi habeat gratiam in voluntate ſuâ ægrâ & infirmâ, quæ ſanet eam à languoribus ſuis, & debellet paſſiones & concupiſcentias inſurgentes, non dabit ei complete poſſe

agere, nec proinde ipſum agere, quod tamen poſtulat Scriptura ad rationem gratiæ Chriſtianæ: iſtam ergo ſolam potentiam, ſeu poſſibilitatem Pelagii imperfectam reprehendit ibi Auguſtinus, ut inſufficientem & incapacem producendi actum, qui vere Deo tribui poſſit, tamquam vero authori & motori, & excitatori illius, ut neceſſe eſt ex Scripturis; non vero potentiam, quæ non determinat arbitrium ad agendum, cum de illa determinatione nulla prorſus ei eſſet cũ adverſariis contentio; ſed ſolùm de neceſſitate admittendæ gratiæ in volũtate infirma hominis lapſi, quæ immediate & intrinſece excitaret ad bonum opus, & per hoc faceret Deum authorem illius actus, ſeu operis, ut neceſſarium erat ex Scripturis: quod cum negarent iſti errantes, & loco iſtius veræ Chriſti gratiæ, admitterent quamdam aliam extrinſecam voluntati, & non intrinſece eam moventem, & per hoc actum ipſum non cauſantem; ideo ab eo recte iſtius ipſi arguuntur erroris, & non alterius.

Quantum autem ad iſtos alios loquendi modos quibus dicit Auguſtinus, nos non à nobis ipſis factos eſſe bonos; ſed à Deo: item quod in illo aliquid nihil in nobis; quod nihil placet Deo, niſi quod habemus ex Deo: & quod tutiores vivimus, ſi totum Deo damus: non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus. Dico nihil aliud iſta ſignificare, niſi quod totum Deo dare debemus, & nihil nobis ſervare ſine Deo agentibus ut Pelagiani, qui ſibi ſolis, & ſine Deo ſervabant initium boni operis, & Semipelagiani initium Fidei, & perſeverantiam in fide, reliquum autem Deo dabant. In eodem cap. 23.

Sed non negat nos ſervare poſſe nobis aliquid cum gratia agentibus, ut v. g. determinationem noſtræ voluntatis præſuppoſita Dei gratia excitante & adjuvante nos ad illam: quandoquidem per hoc nihil Deo auferimus de bono opere, cùm hoc fiat cum gratia, & adjutorio ipſius, & ita ſit illa determinatio, ille nutus, ſeu conſenſus voluntatis à nobis ut libere, & cum indifferentia agentibus, ut etiam ſit à Deo movente & excitante nos ad illam, & per hoc illam cauſante, & ſic ſibi propriam faciente ut non minus ſit à Deo, quam à nobis: imo principalius à Deo, quam à nobis, cum ipſe ſit primum movens & excitans, & cauſans hanc determinationem, licet ipſe non ſit formalis determinans; ſed ſolum excitans & invitans voluntatem ad determinationem illam faciendã cum ejus adjutorio, ratione cujus & ipſa determinatio voluntatis illi tributa eſt, ut ſcilicet ejus excitatori, & adjutori, & non ut determinatori; & hoc eſt quod dicit Auguſtinus Serm. 13. de verbis Apoſtoli cap. 12. Prorſus hoc credite, inquit, ſic vos agere bona voluntate, *quia vultis, utique agitis:* non enim adjutor eſt ille, *ſi nihil agatis:* non enim cooperator eſt ille, *ſi nihil operamini:* ſic vos tamen ſcitote agere, ut ſit rector ſpiritus, &

Codices cõmuniter habent quia vivitis utique agitis; ſed, ut opinor mendoſiſſime: non enim bona eſt conſequentia: aliquis vivit: ergo agit. Cum multi vivant & non agant, ut cum dormiunt: At vero bona conſequentia eſt, quia vultis utique agitis: quia ex voluntate agendi bene ſequitur actio. Et ſic legit Torrenſis in Confeſſione Auguſtiniana libro 2. cap 3. n. 6. in fine, & hæc lectio conformis eſt menti Auguſtini qui ex poſſe (quod dat vita) negat ſequi quod agatur. libro de ſpir. & litt. cap. 31. & lib. de nat. & gr. cap. 7.

adjutor (id eſt non ſine Deo duce & adjutore) qui ſi vero defuerit, nihil boni omnino agere valeatis. Et Tract. 4. in Joan. ait: Quia ibi agis aliquid voluntate, ideo & *tibi aliquid tributum eſt* (ſcilicet determinatio & conſenſus voluntatis) ideo autem *tibi* tributum eſt, ut dicas ſicut in Pſalmo: [*Adjutor* meus eſto ne derelinquas me] ſi dicis, *Adjutor* meus eſto, *aliquid agis*: nam ſi nihil agis, quomodo ille adjuvat? Et alibi: Qui enim adjuvatur, etiam *per ſeipſum* aliquid agit: Ergo ſeipſum determinat cum gratia, quandoquidem ipſum agere, ſeu per ſe agere voluntatis, nihil aliud eſt quam illam ſeipſam determinare. Quando ergo dicit Auguſtinus quod tutiores vivimus, ſi totum Deo damus, & cætera ejuſmodi: non negat per hoc nos per noſipſos agere, & nos determinare cum gratia; ſed negat nos aliquid poſſe facere, ſeu incipere ſine gratia Dei, ſeu ſine Deo, ut volebant Pelagiani in incœptione omnis operis, & Semipelagiani in initio Fidei.

In Pſal. 78.

Quantum autem ad locos ſequentes ubi Auguſtinus verſat & expendit quaſdam Scripturas, quaſi eſſent, ut ait Janſenius, de determinatione voluntatis noſtræ à Deo, ſeu à gratia,

Reſpondeo, & dico quod illi loci non ſunt de determinatione voluntatis à Deo; ſed quod ſunt tantum de initio boni operis, quod volebant Pelagiani (contra quos ibi Auguſtinus agebat) eſſe ſolum à nobis, & non à Deo, ut volebat Auguſtinus: & ideo bene & appoſite adducit Auguſtinus in hunc ſenſum illas Scripturas, ubi dicit Deus: Faciam ut faciatis, faciam ut ambuletis, ut obſervetis mandata: & auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum: omnia enim iſta contra Pelagianos adducta, nihil aliud ſignificant, quam Deum etiam dare initium boni operis, & non ſolam ejus perfectionem, ut volebant illi hæretici. Nam per hoc quod Deus dicit, faciam ut faciatis, faciam ut obſerveris mandata, bene oſtenditur quod Deus dat initium boni operis: quandoquidem ſi non cauſaret iſtud initium per gratiam excitantem, non recte diceret, faciam ut faciatis; ſed deberet dicere, faciam ut perficiatis, ſeu faciam ut proſequamini, quod incœpiſtis. Nec etiam recte diceret, auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum: cùm jam reperiret illud emollitum, & carneum factum per initium boni operis, & per humilem recurſum ad illum, ſeu per humilem ſupplicationem factam ad ipſum ante gratiam collatam: Unde iſta non ſunt de determinatione voluntatis à gratiâ, formaliter; ſed tantum de incœptione boni operis cum gratiâ, in hoc vere tunc cor emolliente, cum cor durum reperiat, & etiam tunc faciente ut faciat, cum nondum quicquam boni tunc fecerit, imo ne cogitaverit quidem, cum non ſimus ſufficientes cogitare aliquid à nobis tamquam ex nobis; ſed ſufficientia noſtra à Deo ſit.

Certe nullo modo ſpectabat ad ſcopum D. Auguſtini diſputantis contra Pelagianos, loqui de determinatione voluntatis humanæ à gratia, cum numquam de illa, quæſtionem moverit Pelagius, nec umquam conten-

derit ut admitteretur, voluntatē determinare ſe cum gratia, & non ipſam à gratia determinari, cum nullam prorſus admitteret Pelagius gratiam neceſſariam in voluntate, antequam bonum opus inciperetur à qua voluntas determinaretur, nec umquam exegerit Auguſtinus ab eo, ut admitteret certam gratiam in voluntate; ſed tantum ut admitteret aliquam gratiam in voluntate, qualiſlibet illa eſſet, quæ neceſſaria eſſet ad agendum ſimpliciter, & non tantum ad facilius, ut cœperat dicere: Quod clare patet ex ſupracitato loco ex Serm. de verbis Apoſtoli; ubi Auguſt. aït: Ad hoç dedit, inquiunt (ſcilicet Pelagiani) Deus gratiam ſuam hominibus, ut quod facere jubentur per liberum arbitrium, *facilius* poſſint implere per gratiam (ecce admittunt gratiam tantum ad facilius, & non ad ſimpliciter ad agendum, ut mox explicat Auguſtinus dicens) Velo facilius; remo difficilius; tamen & remo itur. Jumento facilius, ſed tamen & pedibus pervenitur. *Non eſt ſic* (ecce ergo quod ſolum corrigit Auguſtinus in Pelagio) magiſter enim verus qui neminem palpat .... Non aït, ſine me facere quidem poteſtis; ſed, facilius per me: Non aït, fructum veſtrum ſine me poteſtis quidem facere; ſed *uberiorem* per me. Non hoc dixit, legite quid dixerit, Euangelium ſanctum eſt, omnium ſuperba colla ſubduntur. Non hæc dicit Auguſtinus, hæc dicit Dominus: Quid dicit Dominus? [*Sine me nihil poteſtis facere*] (ecce quod ſolum exigit Auguſt. à Pelagio, ſcililicet ut admittat gratiam ſine qua nil boni fieri poſſit abſolute & ſimpliciter: tantum autem abeſt ut præterea exigeret à Pelagio, ſeu Pelagianis, ut admitterent quod gratia determinat voluntatem, quin potius mox indicat determinationem illam eſſe à voluntate ipſa præſuppoſitâ gratiâ) jam nunc cum auditis [Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei] Nolite vos demittere (id eſt nolite terreri, & animo concidere: quaſi exigerem talem gratiam quæ tollat indifferentiam veſtram, & quæ determinet arbitrium veſtrum) neque enim templum ſuum ſic de vobis ædificat Deus, quaſi de lapidibus qui non habent *motum ſuum* (ergo voluntas habet motum ſuum, ſeu proprium motum ſub gratia, atqui motus proprius voluntatis eſt determinatio ſua ad agendum: ergo in bono opere habet illa propriam ſuam determinationem, ſeu ſeipſam determinat ad agendum ſub gratia, ſeu cum gratia, & non determinatur ab alio) levantur ab *ſtructore* ponuntur. *Non ſic ſunt lapides vivi:* [Et vos tamquam lapides vivi coædificamini in templum Dei] *ducimini* (ecce quid ſit agi à gratia, eſt ab ea præcedente & præexcitante duci, & non determinari, ut mox ſequitur) ſed currite vos (id eſt, ſed determinate vos, & conſentite libere, & cum indifferentia ad currendum) ducimini, ſed *ſequimini* (id eſt admittite ſolùm gratiam præviam & præcedentem in voluntate, & poſteà ſequimini per liberum veſtrum arbitrium determinantes vos cum gratia ad agendum) quia cum *ſecuti fueritis*, verum erit illud, quia *ſine illo nihil facere poteſtis* (id eſt quia gratia vobis eſt neceſſaria ad agendum, quod eſt id ſolum quod poſtulat à Pelagianis Auguſtinus, ut ſcilicet ſine gratia non agere ſe

putent, ſeu ad agendum ſe determinare) non enim volentis, neque currentis; ſed miſerentis eſt Dei (id eſt non eſt hominis per ſe ſolum volentis & currentis, ut volebant Pelagiani; ſed ſubvenientis eſt Dei, non quidem per gratiam determinantem; ſed tantum indifferentem & ſine quâ, ut etiam id ſupra explicatum vidimus ex ipſomet Auguſt.) Et lib. 1. ad Bonifac. cap. 3. idem omnino inculcat contra eoſdem Pelagianos Auguſtinus, dicens: *Nemo* igitur *poteſt* habere voluntatem juſtam, *niſi* nullis præcedentibus meritis acceperit veram, hoc eſt gratuitam deſuper gratiam (ecce ergo ſolum quod requirit Auguſtinus à Pelagianis, ſcilicet ut nemo poſſit bene agere ante gratiam, & non admittantur merita arbitrii ante gratiam, ne non gratuita ſit gratia quæ datur ob ejuſmodi opera) hoc iſti (ſcilicet Pelagiani) nolunt: elati & ſuperbi, nec purgando defenſores; ſed extollendo præcipitatores liberi arbitrii. Qui *non ob aliud* (ecce ergo totum dogma damnabile Pelagii circa gratiam) nobis hæc dicentibus indignantur, niſi quia gloriari in Domino dedignantur, (quia nempe illi nolebant arbitrium pendere à gratia, & illud eam ſubſequi; ſed eam merito illius dari, ut etiam mox dicitur) timuit tamen Pelagius Epiſcopale judicium Palæſtinum; & cum ei fuiſſet objectum, quod diceret, *gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari*, negavit ſe dicere, & eos qui hoc dicerent anathematizando damnavit: *nec aliud* tamen (ecce ergo totum illius dogma damnabile de gratia) defendere invenitur in libris, quos poſtmodum ſcripſit, fraudem ſe putans hominibus judicantibus feciſſe mentiendo, aut neſcio quomodo ſuum ſenſum verbis ambiguis obtegendo. Ubi clariſſime apparet quod quicquid Pelagius verbis mendacibus, aut ambiguis locutus eſt de gratia, huc tandem recidit, quod nulla prorſus eſt gratia in voluntate neceſſaria ante actionem arbitrii, ſed quod ipſa actionem arbitrii ſubſequitur: quod ſane longiſſime eſt à determinatione arbitrii per gratiam, cum gratia determinationem illam ſequatur ſecundum Pelagium, quandoquidem ſecundum eundem Pelagium ob merita illius datur. Sed quid clarius eſt, quam id quod ſupra vi-
Puncto XI. prob. 6. mus ex eodem Auguſtino lib. de gr. Chriſti cap. 19. ubi idem Auguſtinus aït, Pelagio ſic dicenti: ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium *facilius* poſſint implere per gratiam: Tolle, inquit ei Auguſt. tolle *facilius*, & non ſolum *plenus*, verumetiam *ſanus* eſt ſenſus ſi ita dicatur: ut *quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, poſſint implere per gratiam.* Cum autem *facilius* additur adimpletio boni operis, etiam *ſine Dei gratia* poſſe fieri tacita ſignificatione ſuggeritur, quem ſenſum redarguit qui dicit: *Sine me nihil poteſtis facere.* Ubi nihil prorſus de determinatione arbitrii per gratiam; ſed de ſola neceſſitate gratiæ in voluntate admittendæ ante actionem arbitrii: ut ex terminis clarum eſt. Unde non eſt quod tot nobis obtrudat teſtimonia Auguſtini Janſenius, quaſi de illa determinatione arbitrii per gratiam contra Pelagium diſputaſſet, cum de illa determinatione per gratiā, nulla ei quæſtio cum Pelagio eſſet, ut clare patet ex mox allato teſtimonio; ſed de ſola

neceſſitate

neceſſitate gratiæ, ita ante bonum opus admittendæ in voluntate, ut ſine illâ, voluntas bene agere non poſſet, quod prorſus negabat Pelagius, eo quod putabat gratiam Dei qualiſlibet, & quælibet illa eſſet, etiamſi indifferentiſſima foret, non poſſe eſſe neceſſariam in voluntate ad bene agendum, quin liberum arbitrium deſtrueret, dicens fieri non poſſe, ut eſſet liberum arbitrium, ſi ope alterius indigeret; vim faciens præciſe & formaliter in illa indigentia & neceſſitate gratiæ in voluntate hominis ad bene agendum admittendæ: & non in qualitate gratiæ, vel in modo operandi gratiæ (de quo non multum curabat, quantum ad præſens propoſitum) qualis ille eſſe poſſet, an determinativus, an non determinativus: quandoquidem ſtatuerat omnem gratiam Dei, etiam cum modo operandi non determinativo; ſed indifferentiſſimo, prorſus deſtruere libertatem, ſi neceſſaria illa foret in voluntate ad agendum ſimpliciter, ſeu ſi eâ voluntas noſtra prorſus ingeret, & ſine ea nihil quicquam boni agere poſſet, ut volebat Auguſtinus: Quod valde obſervandum eſt ad ſolvendos multos ſcrupulos, quos ingerit nobis Janſenius ſuper opinione Pelagianorum de gratia Auguſtiniana, ut tollente liberum arbitrium: quos ſane vix umquam ſolvere poteris, niſi ſenſum iſtum Pelagii probe callueris: cùm re vera gratia indifferens, & omnibus oblata indifferenter, non ſit contraria libertati, & proinde videri poſſet non fuiſſe occaſionem Pelagianis conquerendi de illa quaſi de deſtruente libertatem: Sed reſpondendum eſt quod ad hoc non ſpectabat Pelagius, neque Pelagiani; ſed ad neceſſitatem illius gratiæ in voluntate habendæ dependenter à Deo, dependenter ab alio, antequam agi poſſet, qua ſola poſita neceſſitate gratiæ ad ſimpliciter agendum, (nam eam libenter admittebant ad facilius agendum, ut ſupra vidimus; ſed non ad ſimpliciter) quælibet & qualiſlibet eſſet iſta gratia, & quilibet & qualiſlibet eſſet modus operandi ejus, ſive determinativus, ſive non determinativus: tamen non poterant adduci ut crederent, arbitrium humanum eſſe cum illa indigentia, cum illa dependentia ab alio, & cum illa neceſſitate habendæ ab alio gratiæ liberum atque expeditum ad agendum, vel non agendum pro libito; ſed putabant, arbitrium ab illa indigentia, ſeu neceſſitate & dependentia irretitum fore, atque impeditum, ne liberum eſſe poſſet: cujus dicti aliqualem rationem alibi attulimus: & in hoc præcipue conſiſtit quod illi volebant, ſecundum Philoſophos, ad hoc ut voluntas eſſet libera, quod poſitis omnibus prærequiſitis illa voluntas poſſet de ſe, & ex ſe, ſine ulla neceſſitate alieni auxilii in ſe recipiendi eligere, & repudiare quod vellet. Quoniam, inquiebant, [Habet unuſquiſque propriam voluntatem aut facere aliquid, aut non facere] & per hoc nullo modo debet ab alio dependere: Unde facile admittebant gratiam in intellectu, ut pote quid ſolùm prærequiſitum ad agendum, vel non agendum, præcipue cum officium intellectus ſit, proponere voluntati ſuum objectum ut agat & eligat: At vero nullam volebant in voluntate admittere ut neceſſariam, cùm ipſam voluntatem

Vide initium Diſputationis.

Hac parte §. 14. Puncto 3. init.

De geſtis Pelag. c. 35. verſus fin.

putarent ex ſe habere ut eligere, vel repudiare poſſet ſine ope alterius quicquid ſibi propoſitum erat ab intellectu. Et ſic manifeſtum eſt quod omnes ſcripturæ quas urget Auguſtinus contra eos, & omnes ejus rationes ad hoc ſolum collimant, ut cogantur admittere gratiam in voluntate, ut ad agendum neceſſariam, & non ſolum in intellectu. Non vero ut talem admitterent in voluntate gratiam, ſcilicet determinantem potius quam indifferentem. cum non eſſet illi cum eis controverſia de qualitate gratiæ, ſeu de modo operandi ejus; ſed tantum de tali neceſſitate gratiæ in voluntate admittendæ, ſine qua nihil boni fieri poſſet, qualiſlibet illa eſſet. Unde toties urget contra eos illum locum Joan.15. ubi Dominus ait: Sine me nihil poteſtis facere, qui eſt tantum de gratia ad agendum neceſſaria, & non determinante, potius quam de alia.

PUNCTUM XXI.

Multæ aliæ phraſes Auguſtinianæ exponuntur ſub nomine proprietatum gratiæ à Janſenio nobis objectæ.

QUANTUM autem ad proprietates gratiæ quas adducit contra nos Janſenius capite 24. facile illæ ſunt ſolubiles: Nam primò cum dicit Auguſtinus gratiam eſſe potentiſſimam & efficaciſſimam, per quam Deus operatur quicquid vult in cordibus hominum, nihil aliud per hoc ſignificat quam gratiam efficacem infallibiliter operaturam, & ut talem à Deo aſſumptam ad operandum id quod vult in homine: quod ſane non ſignificat determinationem voluntatis; ſed tantum infallibilitatem præviſionis, ſeu operationis præviſæ, ſub conditione talis gratiæ.

Et cum dicit ſecundò quod voluntas à gratia ita agitur ut vix ipſa agere intelligatur, per hoc non innuit quod gratia determinet voluntatem, cum è contra eo ipſo quo dicit quod vix agere illa intelligitur, ſupponit quod agit aliquid; & ſatis alibi ait quod ipſa agit aliquid, & per ſe agit aliquid: ſed hoc ſolum ſignificat quod tantam Deus inſpirat voluntati facilitatem, & ſuavitatem in agendo, ut vix illa ſe agere, & ſe determinare ſentiat. Quod ſane proprium eſt, faciliter & ſuaviter operantium, & hoc eſt quod ibidem ait Auguſtinus eſſe plus agi quam regi, quia poteſt regi qui ſe præbet regendum, quod volebat Pelagius, contra quem ibi agebat Auguſtinus: ſed qui ſic agitur, non ſe præbet regendum; ſed attrahitur & adducitur per prævenientem gratiam, ſeu per præexcitantem gratiam, ſine qua tamquam ſtipes & lapis immobilis permaneret: Sed quia etiam id fit ſuaviter, ideo ſic acta voluntas per gratiam, vix ſe agere aliquid, & vix ſeipſam determinare agnoſcit, quia id fit ſine labore, & quia tunc non tam it quam currit in via mandatorum Domini; juxta illud Pſalmiſtæ [Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilataſti cor meum]. Sed male ibi interpretatur Janſenius illum locum Auguſt. ubi ait: Quicumque aguntur Dei Spiritu, ipſi facta carnis mortificant *ſpiritu:*

Vide in hac 13 object. aliquos textus ejuſmodi Puncto II. circa fin.

Pſal. 118.

Lib 6. contra Julianũ cap. 14.

Non enim per hoc vult dicere Auguſtinus quod (ut aït Janſenius) quotquot Spiritu Dei aguntur, etiam reipſa volunt, & operantur: ſed tantum quod ii qui aguntur Spiritu Dei, non ſe mortificant per naturam & liberum arbitrium, ut volebat Julianus; ſed per gratiam, aut Spiritum gratiæ, quod ſignificant hæc verba, mortificant ſpiritu: id eſt gratiâ, ſeu per gratiam. Unde paulo ſupra dixerat Auguſtinus. Hoc agitur in templo Dei (ſcilicet mortificatio carnis) *quando adjuvante Deo, agitur*, quod præcepit Deus: (id eſt quando id fit ex Spiritu Dei, & non ex natura. Et adhuc infra) Et ut ſcirent ſe hoc non facere *niſi gratia Dei*, continuo ſubdit[Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei] ac per hoc quicumque aguntur Spiritu D.i, ipſi facta carnis mortificant *ſpiritu*: id eſt per gratiam quam ibi vocat Spiritum Dei, & non per naturam, ut volebat Julianus. Non ergo ibi aſſeritur quod quotquot Spiritu Dei aguntur, etiam reipſa volunt & operantur, ut vult Janſenius: ſed quod non agunt, nec operantur niſi (ut ipſe ſupra dixit Auguſtinus) adjuvante Deo, & niſi gratia Dei. Quamquam & id poſſet etiam explicari de gratia efficaci non determinante arbitrium. Sed is non eſt ſenſus Auguſtini, neque etiam ſenſus Apoſtoli, cum non inferat Apoſtolus actionem creaturæ, ex actione Dei in ea; ſed potius actionem Dei ex actione creaturæ ut pendente ab ea, ut ſupra vidimus hunc locum Apoſtoli expoſitum ab Auguſtino de gratia præveniente indifferente, & non determinante, quam expreſſe ibi excludit.

Cùm autem dicitur tertiò quod nullum ſit locutionis genus apud ipſos Scholaſticos Doctores, tam efficax, prægnanſque ad exprimendum quod ipſa voluntatis determinatio, adeóque prædeterminatio, ſit à gratia Dei, quin Auguſtinus illud uſurpet, ut Chriſtianis Lectoribus indicaret illam gratiam eſſe determinantem.

Reſpondeo me non vidiſſe in omnibus textibus quos adducit ibi Janſenius ex Auguſt. quod vocaret Auguſtinus illam gratiam efficacem per ſe, qui tamen modus loquendi eſt aptiſſimus ad exprimendam gratiam determinantem, ut nunc etiam ita uſurpatur à quamplurimis: Mihi etiam mirum videtur, quod cum tot modis conetur Auguſtinus ſecundum Janſenium, exprimere gratiam determinantem, & prædeterminantem arbitrium: numquam tamen vocet illam determinantem, aut prædeterminantem, neque dicat in terminis, quod gratia determinat, aut prædeterminat arbitrium ad agendum: hoc unicum verbum ignoravit Auguſtinus, licet aptiſſimum eſſet ad exprimendum ſuum ſenſum de gratia: Dico ergo Auguſtinum in omnibus illis textibus à Janſenio adductis, non exprimere gratiam determinantem, aut prædeterminantem arbitrium; ſed vel gratiam prævenientem, & non expectantem arbitrium, ſeu merita arbitrii, ad hoc ut illa detur nobis à Deo quemadmodum comminiſcebantur Pelagiani, vel exprimere ipſam gratiam ſecundum excellentiam ſuam; ut infra explicabimus: Gratiam quidem prævenientem & non expectantem arbitrium, ut cùm dicit quod Deus per gratiam

convertit hominum voluntates, quod volentes ex nolentibus facit, quod à malo in bonum flectit voluntates, quod averſa & adverſa corda convertat, quod cor lapideum auferat, & det cor carneum, ut ſupra vidimus: nihil enim aliud iſta ſignificant, niſi quod Deus non expectat arbitrium ut per ſe ſolum convertatur, & recurrat ad Deum, petendo, quærendo, & pulſando ante gratiam, ut volebant Pelagiani & Semipelagiani: Sed quod ipſa gratia prævenit & diſponit averſos & adverſos, & nolentes, & duros, & lapideos, ut petant, quærant, pulſent, & convertantur ad Deum. Pro quo ſolemnis eſt locus Auguſtini lib. 4. contra Julianum cap. 8. ubi ait: Calumniaris me dicere: nihil ſtudii expectari ab humana voluntate debere, contra illud Euangelicum, quo ait Dominus [Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulſate, & aperietur vobis: omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperitur] ibi enim vos, ut video, *ponere jam cœpiſtis merita gratiam præcedentia, quod eſt petere, quærere, pulſare*, ut his meritis debita illa reddatnr, ac ſic gratia inaniter nuncupetur; *tamquam gratia nulla præceſſerit, & cor tetigerit*, ut beatificum bonum peteretur à Deo, ut pulſaretur ad Deum: fruſtraque ſit ſcriptum [Miſericordia ejus *præveniet* me] fruſtra etiam nos pro inimicis noſtris jubeat orare, *ſi non eſt ejus averſa, & adverſa corda convertere.* Ubi vides nihil intendiſſe Auguſtinum per hos modos loquendi, niſi ſignificare quod gratia eſt præveniens, & præcurrens arbitrium, & quod non neceſſe habet expectare arbitrium, quoadusque ipſum arbitrium veniat, & currat ad eam, & ut ſic homines non ſint amplius averſi, & adverſi, nec nolentes, nec duri, nec lapidei; ſed molles & carnei, & converſi: ſed vult dicere quod ipſa prævenit nolentes, & averſos, & adverſos, & duros, & lapideos: ut in mollem Fidei, & etiam divinorum mandatorum obedientiam, convertantur: quod erat omnino propoſitum ſuum contra Pelagianos; non autem quod gratia determinaret arbitrium, & ex nolente faceret volens, & ex averſo converſum, ipſo ad id non ſe determinante, cum de eo non diſputaretur. Aliquando autem loquitur Auguſtinus de gratia ſecundum excellentiam ſuam, quatenus eſt in manu Dei, qui ſcit quando, & ubi oportet eam dare, ut infallibiliter operetur, & habeat effectum ſuum, quomodo loquitur Auguſtinus in cæteris teſtimoniis quæ ibi profert Janſenius: ut cum dicit Auguſtinus quod Deus duritiam cordis primitus auferat: quod Deus habet humanorum cordium quo placet inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem: &: Quod cum Deus vult fieri, quod non niſi volentibus hominibus oportet fieri, inclinantur eorum corda, ut hoc velint, eo ſcilicet inclinante qui in nobis mirabili modo, & ineffabili operatur & velle: & cætera ejuſmodi quæ nimis longum eſſet hîc recenſere. Ubi valde notanda ſunt illa verba ultimi teſtimonii mox allati, ſcilicet: qui in nobis mirabili modo, & ineffabili operatur & velle: quæ verba clare deſignant, gratiam divinam nullo modo determinare, & prædeterminare noſtrum arbitrium; ſed relin-

Lib. 4. contra Julian. cap. 8.

Vnum pro multis datur exemplum.

Hucuſque oſtenſum eſt quod primi textus à Janſenio allati, erant de gratia præveniente ut ſic. Nunc oſtenditur quod poſtremi ſunt de gratia ſecundum excellentiam ſumpta.

quere illud indeterminatum & indifferens, ut eligat quod velit, cum alioqui nihil in hoc mirabile eſſet, quod omnipotentia divina determinaret infirmitatem noſtram, & quod fortior dominaretur infirmiori, ſeu ut ait Janſenius, in ſequenti quinta & ſexta proprietate, quod gratia eſſet victrix ſuper infirmum arbitrium, ita ut operanti Deo homo non poſſet reſiſtere: certe non puto quemquam qui ſincere judicaverit de pugna iſta poſſe victoriam illam admirari & ineffabilem dicere, quandoquidem potentia divina infinite ſuperat infirmitatem noſtram. Sed hoc mirabile & ineffabile prorſus eſt quod Deus non determinans noſtrum arbitrium, & relinquens illud indifferens, & huc illuc vertibile, determinate tamen & certo facit quicquid vult per illud, quantumcumque indifferens & vertibile illud ſit, ponens fixum in mobili, certum in incerto, & neceſſarium in contingenti: in quo mirabilis prorſus eſt induſtria divina in diſpenſatione ſuæ gratiæ, quæ licet ab arbitrio humano determinetur ad faciendum quod ipſum vult, tamen & tunc Deus ipſe vertit illud idem arbitrium per eamdem gratiam quo ipſe vult, & de illo facit quæcumque vult, quod ſolum mirabile eſt, & vere dignum admiratione ſummæ mentis Auguſtinianæ, & non alterum.

Ibi neceſſarium non ſumitur antecedenter, ſed tantum conſequenter.

Cùm autem dicitur quartò quod omnes operationes hominis bonas, quantumcumque fiant à libera voluntate, tribuere ſoleat Auguſtinus ipſi Deo, tamquam qui per voluntatem ut per inſtrumentum (ſcilicet animatum & liberum) quod pro ſuo libero beneplacito agit, impellit, flectit, vertit, inclinat quolibet, motus ipſius voluntatis operetur: Dico quod eumdem ſenſum id habet quem mox expoſuimus, ſcilicet de gratia efficaci, & infallibiliter operatura, prout dari poteſt à Deo tali tempore & loco, non autem de determinante, & per ſe operatura quocumque tempore & loco detur. Certe audivimus aliquos Oratores, ita eloquentes fuiſſe: ut poſſent animos hominum quocumque vellent flectere, vertere, & impellere ſine ulla determinatione intrinſeca, ut per ſe manifeſtum eſt: Quanto magis Deus novit formas, & gratias quibus intus poteſt agere, flectere, & vertere voluntates hominum quocumque vult, ſine tamen determinatione earum: unde iſta non arguunt voluntatem hominis determinari à gratia; ſed tantum ab ea dependere, & per eam Deum poſſe quocumque vult mentem noſtram flectere, ſine detrimento tamen libertatis ejus, atque indifferentiæ.

Cùm autem dicitur quintò quod ex iſto operandi modo proficiſcitur, quod Auguſtinus non raro gratiam Chriſti medicinalem, victricem vocat, quia omnes oppoſitos obices voluntatum, & affectuum *invicta poteſtate perrumpit*,

Reſpondeo me nullibi id vidiſſe apud Auguſtinum, nec teſtimonia ibi allata id indicant: nam cum dicit Auguſtinus quod Deus donat per Spiritum charitatem, cujus delectatione vincatur delectatio peccati: & quod donat gratia, ut delectatio peccati, juſtitiæ dilectione vincatur,

hoc non dicit quod gratia medicinalis oppoſitos omnes voluntatum obices invicta poteſtate perrumpat; ſed tantum quod Deus donat, ut voluntas vincat delectationem peccati, ſi velit, excitata & adjuta per gratiam. Item cum dicit Auguſtinus: Dominum Deum etiam Sanctis ſuis alicujus operis juſti aliquando non tribuere victricem delectationem, ut cognoſcant non à ſeipſis; ſed ab illo ſibi eſſe ſuavitatem quæ dat fructum terræ eorum, hoc tantum indicat dependentiam voluntatis humanæ à Deo per gratiam quam Deus dat quomodo vult, & illis non dediſſe efficacem; ſed tantum inefficacem: quia hoc pendet à Deo ut talem, vel talem habeant, & non ab homine. Nec aliud ſibi volunt hi textus ſequentes, ſcilicet: Non ſufficit arbitrium voluntatis humanæ, niſi à Deo victoria concedatur oranti: &, dari ſibi pugnandi vincendique virtutem per Chriſti gratiam poſcunt: in his enim ſolùm deſignatur dependentia voluntatis à gratia ad bene agendum, & non determinatio ejus à gratia: Cùm autem dicit Janſenius in fine Paragr. quod cum Pelagiani hominem arma ſuſcipere faterentur propria voluntate, victoriam etiam hominis tribuerent voluntati, Auguſtinus è contrario cum Concilio Dioſpolitano non niſi gratiæ tribuebat, dico quod ibi Auguſtinus nihil aliud vult dicere, niſi quod non ſoli arbitrio iſta victoria tribui debebat, ut volebant iſti hæretici; ſed tantum ut cum gratia, & per gratiam operanti: quam dependentiam iſti hæretici repudiabant, ut ſupra ſatis demonſtratum eſt.

PUNCTUM XXII.

Proſecutio explicationis Auguſtinianarum phraſium ſub nomine proprietatum gratiæ propoſitarum.

CUM autem dicitur ſextò quod gratiam Dei Auguſtinus ita victricem ſtatuit ſupra voluntatis arbitrium, ut non raro dicat hominem operanti Deo per gratiam non poſſe reſiſtere; ſed è contrario Deum, non quicquid voluntatem facturam prævidet, ſive abſolute, ſive conditionate; ſed quicquid omnino voluerit, in voluntate operari, quam ipſe magis habeat in ſua omnipotenti poteſtate, quam ipſa voluntas ſe.

Ibi falſum imponit Auguſtino Janſenius: Neque enim unquam dixit Auguſt. quod operanti Deo per gratiam non poſſet homo reſiſtere, dixit quidem Auguſtinus quod volenti Deo ſalvum facere, vel aliquid aliud agere, voluntates humana non poſſunt reſiſtere; ſed aliud eſt non poſſe Deo reſiſtere volenti, & aliud actu agenti: Nam volenti agere multa ſuppetunt media, & gratia diverſa, inter quas impoſſibile moraliter eſt, quin aliqua ſit effectum habitura ſi detur: & ſic quin voluntas divina impleatur, ſi efficaciter agere voluerit etiam in voluntatibus noſtris: & hoc modo impoſſibile eſt reſiſtere Deo volenti. At vero agenti, unica eſt illi gratia, nec ſcimus an per illam velit efficaciter agere, ſeu effectum ponere, ut nec re vera voluit in Adamo, & Angelis cadentibus, quibus præſtitit gratiam, nec tamen effectum habuit.

Reſpondeo, aliud eſſe loqui de qualibet gratia ſingulari, & aliud eſſe eſſe loqui de gratia in genere, quatenus eſt in manu Dei. Nam gratia

in genere, ſeu generaliter ſumpta, quatenus eſt in manu Dei, talis eſt, ut moraliter voluntas hominis non poſſit ei reſiſtere quominus per eam ut ait Auguſtinus, Deus faciat quod vult, quia nempe tot habet gratias Deus in manu, ſeu poteſtate ſua ad convertenda corda hominum quocumque vult, ut moraliter impoſſibile ſit quin aliqua earum convertat cor hominis, etiam duriſſimum, ſi congrue & opportune detur, & quomodo ſcit Deus eam debere dari ut homo cum plena indifferentia & libertate ſua, ei conſentiat. At hîc non agimus de gratia ſic ſumpta, & in genere, reſpectu Dei utentis illa; ſed tantum de qualibet ſingulari; & quæritur an quælibet gratia medicinalis ſit talis, ut ſemper habeat effectum ſuum, ſeu numquam fruſtretur effectu ſuo. Nam ſi quælibet habet ſemper effectum ſuum quocumque tempore, & loco detur, indubitatum omnino eſt quin ſit determinans, & efficax per ſe. Si autem ſumatur in genere, & conglobatim, & pro tota collectione gratiarum quæ in manu Dei ſunt: licet hoc modo ſit efficax, quia moraliter fieri non poteſt quin aliqua earum habeat effectum intentum à Deo, ſi detur ab eo congrue & opportune, ut prædictum eſt: tamen non ſequitur hinc quod gratia quælibet medicinalis ſecundum ſe, & ſingulariter ſumpta (de qua ſola quæſtio eſt) ſit efficax, quia certitudo illa operationis Dei ſeligentis aliquam certam gratiam ex tota illa collectione, non ſumitur ex ipſa gratia ſecundum ſe, & præciſe ſumpta; ſed ex Deo eam ſic ſeligente, & infallibiliter prævidente quid illa effectura ſit: quod tantum arguit infallibilitatem operationis voluntatis cum gratia, & non determinationem ejus factam à gratia, & hoc ſolùm modo loquitur Auguſtinus de gratia conglobatim, & in genere ſumpta, & non de qualibet ſingulari, & ſecundum ſe ſumpta: unde nequidem dicit in locis ibi à Janſenio allegatis, quod non poteſt reſiſti gratiæ; ſed quod non poteſt reſiſti poteſtati & voluntati divinæ, per hoc oſtendens: quod ſi gratia aliqua habeat, quod certo & infallibiliter operetur; non habet hoc à ſe, & à propria virtute; ſed tantum à ſeligente, qui ex ſcientiæ ſuæ infinita certitudine elegit eam, ut operaturam, & non defecturam in operatione.

Vide locos iſtos explicatos hac parte Sect. 2. §. 3. toto.

Quantum autem ad hæc verba, quæ ſupra dixit Janſenius, ſcilicet: Deum non quicquid voluntatem *facturam prævidet*, ſive *abſolute*, ſive conditionate... in voluntate operari: nuſquam reperies ea apud Auguſtinum, neque ſecundum ſe, neque ſecundum ſenſum ſuum, cum ſint erronea, vel inutilia: erronea, ſi ſint de operibus gratiæ: hinc enim ſequeretur quod Deus non operaretur omnia opera gratiæ, quod erroneū eſt. Vel quod prævidet voluntatem aliquid facturam abſolute quod revera futurum non eſt, quod adhuc erroneum eſt. Inutilia autem, ſi ſint de operibus naturæ; cum de his ibi non agatur. Sed forte voluit nimis attento Lectori illudere, & fucum facere; ut dum putat Lector ibi prævisionem eſſe inutilem, aut locum non habere, facile admittat prædeterminationem.

Quantum ad poſtrema hæc verba Paragraphi ex Auguſtino ſumpta, ſcilicet: Subventum eſt infirmitati humanæ voluntatis, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur.

Reſpondeo hæc verba non intelligi de poteſtate gratiæ ſuper arbitrium; ſed ſuper impedimenta arbitrii, ut ſupra explicatum & probatum eſt. Et præterea non intelligi de quacumque gratia medicinali; ſed de perſeverantia prædeſtinatorum lapſorum hominum, ut ſupra oſtenſum eſt, ſcilicet Puncto IV. initio: quæ gratia ut talium eſt propria, ſemper eſt efficax, & per hoc indeclinabilis, & inſuperabilis à quocumque impedimento contrario, non per determinationem, aut prædeterminationem voluntatis à gratia; ſed per infallibilitatem prævisionis divinæ reſpectu gratiarum conferendarum, effectum ſalutis in eis habiturarum.

Puncto I. ſub finem.

Cùm autem dicitur ſeptimò quod Auguſtinus damnat eos qui dicunt gratiam ponere effectum ſuum, ſi velimus: quaſi nempe eſſet (inquit Janſenius) quædam potentialis gratia, cum qua homo credat, convertatur, operetur, ſi velit: ſin vero nolit, nullus ſequatur voluntatis, aut operationis effectus,

Reſpondeo Auguſtinum id non damnare, ſed aliud: Nempe eos qui dicunt: fruſtra Deum miſereri, niſi nos velimus, quia nempe non poteſt effectus miſericordiæ Dei eſſe in hominis poteſtate: ut fruſtra miſereatur, ſi homo nolit. Quod ſane valde diverſum eſt ab eo quod dicebatur. Fieri enim poteſt ut quædam gratiæ non habeant ſuum effectum, & ſic ſint potentiales; fieri tamen non poteſt, ut Deus volens alicujus miſereri, fruſtra miſereatur, ſi homo nolit: quia ut ſupra dicebamus, tot Deus habet gratias in poteſtate ſua, ut moraliter fieri non poſſit, quin aliqua earum habitura ſit effectum, ſi detur: & ſic miſereatur Deus; non fruſtra; ſed efficaciter, ſi dare illam velit. Unde ſi Deus det aliquam gratiam, quæ non habeat effectum; quia ei conſentire noluimus, non ideo tamen fruſtra miſeretur Deus, quia noluimus; ſed quia ipſe noluit: nam ſi voluiſſet miſereri, aliam gratiam dediſſet, ſcilicet quam in præſcientia ſua cognoviſſet habituram eſſe effectum, quam aliter vocat congruam, ut mox eam exponemus: Unde & paulò poſt textum ſupra allatum, ſic ait Auguſtinus: Non ideo dictum eſt putandum [Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei] quia niſi ejus adjutorio non poſſumus adipiſci quod volumus; ſed ideo potius quia niſi ejus vocatione non volumus (id eſt hoc non dicitur, quia ſolùm juvatur homo à Deo ut faciat bonum opus, quod per ſeipſum jam voluit ſine Deo, & adjutorio ejus; ſed quia ipſius Dei adjutorium eſt verum principium, & vera cauſa cur homo velit: ne autem, quis propter hoc ſuſpicaretur voluntatem hominis determinari à Deo, ſeu ab illo adjutorio, per quod Deus facit in homine quod vult, in quantum eſt primum, movens & excitans voluntatem hominis ad bonum: cito occurrit S. Doctor, magis ſollicitus pro gratia indifferenti, quam imaginatus

Lib. 1. ad Simplic. qu. 2.

Pelagiani dicebāt nos poſſe velle bonum ſine Deo, & ejus adjutorio: quod hic ſolum rejicit Auguſtinus, & non aliud.

imaginatus eſt Janſenius eum ſollicitum fuiſſe pro determinante : Unde hoc objicit ſibi ipſi dicens) Sed ſi vocatio iſta *ita eſt effectrix bonæ voluntatis, ut omnis eam vocatus ſequatur, quomodo verum erit* [Multi vocati, *pauci electi:*] (id eſt ſi omnis vocatio Dei eſt efficax; quomodo verum erit, quod aliqua fruſtratur ſuo effectu, ut dicit Scriptura, per hæc verba [Multi vocari, pauci electi:] Ubi manifeſte rejicitur gratia per ſe efficax, ſeu determinans arbitrium: & aſtruitur indifferens & non determinans ſeu non determinativa arbitrii, cùm probetur ex Scriptura, ipſam aliquando gratiam Dei eſſe ſine illo effectu, ad quem Deus per illam excitavit hominem) Quod ſi verum eſt, inquit, & non conſequenter (ideſt ſemper) vocationi vocatus obtemperat, atque ut obtemperet, in ejus eſt poſitum voluntate: (quod etiam indicat gratiam indifferenrem) recte etiam dici poteſt, igitur non miſerentis Dei, ſed volentis, & currentis eſt hominis (ideſt effectus ſeu volitio hominis non erit à Deo, ut primitus volente, ſed ab homine. Et rationem addit) quia miſericordia Dei non ſufficit, niſi obedientia vocati conſequatur (quia nempe gratia ſine conſenſu hominis libero non poteſt operari. Cui inconvenienti ſic reſpondet Auguſtinus: Et licet prima fronte videatur tantum loqui dubitanter, tamen poſtea reſolutive concludit id quod dubitanter videbatur propoſuiſſe: ſic) an forte illi qui hoc modo vocati non conſentiunt, *poſſent alio modo vocati, accommodare fidei voluntatem;* ut & illud verum ſit [multi vocati, pauci electi] ut quamvis multi uno modo vocati ſint, tamen quia non omnes uno modo affecti ſunt, illi ſoli ſequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei: & illud non minus verum ſit [igitur non volentis neque currentis ſed miſerentis eſt Dei] qui hoc modo vocavit quomodo aptum erat eis qui ſecuti ſunt vocationem: ad alios autem pervenit vocatio: ſed quia talis fuit qua moveri non poſſent, ut eam capere apti eſſent (id eſt quia congruè non vocati ſunt) vocati quidem dici potuerunt, ſed non electi: & non jam ſimiliter verum eſt igitur non miſerentis Dei, ſed volentis atque currentis eſt hominis, quoniam non poteſt effectus miſericordiæ Dei, eſſe in hominis poteſtate, ut fruſtra ille miſereatur, ſi homo nolit (nota valde rationem quæ ſequitur, eſt enim reſolutio totius difficultatis) *quia ſi vellet etiam eorum miſereri, poſſet ita vocare quomodo illis aptum eſſet, ut & moverentur, & intelligerent, & ſequerentur.* (Unde reſolutive concludit) verum eſt ergo [multi vocati pauci electi] *illi enim electi, qui congruenter vocati* (unde manifeſte ſequitur, quod primaria ratio actualis converſionis eſt à Deo ſic vocanre, & non ab homine conſentiente) illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti, quamvis vocati. Item verum eſt [non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei] quia etiamſi, multos vocet, *eorum* tamen *miſeretur* (nota quid ſit miſereri Dei hìc, eſt enim dare gratiam congruam ſeu efficacem ad converſionem & non quamlibet) *quos ita vocat quomodo eis vocari*

Concordia prædictarũ Scripturarũ apparenter oppoſitarũ, pro gratia indifferẽte, item & vera explicatio gratiæ congruæ per ipſum Auguſtinum.

aptum eſt, ut ſequantur. Falſum eſt autem ſi quis dicit: igitur non miſerentis Dei, ſed volentis, atque currentis eſt hominis, quia nullius Deus fruſtra miſeretur (quia nempe miſereri Dei, eſt dare gratiam congruam & efficacem ut prædictum eſt, & mox ſequitur) *cujus* autem *miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat:* Et infra: cùm ergo alius ſic, alius autem ſic moveatur ad fidem, eademque res ſæpe alio modo dicta, moveat; alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat; *Quis audeat dicere defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſaü ad eam fidem, mentem applicaret, voluntatemque conjungeret in qua Iacob juſtificatus eſt.* Ubi manifeſte declarat Auguſtinus quid intelligat, per hoc quod dicit, Deum non fruſtra miſereri: ſcilicet rejicit eos qui dicunt pendere ab homine primitus, quod Deus miſereatur, vel non miſereatur illius: ſeu quod Deus convertat, aut non convertat, illum actualiter. Hoc enim falſum eſt ſecundum Auguſtinum, non quia gratia vel adjutorium Dei ſit efficax per ſe, ſeu determinans voluntatem hominis ut vult Janſenius, ſeu ut ipſis utar Auguſtini verbis: non quod vocatio Dei, ita ſit effectrix bonæ voluntatis ut omnis eam vocatus ſequatur: ſed quia Deus habet in poteſtate gratias ſic congruas, ut quando volet illas dare convertet quem volet actualiter: unde quando non convertit aliquem, non eſt primariò quia ipſe homo non vult converti, ſed quia Deus non vult ei dare, iſtas gratias, quas ſcit eſſe aptas ut convertatur actualiter. Et ſic iſta omnia bene refunduntur in voluntatem Dei primitus, & non in voluntatem hominis, licet gratia ſit indifferens, & non determinativa arbitrii. Similis ſenſus eſt iſtius alterius teſtimonii quod ibidem adducit Janſenius ex lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 8. ubi ait Auguſtinus. Quare inquiunt non omnes docet, ut ad Chriſtum veniant; ſi dixerimus, quia nolunt diſcere quos non docet; reſpondebitur nobis, & ubi eſt quod ei dicitur [Domine tu convertens vivificabis nos] aut ſi non facit volentes ex nolentibus Deus, ut quid orat Eccleſia, &c. ſenſus enim eſt quod primaria ratio, cur Deus non convertit omnes actualiter, non eſt quod nolunt ipſi converti, ſeu conſentire gratiæ, ſed quia Deus non vult eis dare gratiam congruam, & talem quam ſcit aptam eſſe ut convertantur, & ſanet eos, quod ſatis declarat ex paulò antecedentibus verbis ubi ait: nam ſi & illos, quibus ſtultitia eſt verbum crucis, (ideſt qui reſiſtunt gratiæ ſibi prædicatæ) ut ad Chriſtum venirent, docere voluiſſet, proculdubio venirent & ipſi: (ideſt ſi voluiſſet eis dare gratiam congruam, & quam ſcit aptam eſſe ut convertantur, converſi eſſent) non enim fallit aut fallitur (ubi vides certitudinem effectionis iſtius gratiæ non ſumi à virtute ipſius gratiæ ut deberet fieri ſi illa eſſet per ſe efficax & determinans voluntatem ad agendum, ſed ab ipſo prævidente quid futurum ſit de omnibus gratiis quas habet in poteſtate ſua unde bene ait qui non fallit aut fallitur quod ſpectat ad præſcientiam) qui ait, omnis qui audivit à Patre & didicit ve-

nit ad me: quamquam aliter poſſet exponi illud teſtimonium, ſcilicet de initio fidei, de quo initio ibi diſputabat Auguſtinus cum Semipelagianis, qui volebant iſtud initium eſſe ab homine & non à Deo. Cum enim dicitur: quare non omnes docet, ut ad Chriſtum veniant: ſi dixerimus, quia nolunt diſcere quos non docet: (ſic exponendum eſt: ſi dixerimus in perſona Semipelagianorum, quod hos non docet, qui nolunt diſcere: id eſt qui nolunt ſanari, qui nolunt quærere medicum, qui nolunt petere, quærere, & pulſare: ut ideo accipiant, ideo inveniant, ideo introeant, quia bono *natura* bene vſi, ad iſtam ſalvantem gratiam initialis gratiæ ope merentur pervenire. Sic enim loquuntur in Epiſtolis Hilarii & Proſperi) reſpondebitur nobis: & ubi eſt, quod ei dicitur [Domine tu convertens vivificabis nos] (ideſt, quomodo tunc erit verum, quod Deus convertit, & vivificat homines: ſi enim expectat initium iſtud ab homine, non convertit eos, ſed reperit jam converſos, nec convertens vivificat, ſed perficiens incœptam converſionem) aut ſi non facit volentes ex nolentibus Deus (ſed ſupponit volentes, propter iſtud initium quod eſt ab homine & non à Deo) ut quid orat Eccleſia ſecundum præceptum Domini pro perſecutoribus ſuis: (nam ſi iſtud initium eſt ab homine, & non à Deo, non eſt orandus Deus, ut convertantur, ut ceſſent perſequi Eccleſiam, ut ad Deum recurrant, cum iſtud initium non ſit à Deo, ſed ab ipſis ſolis, qui per ſolas naturæ vires, poſſunt petere, quærere, & pulſare ad Deum ut juſtificationis gratiam obtineant: unde contra iſtos errantes ponentes tale initium eſſe à nobis, & non à Deo, & per hoc negantes prævenientem gratiam quoad initium fidei, paulo infra ſic ait Auguſtinus. Orat pro non credentibus; quid, niſi ut credant (& per hoc ut habeant iſtud initium fidei à Deo & non à ſeipſis, cum illud petatur à Deo) non enim aliter conſequuntur ſalutem. Si ergo fides orantium prævenit Dei gratiam (qui erat error iſtorum Hæreticorum, contra quem ibi agit Auguſtinus) numquid eorum fides, pro quibus oratur ut credant, Dei prævenit gratiam (ideſt, non prævenit Dei gratiam: quia in eo eſſet manifeſta contradictio ut mox ſequitur) quando hoc pro eis oratur, ut non credentibus, ideſt fidem non habentibus fides ipſa donetur. Unde tantum ibi ſermo eſt de gratia præveniente quoad initium fidei; an ſcilicet illa neceſſaria ſit ad initium fidei, an non neceſſaria ſit: non vero an determinans ſit, an non determinans: & dicit Auguſtinus illam gratiam prævenientem eſſe neceſſariam ad initium fidei, ſeu ad primam converſionem, quia Deus convertit homines, & non ſupponit converſos: quia ex nolentibus facit volentes, ideſt non expectat ut volentes ſint, per initium fidei à ſeipſis ſumptum, & hauſtum; ſed ipſe excitat eos dum nolentes ſunt, ut fiant volentes, & etiam aliquando facit eos volentes, quando dat eis gratiam congruam, & efficacem, ut tales ſint; & ſic nihil ibi eſt de determinatone voluntatis à gratia, ſed de præventione voluntatis à gratia, ut neceſſaria ad initium fidei, ſeu ad primam converſionem peccatoris,

Idem dicebant iſtorũ Patres & Patriarcha Pelagiani de initio cujuſlibet operis: nam apud Auguſtinum lib. 4 contra Iul. cap. 8. dicunt: ideo non omnes ſalvos fieri, quia ipſi nolunt petere, cum Deus velit dare: nolunt quærere, cum Deus velit oſtendere: nolunt pulſare, cum Deus velit aperire.

Quantum autem ad octavam, & ultimam proprietatem gratiæ; quam dicit Janſenius per gratiam indifferentem admiſſam, evacuari gratiam Chriſti medicinalem, & in locum illius ſubſtitui gratiam Adami & Angelorum.

Puncto 5. octo. Reſpondeo quod ſupra ſatis demonſtratum eſt magnam eſſe differentiam inter gratiam indifferentem Adami, & gratiam indifferentem noſtram, & noſtram longe eſſe potiorem, & robuſtiorem gratia Adæ & Angelorum: ex quo patet quod non ſubſtituimus unam gratiam in locum alterius, & quod non evacuamus gratiam medicinalem, ex hoc quod dicimus eam eſſe indifferentem: cùm etiam probaverimus eam eſſe talem ex ipſo Auguſtino, & ex Concilio Arauſicano, ut videre eſt in ſuperioribus locis, unde nihil ultra dicendum ſupereſſe video de prædictis proprietatibus gratiæ à Janſenio quomodolibet adinventis.

PUNCTUM XXIII.

Aliqua Ianſenii argumenta pro gratia determinante arbitrium rejiciuntur & confutantur.

SED præter hæc vult probare Janſenius cap. 25. gratiam medicinalem eſſe determinativam arbitrii, ex eo quod nulla prorſus effectu careat; ſed eum in omnibus quibus datur, infallibiliter operetur. Quod probat tribus argumentis: quorum primum eſt, quod aliquando loquitur Auguſtinus de gratia reciproca ſeu convertibili cum effectu. Secundum ex laborioſa D. Auguſtini concertatione cum Pelagio, in qua ex profeſſo de natura gratiæ Chriſtianæ diſputatur, ubi opponit eam legi & doctrinæ (ideſt gratiæ inefficaci ſecundum Janſenium) Tertium ex conflictu cum Semipelagianis ſolam gratiam potentialem admittentibus.

Ianſenius cap. 27. explicat, quid ipſe hic intelligat, per hoc quod dicit, nullam gratiam carere effectu, ſcilicet eo ad quē datur ut v.g. ſimplicis complacentia & velleitatis, in iis quibus tantum datur, ut habeant velleitatem & ſimplicem complacentiam: & veræ voluntatis, & effectus, in iis quibus datur, ut habeant veram voluntatem, & effectum. Sed vellem quærere ab eo unde ſciat quod iis qui tantum habent velleitatem, non data fuerit gratia ad habendam veram voluntatem & effectum: non puto quidpiam poſſe reſpondere quod ſit rationabile: cum hoc ſit contra Scripturas & Auguſtinum: contra Scripturas: quid enim toties Scriptura conqueruntur de peccatoribus quod non actu convertantur ſi gratia non ſemper detur ad hunc effectum, nec ſemper ſit ſufficiens ad illum ponendum, ut ibi aſſerit Ianſenius: & ſi Deus hunc tantum intendit effectum ſcilicet velleitatem: & gratia data non poſſit habere ampliorem, non debet conqueri quod non habeat ampliorem: & ſi intendit ampliorem, & gratia data poſſit habere illum, ergo fruſtrata eſt, & caruit ſuo effectu. Contra Auguſtinum vero quia fere omnes textus ſupra allati pro reſiſtentia gratiæ, innuunt & indicant Deum intendiſſe & creaturam amplius potuiſſe quam quod præſtitit: ut cum dicitur de Eſau: ſi voluiſſet & cucurriſset, Dei adjutorio perveniſſet, quod tamen non factum eſt: & ſic de ceteris, unde non ſolum omnino gratis & voluntariè dictum eſt, quod ii qui tantùm habet velleitatem, non acceperit ampliorem gratiam quam ad velleitatem: ſed etiam eſt contra Scripturas & D. Auguſtinum.

Breviter Reſpondeo, me ſupra ſatis oſtendiſſe ex Auguſtino, gratiam Chriſtianam, ſeu lapſi hominis propriam, ſæpe carere effectu, & aperte

id proteſtatus eſt (ut paulò ſuprà vidimus in quæſt. 2. libri primi ad Simplic. ubi negat gratiam Chriſtianam ita eſſe effectricem bonæ voluntatis, ut omnis eam vocatus ſequatur, quod eſt dicere quod non habet ſemper effectum: quod etiam ibidem in antecedentibus aſſeruerat dicens: quod *non omnis credit vocatus*, & de Eſaü dicit quod *quia noluit, non cucurrit:* & quod vocationem *contempſit.* Et præterea ſupra ſatis demonſtratum eſt non eſſe intrinſecum illi gratiæ habere ſemper effectum, quandoquidem Auguſtinus eam definiens, aut deſcribens doctrinaliter, non dat ei effectum, ſed tantum potentiam. De qua etiam ſæpe loquens, non dat ei actu agere; ſed tantum poſſe agere: per quod tamen non nego quin etiam ſæpe loquatur de ea, ut efficiente, ſeu efficaci, quia quæſtio quæ vertebatur inter eum & Pelagium, erat de actuali volitione & effectione; an eſſent à Deo vel ab homine. Et dicebat Pelagius quod velle & eſſe, ſeu volitio & effectio ad hominem referenda erant: Auguſtinus autem volebat eas referri in Deum: unde non eſt mirum quod cum loquerentur de actuali volitione & effectione, loquerentur etiam de gratia efficaci ſæpiſſime; & non de gratia merè ſufficiente, quia nempe ad actualem volitionem & effectionem, eſt ſola gratia efficax, & non mere ſufficiens, ſeu, quod idem eſt, actualis volitio & effectio ſunt á ſola gratia efficaci, & à non merè ſufficiente: unde habentes loqui de hac materia quam tractabant (ſcilicet an actualis volitio & effectio eſſent à Deo, an ab homine) debebant potius loqui de gratia efficaci, quam de merè ſufficiente, cùm illa ſola gratia ſpectet volitionem actualem & effectionem, de quibus ibi diſputabant, & non gratia mere ſufficiens.

Lib. de gr. Chriſti cap. 4.

Ad argumenta ergo Reſpondeo. Ad primum dico, quod Auguſtinus in iis locis ubi loquitur de gratia ut reciproca cum effectu, non loquitur de gratia ſecundum ſe, ſed vel de gratia congrua & efficaci ut ſic: ut exempli gratia in illo loco quem ibi allegat ex ſupradicta quæſtione ſecunda libri primi ad Simplicianum verbum, *miſeretur*, quod perperam ibi explicat Janſenius de gratia Chriſti ſecundum ſe, non ſumitur pro gratia Chriſti ſecundum ſe, ſed ſecundum aliquam quaſi ſpeciem gratiæ Chriſti ſcilicet efficacem & congruam, ut ſupra declaravimus; ubi etiam mentio fit de gratia Chriſti inefficaci ſeu non habente effectum ut ei oppoſita pro quo vide Punctum 21. vel loquitur non de gratia ipſa, ſed de Deo, ut volente aliquid efficere per gratiam, quo caſu non eſt mirum quod efficiat, cum Deus tot habeat gratias in manu ſua ut fieri moraliter non poſſit, quin aliqua efficiat, ut ſupra explicuimus: maxima autem pars locorum ibi à Janſenio citatorum, pertinet ad hunc modum loquendi, ut poterit notare ſincerus Lector. Aliquando etiam nequidem loquitur de gratia ut efficaci, ſed tantum ut neceſſaria ad actum bonum, & ut ſine qua, actus bonus eſſe non poteſt, loquens ibi de actu, non quia infert eum gratia, ſed quia ut ſupra dicebamus, quæſtio vertebatur de actu; an is eſſet à gratia, an vero à natura; &

dicit eſſe à gratia, ut in loco ibi allegato ex lib. 3. ad Bonif. cap. 2. ubi ait Auguſtinus: quicumque aguntur Dei ſpiritu, ipſi facta carnis mortificant *ſpiritu:* non dicit facta carnis mortificant, quod reſpiceret efficacitatem gratiæ: ſed mortificant *ſpiritu*, id eſt per gratiam, non per naturam: quod alibi clarius explicat ſcilicet lib. de prædeſt. Sanct. cap. 11. ubi exponens eumdem textum Apoſtoli, ſic ait: ne facta mortificare nos carnis *non per Dei, ſed per noſtrum ſpiritum crederemus*, & ſic determinat ſolum ibi, quod gratia ſit principium neceſſarium mortificationis, non autem quod ſit ſemper efficax, aut ſolum ſufficiens.

Quantum ad ſecundum & tertium argumentum, ubi ait Janſenius, fuiſſe concertationem inter Auguſtinum & Pelagianos, & etiam Semipelagianos, de gratia efficaci, aut inefficaci,

Reſpondeo hoc eſſe falſiſſimum: neque enim unquam taxavit eos Auguſtinus, eo quod admitterent aliquam gratiam inefficacem, ſed eo quod nullam admitterent in voluntate neceſſariam vel ad omnes actus bonos, vel ſaltem ad initium fidei, & ad perſeverantiam. Quod enim nulla fuerit concertatio, vel controverſia inter eos de gratia efficaci, aut inefficaci, ſeu de actu ut ſemper conjuncto, vel non ſemper conjuncto cum gratia præter ſuperius dicta Punctis antecedentibus, patet ex eo quod Pelagius explicans illa verba Apoſtoli, Deus eſt enim qui operatur in nobis & velle & perficere, quæ dicit Auguſtinus, illius dogmati vehementer eſſe contraria, nullomodo declinat ab actu ad potentiam, ſed eodem modo explicat illa de actu, ac ipſemet Auguſtinus, niſi quod illum actum tribuebat ſoli gratiæ intellectus; Auguſtinus autem tribuebat etiam gratiæ voluntatis, ſeu gratiæ in voluntate admittendæ, quod nolebat Pelagius: Et etiam in hoc ſolo reprehenditur ibi ab Auguſtino, ut poſtea videbimus: ſic enim explicat ſupra dicta verba Apoſtoli Pelagius. *operatur* in nobis *velle* quod bonum eſt, *velle* quod ſanctum eſt (ubi vides illum admittere iſtam operationem Dei in nobis, ut terminatam ad actum noſtrum volendi, ſeu ad volitionem noſtram actualem, ſicut Auguſtinus, ſed non per gratiam quæ eſſet propria voluntatis ſicut vult Auguſtinus; ſed per gratiam intellectus: ut ſequitur) dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium, tantummodò præſentia diligentes, *futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione ſuccendit*, dum revelatione ſapientiæ, *in deſiderium Dei* ſtupentem *ſuſcitat voluntatem*, dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, *ſuadet* omne quod bonum eſt, quæ omnia ſolùm ſignificant gratiam in intellectu, etiam ſecundum explicationem ipſius Auguſtini, quam ſupra videre potes Puncto 10. Unde non queritur ibi de illa explicatione Auguſtinus, quaſi actum cum gratia conjunctum non expreſſerit, admiſerit, docuerit; ſed tantum quod illum actum ſoli tribuat gratiæ intellectus, & non etiam gratiæ voluntatis, ut patet ex ejus verbis. Quid manifeſtius, inquit Auguſtinus, nihil aliud eum dicere gratiam, qua Deus in nobis *operatur velle* quod bonum eſt, (ubi

Lib. de gr. Chriſti ca. 10.

vides actum conjunctum cum gratia Pelagii ſecundùm ipſum referentem & ejuſdem verba repetentem Auguſtinum) quam legem atque doctrinam (quæ eſt gratia intellectus ut alibi explicuimus ex ipſomet Auguſtino) Ergo ibi agnoſcit Pelagius quod Deus in nobis operatur velle, ſicut Auguſtinus niſi quod Pelagius id tribuebat gratiæ intellectus, Auguſtinus autem gratiæ voluntatis, ſeu quod idem eſt gratiæ in voluntate reſidenti. Ergo concertatio non erat inter eos de gratia ut efficaci, cùm eodem modo loquerentur de actu ut conjuncto cum gratia: ſed ſolum erat concertatio de principio illius actus; an ſcilicet ponendum eſſet in ſolo intellectu, & non etiàm in voluntate, ut patet etiam ex conſequentibus, ubi ſolùm reprehendit Pelagium Auguſtinus, quod volebat principium illius actus, eſſe ſolùm in intellectu, & non etiam in voluntate, ut patet ex his verbis. Sed nos eam gratiam volumus iſte aliquando fateatur qua futuræ gloriæ magnitudo, non ſolùm promittitur (quod ſolùm pertinet ad intellectum) verum etiam creditur *&* *ſperatur* (quod pertinet ad voluntatem) nec ſolùm revelatur ſapientia (quod pertinet ad intellectum & eſt actus illius) verumetiam & amatur: (quod pertinet ad voluntatem) Sed quid clarius dici poteſt, quam id quod habet Auguſtinus eodem libro cap. 29. ubi cum Pelagius diceret, quod ideo gratia dabatur, ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius poſſint implere per gratiam. Ubi nullam facit mentionem de actu, ſed tantum de poſſe facilius, nihil tamen in illa propoſitione reprehendit Auguſtinus niſi facilius; & ibidem etiam authentice approbat, quod ad veram Chriſti gratiam, ſufficit quod det poſſe ſimpliciter, his verbis: tolle facilius, & non ſolum *plenus*, verum etiam *ſanus eſt ſenſus:* ſi ita dicatur, ut quod per liberum facere jubentur homines arbitrium *poſſint* implere per gratiam ubi ſola fit mentio de poſſe & non de actu. Non ergo erat concertatio ulla de actu, quandoquidem ſi aliqua fuiſſet, non ſolum eum reprehendiſſet ibi de addito facilius, ſed etiam reprehendiſſet eum de omiſſo actu, qui erat intrinſecus gratiæ Chriſtianæ, & de ſolius commemoratione potentiæ; ſed de eo non meminit: unde concludendum eſt, quod conſicta illa concertatio eſt, quam dicit Janſenius interceſſiſſe inter Auguſtinum & Pelagianos de gratia ſemper efficaci, ſeu conjuncta cum actu, vel de gratia non ſemper efficaci, nec ſemper juncta cum effectu: & quod dico de Pelagianis dicendum etiam omnino eſt de Semipelagianis, cum illi non differrent à Pelagianis in formali dogmatis, ſed tantum in materiali, quod erat magis extenſum in Pelagianis, ut pote errantibus circa omnia opera bona, minus vero extenſum in Semipelagianis, qui ſolum errabant circa initium fidei, & perſeverantiam, & in reli-

Vide in Pũcto VII. totũ textũ Auguſtini, & Puncto X.

Pelagius citatus in eodem libro c. 39. dat effectum gratia ſua, & facit eam eſſe victricè, ſicut & Auguſtinus: dicens quod Chriſtus imitatione ſui (qua erat gratia Pelagiana pertinens ad intellectum) ad perfectã incitat ſanctitatem, & vitiorũ cõſuetudinem virtutum vincit *exẽplo Vbi vides,* Deum *ſecundùm Pelagium, per gratiam ſuam vincere in homine conſuetudinem vitiorum: (qui eſt effectus difficillimus) ſed per gratiam intellectus, conſiſtentem in imitatione & exemplo virtutum Chriſti, non vero per gratiam ſpiritus, ſeu qua ſit propria voluntatis, ut poſtulabat Auguſtinus, in quo uno ambo diffidebant.*

quis operibus ſani erant: unde clarum eſt quod cum eis nullam concertationem habebat Auguſtinus de gratia ſemper efficaci, ſeu ſemper conjuncta cum actu. Unde cum reprehendit eos quod dicerent: nolite nobis iſtam Dei gratiam prædicare, quam Deum dare fatemini, quæ ut nos faciamus hortamini. non reprehendit eos quod non admitterent talem gratiam, quæ eſſet ſemper conjuncta cum actu, ut vult Janſenius; ſed quod nullam admitterent neceſſariam in voluntate gratiam, quæ antecederet eorum primam fidem, per quam gratiam Deus eis daret iſtam fidem, excitando & movendo eos ad illam, quod eſt ipſum dare Dei ſecundum Auguſtinum, ut ſupra demonſtravimus; & per hoc potius illam fidem ſibi darent per merita arbitrii, quam à Deo acciperent, quod clare deſignat in antecedentibus, ubi explicans quæ ſit vera Chriſti gratia quam expoſtulabat ab eis, dicit eam eſſe talem, quam nulla humana merita præcedunt. Et in conſequentibus: quod illa gratia talis ſit quæ non ſecundum merita noſtra datur. Unde conſectaneum eſt quod non reprehendebat eos, eo quod nollent admittere talem gratiam quæ cum effectu ſemper conjuncta eſſet, cum nullam admitterent ad primam fidem; ſed eo quod nullam prorſus admitterent in voluntate gratiam, ante actum arbitrii, qua Deus præveniendo & præexcitando eos, daret eis illam fidem, ſed quod illam ſibi ipſis dare præſumerent per merita puri arbitrii, in quo uno formaliter ſitus erat eorum error & hæreſis: Contra quem etiam errorem pugnans, ſic ait Auguſtinus lib. de prædeſtin. Sanct. cap. 19. non enim quia credidimus (ſcilicet per merita arbitrii præcedentia) ſed *ut* credamus, elegit nos, ne *priores* eum elegiſſe dicamur, falſumque ſit, quod abſit [non vos me elegiſtis; ſed ego elegi vos] nec quia credidimus, (ut ſupra) ſed *ut* credamus vocamur, (id eſt ſed quia vocatio ſeu gratia nos præuenit & præexcitat ad credendum:) atque illa vocatione quæ ſine pœnitentia eſt, id prorſus agitur, & peragitur, ut credamus (id eſt id agitur & peragitur per gratiam, & non per merum arbitrium, ut volebant illi Hæretici. Ubi ſolum ſermo eſt de neceſſitate gratiæ, ad initium fidei, ſive ad primam fidem: non vero de modo operandi gratiæ an ſcilicet illa ſecum afferat ſemper effectum, an non: non enim dicitur quod illa gratia ſemper agit & peragit ut credamus: quod eſſet dicere, quod illa eſt ſemper conjuncta cum effectu credendi, ut prætendit Janſenius: ſed tantum dicitur, quod id agitur & peragitur, vocatione, ſeu gratia & non libero arbitrio, ut volebant illi Hæretici: quod eſt dicere quod omnis effectus credendi ſemper eſt conjunctus cum gratia, tanquam cum ſua cauſa neceſſaria, & ſine qua illa eſſe prorſus non poteſt: quod erat id ſolum quod contendebat Auguſtinus contra iſtos errantes, qui effectum illum tribuebant ſoli ſuo arbitrio, ſeu meritis arbitrii, & non gratiæ Dei, ſolum ibi determinans quod ſit principium illius actus credendi, non vero qualis ſit modus agendi principii illius, cùm hoc non pertineret ad quæſtionem.

Lib. de dono perſev. cap. 19. in fine.

Eodem capite.

Ibid. cap. 21.

PUNCTUM

Punctum XXIV.

Reliquæ Janſenii inſtantiæ ſolvuntur, & obiter aliqua Eccleſiæ oratio exponitur, quæ videtur aliquibus, inferre gratiam determinantem.

QUANTUM autem ad id quod tandem ait, ſcilicet Auguſtinum ideo vocare gratiam Chriſti nomine incrementi, quia illa ſemper habet effectum, & ideo opponere illam omnibus adjutoriis externis.

Reſpondeo, falſum eſſe, quod vocet Auguſtinus gratiam nomine incrementi: non enim vocat gratiam hoc nomine, ſed ſolùm effectum ejus: nam ſicut Apoſtolus vocat incrementum, non gratiam, ſed ipſum profectum, & effectum gratiæ, (cùm ibi loqueretur de copioſiſſimis verbi Dei fructibus in primitiva Eccleſia ſui temporis elucentibus, quos aliqui perperam tribuebant ipſis miniſtris Eccleſiæ, & non Deo: Apoſtolus autem volebat tribui Deo, ſeu, volebat eſſe à Deo intrinſecus operante, in voluntate, & non ab homine plantante & rigante, ut patet ex his verbis [itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui *incrementum* dat Deus: ego plantavi, Apollo rigavit; ſed Deus *incrementum* dedit) ita Auguſtinus vocat incrementum, non gratiam, ſed effectum gratiæ, quem vult eſſe à Deo intrinſecus operante per gratiam, ipſi voluntati intrinſecam, & non ab homine, per ſolum liberum arbitrium operante, aut per legem & doctrinam ſeu gratiam intellectus per legem & doctrinam ſignificatam, ut volebant Pelagiani; contra quos ipſe agebat in locis à Janſenio allegatis: tam autem verum eſt quod per incrementum intelligit Auguſtinus effectum gratiæ, & non gratiam, ut ipſemet Janſenius fateatur in fine capitis, quod incrementum ipſo nomine ſignificat *effectum* adjuvantis gratiæ, quem intellectum etiam ibidem ipſe, tribuit Auguſtino: unde manifeſtum eſt quod in iis locis non agit Auguſtinus de gratia Chriſti ſecundum ſe; ſed vel de effectu ejus, ut diximus, aut de aliqua gratia ſpeciali, quam vocamus efficacem, & congruam, quæ ſola eſt ad effectum exiſtentem, ibi ſignificatum per nomen incrementi; & non de omni actuali gratia Chriſti, de qua loquimur, & quam negamus hîc, habere ſemper effectum, aut converſionis, in eo quem ſollicitat ad converſionem, aut patientiæ, in eo quem ſollicitat ad patientiam, & ſic de cæteris: neque etiam verum eſt quod comparet Auguſtinus ibi gratiam cum externis adjutoriis, ſed comparat ipſum Deum, dantem effectum per gratiam, externis cooperatoribus, ut etiam facit Apoſtolus in loco præallegato ſecundum expoſitionem ibi D. Thomæ: aut ſi comparat gratiam cum externis adjutoriis, non comparat gratiam ſecundum ſe, ſed ſpecialem illam gratiam, quæ eſt ad effectum exiſtentem ſignificatum per nomen incrementi, quam vocamus congruam &

Vide lib. 1. de peccat. mer. & remiſſ. c. 9. ubi vocat incrementũ Auguſtinus, ipſam juſtificationem, datam per baptiſmum parvulis, qui & ipſi ſunt incapaces omnis actualis gratiæ: ex quo manifeſtum eſt quod per hoc incrementũ non ſemper intellexit Auguſtinus gratiam determinantem, ut prætendit Janſenius.

Non ob hoc uſus eſt nomine incrementi Auguſtinus loquendo de effectu gratiæ Chriſti, quia ipſa eſt ſemper cum effectu conjuncta, ut vult Janſenius: ſed quia ipſum incrementū magis videbatur Auguſtino indicare gratiam voluntatis (quam defendebat contra Pelagianos) quā ſolum intellectus.

efficacem, unde non bene infertur ab illa gratia ſpeciali, ad omnem gratiam Chriſtianam: Et certum eſt, nihil aliud intendiſſe Auguſtinum ex illo loco Apoſtoli (loquentis de effectu gratiæ ſub nomine incrementi, ut à Deo dati, & non ab homine plantante & rigante) elicere, niſi neceſſitatem, & indigentiam gratiæ in voluntate admittendæ ad bonum opus agendum, quod negabant Pelagiani, volentes tantum admittere gratiam in intellectu: quod maxime claret ex uno loco ibi à Janſenio allegato ex libro de gratia Chriſti cap. 13. qui talis eſt. non ſolùm per eos qui plantant, & rigant extrinſecus, ſed etiam per ſeipſum, qui incrementum ſuum miniſtrat occultus, ita ut non oſtendat tantummodo veritatem: (quod ſolùm indicat gratiam intellectus, quam Pelagiani volebant ſufficere ad actum bonum) verumetiam impertiat charitatem (per quam ſolet Auguſtinus intelligere gratiam in voluntate neceſſariam, quam iſti errantes admittere nolebant: ubi, ut vides, non reprehendit Auguſtinus Pelagium per illum textum, quod nollet admittere gratiam determinantem, ſeu prædeterminantem arbitrium, ſeu ſemper habentem effectum: ſed tantum de eo quod nollet admittere talem gratiam, quæ impertiret charitatem: id eſt, quæ moveret & accenderet per ſe voluntatem in Deum: ſed tantum talem gratiam quæ *oſtenderet* veritatem id eſt illuminaret intellectum, ut poſtea voluntas per ſe ſolam ſine gratia, poſſet colere, & amare Deum, quod ſemper & unice reprehendit Auguſtinus in Pelagio, & cæteris Pelagianis. Quod etiam patet ex illo loco lib. 2. operis imperfecti contra Jul. cap. 232. ubi ſic alloquitur iſtum Pelagianum Auguſtinus. O te deceptorem Spiritu Hæretico plenum, *totum dantem hominis voluntati!* (ecce ergo quod ibi reprehendebat in eis, ſcilicet quod totum darent voluntati humanæ ſine Deo; quia nempe in ea nullam prorſus gratiam neceſſariam admittebant ut ſupra vidimus, ſed tantum in intellectu) contra eum qui dicit [quid enim habes quod non accepiſti: homo Pelagiane *plantando, & rigando* iſta dicebat Apoſtolus: ſciens autem *quia neque qui plantat, neque qui rigat, eſt aliquid:* (in quo clare deſignat indigentiam & dependentiam ab alio cum propriam deſignet inſufficientiam) *ſed qui incrementum dat Deus*] non præcipiebat tantum, ſed etiam orabat ad Deum, (per quod ſolet Auguſtinus deſignare *indigentiam*, ſeu neceſſitatem gratiæ in voluntate) ne malum facerent, quibus ejus eloquia prædicabat, aperte enim alibi dicit, *oramus* autem ad eum ne quid faciatis mali. Ubi manifeſtum eſt, quod nihil aliud expoſtulabat ab eis niſi ut agnoſcerent neceſſitatem gratiæ, & ejus indigentiam in voluntate ad operandum bene, & ut non totum ſuæ voluntati darent, & nihil Deo, ut ſolebant, ſaltem quantum ad initium operis. Quod ut magis ac magis appareat, explicandus eſt ſigillatim aliquis locus, quem citat Janſenius ubi ſupra, ex libro 2. operis imperfecti contra Julianum de illo incremento, quaſi locus ille eſſet de gratia determinante ſeu prædeterminante arbitrium: & tamen nihil aliud ibi innuitur, niſi ne-

ceſſitas prædicta gratiæ in voluntate admittendæ, qualis qualis illa eſſet: cum nihil aliud ibi reprehendat Auguſtinus in iſto Hæretico, niſi quod ille prætenderet, homines poſſe velle, & incipere bonum ſine gratia Dei in voluntate neceſſaria, ſeu ſine gratia ſine qua non. Quod ſic oſtendo: dixerat Julianus in illo libro cap. 157. quod diſputatione collegerat Apoſtolus, quod non ſolum hi qui ex Circumciſione, ſed & illi qui ex præputio ſectari voluiſſent veſtigia fidei Abrahæ, non immeritò Abrahæ filii, (id eſt fideles ſeu credentes in Chriſtum) cenſerentur. Bene vidit Auguſtinus, quid per hæc intelligebat iſte Hæreticus, ſcilicet quod Deus dederat fidem iis ſolis, qui ex ſe, & ex mero ſuo arbitrio ſine gratia Dei in voluntate recepta, voluerant credere: aliis autem qui noluerant ſic credere, eam denegaverat, quaſi ſcilicet bona unorum voluntas eſſet cauſa gratiæ conceſſæ, neglectus autem aliorum bonæ iſtius voluntatis, eſſet cauſa negationis gratiæ. Jam enim noverat Auguſtinus ſenſum iſtum iſtius hæretici ex alio ejus opere: ut patet ex lib. 4. contra eumdem Julianum cap. 8. ubi ait Auguſtinus, vos, ut video, ponere jam cœpiſtis *merita gratiam præcedentia quod eſt petere, quærere, pulſare*, (quæ omnia, ſunt actus voluntatis affectuoſe quærentis & petentis & pulſantis ad Deum, & per hoc merentis accipere, ut mox ſequitur) ut *his meritis debita illa reddatur* ac ſic gratia inaniter nuncupetur (cum non eſſet gratis data, ſed meritis præcedentibus reddita) *tanquam gratia nulla præceſſerit & cor tetigerit* (id eſt voluntatem prævenerit & præexcitarit) ut beatificum gaudium peteretur à Deo, ut quæreretur Deus, ut pulſaretur ad Deum: & paulo infra: ut videlicet intelligamus docentibus vobis, *ideo* (nota cauſam negationis gratiæ ſecundum iſtum Hæreticum: jam enim vidiſti cauſam conceſſionis gratiæ quam ſimiliter poſuit in mere humana volitione) non omnes ſalvos fieri & in agnitionem veritatis venire *quia ipſi nolunt petere*,

Loci alicujus difficilis plena & ſpecialis explicatio.

Nota valde hunc textũ, qui eſt clavis totius ſequẽtis noſtra expoſitionis; imo totius Auguſtiniana doctrina de gratia cõtra poſteriores Pelagianos, ſeu Iulianiſtas qui ſolũ contendebãt initium fidei & cujuſlibet boni operis eſſe à nobis, petentibus, quærentibus, volentibus, pulſantibus, conantibus ſine gratia Dei in voluntate neceſſaria, ut etiam indicat Conc. Arauſicanum Can. 6. & 7. perfectionem autem operis dabant Deo.

cum Deus velit dare, *nolunt quærere*, cum Deus velit oſtendere, *nolunt pulſare* cum Deus velit aperire. Ubi vides, iſtum Hæreticum ſtatuiſſe ut neceſſarium quod bona voluntas hominis præcederet gratiam Dei ita quod ſi illa præcederet, concederetur ei tanquam dignæ & merenti gratia Dei; ſi non præcederet, negaretur ei gratia, tanquam non merenti, & non dignæ & non habenti conditionem neceſſariam ad recipiendam illam: cum ergo noviſſet Auguſtinus hunc ſenſum iſtius hæretici & audiſſet dicentem ſupradicta verba quæ retulimus ſcilicet quod qui *voluiſſent* ſectari veſtigia fidei Abrahæ, non immeritò filii Abrahæ cenſerentur. Sic ei reſpondet Auguſtinus: quod ſi *noluiſſent*, evacuaretur promiſſio. (id eſt, ſi ergo prius non habuiſſent ex ſe voluntatem credendi, Deus non dediſſet eis fidem per ſuam gratiam, ut promiſit Abrahæ, & ſemini ejus) ammoneo, ut intelligatis, *cui gratiæ ſitis ini-*

Vide etiam librum 2. ad Bonifac. cap. 8. & ſequentibus.

mici, (ſcilicèt prævenienti; & præexcitanti voluntatem antequam ipſa velit, ut mox ſequitur) negando Deum operari voluntates in mentibus hominum: (id eſt negando gratiam prævenientem & præexcitantem congruam, intus in mente ipſa, ſeu voluntate ipſa receptam, ut neceſſariam ad rectè credendum, & bene agendum: operari enim bene ſignificat gratiam prævenientem; quia nihil ante ſe præſupponit quod operetur, aliàs non eſſet operans, ſed cooperans, cum adjungeretur principio prius operanti cui cooperaretur & ſuperadderetur) non ut nolentes credant (id eſt non quidem ut contra voluntatem ſuam credant, & ſuſcipiant fidem) quod abſurdiſſime dicitur, ſed ut volentes ex nolentibus fiant: (id eſt, ſed ut prædiſpoſiti, & præparati, per gratiam prævenientem, in voluntate neceſſariam, deſinant nolle credere, id eſt eſſe nolentes; & incipiant velle credere, id eſt eſſe volentes: quod nolebat admittere Julianus, cum ipſe præſupponeret in nobis bonam voluntatem, per ſeipſam quærentem, petentem, & pulſantem ad Deum, antequàm Deus, illi ullam gratiam impertiret: ſic enim ſumpta gratia non faciebat volentes ex nolentibus, cum nunquam reperiret nolentes, ſed ſemper volentes, quandoquidem ante ſe præſupponebat bonam volitionem, nec etiam operabatur voluntates hominum, cum reperiret illas jam factas, cùm præſupponeret illas ante ſe; & hoc eſt quod vult dicere Auguſtinus, cum reprehendit iſtum Hæreticum, de eo quod nollet Deum operari voluntates in mentibus hominum, & ex nolentibus volentes facere: nempe reprehendit eum, de eo quod negaret omnem gratiam prævenientem & præexcitantem arbitrium in voluntate neceſſariam, non verò de eo quod nollet admittere gratiam determinantem, aut prædeterminantem arbitrium, ut prætendit Janſenius: quaſi ſcilicet illam ſolam gratiam hæreticus iſte repudiaret, & alias omnes indifferentes admitteret in voluntate neceſſarias: cùm ex dictis clarè pateat quod nullam prorſus volebat admittere gratiam, ante bonam volitionem: ſed è contra volebat, ipſam bonam volitionem præcedere gratiam, & eſſe quaſi meritum, cui redderetur gratia, tanquam merces & præmium, ut ſatis ſupra vidimus, ipſo explicante Auguſtino, Sed textum incœptum proſequamur) non ſicut facit Doctor homo, docendo, & hortando, minando, & promittendo, in ſermone Dei (per quæ, ſola innuitur gratia intellectus, quam admittebant Pelagiani in lege ſcripta, & doctrina Evangelii, proponente comminationes, & promiſſiones divinas, & etiam exempla Chriſti; quam rejicit hîc, & ubique Auguſtinus, ut inſufficientem ad producendam fidem divinam, de qua loquebatur, & ſolum ſufficientem ad producendam fidem humanam, qualis eſt ea quæ eſt in hæreticis, & etiam in dæmonibus: unde & ſequitur) quod fruſtra fit, niſi Deus intus *operetur*, & velle (id eſt hoc fruſtra fit ad producendam fidem divinam, niſi etiam Deus excitet, & intus moveat voluntatem ad volendum credere, & non ſolùm expectet eam, an per ſe velit credere, ſine gratia in ſe re-

Textus à Janſenio allatus.

cepta, ut perperam ſufficere contendebant iſti hæretici: prorſus enim volebat Auguſtinus, eam præveniri, & præexcitari à Deo, ut patet ex mox allatis verbis) per inveſtigabiles vias ſuas (per quod ſignificat gratiam congruam, per quam miro, & ineffabili modo, ut alibi explicuimus, licet relinquat voluntatem liberam, & prorſus indifferentem, ad bene agendum vel non agendum, facit tamen per eam quod ipſe vult) cum enim verbis (id eſt per gratiam ſolùm extrinſecam, ad quam etiam reducitur gratia, quæ eſt ſolum in intellectu, cùm ſit extrinſeca voluntati, quam etiam communiter Auguſtinus explicat per legem atque doctrinam) doctor plantat, & rigat, poſſumus dicere, forte credit auditor (ſcilicet fide humana, & non divina, nam plantans, & rigans ſine Deo intus agente, in voluntate, nihil efficit divinum aut proficuum ad ſalutem, ut teſtis eſt Auguſtinus, & fatetur Janſenius) cum vero dat incrementum Deus (id eſt cum dat fidem homini, per gratiam congruam & efficacem) credit, & proficit (id eſt credit fide divina, & proficua ad ſalutem) ecce quid intereſt inter legem & promiſſionem, inter litteram & ſpiritum (id eſt ecce quid intereſt inter gratiam, quæ eſt ſolùm in intellectu, quam communiter ſignificat Auguſtinus per legem, & litteram, ſeu doctrinam, ut videre eſt in libro de gratia Chriſti cap. 7. & ſequentibus, & gratiam quæ eſt in voluntate: Illa enim ſolùm producit fidem humanam, & inutilem ad ſalutem, qualis eſt fides illa, quæ eſt in Hæreticis, & etiam in dæmonibus, Hæc autem producit fidem divinam, & proficuam ad ſalutem, ſignificatam per incrementum, ut dignum effectum tantæ, & tam potentis gratiæ, per mortem & paſſionem Chriſti nobis acquiſitæ. Et is eſt totus textus à Janſenio allatus in quo nihil eſt de gratia determinante, aut prædeterminante arbitrium, ſed tantum de gratia præveniente, & præexcitante arbitrium ad volendum credere, quam nolebat admittere Julianus, ut pote qui putabat cum cæteris Pelagianis, noſtram voluntatem per ſe eſſe ſatis potentem, & ſufficientem ad volendum recte credere & bene agere ſine gratia in ſe ſuſcepta, modò præſupponeretur aliqua in intellectu gratia, quæ oſtenderet, & per quam homo diſceret, quid credendum vel non credendum, & quid agendum vel non agendum ſit, ut multis capitibus docet, & exprobrat eis Auguſtinus libro de gratia Chriſti. Quæ omnia etiam firmari poſſunt, ex antecedentibus, & conſequentibus hujus textus quem exponimus: Nam cum capite antecedente dixiſſet Julianus, promiſſionem factam Abrahæ, tributam eſſe moribus (id eſt ob bonos mores antecedentes ſeu bonas diſpoſitiones hominum) ſic reſpondet Auguſtinus: hos mores, quos proculdubio bonos vis intelligi, ſi, ut putatis, homo ſibi faciat (id eſt ſi ſine gratia præcedente, & præexcitante voluntatem ſibi pariat, hoc eſt enim quod putabant Pelagiani, ut ſupra oſtenſum eſt, de bonis actibus voluntatis quos ibi mores vocat) prædicere iſta debuit Deus præſcius, ſi non promitteret (id eſt prædicere iſta debuit, ex mera præſcientia, quæ nihil ponit in rebus, ad hoc

Puncto XX. non longe à fine.

ut ſint vel habeantur, ſed ſupponit illas eſſe mere futuras: non vero promittere, ut Scriptura dicit, cùm promiſſio ſemper inferat, ipſum promittentem effecturum eſſe ut res promiſſa, vel ſit, vel habeatur: quod non habet locum in veſtra ſententia, qui dicitis bonam volitionem hominis præcedere gratiam Dei, per quam Deus poſſet illam efficere) ut non de illo, in hac cauſa diceretur: quæ promiſit, potens eſt, & facere: ſed quæ præſcivit, potens eſt, & prænuntiare, aut potens eſt & oſtendere (id eſt, ita quod non vere Scriptura dixerit, quod illam bonam volitionem promiſit Deus, & potuit facere, ſed quod debuit dicere: quod eam ſolùm prævidit, & potuit prænuntiare, ut à nobis futuram, vel ut à nobis factam oſtendere: in quo negatur omnis gratia Dei præveniens & præexcitans voluntatem hominis ad credendum, cùm hoc mere ſit ſpeculativum, & nullius rei effectivum, ut per ſe manifeſtum eſt: unde & ſequitur) quando autem dicunt homines, quod Deus promiſit, nos facimus; ſe ipſos faciunt inſtantia *potentes*, illorum arrogantia mentiente (id eſt ſibi attribuunt poteſtatem, quæ à ſolo Deo eſt, illorum arrogantia mentiente) Ubi vides ſolùm ſermonem eſſe de poteſtate bene agendi data voluntati à Deo, non vero de ipſa determinatione, & applicatione facienda, noſtræ voluntatis ad agendum, à gratia, quaſi hoc eſſet intrinſecum gratiæ. Certe ſi Julianus, & alii Pelagiani, admiſiſſent gratiam illam potentialem ut vocat Janſenius quæ non determinat arbitrium, ſed tantum ita excitat illud, ut poſſit agere, ſi velit, & non agere, ſi nolit: non bene hîc reprehenderet eos, quod dicerent cum ea ſe eſſe potentes ad credendum, ſeu ad volendum recte credere, cum re vera ita poſſent, & ſic non mentirentur, nec etiam eſſent arrogantes, cum ſibi hanc potentiam non attribuerent ut propriam, ſed agnoſcerent à Deo eſſe acceptam. Unde luce ipſa clarius eſt, quod ibi non loquebatur Auguſtinus de gratia determinante, ſeu prædeterminante arbitrium, quaſi eam ſolam iſti negarent, ſed tantum de gratia præveniente, & præexcitante arbitrium, & dante ſufficientem poteſtatem ad bene volendum & agendum, qualis non erat ſola illa gratia intellectus, quam iſti errantes admittebant, ſignificata per legem, & litteram, ſeu doctrinam: ſed ſola gratia voluntatis, ſeu quæ eſt propria voluntatis, quam ipſi non admittebant. Quod etiam probari poteſt ex conſequentibus: nam ut in textu à Janſenio allegato dixerat Auguſtinus, quod gratia intellectus ſolùm poterat facere fidem humanam & inutilem ad ſalutem, qualis ſcilicet eſt illa quæ eſt in Hæreticis: non autem fidem divinam, quæ ſolùm poterat fieri à gratia, quæ eſt in voluntate, neceſſaria; ſic conſequenter ait cap. 158. ſequente. Qui præcepta legis implere ſe putat, *per arbitrium propriæ voluntatis, ſine ſpiritu gratiæ* (audis excluſionem omnis gratiæ, ſcilicet tam indifferentis, quam determinantis, in voluntate neceſſariæ: nam probe ſciebat eos admittere gratiam in intellectu) ſuam juſtitiam (id eſt mere humanam, ut ſupra dixerat fidem humanam) vult conſtituere, non juſtitiam Dei

Ipſum nomen potentialis, quod dat iſti gratiæ Janſenius, arguit in ea potentiam, per quam facit potentes eos qui recipiũt eam.

ſumere: (id eſt juſtitiam à Deo ſumere, per prævenientem, & præexcitantem ejus gratiam in voluntate neceſſariam) nam unde dicit Apoſtolus. [Ut inveniar in illo, non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt: ſed juſtitiam quæ ex fide, juſtitiam ex Deo.] Quare ſuam dicit juſtitiam, quæ ex lege eſt, *eamque juſtitiam reprobat* (ſcilicet mere humanam, ut per ſe manifeſtum eſt) non autem ſuam, ſed ex Deo juſtitiam quæ eſt ex fide (ſcilicet divina) numquid lex non eſt ex Deo; quis, niſi infidelis hoc dixerit: Sed *ex lege* dicit juſtitiam ſuam *in qua homo putat ſufficere ſibi legem* (ſine gratia in voluntate neceſſaria) *ad facienda divina mandata confidens in virtute ſua* (& hoc erat, quod ſolùm reprehendebat in iſtis Hæreticis Auguſtinus ſcilicet excluſionem omnis gratiæ, in voluntate neceſſariæ, & confidentiam in propriis viribus: non autem excluſionem gratiæ determinantis, ut falsò prætendit Janſenius) ex fide autem juſtitiam ideo dicit eſſe ex Deo, quia Deus unicuique partitur menſuram fidei, (ſcilicet divinæ per gratiam congruam) & ad fidem pertinet credere, quod in nobis Deus operetur & velle: (ſcilicet per prævenientem, & præexcitantem gratiam, quam negabant illi Hæretici: & id volebant eſſe à mera voluntate humana, contra quos affert iſtud exemplum dicens) ſicut operabatur in illa purpuraria cujus aperuerat ſenſum (per quod denotat initium actus, quod negabant iſti Hæretici eſſe à Deo, & oſtenditur ibi, eſſe à Deo cum ipſe aperuerit ſenſum iſtius purpurariæ) ut intenderet in ea, quæ à Paulo dicebantur: ac per hoc nec ipſi Judæi qui crediderunt in Chriſtum, in quibus & Paulus fuit: ex lege (id eſt ex homine per ſolam gratiam intellectus operante) hæredes omnino dicendi ſunt, ſed potius ex promiſſione (id eſt ex Deo, ut ſequitur) ideo enim dictum eſt, in Iſaac vocabitur tibi ſemen, quia non *Filii carnis, hi Filii Dei: ſed Filii promiſſionis*, (id eſt gratiæ) deputantur in ſemine. Et infra cap. 160. deſtrueretur *promiſſio*, id eſt gratia) ſi ex *lege* quiſquam juſtus eſſet, (ſcilicet juſtitia ſalutari ſeu proficua ad ſalutem) ſi enim qui ex lege (id eſt ex homine per ſolam gratiam intellectus operante, quam gratiam communiter intelligit Auguſtinus per legem) hæredes ſunt, exinanita fides, evacuata eſt promiſſio: *lex enim iram operatur, ad hoc utique*, ut ad iram evadendam, *Dei gratia requiratur.* Et ſic nihil in his eſt de determinatione voluntatis à gratia, ſed tantum de neceſſitate gratiæ in voluntate ad bene agendum prorſus admittendæ, ſine qua nihil eſſe poteſt, quod proficiat ad ſalutem, contra iſtos Hæreticos, qui nolebant illam eſſe neceſſariam ad bonam volitionem, cum putarent ſe eſſe per ſe ſufficientes ad bene volendum ſine illa gratia: quod poſtea etiam inculcat Auguſtinus multis capitibus ſequentibus, ſcilicet 165. 167. 188. & 198. ſed hæc opinor ſufficiunt.

Denique arguit Janſenius cap. 26. pro eadem determinatione voluntatis à gratia, ex diverſitate phraſium, quibus utitur Auguſtinus, opus bonum olim voluntati tribuendo, nunc gratiæ.

Sed Reſpondeo, omnes illas phraſes, jam in ſuperioribus ſatis eſſe explicatas de majoritate gratiæ, nunc conceſſæ homini lapſo præ antiquo homine, & abunde ibi oſtenſum eſt, iſtas phraſes ſumptas eſſe, ex eo quod Auguſtinus nullam prævenientem agnoſceret in voluntate primi hominis gratiam, & proinde recte dici poſſet, quod opus illius erat opus voluntatis ſimpliciter, cum illa ſeſe intrinſece moveret ad illud, ſola tantum in intellectu præſuppoſita gratia: è contra vero, quod opus hominis, nunc temporis, eſt gratiæ, & non voluntatis; quia gratia intrinſecus in voluntate reſidens excitat & movet eam intrinſece ad agendum, & ita per illam gratiam Deus operatur in voluntate hominis, ut quicquid vult, in ea faciat, & per eam: non tamen ſine conſenſu ejus, & propriâ ſeu liberâ illius determinatione ad agendum: quia per ſuam gratiam Deus ita movet, & munit eam contra concupiſcentiæ motus inſurgentes, (à qua orta eſt neceſſitas iſtius novæ gratiæ) ut tamen non neceſſitet, aut determinet eam, ſed potius ex ſua ſumma voluntate, & miſericordia, ſe accommodet ei, & ita eam vocet, & tangat, ut ſcit aptum eſſe ut moveatur, & ſequatur, quando vult eam ſequi, & quomodo ſcit ei congruere ut vocantem non reſpuat: prout ſupra vidimus ex Auguſtino lib. 1. ad Simplic. quæſtione illa ſecunda, quam dicit alibi ſibi à Deo fuiſſe inſpiratam in favorem gratiæ. Et ſic finit iſta importuniſſima & prolixiſſima Janſenii objectio ſumpta ex Chriſtiana ſeu medicinali Chriſti gratia.

Lib. de prædeſt. Sanct. cap. 4.

Verum his addi poſſet aliqua inſtantia, ex quadam oratione Eccleſiæ ſumpta, ubi orat Eccleſia Deum, ut ad ſe noſtras etiam rebelles compellat propitius voluntates, quod videtur ſignificare determinationem noſtrarum voluntatum fieri à Deo per gratiam, & non à nobis.

Sed Reſpondeo, per hanc compulſionem, non ſignificari veram, & propriam, & intrinſecam voluntatis determinationem, ſed tantum impropriam & Metaphoricam, quæ fit per terrores incuſſos, ex vehementi apprehenſione propinquæ mortis, ſeveri Dei judicii, pœnarum æternarum inferni, juſtitiæ, vindictæque divinæ, punitionum temporalium imminentium, præſentium morborum, ignominiarum, confuſionum, caſuum inopinatorum, & cæterorum ejuſmodi, quæ horrore ſuo ſtringunt animũ peccatoris, & quaſi adigunt ad promptam cõverſionem: quæ tamen omnia tam parum compellunt, ſeu metaphorice determinant animum, voluntatemque hominis ad pœnitendum, ut etiam ſæpiſſime videamus gementibus piis, & ſanctis viris, multos peccatores iſta ſpernere, atque etiam irridere, & etiam aliquando hinc pejores fieri. Hæ autem compulſiones, ſeu determinationes metaphoricæ, non ſunt timendæ libertati, atque indifferentiæ, ſed potius optandæ, cum per eas multi peccatores omnino libere compellantur, & adiganturad pœnitentiam: unde clamabat Propheta Deo: Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim timui. Unde & conſequenter ait: feci judicium & juſtitiam: qui eſt effectus ordinarius hujus ſacri timoris, ſeu ſacræ compulſionis atque metaphoricæ

Ut non cõſentires, ego terrui: *agnoſce ergo gratiam ejus, cui debes, & quod non adm ſiſti. Auguſt. homilia 23. ex quinquaginta cap. 6.*

metaphoricæ determinationis: D. Auguſtinus ſæpe vſurpat hoc verbum compellere, pro mera & ſimplici excitatione ad opus, & pro mera obligatione præcepti.

Libro de bono vidui. c. 11. lib. 1. de adult. conj c. 1. 4. 7. & lib. 2. c. 9. 11. 14. 16. 17. lib. 2 qu. Evan. c. 45. lib. 1. de doctr. Chriſt. c. 33. & lib. 4. c. 7. & alibi communiter.

PARAGRAPHUS UNDECIMUS.

Duæ Poſtremæ objectiones proponuntur & ſolvuntur, totumque opus concluditur.

DECIMUMQUARTUM Argumentum, ſumitur ex comparatione parvulorum morientium ante uſum rationis, cum adultis ratione utentibus, quo ad prædeſtinationem ad gloriam: & ſic formatur. Parvuli iſti prædeſtinantur ad gloriam ſine prævisis meritis, cùm nulla habeant merita, ergo ſimiliter dicendum eſt de adultis.

Reſpondeo 1. neg. conſ. quia iſti parvuli, nec habent, nec poſſunt in eo ſtatu habere merita, propter quæ prædeſtinentur, adulti vero ſic: unde non bene infertur ab iſtis parvulis ad adultos, quoad eorum prædeſtinationem. Ut v. g. qui diceret pauperes oſtiatim mendicantes non debent ſolvere regi vectigalia, ergo nec divites: non eſt bona conſequentia, quia ideo pauperes iſti non debent ſolvere vectigalia, quia non habent, unde ſolvant: divites autem debent ſolvere, quia habent unde ſolvant: ita de parvulis, & de adultis quoad prædeſtinationem ad gloriam: parvuli non prædeſtinantur ob merita, quia non habent merita, propter quæ prædeſtinentur: adulti, autem habent merita, unde propter illa prædeſtinantur, & ſic bene negata eſt conſequentia.

Reſpondeo 2. diſt. antec. parvuli prædeſtinantur ad gloriam ſine præviſis meritis proprie & ſtricte ſumptis; Conc. improprie, & largo modo ſumptis, nego. Poſſunt enim merita duplici modo conſiderari, vel ſtricte, & proprie, qualia ſunt opera bona ab homine juſto cum gratia elicita, & ob illa non prædeſtinantur parvuli ante uſum rationis morientes, quia nec habent, nec poſſunt habere illa. Vel poſſunt conſiderari, & ſumi, improprie, & largo modo, ſcilicet prout extenduntur, ad id omne cui debetur gloria, etiam ſi non ſit opus, nec actus bonus à voluntate elicitus: & hoc modo, iſti parvuli habent merita, propter quæ vere prædeſtinantur: habent enim habitualem gratiam, cui debetur gloria, & ſic non valet conſequentia; utrique enim prædeſtinantur ob præviſa merita; parvuli, propter impropria, & largo modo dicta merita: adulti vero, propter propria, & ſtricte dicta merita. Nam, ut Deus non prædeſtinaſſet adultum, niſi perſeveraturum prævidiſſet in gratia, ita nec parvulum, niſi deceſſurum prævidiſſet in gratia: & ſic utrique conveniunt in principali prædeſtinationis iſtius: ſcilicet, quod utrique non prædeſtinantur niſi poſt præſcientiam, & quod non ideo Deus dat gratiam perſeverantem uſque in mortem quia prædeſtinavit eos ad gloriam, ut volunt adverſarii, ſed ideo prædeſtinavit eos

ad gloriam, quia prævidit eos deceſſuros in gratia.

Decimum quintum & ultimum Argumentum, ſumitur ex authoritate Scholæ Pariſienſis, (quam honoris cauſa nomino) in qua ut ait Eſtius in 1. diſt. 41. §. 4. in fine, ante annos 250 condemnati reperiuntur iſti tres articuli: quod propter opera alicujus futura bona, Deus præordinavit aliquem ab æterno: quod aliquis prædeſtinatus eſt ab æterno propter bonum uſum liberi arbitrii, quem Deus præſcivit eum habiturum. Quod non ſic gratis, & miſericorditer Deus prædeſtinavit illum, quem prædeſtinavit, quin & pro omnibus bonis ipſius futuris, & alterius.

Reſpondeo, iſtos articulos damnatos, non eſſe de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, cum nullus eorum mentionem faciat de gloria: ſed vel ſunt de gratia ſola, de qua prædeſtinatione, diu fuit cum Hæreticis in Eccleſia contentio, & præſertim in gallia: vel de gratia ſimul & gloria, ſeu de prædeſtinatione completa, & ſic non ſunt contra nos, qui diſtincte & formaliter proteſtati ſumus initio diſputationis, nos hîc non agere de prædeſtinatione ad gratiam ſolam, nec ad gratiam ſimul & ad gloriam, ſed ad gloriam ſolam, ſeu ad gloriam ſolitarie ſumptam, & prout illa prædeſtinatio condiſtincta eſt à prædeſtinatione ad gratiam. Argumentum autem peremptorium, quod oſtendit prædeſtinationem illam ut poſt præviſa merita factam, non eſſe damnatam in illis articulis, nec à Schola prædicta Pariſienſi: eſt, quod multoties tradita, & defenſa eſt illa opinio in Scholis illis, à publicis illius Theologiæ Profeſſoribus, & etiam extat typis mandata, per Doctiſſimos Sorbonicos Socios, & Profeſſores, Henricum Gandavenſem, Gammachæum, & Iſambertum, ut nullo modo dubitari poſſit, quin opinio in illis articulis damnata, ſit omnino diverſa à noſtra.

Et hæc ſunt, quæ Deo dante, & ſuffragante Sancto Auguſtino, multoties, & intenſiſſime à me implorato, dicenda habui de hac graviſſima difficultate, quam, utinam alius cum majori ſcientia, & æquali ſinceritate pertractaſſet: perſpicuiſſimam ſane Sanctæ Scripturæ, & Sancti Auguſtini doctrinam melius demonſtraſſet, eamque à multis calumniis, tam à Catholicis, quam ab Hæreticis, in hac parte immerito impetitam, ſolidius defendiſſet. Sed licet hac in re non præſtiterim, quicquid alius doctior, & ſubtilior me præſtitiſſet: tamen ſpero, hiſce qualibuſcumque meis rudimentis pro vera, & Auguſtiniana de prædeſtinatione hominum ad gloriam ſententia, prælibatis, alios doctiores, & eruditiores meliora quondam addituros, & tandem ad perfectionem uſque (quod faxit Deus, pro bono, & conſolatione animarum, quarum & ipſe dilector eſt) perducturos. cæterùm quicquid in hoc, & in omnibus aliis (ſi quæ impoſterum edam) opuſculis meis, dixi, aut dicam, totaliter illud ſummiſſum volo, judicio, cenſuræ, & correctioni Sanctæ Matris Eccleſiæ, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, cuius obſequentiſſimus, licet indigniſſimus, filius, & ſervus ſum.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON

RRÆCIPUARUM

INDEX RERUM.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1896

A

ADIVTORIVM voluntatis, & actionis, non eſt gratia determinans, ſed indifferens ſecundùm Auguſtinum. pag. 668. & ſequent.

Adjutorij Adæ, & hominis lapſi, ſeu adjutorij quo & ſine quo differentia in quo conſiſtat ſecundum Auguſt. pag. 628. & ſequent item 636. & 637.

Actum dari à Deo non eſt determinari à Deo ad agendum, ſed tantum præveniri per gratiam etiam indifferentem. pag. 635. 536.

Agi à Deo, non eſt determinari, ſed tantum præveniri per gratiam. 714

Angeli ſancti ſunt vere & ſimpliciter prædeſtinati, non minus quam homines lapſi. 580. & ſequent.

Arbitrium ſubijcere ſibi gratiam, & eam pediſſequam facere; quid ſit ſecundum Auguſtinum. 678

B

BAPTISMVS olim vocatus ſalus. p. 285

C

CAUSA dati poteſt gratiæ, non meritum. 550

Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, nemine excepto. 186

Concedere non ſemper ſignificat gratiam, ſed aliquando iuſtitiam. 535. & 536

Connexio individua quæ eſt inter gloriam & perſeverantiam finalem, multis cauſa fuit errandi in explicandis ſcriptis Aug. de præd, ad gloriam. 396

D

DAVID typus electorum ad gloriam ob tribulationes ab eo perpeſſas. 341

Duo decreta, intentionis ſcilicet, & executionis, ſibi contraria, reiiciuntur reſpectu prædeſtinationis ad gloriam. 89 & ſequent.

Quid eſt illa diſcretio, de qua communiter loquitur Auguſtinus. 486. & ſequent.

Quomodo nos ipſos diſcernimus. 557.

Quomodo Deus nos diſcernit, & nos ipſos diſcernimus. 568. & ſequent.

E

ESTIUS putavit Iudam Iſcariotem numquam vere credidiſſe in Chriſtum. 240

F

FIDELES olim vocati ſancti & electi. 234. 235. & 300

Figura Iacob & Eſaü aliquando explicata ab Auguſtino de prædeſtinatione ad gratiam, aliquando de prædeſtin. ad gloriam. 69. & 70. item 499. & ſequent.

Finem ſecundarium aliquando uſurpat Auguſtinus pro primario. 316

G

GLORIARI aliquo modo poſſumus de bonis operibus noſtris. 437

Glorificare in Scripturis non ſemper ſignificat gloriam cœleſtem, ſed aliquando magnificationem aliquam

extrinſecam. 254 255

De qua gratia diſputavit cum Pelagianis Auguſtinus. 478. *& ſequent.*

Gratia non datur arbitrio humano, ut ſubiiciat illud ſibi, ſed potius ut ſubiiciat illi concupiſcentiam ſuam, & vincat illam. 616

Gratia indifferens, probata multis Auguſtini teſtimoniis. 617. *& ſequent.*

Mere gratuitum, & aliquo modo oneroſum, ſunt incompoſſibilia. 92

Gratia lapſi hominis eſt in intellectu, & voluntate: gratia autem primi hominis, eſt ſolùm in intellectu, & in hoc maior fuit illa quam iſta. 641. *& ſequent*

Gratia efficax, aut finalis, non ſubtrahitur vt peccetur; ſed quia peccatum præmiſſum eſt: in textu, & marg. 42. & 43

Deus non denegat gratiam efficacem, niſi ob præcedentes hominum culpas in earum puniſionem. 560. & 561

Non ignoravit Auguſtinus, in quo poneret Pelagius gratiam ut prætendit Ianſenius. 685. & 686

Gratia poſſibilitatis Pelagii, erat gratia in intellectu, non vero gratia indifferens in voluntate, ut prætendit Ianſenius. 659. *& ſequentibus.*

Gratiarum divinarum diſtributio late explicata. 548 *& ſequent*

Deus in diſtribuendis ſuis gratiis, habet rationem quarumdam circumſtantiarum 586. *& ſequentibus.*

Primæ gratiæ diſtributio ſingulariter exponitur, ut pote cæteris difficilior. 565. *& ſequentibus*

Deus dat gratiam efficacem bonæ indolis hominibus, potius quam aliis. 589. *& ſequentibus.*

Sola potentia eſt intrinſeca gratiæ lapſi hominis, & non actus eius ſecundum Auguſtinum. 684. *& ſequent.*

Sæpe exponit Auguſtinus gratiam lapſi hominis, per ſimplex & merum poſſe. 681.

Vera nota gratiæ ſecundum Auguſtinum. 587

Maior gratia data, non eſt ſemper ſignum maioris amoris erga accipientem. 586. 594. *& ſequent.* item & quando eſt ſignum maioris amoris. *ibid.*

Gratia præveniens congrua, facit facere, aufert cor lapideum & dat cor carnem ſecundùm Auguſtinum, etſi non ſit determinans. 710

Gratiam ſuo effectu fruſtrari multoties agnovit & aſſeruit Auguſtinus, 688. *& ſequentibus.*

Gratia quamvis fortiſſima, non tamen arguit effectum futurum, ſed tantum magis ac magis poſſibilem aut facilem. 693

Duplex Auguſtino gratia ſufficiens, una remota, altera proxima, quarum una datur ſemper omnibus, non vero & altera. 692 *& ſequentibus.*

Licet gratia Chriſti ſit potentialis ſeu indifferens, facit tamen Deus per eam quicquid vult in homine. 720 *& ſequentibus*: ubi & explicatur gratia congrua per ipſummet Auguſtinum, qui ſe etiam purgat à ſuſpicione à ſe admiſſæ determinantis gratiæ: 721. & 722

Numquam fuit concertatio inter Auguſtinum & adverſarios de gratia efficaci aut inefficaci, ut ſic. 726. ſed tantum & præciſe de neceſſitate admittendæ in voluntate gratiæ, quam neceſſitatem putabant adverſarii auferre lib. arbitrium ab homine. 713

I

INDIFFERENTIA duplex, una pacata & tranquilla, qualis erat in Adamo: altera pugnax, & fervida, quæ eſt in homine lapſo. 617

L

LIBER vitæ, eſt præſcientia Dei. 283

Locus Auguſtini mendoſus, reſtitutus, & correctus. 710, in marg.

M

MASSA damnationis quid ſit Auguſtino. 485. *& ſequentibus.*

Quomodo ſe habeat ad media omnis ordinate volens. 104

Meritum largo modo ſumptum, reperitur in parvulis poſt baptiſmum decedentibus. 737

Merita noſtra ſunt motiva & non media reſpectu prædeſtinationis noſtræ ad gloriam. 101. *& ſequent.*

Meritum hominis lapſi ſuum eſt, & proprium contra Ianſenium. 638. *& ſequent.* Dicitur gratia & non meritum, comparative tantum & non abſolute.

640. & 641

Merita Angelorum æque fuerunt facta & prædeſtinata à Deo, ac merita lapſorum hominum. 571. & ſequent. item & eorum perſeuerantia. 577. & ſequentibus contra Ianſenium.

Merita naturæ quæ aſtruebant Pelagiani, erant ſecundum eos merita debiti & iuſtitiæ & non ſolius congrui & decentiæ. 557. & ſequent.

Modus mirabilis, quo ſecundum Auguſtinum Deus operatur in nobis velle, indicat indifferentiam. 215

N

NVmerus electorum non eſt determinatus quoad perſonas ſingulares niſi poſt præviſa eorum merita. 600. & ſequent. Nec ob aliam cauſam mundi finis differtur niſi quia nondum completus eſt ille numerus ex hominibus colligendus ſecundum Auguſtinum. ibidem & p 37

O

OPera bona non ſunt effectus prædeſtinationis ad gloriam, ſed potius cauſa, vel quaſi cauſa. 545. & 546

Oves Chriſti ſunt omnes Fideles, & non ſolùm Prædeſtinati. 244. & 245.

P

IN parabolarum expoſitione non eſt attendendum ad omnia, ſed tantum ad principalia. 126

Parabolæ operariorum in vinea patrisfamiliás, expoſitiones multiplices. 124. 125

Peccatum originale nullomodo poteſt eſſe cauſa damnationis æternæ in reprobis baptiſatis. 113. & ſequent.

Pelagiani, negabant poſſe conſiſtere lib. arbitrium, ſi gratia Dei indigeret, pet qnod negabant omnem gratiam in voluntate neceſſariam, etiam indifferentiſſimam ut prorſus tollerent lib. arbitrium ab homine. 4. & 713

Pelagiani promiſcuè loquebantur de gratia, ut cum effectu vel non cum effectu coniuncta. 687. in marg.

Pelagius tantum admiſit gratiam intellectus in homine lapſo, non vero voluntatis, ſeu in voluntate reſidentem, & neceſſariam. 647. & ſequent.

Pelagiani putabant hominem lapſum tam ſanum eſſe quàm Adamum. 651. Ab eis tantum poſtulavit Auguſtinus gratiam in voluntate neceſſariam, non vero determinantem. 711 & 712. Ipſi dabant actum ſuæ gratiæ, ſicut & Auguſtinus & faciebant eam eſſe victricem. 726. & 727

Pelagianiſmi diverſi ſtatus ſecundùm aliquos: duo tamen tantum fuere & non plures. 4. & 5. in textu & marg.

Perſeverantia actualis eſt in poteſtate hominis lapſi. 535

Poſſibilitas Pelagiana erat merum lib. arbitrium, non vero gratia indifferens, ut prætendit Ianſenius 663. & ſequent.

Præmium non poteſt vere & ſincere intendi, niſi intendatur & meritum. 151

Prædeſtinatio quid ſit, & quot modis ſumatur. 1. & 2.

Prædeſtinatio ad gratiam & gloriam, valde differt à prædeſtinatione ad gloriam ſolàm ſecundùm D. Thomam. p. 3

Noſtra quæſtio de prædeſtin. ad gloriam ſolam an ſit ante vel poſt præviſa merita, non eſt valde antiqua, & incœpit à Scoto ibidem in marg. non cenſuit illam prædeſtinationem Auguſtinus, factam eſſe ante, ſed poſt præviſum Adæ peccatum 451. & ſequent.

In prædeſtinatione ad gloriam ſit conventio ex meritis. 128

De prædeſtinatione ad gratiam ex profeſſo tractaſſe Auguſtinum, & non de prędeſtinatione ad gloriam late probatur. 461. & ſequentibus.

Prædeſtinatus ad gratiam, poteſt dici prædeſtinatus ſimpliciter, & quomodo. 196

Qui vocantur prędeſtinati & electi in ſcripturis, potius intelliguntur prædeſtinati ad gratiam, quam ad gloriam. 190. & ſequentibus.

Duplex eſt prædeſtinatio ſecundùm Auguſtinum: una ad gratiam, altera ad gloriam contra Ianſenium qui puta-

nit eum agnoviſſe unicam. 302. *& ſequentibus.*
Numquam damnauit doctiſſima & orthodoxiſſima Pariſienſis facultas, prædeſtinationem ad gloriam poſt prævi-ſa merita, ut falſò ſibi perſuaſit Eſtius. 738
Non eſt maior difficultas in prædeſtinatione Auguſtiniana, quam in ſimplici præſcientia. 33. *& ſequentibus.*
Quomodo eſt verum illud Auguſtino tributum: ſi tu non es prædeſtinatus, fac ut prædeſtineris. 552
Prædeſtinatio ante prævifa merita, facit ſalutem in non electis impoſſibilem 213. Et ponit impedimentū, illis non electis inamouibile. 214. *& ſequent.* indueit homines ad contemptum ſalutis, & bonorum operum. 210. & 211. tollit ſpem Chriſtianam 213. & facit minas & promiſſiones Dei illuſorias & mendaces. 213
Difficillimum eſt probare ex Auguſtino prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante prævifa merita; & cur. 454. *& ſequentibus.*
Prædeſtinatio Chriſti eſt exemplar prædeſtinationis noſtræ, quantum ad gratiam, non vero quantum ad gloriam. 605. & 606
Præſcientia accurate & ex propoſito præmittitur ab Auguſtino ante prædeſtinationem. 12. & 13. Sumpta etiam ab eo fuit pro ipſamet prædeſtinatione *ibidem*. antecedentem eum illam putaſſe, & non ſolum conſequentem reſpectu prædeſtinationis probatur contra Eſtium 15. *& ſequent.* & contra Ianſenium 19. *& ſequentibus.* & oſtenditur non eſſe ſcientiam approbationis 35
Vera & notanda ſignificatio verbi præſcire apud Auguſtinum late exponitur. 469 *& ſequent.*
Propoſitum Dei, ſicut & prædeſtinatio, communiter ſumitur ab Auguſtino pro prædeſt. ad gratiam, & non ad gloriam ſaltem ſolam. 347. *& ſequentibus.*
Propoſitum Dei, & prædeſtinatio, convertuntur apud Auguſtinum. 417. 418. & 419

Q

QVÆSTIONES incidentes quomodo tractabat Auguſtinus. 173. & 174

R

REPROBATIO negativa reijcitur ab Auguſtino 38 *& ſequent.* item 504. *& ſequent.* reijcitur etiam à Concilio Valentino 219. & D. Proſpero 72. arguit magnam infidelitatem in Deo odioſiſſimamque deceptionem reſpectu aliquorum hominum. 143. & 144

S

SALVS duplex: una temporaria per gratiam, ſeu incompleta; altera completa per gratiam & gloriam. 195. ſalus noſtra æterna conſtat oratione & fidelitate in Deum præſuppoſita gratia. 562
Deus vult omnes & ſingulos ſalvos fieri, 154. & 157. etiam ſecundum D. Auguſtinum. 158. *& ſequent.* & ſecundùm D. Thomam. 177. *& ſequent.* vide etiam. 181. & 184.
Quo ſenſu dixerit aliquando Auguſtinus, Deum non omnes velle ſalvos fieri. 171. *& ſequent.* 494. *& ſequent.* & ſpecialiter de paruulis. 166. *& ſequent.*
Sancti vocantur non ſolum qui electi ſunt ad gloriam, ſed etiam qui ad gratiam ſolam. 313
Duplex eſt ſcientia conditionata valde notabilis apud Auguſtinum. 19
Scriptura, eſt ſimpliciter, & ſine tropo intelligenda, quando non involuit abſurdum. 108. ejus loci obſcuri explicandi ſunt per claros. 109
Semipelagianiſmus, quomodo à Pelagianiſmo exortus, & in quo differat ab eo. 6
Semipelagiani aliquando admittunt gratiam prævenientem ad primam fidem, aliquando non; & quomodo hac eorum tergiverſatione fraudulenter utatur Ianſenius. 7. & 8. in quo diſſidebant ab Auguſtino 31. numquam diſputarunt de prædeſtinatione ad gloriam ſolam, ſed tantum de prædeſtinatione ad primam fidem, &

perſeverantiam. 424. 425. 426. 475. 501. *& ſequent.* duplex fuit eorum difficultas circa doctrinam Auguſtini de gratia, una imaginaria, altera vera. 427. *& ſequent.*

T

TOTUM Deo dare, eſt fateri nihil boni nos poſſe ſine gratia Dei ſecundùm Auguſtinum. 709. & 710

V

VITA æterna, ſeu gloria; quo ſenſu eſt gratia. 251. 252. 253. 530. & 535.

Vocatio ſecundum propoſitum pertinet etiam ad reprobos qui aliquando iuſtificati fuerunt. 421. *& ſequent.* item & 491. vide propoſitum Dei.

Voluntas complacentiæ eſt virtualiter efficax, ſcilicet ſi poneretur certa quædam conditio quam deſiderat. 196. & 197.

Quomodo voluntas Dei ſemper ſit in homine ſecundum Auguſt. & D. Thomam. 533

Voluntatem agere ſignificat apud Auguſtinum ſeipſam determinare. 619.

Eodem modo loquitur Auguſtinus de concurſu voluntatis ad bonum ac Pelagius, qui cenſebat eam in hoc indifferentem; ſed ad id poſtulabat Auguſt. gratiam prævìam, & negabat eam Pelagius eſſe neceſſariam 708. in marg.

Bonus uſus gratiæ quomodo eſt à nobis 556. meretur gratias congruas & ipſammet perſeverantiam de congruo. 555.

MENDA DEMENDA.

PAgina 15. lin. 7. gloriam, pone gratiam.

pag. 17. lin. 36. 2. pone 24.

pag. 27. lin. 14. vel non prædicetur quod pone vel nunc. lin. 35. dele vt. & lin. 37. de libero, pone, de gratia, & libero arbitrio.

pag, 29. lin. 25. dele objectam.

p. 34. lin. 18. initio, pone vult, & *dele* illud in ſequente linea.

p. 41. lin. 6. ſola p. ſolam,

p. 52. l. 32. exceptus, p. excerptus.

p. 53. lin. 42. falſum p. faſſum.

p. 54. lin. vlt. gloriam p. gratiam.

p. 55. lin. 14. d. bene.

p. 60. lin. 12. ephireſis p. ephiteti. lin. 14. eſt, p. es. l. 20. qui p. quia.

p. 62. lin. 17. c. 15. p. 16.

p. 64. lin. 4. d. &, lin 9. 60. p. 61. lin. 40. hoc, p. hanc, & lin. 41. ut p. ubi. in marg. vel eſt, p. nil eſt.

p. 65. lin. 3. indicant', p. indicant, & lin. 2. hæc, p. hac.

p. 66. lin. 24. ante eam, p. eam ante.

p. 85. lin. 36. facta, p. tacta.

p. 96. in margine illud ſub, p. illud niſi ſub.

p. 97. l. 19. minus, p. nimis. l. 25. nullum quæratur, p. nullum non quærat.

p. 100. l. 32. propter aliam, p. propter illam aliam particulam.

p. 101. l. 28. Verba, p. vera.

p. 120. l. 36 zebedæi, dele omnia uſque ad. & omnes.

p. 121. l. 18. Notandum &, p. notandum eſt.

p. 141 l. 7. præponatur, p. poſtponatur.

p. 143. l. 31. decreto, p. deleto.

p. 156. l. 1. ſede, p. ſed.

p. 158. l. 12. 3. p. 10.

p. 161. l. 21. poſita, dele paranteheſim ſequentem, & pone eam poſt, hic.

p. 162. l. 21. indicat, p. iudicat.

p. 168. l. 23. d. poteſt.

p. 170. in marg. 20. operis, p. 2. operis.

p. 176. in marg. & non, p. eſt non.

MENDA DEMENDA.

p. 182. l. 33. loquebatur A. enim.
p. 188. lin. 21. pone inter duas parentheſes ergo &c. ſanctificantem.
p. 194. l. 23. & p. eſt.
p. 195. l. 14. conſideremus, p. concederemus.
p. 198. in marg. monens, p. movens.
p. 207. l. 20. & maxime, d. &. l. 35. potuiſſet, p. potuit.
p. 209. l. 25. eo, p. eorum.
p. 213. l. 34. haberet, p. haberem.
p. 230. l. 35. ſic, p. ſcit.
p. 239. l. 33. elati, p. dati.
p. 257. l. 29. p. ἐσόμεθα, ὅτι ὀψόμεθα αὐτὸν καθώς.
p. 283. l. 29. tribuuntur, p. ſcribuntur.
p. 264. l. 16. uti, p. uſi.
p. 295. l. [illegible] gloriam, p. gratiam.
p. 297. l. 13. velle, p. bellè.
p. 308. l. 6. ſumus, p. ſummè.
p. 312. in marg. fidei, p. gratiæ.
p. 2:8. l. 17. pone punctum poſt ſecundarius.
p. 320. l. 8. ſed, p. ſeu.
p. 328. l. 21. ibi, p. ubi.
p. 329. l. 7. prędeſtinationem, A. ad gloriam.
p. 341. in ult. marg. eumdem. p. Davidem. p. 343. l. 17. vel, p. &.
p. 347. l. 8. eum vult, ut non agant, p. cum non vult ut agant.
p. 348. l. 4. quam, p. quod.
p. 362. l. 35. præcedentem, p. præcedens
p. 363. l. 2. pertineat. p. pertinent.
p. 366. l. 26. hoc convenit, p. hoc non convenit.
p. 376. l. 23. multis p. nullis.
p. 378. l. 16. D. qui l. 23. commorituri, p. cum morituri.
p. 381. l. 31. vera, p. verba.
p. 383. l. 30. p. (id eſt non tantum.
p. 384. l. 9. &, p. ſed.
p. 392. l. 4. non, p. nos. l. 13. d. eſt.
p. 395. l. 18. prædeſtinatio, p. prædeſtinati. l. 26. d. etiam.
p. 396. l. 33. p. cùm non dentur, & l. 24. intelliguntur, A. enim.
p. 400. l. 15. dele punctum.
p. 404. l. 17. p. parantheſim ante ubi.
p. 416. l. 26. ſuo, A. ut.
p. 432. l. 41. a deo, p. adeò.
p. 437. l. 21. ut, p. in.
p. 439. l. ult. & p. ex.
p. 448. l. 20. adhorruerunt p. abhorruerunt.
p. 449. l. 32. D. autem.
p. 486. l. antepenult. p. ita eſt duplex diſcretio.
p. 544. l. ult. ordinate, p. ordinatus.
p. 588. l. 29. civi, p. cui.
p. 605. in marg. obiectione 8. A. ex ſcriptura.
p. 614. l. 13. poſt, clamat p. virgulam. l. 29. p. eam ſi vellet dereretet, aut ſi vellet, uteretur.
p. 627. l. 37. differentiam, p. indifferentiam.
p. 633. l. 3. conjungatur. p. conjugatur.
p. 634. l. 24. indicantur, p. iudicantur.
p. 635. l. 7. regeneraturus, p. regeneratus.
p. 641. punctum IV. p. punctum VI.
p. 642. l. 4. antecedens, A ex. l. 41. loquens, A de.
p. 962. l. 36. hic, A. &.
p. 670. l. 39. d. &.
p. 713. l. 14. Ingeter, p. indigeret.

LYON

Vierguld Thiery.